R. P. HYACINTI
DONATI
LAYNENSIS,
ORD. PRÆD.

PRAXIS REGULARIS
IN
QUATUOR TOMOS DIVISA.

R·P·HYACINTI
DONATI,
LAYNENSIS,
ORD. PRÆD.
PRAXIS REGULARIS
IN
QUATUOR TOMOS DIVISA.

R. P. HYACINTI
DONATI LAYNENSIS,
ORD. FRAT. PRÆDICATORUM,
SAC. THEOL. MAG. AC U. J. D.

Quondam in Generali Studio Sancti Dominici Civitatis Cosentiæ Regente, ac utriusque Provinciæ Calabriæ Provinciali,

RERUM REGULARIUM PRAXIS RESOLUTORIA;
IN QUATUOR TOMOS DISTRIBUTA.

IN QUIBUS OMNES ET SINGULÆ MATERIÆ, QUÆ IN REBUS Regularibus occurrere possunt, sub diversis Tractatibus succinctè ac dilucidè proponuntur, resolvuntur, ac deciduntur.

Opus nedum Prælatis Regularibus, illorumque subditis, Ecclesiasticis, cæterisque Ordinum Superioribus; verùm etiam causarum Patronis, omnibusque Judicibus in utroque foro versantibus utilissimum, imo maximè necessarium:


Accedunt duo Indices locupletissimi Tractatuum & Quæstionum, Rerumque omnium notabilium.

TOMUS PRIMUS



Cujus Tractatuum Elenchum versa pagina indicabit,

NUNC PRIMUM IN GERMANIA PRODIT.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HERMANNUM DEMEN, sub signo Monocerotis.

ANNO M. DC. LXXV.

Permissu Superiorum.

ELENCHUS TRACTATUUM & Quæstionum, quæ in hoc Tomo Primo continentur.



SERENISSIMO, AC EMINENTISSIMO

BERNARDO GUSTAVO,

S. R. E. CARDINALI,

S. R. I. PRINCIPI;

Inclytissimarum Ecclesiarum Fuldensis, Campidonensis, & Sigburgensis Archi-Mandritæ, Abbati, Administratori; Augustissimæ Romanorum Imperatricis Archi-Cancellario & Mareschallo; per Germaniam & Galliam

PRIMATI:

In Baden Durlach & Hochberg

MARCHIONI,

In Sausenberg LANDGRAVIO; in Eberstein & Sponheim

COMITI,

In Rötelen / Badenweiler / Lahr / Malberg / &c.

DOMINO:

Metropolitanæ Electoralis Coloniensis, nec non Cathedralis Argentinensis respectivè Canonico & Capitulari, &c.

Domino Clementissimo, Mecœnati gratiosissimo.



Ullum mihi studium, *Serenissime ac Eminentissime Princeps Cardinalis*, hæsitatio nulla fuit, cui *Sapientissimum DONATUM Rerum Regu-*

larium

larium luculentiſsimum Expoſitorem, typicis veſtibus à me ornatum, conſecrando donarem: nam *cunctationem abſtulit tuorum privilegium ſingulare meritorum*, liceat ita mihi Te cum *Euſebio Galligiano Serm.* 7. compellare. *Ubi enim ſe virtutum non poteſt ingerere comparatio, ſtudiorum non laborat electio: & longæ deliberationis ceſſat neceſſitas, ubi eam non componit æqualitas. Pati multas diſcretio moras neſcit, ubi inter plures, optimus unus excellit*, & eligitur. Vellem & poſſem multa hic attexere ad tui commendationem, ſed tu omnium oculis, *parcus verborum, factorum dives*, ut nuper ajebat *Ennodius de ſuo Epiphanio, ſcripturientem de te calamum præproperè detines.* Verùm in laudibus ipſis, ſicut turpe eſt illa audire, quæ nec ille, de quo narrantur, agnoſcat: ſic injurioſum putatur illud præteriiſſe ſilentio, quod relatio vera poſsit attollere. Quare eſt, quòd fateri cogar & gaudeam in te conſpirare rationes illas omnes, quas Scriptores in Mecœnatibus ſuis deſiderant: antiquam ſcilicet *Regalis Proſapiæ Majeſtatem*, pugnacem ac triumphalem pro *Imperatore, pro Imperio, pro Domo Auſtriacâ* dexteritatem, literariæ ſuppellectilis promotionem, Regularis diſciplinæ propagationem: quodque apud me majus momentum habet, egregium earum virtutum concentum, quæ *Eminentiſſimum* in polo & foro *Cardinalem*, quæ *Sereniſsimum* in pace ac bello *Principem* decent. Maximè autem ſuſpicio, & publico hoc elogio commendandum duco cum *Nyſſeno in Orat. de his, qui premuntur* &c. quod *ita morum gravitatem atque Majeſtatem, cum animi demiſsione commiſces, ut non avertat oculos intuentium, ſed jucundum*

faciat

faciat obtutum; ut neque gravitatis ſplendor obſcuretur, neque latens in animo vis, propter humilitatem deſpiciatur: ſed alterum æqualiter in utroque, tum in Celſitudine ac ſublimitate comitas & humanitas, tum in humanitate vice versâ, gravitas animadvertatur. Verùm ſi *Regalis Stemmatis* tui meminiſſe lubeat & liceat, quis neſcit *Sereniſſimam Eminentiam* tuam ex omnibus ferè Europæorum Regum proſapiis, cognatum ſanguinem derivare? Qui etſi ſint Majores tui, Tu tamen illis non es Minor! Hi omnes in te videntur, dum aſpiceris, audiuntur, dum loqueris, ſuſpiciuntur, dum ſuſciperis, & laudantur, dum laudaris. Taceo tuæ Ducalis Genealogiæ promulgatam ubique gentium nobilitatem *recenſere*, idque ex monitu *S. Gregorii Nazianz. in Orat. funeb. de S. Athanaſio; quia Regalis eſt, & admirari longiùs fortaſsis foret, quàm præſens ſermonis eſt ſeries? & ad hiſtoriam potiùs pertinet, quàm ad laudem.* Illud unum de tuis Majoribus, de tuâ Sereniſsimâ Pròſapiâ ſubticere nequeo, quod nuper *Deciorum* ſtemmati *Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 6.* tribuebat: T*ot annis continuis ſplendet claritate virtutis, & quamvis rara ſit gloria, non agnoſcitur in tam longo ſtemmate variata; ſæculi ſui producit nobilis vena primarios, neſcit inde aliquid naſci mediocre: tot probi, quot geniti, & quod difficile provenit, electa frequentia.* Tranſeo ab amico, ab avito Majorum ſanguine, quem glorioſiſsimè à Proavis, Tritaviſque hauſiſti, ad illum, quem pro *Deo & Cæſare*, pro Fide & pace, pro aris & focis, contra communes nominis Chriſtiani inimicos, fundere paratiſsimus eras, quando in bello Turcico contra barbariem ac ſævitiam Ottomannicam generoſiſsimè decertabas,

 dum

dum *in campum prodiens, vultu & honore ultimus, periculis primus, onuſtus ferro, gravis armis, pro patriâ, pro civibus, pro vitâ omnium,* pro libertate Germaniæ, *premebas hoſtem, diſcrimina deſpiciebas, vulnera contemnebas,* ut tuam magnanimitatem videtur deſcripſiſſe *D. Chryſoſtomus homil. 6. de feriâ 6. Paſsionis.* Hoc tamen in tuis armis præcipuè devenerор, quod & ſummopere dilaudavit in ſuo Imperatore Theodoſio, de quo *D. Ambroſius epiſt. 28.* ſic perorat; *Etſi in præliis feliciſſimè egerit: tamen apex omnium operum, Pietas fuit.* O verè Principem Romano Imperio per fata divina proviſum, & pro Orthodoxâ Eccleſiâ præviſum. Nam de te prædixiſſe videtur, quod in ſuo Maximo prædicavit *Ennodius Orat. 8.* T*e olim,* inquit, *ſæcularibus inhærentem titulis, caſtrenſis ſudor excoluit: & ad Eccleſiæ gubernacula, pars adverſa ſolidavit.* Addit appoſitè ad propoſitum: *Chriſtus milites ſuos, quos in perſonam Ducis,* Præſulis, Abbatis, Cardinalis *attollat, inter acies quærit hoſtiles.* Quæſivit T*uam Serenitatem* in bello publico, & invenit tuam ſinceritatem Chriſtus in prælio domeſtico, in quo ſic expugnares teipſum: ut qui nuper eras victor aliorum, nunc reddaris & tui. Certe in religioſo inimicorum morum certamine vix ſtationem obiviſti, cùm ſeſsionem meruiſti: vix ut tyro pugnare, quin & mox ut Princeps ſuperare ſciviſti. Quid jam mirum, ſi *Montes Sigburgenſes* ex dignitate *Tuæ Celſitudinis* clareſcant & emineant? Quid inſolitum, ſi *Campus* ille nuper incultus, tuis virtutibus excolatur, tuis exemplis *Campidona* ſuccreſcat? Quid jam novi, quòd fulgoribus *Tuæ Serenitatis,* lucidiſsima *Fulda* ſolito ſplendentiùs effulgeat, quando tua-

rum

rum virtutum *Eminentia* ſic præſides, ut proſis, ſic præis, ut ſequelam ſuadeas: quando *nullam gloriam in eo ponis, quòd ſis omnibus Major, niſi fuerint Maximi, quibus Major es*? Sic olim pronunciabat *Plinius de ſuo Trajano*. Quàm glorioſum eſt in Te uno videre conjunctas dignitatum prærogativas, quæ nec in aliis licet invenire diſperſas! Te namque Religio ſalutat *Reverendiſſimum Præſulem*; Te Romani Imperii Majeſtas *Sereniſſimum Principem* ſuſpicit: Te Eccleſiæ Orthodoxæ ſumma dignitas veneratur *Eminentiſſimum Cardinalem!* Certè tu aſcendiſti per Magna ad Majora: ita ut primum ac imum tuum veſtigium, aliorum ſummum ſit faſtigium. Nam illuceſcis non tam ornatus à virtutibus, quàm ornans virtutes: dum animus tuus ſemper generoſus, ſemper juſtus, impavidè perſtat ſub inconſtante fortunâ, & ſub inæquali ſemper perdurat æqualis. Hanc meritorum dignitatem, donorum ſerenitatem, virtutum Eminentiam vix nuper noſtra aſpexit Colonia, quando & ſuſpexit operoſæ Principem virtutis, qui ſupra naturam fortis, ſupra imitationem eximius, ſupra invidiam admirandus? Et quanquam *Eminentiſsime virtutum Princeps*, nulla tibi ex virtutibus deſit, & tu nulli; nec facile judicata ſit, quænam in te virtus præcellat: dum omnes ſunt eminentiſsimæ; præcellere tamen videtur cæteris morum ſuavitas & affabilitas; nam hæc Te omnibus facit amabilem, & præſertim *Metropolitanæ noſtræ Electorali Baſilicæ*, & tibi omnes amabiles. Per hanc patebas, & pates omnibus miſeriis inſtar aſyli, omnibus precibus inſtar templi, omnibus dubiis inſtar oraculi: adeo ut Tuam *Sereniſsimam Eminentiam* depinxerit *Seneca*, dum *lib. 4. quæſt.*

natural.

natural. edixit, *Nemo mortalium uni tam dulcis, quàm hic,* Bernardus Princeps, *omnibus.* Hinc illa cum gaudio complexata fuit *Comitem*, & cum ſtupore venerata *Principem*, qui ſic vitam noſſet componere ad Regulas, ad Canones virtutum: ut in eo certent de primatu *Regularis* ſanctitas, & *Canonica* dignitas? Patere igitur *Sereniſsime Præſul*, ut hic literarius de *Regulari ac* Canonico ſtatu labor, apud tuam Eminentem affabilitatem inveniat locum: & dignare Sereniſsimis manibus hoc meæ obſervantiæ teſtimonium, hoc ſubmiſiſsimi obſequii argumentum acceptare. Nam quantùm memor meæ anguſtiæ, tantùm non immemor tuæ Auguſtæ Familiæ, adrepo ac dedico, inniſus *Auſonio* dicenti, *Auguſti ſanguinis eſſe, etiam minima gratitudinis obſequia, non repellere.* Admitte igitur eminentem profundiſsimi *Donati ex Ordine* Prædicatorum *Magiſtri* doctrinam *Eminentiſsime* Princeps, & Sereniſsimis oculis dignanter reſpice tùm Opus, tùm Operis divulgatorem, qui Veſtræ E*minentiæ* optat deditiſsimè famulari in terris, donec *Sanctitatem* liceat venerari in aſtris, quæ quantùm *ſeria* ac certa, tantùm *ſera* ac tarda vovet ac exoptat.

Sereniſſimæ Eminentiæ Veſtræ.

Addictiſſimus & ſubmiſſiſſimus

Hermannus Demen, Bibliopola Colonienſis.

AD LECTOREM
BENEVOLUM.



Uoniam præſenti opere, Deo Duce, & vita Comite, ad finem utendi Privilegiis, conſtruendi & regendi Monaſteria, eligendi Prælatos, recipiendi ad habitum, defendendi Religioſas Perſonas, ipſarumque Jura, actiones & bona, ac multa diverſa, ſeu diſperſa, regulares ac Moniales Concernentia, in unum intendimus congregare: immò ob ſimilitudinem argumenti, extranea rimari, oppoſita expendere, brevique Methodo enucleare. Quandoquidem, oppoſita juxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Cumque duæ ſint partes optimæ Doctrinæ, ſua ſtabilire, & aliena repellere; libuit poſt deciſa, ad objecta interdum reſpondere; quod ſi neutrum, ut par erat, præſtitimus, Tu Candide Lector, quod præſtandum putas, imple & perfice, Deoque gratias age, ex quo vales, quod nos minimè valemus: Quouſque verò id haud præſtiteris, cohibe linguam, & ſententiam tene, vel parce Ingenio, aut paſcere animo, quem ipſi gerimus, cæteros adjuvandi.

Nec dices, vellem Authores, non autem Tranſcriptores, qui ex libris, libros faciunt: Nam, ut Ariſtoteles dixit, in Metheororum libris, omnes ferè, quæ tractantur Opiniones, à Superioribus fuerunt agitatæ: quòd priùs Sapiens inſinuavit *Eccleſ. 1.* ibi, nihil ſub Sole novum, nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt: Undè nunc Scribentes, nihil novant, nec quidem Modicum, novandum habent, cùm nullum ſit jam dictum, quod non dictum ſit priùs, ut ajebat *Terentius.* Nam vel diviſa colligunt, vel collecta magis explicando diffundunt, quod eſt totum ſcribendi negotium; an minùs, vel magis utile, relinquitur Prudentis arbitrio: Exindè Adagium eſt; Dic novè, non autem nova. Quandoquidem Novatores valdè diſplicent. Nec proptereà Modernorum labor vacat, aut extat futilis. Etenim non omnes omnia poſſunt, nec tot eoſdem libros habent; *Petrus Lombardus* collegit Patrum ſententias, unde dictus eſt, Magiſter ſententiarum, *Divus Thomas,* nonne dicta Patrum aſſiduè pervolutabat, & exindè ſummatim, tam eleganter Theologiam edocuit? *Sanctus Raymundus,* nonne compilavit Decreta Summorum Pontificum? Suntnè Hi laude, ac remuneratione digni, an potiùs vacui, & incaſſum laborarunt? Hi utique ſunt, de quibus dicit Eccleſia, dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius, immortalis eſt enim memoria illius, quia apud Deum nota eſt, & apud Homines. Faxit igitur Deus, à quo bona cuncta procedunt, incæpta perficere, & prænarrata verba ad nos peccatores extendi. In cæteris mendis parcito, & æqui bonique conſulito: Quandoque bonus dormitat Homerus, ne dicam, quod in impreſſione Librorum, Argi oculos cœcutire compertum eſt: Tibi, benevole Lector, corrigendi, emendandique ſit æqua poteſtas. Vale, & fœliciter vive, in Æternum, & ultrà.

NOS

NOS FR. JOANNES BAPTISTA DE MARINIS,
Sac. Theolog. Professor, ac Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Servus.

Harum serie, nostrique auctoritate Officii, tibi Rev. Adm. Patri Fr. Hyacintho Donato, de Layno, S. Theol. Mag. Facultatem concedimus, ut publicis Typis mandare valeas Quadripartitam Praxim Regularium, servatis servandis, juxta Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini, & ordines Capitulorum Generalium. In quorum, &c. Romæ die 3. Septembris 1650.

Fr. Jo. Baptistà de Marinis, Magister Ordinis.

Fr. Bernardinus de Venetiis, Magister & Socius.

Locus Sigilli.

ILLUSTRISSIMO ET ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Maestro Frà Giacinto Donato, Domenicano della Provincia di Calabria, supplica V. E. concederli licenza, che servatis servandis, possa dare alle Stampe, una sua Quadripartità practica, spettante allo Stato de Regolari, che oltre è di giusto, l'haverà à gratia, ut Deus, &c.

Magnificus V. J. D. Jo. Thomas Tironus videat, & referat.

Capycius Latro Regens.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Illustrissimi Ordinis Prædicatorum Sancta Religio, à sui exordio, continuis seculis, protulit Viros insignes, Sanctitate, Doctrina & Eloquentia: quibus, ut notum est, universus Orbis fuit illuminatus. In præsenti, inter Clarissimos, profert eximium Theologiæ Magistrum, & celeberrimum legum Doctorem R. P. F. Hyacinthum Donatum; Qui cùm huic Dominicanæ Religioni nomen addixerit; adeò probatis vita, sapientiam adjunxit, ut per plura lustra, publicè Philosophiam, & Theologiam, cum laude docuerit, & famosissimus Concionator evaserit. Indè ad Provincialatus munus electus, de sua Religione benemeritus, Reverendissimis Generalibus charus, sæpissimè Rerum Regularium Consultor aut Judex: Animum adduxit, inter multa, & varia ejus scripta, quæ circumferuntur, in Philosophia, & Theologia Scholastica, etiam Moralem materiam Regularium pertractare: Quam pluribus annis elaboratam, tandem ad perfectionem deductam, Superiorum præceptis, in publicum exire permisit. Hoc tanti Viri opus, quatuor Tomis comprehensum, Excellentiæ Vestræ mandato vidi, & sedulo studio recognovi; Reperi certè, dignum Authore, utile, facile, & delectum quæstionum continens. Igitur cùm nihil Regiæ Jurisdictioni adversum scribat, dum quæ movere querelam potuissent, summa dexteritate tractaverit. Imò sanam doctrinam, claram, & resolutam contineat; Censeo, posse Vestram Excellentiam suam Gratiam impartiri, quòd imprimatur, ut meritò talis Viri memoria in æternum vivat. Neap. 25. Decembris 1650.

Excellentiæ Vestræ

servus deditissimus

Doctor Jo. Thomas Tironus.

APPROBATIONES.

Praxis hæc *Rerum Regularium Resolutoria P. Donati de Lain Ord. Præd. &c.* docet *speculativè*, quid *practicè* incumbat *Regularibus* agere; expletque desiderium Davidis, quod sub schemate Religiosi *Psalm.* 118. 66. ingeminabat: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Quare cùm doctrinam ad *Regulares* spectantem egregiè proponat, solidè exponat, ac maturè disponat *Consilia Evangelica*; ut nulli *Precepto Ecclesiastico* vel Fidei, vel bonorum morum repugnet: nostro judicio non tam meretur typis imprimi, quàm optatur factis exprimi. Eò vel maximè, quòd per propositionem *Erothematum* sic singula distinctè inquirat, ut omnia clarissimè resolvat; nam *per interrogationem, exordiri doctrinam, res est sapientiæ per quam familiaris,* teste *Basilio Seleuco Orat.* 25. quoniam *tota vita in quæstione est, & quamdiu vivitur, quæritur,* ex testimonio *Hugonis Victorini lib.* 1. *Miscellan. tit.* 72. Sic non tam censemus, quàm gaudemus *Donatum* nunc *Germaniæ* datum: quem nuper sibi soli natum *Italia* gloriabatur. Coloniæ in Conventu S. Crucis Ord. Præd. 1674. XII. Kalend. April.

Fr. Casparus von Cöllen Ord. Præd. S.T.D. & Professor Ordinarius, ad tractum Rheni & Mosellæ Vicarius Provincialis.

Fr. Henricus Hilden S. Theol. Magister, ejusdem ibidem Ordinarius ac Publicus Professor, & in Conventu Generalis Studii Regens.

Fr. Hyacinthus Cunibert. Ord. Præd. SS. Theol. Doctor, & Professor Ord.

CENSURA ORDINARII.

Liber hic Praxis Rerum Regularium &c. inscriptus, alibi antehac laudatus, approbatus, impressus, nunc denuo ante novam hanc editionem revisus, ac relectus, talis est, in quo, quæ tractantur, pleraque ad mentem & Doctrinam Doctoris angelici resolvuntur, nulla vero quæ mores offendant bonos, aut fidei adversentur orthodoxæ, reperiuntur, jure itaque merito dignus judicatur, qui pro communi bono ac utilitate lucem etiam è prælo Coloniensi aspiciat publicam. Sign. Coloniæ Agrippinæ 31. Martii 1674.

JOANNES FRANCKEN Sierstorff. Metrop. Eccl. Colon. Canonicus Capitularis, Librorum Censor Ordinarius.

RERUM

INDEX TRACTATUUM

Et Quæstionum, quæ in Tomi Primi Parte Prima continentur.

TRACT. I. De Legibus in genere. fol. 3.

TRACT. II. De Nat. Privil. fol. 24.

TRACT. III. De Privil. ad instar. fol. 31.

TRACT. IV. De Divis. privil. fol. 33.

TRACT. V. De Causa activa. & passiva privilegiorum. fol. 35.

TRACT. VI. De Extens. privil. fol. 39.

22. *An*

TRACT. VII. De Communicatione privilegiorum. fol. 49.

TRACT. VIII. De Interpretatione privil. fol. 60.

TRACT. IX. De Clausulis privil. fol. 65.

TRACT. X. De Dictionibus privilegiorum. fol. 76.

TRACT. XI. De Confirmatione, innovatione, & usu privilegiorum, fol. 77.

TRACT. XII. De Amissione, & cessatione privilegiorum fol. 92.

TRACT. XIII. De revocatione privilegior. fol. 102.

6. An

TRACT. XIV. De Derogat. Jur. Privil. & Decret. Conc. Trid. fol. 114.

TRACT. XV. De Oraculis Vivæ Vocis Roman. Pontif. fol. 117.

TRACT. XVI. De Revocatione Oracul. Vivæ Vocis. fol. 119.

INDEX TRACTATUUM

Et Quæstionum, quæ in Tomi Primi Parte Secunda continentur.

TRACT. II.

TRACT. II. De Privil. Monast. fol.146.

TRACT. III. De Clausura Monast. fol.154.

TRACT. IV. De Violata Clausura. fol. 160.

TRACT. V. De Transeuntibus ex uno in aliud Claustrum. fol. 173.

16. Licen-

68. *Reli-*

TRACT. VI. De Apostatis. fol. 198.

TRACT. VII. De Fugitivis à Claustro, fol. 209.

23. Fu-

TRACT. VIII. De Ejectis à Claustro. fol.217.

44. Ejectus

TRACT. IX. De Galeotis Religiosorum. fol. 240.

TRACT. X. De Appellationibus. fol. 250.

10. Appel-

TRACT. XI. De Successione Monasterii. fol. 267.

TRACT. XII. De Obligationibus Monasterii. fol. 286.

18. *Mona-*

TRACT. XIII. De Exemptione Relig. fol. 294.

83. *Re-*

TRACTATUS XIV. De Rebus Monasterii non alienandis. fol. 339.

82. *Res*


TRACT. XV. De Largitione Munerum Regularibus interdicta. fol. 376.

TRACT. XVI. De Datis & Promissis pro justitia, & gratia. fol. 393.

TRACT. XVII. De Conservatoribus. fol. 394.


13. Con-

RERUM



RERUM REGULARIUM PRAXIS RESOLUTORIA.

PARS PRIMA



DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM;

TRACTATUS PRIMUS

DE LEGIBUS IN GENERE.

QUÆSTIO PRIMA,

Quid sit lex, & unde dicatur?

1. D. *Thom.1.2. q. 90. art. 4. in corp.* docet, quòd lex sit ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet; promulgata.

Et dicitur ordinatio, quia lex est regula humanorum actuum directiva, & ordinativa, secundùm quam homo, vel ad aliquod bonum agendum inducitur, vel ab agendo aliquod malum retrahitur, ut idem *D. Thom. in d. q. 90. art. 1.*

Dicitur rationis, ad significandum, legem consistere essentialiter, & præcipuè in actu intellectus, etsi antecedenter præsupponat, vel conjunctum habeat actum voluntatis, ut constat ex *ff. de constit. Princ. § sed & quod, instit. de jur. natur. gent. & civil.* ubi dicitur, *quod Principi placuit, legis habet vigorem*; & de facto, id legislator præcipit, quod fieri vult, vel voluit.

2. Dicitur ad bonum commune, ad ostendendum finem, gratiâ cujus, leges institui debent: non enim lex debet institui in privatum commodum aliquorum, sed in communem utilitatem, ex *Arist. 4. Polit. cap. 10.* & habetur in *can. erit autem lex, dist. 4.* ubi dicitur, *quòd lex nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium, debet esse conscripta.* Lex enim est opus potestatis publicæ; potestas autem publica ex se in bonum publicum est ordinata, sic & leges ab ea procedentes, debent in commune bonum, & publicam utilitatem ordinari, prout eleganter observat idem *D. Thom. in d. q. 90. art. 2.*

3. Dicitur ab eo, qui curam communitatis habet, ad significandum, legem habere vim, etiam coactivam, qua subditi coguntur præstare opus à lege præscriptum; isthæc autem vis, & efficacia, nequit inferri à privata persona, sed ab illo tantùm, qui totius Reipublicæ curam gerit: perinde is solus potest leges condere, *D. Thom. in d. q. 90. art. 3. ad 2.*

Et additur, quòd condere leges, est actus jurisdictionis supremæ, immò pertinet ad primum gradum meri Imperii, ut docet *Bart. in l. Imperium, n. 8. ff. de jurisdict. omn. Jud.* & habetur in *l. 1. § potest ff. eod.* actus autem supremæ jurisdictionis non potest exerceri, nisi ab eo, qui Gubernator est communitatis, seu est Princeps, vel qui ab ipso ad id potestatem habent, prout dicitur in *l. 2. § novissimè ff. de orig. jur.* & *D. Thom. 2. 2. quæst. 51. art. 2.*

4. Dicitur promulgata, nempe voce, vel scripto, nam nisi lex sufficienter sit promulgata, & innotescat iis, quibus constituitur, vim legis non habet, & habetur *Canon. in istis, distinct. 4.* ubi dicitur, tunc leges institui, quando promulgantur, quia lex cùm sit regula humanarum operationum, debet applicari; nam regula, nisi actualiter applicetur ad mensurandum, vana est, & disutilis, applicatur autem per promulgationem, ut idem *D. Thom.* docet in *cit. loc.*

5. Lex tandem dicitur à legendo; fit enim ad hoc, ut publicè legatur, ut omnibus nota sit, & ab omnibus observetur.

Quæst. 2. Lex quotuplex sit?

1. ET quòd sit quadruplex, docet *D. Thom.* per totam *quæst. 91. in 1. 2.* nempe æterna, naturalis, humana, & divina, prout colligitur ex Scriptura sacra, nam de lege æterna, quæ est Divina sapientia, dicitur *Proverb. 8. Dominus possedit me ab initio viarum suarum, & antequam quidquam faceret, ab æterno ordinata sum:* & paulò pòst, *quando ponebat legem aquis, cum ipso eram cuncta componens.*

 A De

De lege naturali dicitur, *Rom.* 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt, faciunt.*

De lege humana *ibidem* dicitur, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui vos audit, me audit*, dicitur *Luc.* 10.

De lege Divina dicitur *Rom.* 13. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.*

2. Quod item ratione probatur; nam lex est forma, & regula, qua dirigitur homo ad studiosas operationes; vel ergo dirigitur in finem supernaturalem; & sic erit lex Divina; vel dirigitur in finem naturalem, & hoc potest accidere dupliciter, vel per legem inditam, & inscriptam animis nostris ab Auctore naturæ; & sic erit lex naturalis, vel per legem humano modo excogitatam, & sic erit humana, ita bene discurrunt *Caiet. Med. Conrad.* & alii plures, ubi supra, *D. Thom.* expositores.

Ut autem bene scias, quonam modo omnes hæ leges ab illa æterna derivent, adverte ex *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 1. quòd cùm dicimus, legem esse regulam humanarum actionum, nihil aliud est, quàm fateri, legem esse lumen, seu dictamen rationis in eo, qui communitatem gubernat; ita à pari debes advertere, quòd cùm Deus sit primus, & universalis Gubernator totius mundi: ipse namque ab æterno totius orbis ordinem, ac dispositionem mente considerans, dicitur illa sua æterna ordinatione, quasi lege omnia gubernare, hujusmodi autem ratio ordinationis in mente Divina existens, dicitur lex æterna, quæ paululum, aut nihil distat à Divina providentia.

3. Et quòd idemmet Deus, prout est Auctor naturæ, ad præscriptum suæ præfatæ ordinationis, animalibus singulis, & maximè homini, uti creaturæ rationali ad sui imaginem factæ, indidit quoddam lumen naturale, quod consistit in cognitione, & applicatione illorum principiorum naturalium, putà, bonum est prosequendum, & malum fugiendum, quod tibi non vis, alteri ne feceris, & his similia, quæ naturali tantùm lumine sine discursu apprehenduntur; & uti prima principia per se nota conservantur.

4. Iste instinctus, seu inclinatio naturalis nobis data ad cavendum malum, & prosequendum bonum, dicitur lex naturalis, quæ participat de dicta lege æterna, quia omnis causa secunda se movens, oportet, ut priùs præmoveatur à Deo primo movente, ut patet in se moventibus, & bene ordinatis.

5. Et adde, quòd idem homo prædicto lumine, & sua facultate innata, sicut suo intellectu speculativo ex cognitione primorum principiorum, medio discursu, potest cognoscere, & de facto cognoscit; & deducit varias conclusiones, sic item pariter, suo intellectu practico, per eandem facultatem naturalem, ex principiis practicis communibus, & indemonstrabilibus potest deducere, prout de facto deducit alias multas, & varias particulares dispositiones, quas & leges vocamus, juxta varietatem temporum, locorum, & negotiorum, prout magis expedire videbitur.

6. Quippe quæ leges dicuntur humanæ, quia sunt factæ ab homine, medio humano, sed naturali judicio, & sic bene vides, quòd lex humana, in omni casu, est participatio legis æternæ; omne enim lumen, est à primo lumine, omnia lucida illuminante, ut dictum est.

7. Perinde *D. Thom. in d. loc.* 1. 2. *q.* 93. *art.* 1. ait, quòd lex æterna est ratio Divinæ Sapientiæ, in quantum est directiva omnium actuum, & motionum creaturarum, quia sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ fiunt per artem, quæ ars appellatur, ita etiam in quolibet gubernante, oportet, ut præexistat ratio ordinis eorum, quæ sunt agenda per eos, qui gubernationi subduntur, quæ quidem ratio ordinis lex appellatur. Deus autem in ordine ad nos, existimatur, ceu artifex ad artificiata, & uti Gubernator omnium actuum, & motionum nostrarum, & sic ratio ordinis, quæ in Deo est, modò ars, modò lex potest appellari, quapropter *Plato* bene asserit, quòd Summus Opifex, una, & eadem arte, curat magna, & parva.

8. Et sic lex æterna, omni proculdubio, erit, est, & fuit omnium cæterarum legum fons, & origo, vis, & efficacia, prout bene notat idem *D. Thom. in d. quæst. art.* 3.

Et secundùm hoc debet intelligi illud *Prov.* 8. *Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt*; quia, ut dictum est, in omnibus moventibus bene ordinatis, oportet, quòd virtus secundi moventis, derivetur à primo, & *Augustin.* subjungit, *lib.* 1. *de lib. arbitr. cap.* 5. *quòd in temporali lege nihil est justum, ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi derivarunt.*

9. Sic item lex naturalis nihil aliud est, quod dictamen rationis, seu intellectus, quo aliquid judicatur bonum, vel malum, *Sot. lib.* 1. *de just. quæst.* 4. & potest probari ex illo jam dicto *Paul. ad Rom.* 2. & *Psalm.* 4. *Quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, hoc est, eò quòd homo per lumen rationis participat legem æternam dictantem, quid sit fugiendum, quid autem prosequendum, utique potest per idem lumen participatum cognoscere bonum, & malum.

10. Lex autem Divina est illa, quæ vim habet, quatenus à Deo lata est, & hæc est duplex, nempe vetus, ut illa Moysaica, & nova, ut purà Evangelica.

11. Lex Divina iterum subdividi potest in Divinam naturalem, ceu est illa, qua præcipitur, vel prohibetur idipsum, quod lege naturali præceptum, vel prohibitum est, ut sunt præcepta Decalogi, & in Divinam naturaliter positivam, qua præcipitur, vel prohibetur aliquid, quod lege naturali præceptum, vel prohibitum non est, ut in lege nova, præceptum Baptismi, Confessionis, & similium.

12. Lex autem humana illa est, quæ fertur ab homine, authoritate tamen à Deo accepta mediatè, vel immediatè: hæc autem est duplex, nempe Ecclesiastica, vel laicalis, illa est à Papa, hæc autem à Principe, vel Republica, sed de his singulis non est nostrum in præsentiarum disputare, qui hæc tantùm pauca colligimus, ne contingat errare circà ea, quæ de Gubernio, & potestate Prælatorum resolvimus.

Quæst. 3. *An statutum, præceptum, & mandatum distinguantur à lege?*

1. Statutum, secundùm omnes, dicitur à statuendo, & idem est, quod jus ab homine positum, seu dispositio, ex qua jus producitur, & fit tunc, quando aliqua res, prævia deliberatione, in aliquo firmo statu reponitur, ut dicitur in *tit. Instit. de jur. natur. gent. & civil.*

2. Et à lege, & Constitutione differt solo vocabulo, prout docent *Sylv. in sum. verb. statutum, in princ. & Ludov. Miranda in* 2. *tom. Manualis Prælat. quæst.* 24. *art.* 1. *conclus.* 1. *& quæst.* 29. *art.* 1.

3. Proinde illi possunt statuta condere, qui possunt leges ferre, quia idem sunt, & sic, nedum Supremorum Principum statuta, verùm etiam & inferiorum veræ leges sunt, & sic passim appellantur, cùm omnia, quæ de lege dicuntur, illis conveniant, prout bene notat *Merolla* contra *Azor. in* 2. *tom. moral. Theol. disput.* 4. *cap.* 3. *de leg. dub.* 4. *n.* 36.

4. Quod item amplia ad Constitutiones, & Principum edicta, prout colligitur ex *ff. de constit. Princ. & Canon. Constit. distinct.* 2. quia edicta, Constitutiones, leges, & sta-

& statuta idem, & unum sunt, & sola voce differunt.

5. Secus autem dicendum de Superiorum praeceptis, & mandatis: haec enim in multis differunt à lege, quandoquidem praecepta, & mandata fiunt hîc, & nunc, ad hujus, vel illius loci, aut personae regimen, quae de per se, & de sua natura non possunt esse perpetua, nec perpetuò obligare, hinc pereunt, auctore perempto, & removentur, jurisdictione mandantium remotâ, prout latè infra dico *in tract.* 10. *de cessat. privil. quaest.* 5. *vers. nec inficias.*

6. Lex autem de intrinseca sui natura habet respicere universale bonum, & esse perpetuum, prout in *in l.* 1. *ff. de legib. & Canon. erit autem lex, distinct.* 4. & in *cap. à nobis* 1. *de sent. excomm.* & clariùs in *cap. ult. de offic. Deleg. & cap. final. de major. & obed. & cap.* 2. *de const. in* 6. & docet *D. Thom.* 1. 2. *quaest.* 90. *art.* 2. & *quaest.* 104. *art.* 2. & *Navar. in sum. cap.* 27. *n.* 75.

Quaest. 4. *Statutum quotuplex sit?*

1. ET sanè multiplex, ut putà, aliud generale, quod extenditur ad omnes, aliud particulare, quod quosdam tantùm concernit, ceu est Provinciale, vel Conventuale, de quibus infrà, & horum aliud justum, & aequum, quod ad ejus observantiam obligat, aliud injustum, vel iniquum, quod nullus observare tenetur, sic item aliud obligans ad culpam, & poenam, aliud ad poenam tantùm, ut multa statuta nostri ordinis, & familiae.

2. Et tandem aliud obligat, ut lex, & perpetuò vivit, si debito modo, ac legitima authoritate fiat; aliud è contra erit, ut particulare praeceptum, vel mandatum, quod finitur, ac terminatur cum statuentium, vel mandantium officio, prout supra dictum est de differentia inter legem, & mandatum.

Quaest. 5. *Religiosi hospites, & advenae an teneantur legibus, statutis, praeceptis, & consuetudinibus locorum, vel Conventuum, ad quos declinare occurrerit?*

1. ET quidem teneri in nostra Religione manifestum est, quia ex peculiari statuto, eo ipso, quòd hospites nostras ingrediuntur domos, loca, vel Monasteria, subjiciuntur jurisdictioni, & potestati illius Superioris, à quo in suo conventu recipiuntur, ut hospites, prout planè legitur in *distinct.* 2. *cap.* 13. *de itinerantibus, tex.* 4. *fol.* 168. *lit. G.* hinc tenentur ad omnia illius domus, in qua reperiuntur; sicut & caeteri fratres; & possunt absolvi à censuris, ac insuper puniri, & castigari propter eorum malefacta ibi, vel alibi; quia in suo crimine quis plectitur, ubi invenitur, *C. ubi de crimine agi oportet, l.* 1. ubi *Gloss.* allegat illud, *ubi te invenero, ibi te judicabo*, & habetur ex *Gloss. in cap.* 1. 3. *q.* 6.

2. Quod de jure communi procedit in omnibus aliis regularibus, quicquid sit de eorum statutis; nam in *cap. quisquis rebus, distinct.* 41. dicitur, quòd quilibet se debet conformare moribus, etiam in alimentis (si aliàs prohibita illi non sint) eorum quibuscum vivit, & in *cap. illa autem distinct.* 12. ubi postquam dictum fuit, alia esse statuta, & consuetudines universales, & alias locales, & particulares, subditur, *nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat; quo agere viderit Ecclesiam: ad quam fortè devenerit*, & in *cap. quae contra mores, distinct.* 1. dicitur, *quòd turpis est pars, quae non congruit suo toti*, & in *cap. consimilium, de observat. jejun.* juncta *Glos. verb. consuetudinem*, statuitur, *consuetudinem cujusque Regionis esse servandam*, de qua re vide *Rodriquez tom.* 1. *de regular. q.* 68. *art.* 4. & *Mirand. tom.* 2. *Manual. q.* 29. *n.* 6.

3. Proinde Religiosi omnes, ratione conformitatis, tenentur observare jejunia, & festa particularia locorum, in quibus habent Monasteria, vel contingit reperiri, ut bene notat *Fagundez in praecept.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. juxta illud, *cùm fueris Romae, Romano vivito more, si fueris alibi, vivito sicut ibi.*

4. Si autem roges, quid sit de laicis dicendum?

Et dico multa, & primò, quòd si laici peregrini aliò divertunt, animo ibi fundandi domicilium, utique tenentur legibus, & consuetudinibus illius Regionis, ad quam declinant, quia per fundationem domicilii desinunt esse hospites, & fiunt partes, & cives illius communitatis, & consequenter tenentur ad omnia, sicut & alii concives, *Medin.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *in fin.* & *Clavis Regia lib.* 3. *c.* 4. *n.* 15. *verb. secund. dub.*

5. Verùm ad contrahendum domicilium, duo sunt necessaria, & copulativè requiruntur, ut putà habitatio actualis, qualisque sit illa, dummodò sit incepta, & animus perpetuò ibi manendi, & habetur in *l. domicilium, ff. ad municip.* ubi dicitur, quòd domicilium re, & facto transfertur, & *ibi Gloss.* expendens, ly *facto*, ait, *subintellige, & animo*, ita *Hostiens. in sum. de Paroch. Navarr. cons. lib.* 1. *consil.* 10. *in* 1. *edit. de tempor. ordin.* & *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 23.

6. Hinc si fiat, ut quis habitet in duobus locis pro aequali tempore, cum animo sic habitandi perpetuò, prout saepè contingit, in aestate habitare in uno, & in hyeme in alio loco, in tali casu iste talis diceretur habere duo domicilia, & consequenter tenebitur servare leges locales illius loci, in quo praesens fuerit; prout expressè legitur in *cap.* 2. *de sepult. in* 6. & docet *Syl. verb. domicilium.*

7. Quae autem differentia sit inter domicilium originis, & habitationis, vide *Meroll. tom.* 2. *de leg. civil. disp.* 4. *c.* 3. *sect.* 2. *n.* 527.

8. Animus verò habitandi perpetuò attenditur ex variis conjecturis, & praecipuè si advena se transferat cum tota sua familia, vel cum tota, vel majori parte fortunarum, prout *Sylv.* & *Angel. verb. domicilium*, & quomodo quis posset fieri de aliena Parochia.

9. Quod jam dixi de peregrinis, extende etiam ad hospites, qui ad aliquem locum divertunt, animo ibi manendi pro majori parte anni; & ad eos, qui veniunt, cum animo manendi per aliquod tempus indeterminatum, quia hi pariter dicuntur, domicilium, vel quasi domicilium contraxisse, prout docet *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 18. *num.* 9. & *in sum. cap.* 12. *num.* 21. & *Suarez tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 6.

10. Hinc qui aliò accedit, animo habitandi pro majori parte anni, vel ad tempus indifferens, statim fit Parochianus illius Ecclesiae loci, quoad Sacramenta necessaria in ea Parochia percipienda, *Sylv. verb. domicilium, num.* 12. & sic scholares à paritate, qui triennio in loco studii habitant, tenentur legibus, & consuetudinibus illius loci, in quo student, prout docet *Felin. in cap. quod clerici*, statim *in princ. de foro compet.* cum aliis, quos refert, & sequitur noster *Paludan. in* 4. *dist.* 16. *quaest.* 4. *art.* 3. *n.* 24. & *Syl. ver. jejunium, q.* 2.

Secundò dico, quòd tota quaestio est quoad peregrinos, qui per transitum reperiuntur in aliquo loco, an teneantur legibus, & consuetudinibus illius loci, ad quem contingit declinare.

11. Hinc inde fatigantur *Doctores*, & se vertunt ad omne latus in decidendo, an iste transitus, & brevis mora possit hujusmodi peregrinos obligare ad observantiam legum loci, per quem transeunt obiter, & momentaneè?

12. Ego autem, ut certa separem ab incertis: quoad hoc dico, hujus generis advenas, ubicunque sint, teneri ad leges communes, & generales, pro communi bono

bono latas à Domino Papa, vel Imperatore, aut Rege, quia jus commune, & leges hujusmodi de se obligant omnes in omni loco, & territorio, exceptis tamen iis locis, in quibus hæ leges receptæ non sunt, aut in quibus sunt abrogatæ, contrariâ consuetudine, quia in tali casu leges locales subrogantur loco communium.

13. Hinc inferas multa, & primò, quòd si Italus eò confluat, ubi *Concil. Trid.* non fuit receptum, poterit validè sine Parocho, & testibus matrimonium contrahere. Secundò, quòd si Romanus Mediolanum petat, potest tutè ibi non jejunare, sed vesci carnibus, & lacticiniis, primis quatuor diebus antecedentibus primam Dominicam Quadragesimæ, quia jus commune Ecclesiæ Romanæ ibi non viget. Tertiò inferas, peregrinum non teneri ad festa sui domicilii, si eò pergat, ubi dicta festa non servantur, ut in *cap. toto, de constit. in 6.* Quartò, Sacerdotem Græcum, si Neapolim veniat, in Ecclesia Latinorum posse tutâ conscientiâ celebrare in azymis, sicut & nos celebramus, prout *Leo IX. epistola advers. præsumpt. cap. 29.* Quintò, Castellanum, ubi fuerit in Lusitania, non posse licitè die Sabbato vesci pecudum intestinis, prout poterat in Patria, quia Castellanorum privilegium est locale, non autem personale, & sic inhæret loco, & non personæ. Sextò, deferentem arma prohibita contra statutum loci, per quem transit, etsi in sua patria tale statutum non sit, posse justè puniri, prout habetur in *Constit.* hujus *Regni,* incip. *Homines extra Regnum,* & in *lib. 1. Constit. tit. 2.*

Septimò, advenam loquentem cum Monialibus absque licentia Episcopi, incurrere excommunicationem, & hæc omnia, & similia, una, & eadem ratione probantur; quia scilicet hospites, & peregrini, eò quòd absunt à proprio domicilio, & aliò se recipiunt, non tenentur Patrias leges servare, si eo in loco, ubi per transitum reperiuntur, sint abrogatæ, aut non receptæ, prout colligitur ex *cap. 2. de constit. in 6. vers. statuto Episcopi,* ubi habetur, subditum furantem extra territorium Episcopi, non ligari excommunicatione ejusdem lata in furantes, & redditur *ibi* ratio, quia impunè non paretur extrà territorium jus dicenti, & habetur item in *c. illa, dist. 12. Navarr. in summ. cap. 23. num. 120. Covarr. 4. variar. cap. 20. num. 8. verb. fuit,* cum aliis multis, quos allegat *lib. 3. Sanchez de matrimon. disput. 18. quæst. 2. num. 18.*

14. Ergo horum omnium fundamentum est territorium, quia lex de sua natura, & ex se, habet respicere territorium, sic adeo, ut sicut non se extendit ultra Cancellos territorii, ita intendat ligare omnes existentes in eodem territorio, & solo, cui inhæret, cujusvis sint generis.

Perinde velit, nolit peregrinus, sicut eo ipso, quòd est extra suum territorium, desinit obligari legibus illius; quia ibi per discessum desinit esse civis: ita eo ipso, quòd accedit aliquò, per accessum incipit obligari lege territorii; perpetuò si accedat cum animo ibi perpetuò manendi, transeunter, vel ad breve tempus, si cum tali voluntate fiat accessus: & sic obligatio, seu subjectio territorii erit transiens, vel permanens, eo modo, quo fuerit peregrinorum mora, prout latè probat *Suarez lib. 3. de leg. cap. 33. & Meroll. tom. 2. de leg. disput. 4. c. 3. sect. 4. n. 536.*

15. Quapropter, & vice versa, si Mediolanensis reperiatur Romæ permanenter, vel transeunter, tenetur ad festa, jejunia, & similia indicta à Romana Ecclesia, & sic ei Romæ non licet vesci carnibus, & lacticiniis, quatuor illis diebus præcedentibus primam Dominicam Quadragesimæ: quia tenetur ad legem communem Romanæ Ecclesiæ, quia Mediolanensium privilegium est locale, & sic non valet extra territorium.

16. Item Lusitanus in Civitate Castellana contra morem suæ Patriæ, licitè poterit die Sabbato vesci intestinis animalium, ob legem territorii, in quo reperitur.

Idipsum procedit de Sacerdote Latino, si in Græciam iret, & ibi Latinorum Ecclesia non foret: posset enim more Græcorum in fermentato celebrare; quia jus Latinæ Ecclesiæ eò non viget.

Sunt perinde leges, & statuta territorii attendenda, ut dictum est, aliter nullâ lege adstringerentur peregrini, si aliquò communes essent abrogatæ.

Quæst. 6. P. Generalis an teneatur in conscientia servare consuetudines laudabiles, vel statuta specialia alicujus loci, vel Provinciæ, per quam transit, vel quam visitat?

1. RESpondeo affirmativè; quia quoad vim directivam, caput, naturali jure, suis debet correspondere membris, aliter turpiter ageret, eò fortius, si locales consuetudines, vel statuta, naturali jure, nitantur. Jus enim naturale obligat omnes, & nullum excipit sine rationabili causa, tum quia Superiores tenentur dare bonum exemplum suis subditis, eosque fovere in omni virtute, ac sollicitare ad omne bene inceptum prosequendum; est enim Prælatus forma Gregis, quod secus fieret, si Prælatus aliter ageret; tum denique, quia hospites, ut per plura superiùs demonstravi, debent se conformare moribus locorum, ad quos declinant, quod in Ordine nostro veriùs extat; & habet locum, ob speciale statutum *de Itinerantibus, cap. 13. distinct. 2.* quod obligat omnes, nullo excepto.

2. Proinde P. Nicolaus Rodulfius, totius Ordinis Prædicatorum decor, & Generalis Magister, ubi, anno 1638. me Provinciali utriusque Provinciæ Calabriæ, Surianum advenisset, incepit hilariter, continuavit fortiter, & amplexus est mirabiliter omnes, & singulas laudabiles, ac Religiosas Consuetudines illius Sanctæ Domus, in qua, ferè tota æstate voluit, sicut, & cæteri, ad hebdomadam adscribi, & notari, & vices, & munia hebdomadarii persolvere, & quod majus est, etiam æger, juxta loci Consuetudinem, mediâ nocte, primus omnium, ad matutinum surgere; quo dicto, devotè, plus nimio, & gemebundus, & prolixiùs orabat, & in singulis Veneris diebus, in communi loco, superioris dormitorii, unà cum aliis, luminibus extinctis, usque ad effusionem sanguinis, se acriter affligebat, ne tepesceret, meliùs dicam, ut fervesceret, & cresceret illius loci devotio, & qui vidit, testimonium perhibet.

3. Nec his objicias, eò quòd P. Generalis, seu Princeps in Ordine, & in Religione Superior, haud tenetur in foro animæ servare statuta, vel leges municipales Provinciarum sibi subjectarum, cùm in illis moratur, vel peregrinatur, ex quo talia statuta censentur lata ab inferiori potestate, & sic vim non habent obligandi eum, qui in eodem loco, superiorem, ac validiorem habet jurisdictionem, prout docent *Felin. cap. 1. de constit. num. 30. Suarez lib. 3. de leg. c. 35. n. 14. & Bonac. de leg. disput. 1. q. 1. punct. 6. n. 26.*

Et quòd propterea Legatus Summi Pontificis, dum est in aliquo Episcopatu, non potest obligari peculiaribus legibus illius Episcopatus; quia Superior est in illo loco: quod procedit, etiamsi tale statutum locale, confirmatum esset à tali Principe; quia non censetur illud confirmatum pro tota sua jurisdictione; sed tantùm pro tali loco, prout docent citati *Doctores.*

4. Tum quia P. Generalis non est supremus Princeps, nec summus, & maximus Prælatus Religiosorum, sed Romanus Pontifex, prout de communi probat *Sanchez lib. 4. sum. cap. 24. num. 20.* & patet eo eo, quia Reli-

Religiosi subduntur Romano Pontifici, non ea sola ratione, quia clerici, sed etiam ex vi voti obedientiæ, quod in professione, ipsi etiam Pontifici, emittunt, ita *D. Thom. 2.2. q. 186. art. 5. ad 3. ibique Cajetan. & Bannes 2.2. quæst. 11. art. 10. dub. 6. in fin.*

5. Quapropter Dominus Papa non solùm habet potestatem jurisdictionis in Religiosos, sicut habet in alios cæteros clericos, sed etiam potestatem dominativam; unde potest illorum vota irritare, non autem aliorum clericorum, prout notat *Sanchez cit. loc.* & *Meroll. tom. 1. de legib. disp. 4. c. 4. diffic. 5. n. 46.*

Et additur, quòd talia statuta peculiaria, aut naturali communi jure nituntur, aut sunt approbata ab aliquo Generali Capitulo; aliter non possent habere vim perpetuæ legis, quibus P. Generalis tenetur obedire; quia respectu Capituli Generalis, inferior est; sic item respectu juris communis, vel naturalis, aut divini, prout sæpè dictum est.

Secus autem dicendum quoad vim coactivam; quia in casu transgresionis, P. Generalis non potest à subditis puniri, nec ad pœnas in statutis contentas, condemnari; quia subditorum potestati non subjicitur.

Benè verum est, quòd pro malè factis suis, potest, & debet à Generali Capitulo, vel à Sancto Papa, pro qualitate criminis admoneri, aut castigari.

6. Provincialis autem cùm sit, vel per transitum reperiatur in aliena Provincia, tenetur utique illius statuta servare, etiam quoad virtutem coactivam; sic adeò, ut si illorum violator existat, possit, uti subditus ibi, ad pœnam condemnari; quia uti subditus reputatur, & de facto loci superiori subjicitur, prout suprà monstravi.

Quæst. 7. Statuta irritantia contractus, an comprehendant Regulares statuentes?

1. IN facti contingentia, P. N. Provincialis jus intulit, mandavitque, ne quis distraheret aliquid rerum mobilium, per venditionem, commutationem, vel donationem, sub pœna nullitatis contractus ipso facto, & amissionis rei mobilis distractæ; post edictum; factum est, ut ipsemet Provincialis, qui jus dedit, emeret à suo subdito quendam librum, vel commutaret quendam habitum cum alio: quæsitum est, an iste contractus sit adeo nullus, ut Prælatus pecuniam perdat, & ille librum: & fuit resolutum negativè; hoc est, contractum non esse nullum, sed valere, quandoquidem legum pœnæ non comprehendunt legumlatores; & colligitur ex *l. ex imperfecto, C. de testamentis*, adjuncta *Gloss.* quia, ut sæpe dico, legislator non immediatè, nec directè obligatur suis legibus; & præcipuè quoad virtutem coactivam: irritatio autem contractus est legis pœna, & sic non potest legislatorem comprehendere. Et adde, quòd cùm Princeps legislator vult celebrare contractum, qui alioquin esset sua lege irritus, & nullus; eo ipso, quòd celebrat: contra formam legis, à se præscriptam, intelligitur derogare suæ legi irritanti, & vult, suum, sic celebratum contractum stare, & valere; sic adeo, ut contractus remaneat validus ex utraque parte.

2. Proinde is, qui celebraret cum Domino Papa contractum, aliàs simoniacum, jure positivo; non incurreret pœnas latas contra tales simoniacos, quarum una est irritatio contractus; quia eo ipso, quòd Papa vult cum alio contrahere, censetur illum eximere à lege quantum potest: non est enim credibile, quòd velit illum punire, pro opere, in quod consentit; secus autem, seipsum condemnaret, & sic talis simoniacus non teneretur renunciare in tali casu, prout notat *Lessius lib. 2. de justit. c. 35. dub. 5.* contrà *Adrianum quodlib. 9.*

3. Quod etiam procedit de Episcopo statuente, ne fiant alienationes de rebus Ecclesiarum suæ Diœcesis, sine ejus licentia, sub pœna nullitatis contractus; quòd si postmodùm contingat, Capitulum vendere eidem Episcopo aliquas terrulas, sine alia licentia, talis contractus hujusmodi venditionis erit validus, non obstante statuto, quia Episcopus non comprehenditur suo statuto; & sic contrahendo videretur consentire. *Jo. Andr. in Regul. qui tacet, in Mercurial. de reg. jur. in 6. & Petr. Anchar. in repet. in cap. Canonum statuta, de constit.* quos sequitur *Clavis Regia, lib. 3. cap. 4. num. 8. verb. eodem modo, Meroll. tom. 2. disput. 4. de leg. & constit. c. 3. dub. 6. num. 639. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. c. 8. num. 24. verb. quæres sextò.*

Quæst. 8. Prælatus, ubi statuit, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis aleis ludat; si postea cum subdito ludat, an incidat in excommunicationem latam contra ludentes?

1. NEgativè dic, & constat ex decisis; nam Prælatus per se, & directè suis legibus non tenetur: lex enim propriè fertur in ordine ad subditum, prout notant *Doctores in cap. Canonum statuta*; quandoquidem lex obligat ex intentione latoris, qui quidem, non est possibile, quòd velit directè legem ferre in seipsum, ut dicitur in *l. Princeps, ff. de leg.*

Et præcipuè quoad pœnas, ut docet *D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3.* nullus utique in seipsum potest ulcisci, nec judicium condemnationis inferre, *Sot. lib. 1. de just. q. 6. art. 7. & Covarr. in c. Alma mater p. 1. § 1. num. 4. de sent. excomm. in 6.*

2. Quapropter indifferenter dicunt, quòd legum pœnæ Legislatorem non comprehendunt; prout dixi suprà, & post multos sequitur *Sayr. in Clavi Reg. lib. 3. c. 4. n. 3. verb. primum dubium est.*

3. Igitur nemo potest seipsum excommunicare, prout eleganter dixit *D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 22. art. 4. Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 2. art. 3. conclus. 1. & Navarr. in Manual. c. 27. n. 6.*

4. Hinc si Provincialis mandet suo Vicario Generali, ut excommunicet omnes deferentes lineas camiseas, non poterit seipsum excommunicare, si lineis utatur; esto, quòd hujusmodi utentes lineis ad carnem, excommunicet de facto.

5. Nec item par à pari potest adstringi aliqua pœna, vel censura, quia par in parem jurisdictionem non habet, ut dicitur in *c. innotuit, § quamvis, & ibi Panorm. n. 4. de elect.* Pares autem in isto casu censentur, qui in eadem re, parem jurisdictionem habent; & multò minùs inferior haud poterit suum Superiorem excommunicare, ut putà Episcopus non potest excommunicare Archiepiscopum, neque hic Patriarcham, nec iste Papam; & colligitur ex *c. cùm inferior, de major. & obed.* & *ibi Panorm.* & hoc totum ex defectu potestatis.

6. Nec item subditus collusor incidit in pœnam appositi præcepti, quia (quicquid dicant alii) Prælatus in casu posito censetur, aut præceptum tollere, aut dispensare pro illo tunc, saltem tacitè; nam certum est, Legislatorem suam legem posse mutare, insuper, & sui antecessoris, si ei in æquali potestate succedat; *D. Thom. 1. 2. q. 97. art. 1.* quia tota vis legis, vel præcepti, pendet à voluntate Prælati, *Palud. in 4. distinct. 38. q. 4. art. 4. Syl. verb. dispensatio, q. 3. n. 5. & Armilla n. 14.*

7. Ergò amoto scandalo, & damno tertii, quare suam non poterit legem revocare? *Covarr. 4. Decret. 2. p. c. 6. § 9. n. 7. & Roder. de Regul. q. 22. art. 11.*

8. Dixi tacitè, quia, ut omnes sciunt, dispensatio est duplex, tacita, & expressa, *Rebuff. in prax. benef. p. 2. tit. de*

de dispens. n. 5. hinc si Princeps, vel Papa concedat beneficium alicui inhabili, tunc videtur tacitè inhabilitati dispensare, prout probat *text. in l. idem Ulpianus, §. ultim. & ibi Gloss. de excusat. tutor.* eò magis, si inhabilitas non procedat à jure Divino, vel naturali; sed à Principis potestate, *Megal. verb. dispensatio, n. 3. in prompt.* Proinde Provincialis licentians subditum ad ordines in casu dispensationis indigentiæ, esto, quòd fieri possit per Provincialem; tacitè censetur dispensare, etiamsi in literis dimissionis non exprimatur; quia taciti, & expressi, eadem est virtus, *l. cùm quid. ff. si cert. pet. c. 2. de rescript.*

9. Nec his obstat dicere, Prælatum non posse communicare cum excommunicatis à seipso, ante formalem absolutionem; quin incidat in excommunicationem minorem, sicut, & alii, ipso jure in communicantes latam; argum. *cap. cum desideres, de sentent. excomm.* ut per plura aliis relatis probat *Sayr. in thes. cas. conscient. lib. 2. cap. 11. n. 30.*

10. Quia negamus, quod supponitur; nempe collusorem in nostro casu esse excommunicatum, & Prælatum participare, seu communicare excommunicato; quia eo, quòd Prælatus vult ludere cum tali subdito, intelligitur profectò suspendere pœnam, vel tollere præceptum, cùm præcipuè benè sciat, talem actum ludendi, suo jussu, esse illicitum; & sic eo ipso, quòd subditum admittit ad secum ludendum, sanat actum, & eximit à pœna legis; nec est verosimile, quod Prælatus velit subditum punire, pro re, ad quam ipse invitavit, & movit; prout benè notant *Suar. lib. 3. de leg. c. 35. n. 22. Lessius lib. 2. de just. cap. 35. dub. 5. n. 32. Sayr. in Clav. Reg. lib. 3. c. 4. n. 6. verb. dubium tamen, & Peyr. tom. 2. de Prælat. quæst. 1. c. 8. n. 25.*

Quæst. 9. Promulgatio an sit simpliciter necessaria ad hoc, ut leges, statuta, & præcepta habeant vim obligandi subditos?

1. Affirmativè respondet *D. Thom. 1. 2. quæst. 90. art. 4.* communiter acceptus, quia ex quo lex est communis regula, & mensura humanarum actionum, habens vim cogendi, debet necessariò proponi, & sufficienter applicari mensurabilibus, ut dixit *Aristot. lib. 10. Ethic. c. ultim.*

2. Ista autem communis applicatio, fit per intimationem, vel publicationem, qua media, lex proponitur toti communitati, ut idæa, exemplum, & regula imitabilis; aliter autem subditus, non tenetur legi obedire, quin priùs sibi fuerit convenienter, & solemniter proposita, ut dictum est, & hoc penes, lex humana positiva differt à lege æterna, & Divina. Isthæc enim ut æternaliter stans in mente Dei, publicationem non debuit habere, quia ab æterno creaturæ non sunt, quibus potuisset proponi, & intimari, ut idem *D. Thom. 1. 2. q. 91. ad 2.* ait. Idipsum est dicendum de statutis, & aliis præceptis, cujuscunque sint generis: quæ pariter, ad hoc, ut obligent, proportionabiliter debent proponi, & nota fieri. hoc est, si præceptum sit particulare, unam scilicet, respiciens personam, debet singulariter tali privatæ personæ proponi, & notificari; aliter poterit allegare causam ignorantiæ, & præceptum sic transgrediens, non potest puniri, quia citatio est unum de substantialibus, ad inferendum damnationis sententiam, cujus defectus, facit actum nullum, prout declaravit *Clem. 8.* & refert *Steph. Quarant. in sum. Bull. verb. nullitas.*

3. Si autem præceptum erit generale, hoc est, pro tota communitate factum, debet publicò, & solemni modo toti communitati sufficienter proponi, secundùm Constitutiones Ordinum, vel stylum, & consuetudines locorum, secus autem, &c. Benè verum est, quòd si statutum sit factum in Capitulo Generali, ad hoc, ut obliget, satis est, quòd ibidem publicetur, quia sicut in illo adest tota Religio, ad statuendum, & condendum leges; ita pariter ad audiendum promulgationem legum, vel præceptorum: sic adeo, ut in privatis locis, nulla alia requiratur publicatio: quod respectivè, & proportionabiliter extende ad ea, quæ fiunt, & publicantur in Provinciali Capitulo.

Quæst. 10. An lex de jure naturæ, seu de sua intrinseca ratione, habeat obligare omnes statim, & nullâ postpositâ morâ à die promulgationis?

1. Respondeo dicendum, quòd lex per se sumpta, absoluta, & præcisa ab omni lege positiva, post debitam promulgationem, incipit obligare præsentes, & scientes; respectu verò absentium, vel distantium, petit aliquod tempus ad obligandum subditos existentes in toto territorio: quia humanè loquendo, non est possibile, quòd lex Neapoli publicata, statim innotescat singulis Calabris, & Rheginis: sonus enim promulgatæ legis, paulatim serpit, & pedetentim diffunditur ad extremas partes Regni, seu territorii, pro quo fertur; *D. Thom. 2. 2. q. 90. art. 4. ad 2. & Cajet. & Medin. ibid.*

Et planè habetur in *cap. 1. de constitut. in 6.* ubi dicitur, *quòd lex, & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, aut post tempus, infra quod ignorare minimè debuissent, & ibi Felin. num. 5. Panorm. n. 8. & Bald. in l. omnes populi, ff. de justitia, & jur. q. 5.*

2. Quapropter, si quis habitans in Civitate Consentina, sciat (quia interfuit, vel quia audivit per literas alicujus amici) quòd in Collaterali Consilio sit facta, vel publicata Pragmatica, taxans frumentorum pretia, non tenetur iste de justitia sequi pragmaticæ pretium, donec Consentiæ non fuerit intimata, *D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 3. ad 4. & ibidem Petr. de Arag. Sot. lib. 6. de justit. & jur. q. 3. art. 2. ad ultimum, & Clavis Regia* multis citatis *lib. 3. c. 5. n. 5.*

3. Nec, quod majus est, qui audierit aliquod Bannum in platea Civitatis, tenebitur mox illud servare, nisi ubi fuerit in aliis plateis Civitatis publicatum, & per totam Civitatem diffusum, *Suar. de leg. lib. 3. c. 17. n. 5. & Anton. Diana p. 3. tract. 6. miscell. resoll. 75.*

4. Et hoc ideo, quia sicut lex primò habet respicere territorium, & ejus commune bonum, & secundariò personas in illo territorio permanentes: ita primò debet esse proposita toti communitati, & secundariò, seu consequenter civibus, & incolis illius: ergo lex de sua natura priùs arctat, & afficit communitatem, quàm singulos illius: singuli enim communitatis in tantum arctantur lege, in quantum sunt partes illius communitatis lege obligatæ.

Et penès hoc distinguitur lex à præcepto; quia, ut supra dixi, præceptum habet priùs respicere personas, & secundariò, seu per accidens territorium. Lex autem è contra.

5. Hinc solemnitas requisita ad legem, non tantùm est necessaria, ex parte conditorum, sed etiam in ordine ad communitatem: & ideo non est lex, donec respectu communitatis, habeat statum legis.

Status hic tunc fit, & intelligitur perfectus, cùm, & ubi, fuerit solemniter, & publicè toti communitati proposita, quod maximè procedit in hoc Regno, ubi viget jus commune, & sic non potest obligare singulos, quin prius communitatem incipiat obligare, ita *D. Thom. 1. 2. q. 60. art. 4. Syl. verb. lex, q. 6.* & alii plures, quos allegat, & sequitur *Meroll. tom. 2. disp. 4. de leg. c. 3. dub. 17. num. 152.*

6. Quod extende ad eum, qui miraculosè notitiam habuit alicujus legis, dum absens foret à loco promul-

gatæ

gatæ legis; in conscientia non teneri ad illius observantiam, quia lex ad hoc, ut obliget, debet esse nota modo humano, & intimari priùs toti communitati, quam nisi priùs obliget, non poterit particulares illius communitatis obligare, ut dictum est.

Quæst. II. *Si legislator dicat in sua lege, se velle obligare omnes ex nunc, mox nullâ postpositâ morâ, à die promulgationis, an obliget omnes in toto Regno, & territorio?*

1. Respondeo negativè, quia legislator non potest obligare subditos ad impossibile.

2. Res enim impossibilis, non cadit sub potestate statuentis, & legislator sicut nequit obligare ad impossibile; ita nec potest aliquid statuere circa modum impossibilem: quandoquidem, ubi non est potestas ad media, nec etiam ad finem, & è contra.

3. Est autem impossibile, & juri naturæ repugnat, quòd humano modo legis notitia, quæ est simpliciter necessaria ad obligandum, in uno, & eodem momento, & eodem temporis instanti, sit, vel diffundatur in toto, aut per totum territorium Regni, ut suprà dixi de mente *S. Thomæ*, & aliorum.

4. Proinde supradictæ clausulæ in legibus appositæ, faciunt hunc sensum: ex nunc, id est, statim, post debitam promulgationem, factam in loco debito, cum tempore opportuno, & competenti, sine ulla mora, incipiat obligare omnes, ad quorum notitiam, secundùm prudentiam humanam, devenire poterat; *Suar. lib.* 3. *de leg. c.* 17. *Portell. in dub. verb. lex, n.* 4. & *Meroll. ubi supra, num.* 165. usque ad *dubium* 19. secus autem legislator ad impossibile obligaret, meliùs dicam, neminem obligaret, quia ad impossibile nemo tenetur.

Quæst. 12. *Lex indefinitè lata, an obliget omnes in toto territorio?*

1. Respondeo, quòd si lex publicata habeat certum, & sufficiens tempus obligandi subditos; standum est illi, juxta legis seriem; quia quod Principi placuit, legis habet vigorem: omnis enim lex vim habet à voluntate regulata Principis statuentis, argum. *cap. fin. de reg. jur. in* 6. & *leg. contra*, §. *fraus ff. de leg.*

2. Proinde si legis conditor dicat sua lege, ut publicetur in tali, & tali loco, per unum mensem, debet attendi, & lapso temporis spatio, statim incipit obligare. Verùm si lex publicata, non explicet tempus obligandi, in tali casu, sequutâ promulgatione, mox incipit obligare præsentes, & scientes, ut suprà, & successivè absentes, quia pro præsentibus audientibus, & vicinis, censetur sufficienter publicata, non autem pro distantibus; lex enim non promulgatur in instanti, *Medin.* in cit. *loc.* 1.2. & *Navarr. tom.* 1. *consil. lib.* 1. *cons.* 1. *de const. q.* 4. *n.* 17. & *in sum. c.* 23. *n.* 44.

3. Quod intellige procedere de lege, attento jure naturæ; secus autem de jure positivo, secundùm quod, lex indefinitè lata, debet judicari, & ampliari, ubi jus Cæsaris viget per se, vel ex usu, & consuetudine, quia nemini licet statuere contra jus commune, ut infrà dico *q.* 14.

Quæst. 13. *Lex in toto territorio sufficienter promulgata, an obliget ignorantes?*

1. D. *Thom.* 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. respondet affirmativè, quia ad obligationem legis, satis est, quòd notitia promulgatæ legis habeatur, vel quòd possit haberi. Factâ autem solemni legis promulgatione, in loco debito, & elapso sufficienti tempore, per legislatorem non stat, quò minus omnes sciant, etsi de facto, ad aliquos particulares [illegible] non pervenerit legis notitia: hoc erit per accidens, *Syl. verb. lex, quæst.* 8. & *Suarez lib.* 3. *de leg. cap.* 17. Proinde, si quis ignorantiâ invincibili, legem ignoret, excusatur à quanto, sed non à toto, hoc est, à culpa, & quoad forum Dei, non autem à pœna, & quoad forum Cæsaris; peccatum enim de sui natura debet esse voluntarium, *D. Th.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 8.

2. Excusatio autem supponit obligationem; nam qui lege non obligatur, non dicitur excusari, ceu conjugatus non dicitur excusari, si virginitatem non servat: quoniam ex quo conjugatus est, non tenetur illam servare.

Ergò per argumentum à contrario sensu, dum ignorantes invincibiliter excusantur, signum est, quòd lege obligantur, ut eruditè docet *Sot. lib.* 1. *de just.* & *jur. q.* 1. *art.* 4. *conclus.* 3. *Navarr. tom.* 1. *consil. lib.* 1. *de constit. consil.* 1. *q.* 1. *per tot.* *Mirand. tom.* 2. *Manual. q.* 25. *de leg. art.* 6. *concl.* 3. *in med.* & *Sayr.* aliis relatis, in *Clavi Reg. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 3.

Secus autem dicendum de ignorantia supina, seu affectata, & crassa, quæ quippe non excusat, nec à culpa, nec à pœna; *D. Thom.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 1. & 2. 2. *q.* 6. *art.* 8.

3. Ignorantia namque est triplex, nempe affectata, crassa, seu supina, & justa, seu probabilis, vel invincibilis.

Ignorantia affectata est, qua quis ignorat id, quod scire tenetur; quia non vult scire, ad hoc, ut liberiùs peccet, sine conscientiæ contritione; ut dicitur in *cap. ideò*, 37. *dist.* de quo *Psal.* 68. *Noluit intelligere ut benè ageret*, quæ ignorantia, nedum non excusat, nec minuit peccatum, sed auget per circumstantiam mali desiderii.

4. Crassa autem, seu supina est, qua quis ignorat id, quod communiter sciunt omnes sui Ordinis, vel status, quod contingit esse per culpam latam, quia cùm potuisset scire, omisit diligentiam adhibere, de qua dicitur, quòd ignorans ignorabitur, *Corinth.* 14. & habetur in *d. c. ideò.*

Justa, seu invincibilis, vel probabilis est, qua quis ignorat, quod non oportet eum scire. 1. *q.* 4. § *notandum est*, qua communiter homines ejusdem status, & ordinis, adhibitâ debitâ diligentiâ, laborant. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. qualis est ejus, qui petit consilium à viris habitis pro expertis, de illa re, & præditis scientiâ, & conscientiâ; ita *S. Anton.* 1. *p. tit.* 3. *q.* 10. §. 10. & hæc omnino excusat, quando est causa actus peccaminosi, quia si homo sciret, non faceret contra legem, & ad sciendum fecit, quod in se erat, vel quia non tenebatur scire. vide *Navar. in d. loc. de constit.* & *in sum. c.* 23. *n.* 45.

Quæst. 14. *Lex de jure civili an habeat præscriptum tempus obligandi, & quo elapso incipiat obligare?*

1. Et dico, quòd sic, & habetur in *auth. ut novæ factæ constitutiones, collat.* 5. ubi hæc inter alia subjunguntur: *Ut autem adhuc apertiùs causa declaretur, sancimus, si scripta fuerit ejusmodi lex, hanc post duos menses dati ejus temporis valere:* & infra dicitur, *sufficienti hoc tempore omnibus manifestam eam constituere, &c.*

Igitur de jure civili, tempus obligandi à die promulgatæ legis, erit spatium duorum mensium, quo elapso, incipit omnes obligare.

2. Verùm infrà prædictum bimestre nullus tenetur legem observare, sive notitiam habuit, sive non: prout notant noster *Turrecremat. in* §. *leges, distinct.* 4. *Medin.* cit. *loc.* 2. 2. *conclus.* 2. *Hostiens. in sum. de constitut.* §. *quando.* & *Bald. in l. leges sacratissimæ, C. de leg.*

Et colligitur planè ex illis dictis verbis *d. auth. sufficienti tempore omnibus manifestam eam constituere*; ergo ante hoc tempus, non erat constituta, nec sufficienter promulgata.

Hoc autem tempus bimestrale, congruè, ac rationabiliter ponitur, pr[...] [...]am ditionem Imperatoris, ad hoc, ut omne[...] & ut omnes, uno & eodem tempore, simul incipiat æqualiter obligare: & sic tollitur confusio, rixa, & imparitas subditorum, dum alii ante alios, non ligantur; *Navarr. in sum. cap. 23. num. 44. & consil. 1. de constit. num. 14. Menoch. de arbitrar. lib. 2. centur. 2. cas. 185. & Duardus in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 3. quæst. 6.* & hoc procedere in utroque foro, nempe interno, & externo, affirmat *Sayr. in Clavi Regia*, multis citatis *lib. 3. cap. 5. num. 8. in fin.* quod totum extende ad leges Domini Regis Hispaniarum, non quòd iste Serenissimus sit Imperio subjectus; sed ex eo, quòd prædictum jus commune, est æquum, justum, & rationi consonum, vel usu, aut consuetudine receptum, debet habere locum in omni lege; dummodo non aliud sit in lege expressum.

4. Ita quòd ad obligandum subditos, non sufficit, quòd Regiæ leges promulgentur in sola Curia, vel Regis Aula; sed debent solemniter promulgari in aliis locis, cujusvis Provinciæ Regni, & quòd elabatur tempus duorum mensium, ut dictum est in *d. auth. ut novæ*, & docent *Panorm. in cap. cognoscentes, Syl. verb. lex, quæst. 9. ver. 3. Sot. lib. 1. de justit. quæst. 1. art. 4. Miranda tom. 2. Manual. quæst. 25. de leg. art. 4.* & post multos *Sayr. in Clavi Reg. lib. 3. num. 9. & Vincent. de Franch. dec. 360.* qui in specie loquuntur de Rege Hispaniarum, & Regno Neapolitano.

5. Et quòd prædictum jus sit commune, confirmatur ex *Bulla Pii IV.* super declaratione *Concil. Trident.* ubi inter alias rationes designandi certum tempus pro obligatione *Concilii*, hanc ponit; *& jure etiam communi sancitum est, ut Constitutiones novæ, vim, non nisi post certum tempus obtineant.*

Quod dictum, sine dubio, debet referri ad præfatam *authenticam*; quia in jure civili non reperitur alia lex, quæ jus commune circa hoc, statuat, *Graff. 1. part. decis. Aur. lib. 4. cap. 9. num. 32.*

6. Confirmatur, nam dispositio prædictæ *authenticæ* est generalis (quidquid alii dicant) sic adeò, ut debeat extendi ad omnes leges civiles, & Imperiales, prout bene notat *Suar. lib. 3. de leg. cap. 16. num. 10.* non tantùm propter similitudinem rationis, verùm etiam, quia verba *Rubricæ* illius *authenticæ* sunt generalia, & *Rubrica* habet *textus* authoritatem in his, in quibus *Nigro* non repugnat, ut docet *Gloss. in d. auth.* cum aliis præcitatis *Doctor.*

Quæst. 15. Lex lata à Magistratibus, Imperatore, & Rege inferioribus, ut putà, ab Officialibus Neapolitanis, an statim incipiat obligare à die promulgationis?

1. Jam dixi, quòd in hac lege, aut habetur præfixum tempus obligandi; & sic illis standum est, quia, ut dicebamus, quod Principi placuit, legis habet vigorem; aut lex fuit indefinitè lata, hoc est, sine determinatione temporis, & sic factâ promulgatione, statim obligat præsentes, & in tempore debito, absentes; quod tempus debet taxari ad arbitrium Viri prudentis; examinatis tamen circumstantiis loci, distantiæ, & aliorum; ita Eminent. *Turrecremat. § leges*, post *cap. in istis, quæst. 4. Syl. ver. lex, quæst. 6. & Sot. de justit. lib. 1. q. 1. art. 4.* post *conclus. 3.*

2. Et hoc ideò, quia prædicta *authentica, ut novæ factæ*, &c. de solis legibus Imperatorum loquitur; & nullo jure cavetur, ut legis inferioris Principe vinculum differatur; & ita non est dicendum, *cap. consuluisti, 2. quæst. 4. & § considerantes*, quod nimis placet *Panormit. in cap. 2. de constit. num. 7. & Navarr. lib. 1. de constitut. consil. 1. quæst. 4. num. 16.* & sic sublato jure scripto, quod non reperitur, quoad hoc, ut dictum est; lex debet examinari secundùm jus naturæ; de jure autem naturæ, lex solùm petit esse sufficienter communicati proposita; ita ut præsentes obliget statim; & absentes successivè; ita *D. Thom.* communiter receptus *1. 2. quæst. 90. art. 4. ad 2.* in eo scilicet tempore, quod moraliter sufficienter reputatur ad arbitrium boni viri; ita ut legis notitia per totum territorium diffundatur, *Cajet. & Medin. ibidem.*

3. Quod, limita, non procedere, ubi adesset aliqua Consuetudo, ut leges non possint obligare; nisi post hoc, vel illud tempus, vel nisi fuerint ter, vel quater publicatæ, in hoc, vel illo loco, quia in tali casu standum est consuetudini; hæc enim, ut sæpè dico, habet vim legis, & privilegii.

Quæst. 16. Authentica, ut novæ factæ, &c. an habeat locum in lege Pontificia à die publicationis?

1. In *authentica, ut novæ, &c. coll. 15.* duo deciduntur; Unum est, ut novæ factæ Constitutiones, publicentur in locis Provincialibus; Alterum verò, quòd sequutâ publicatione, non incipiat obligare in dictis locis; nisi post lapsum duorum mensium, ut superiùs dixi.

Et hoc totum afficit omnes inferiores Principes, temporales, qui Imperio subduntur, & legibus ejus; ac etiam alios ejusdem generis, etiamsi Superiorem non cognoscant: dummodò usu, vel consuetudine prædictum jus commune acceptaverint, prout est in Regno Neapolitano, in quo jus Imperiale practicatur ex Consuetudine.

2. Verùm enimverò, prædicta dispositio ex defectu authoritatis, non procedit in clericis, quia statuta laicorum non includunt clericos, nec eorum bona, teste *Bald. in auth. cassa, C. de Sacros. Eccles.*

Quod adeò verum est, quòd etiamsi statuta hujusmodi essent favorabilia, non includerent; neque comprehenderent, nisi per Ecclesiam ipsam approbata reperirentur: ita *Paris. in tract. de resig. benef. rub. 9. & Jo. Andr. in c. fin. de oper. novi nunc.* & in *cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. & Jo. Paulus Galterius in pract. crim. instrumentar. in 2. primæ partis, n. 32. verb. sextò, pone.*

Et multò minus procedit in Papa, qui omnes judicat, & à nemine judicatur, ex quo in terris Superiorem non habet, & cui, uti vice gerenti Dei, non possumus dicere, cur ita facis?

3. Et addo, quòd etsi in Regno Neapolitano jus Cæsaris vigeat; nihilominus hæc dilatio duorum mensium, post legis promulgationem, ad obligandum requisita, non practicatur, ut ipsamet praxis testatur, & est videre in *Ritibus Magnæ Curiæ*, & præcipuè in *Rit. 265.* ubi habetur edictum Majestatis Reginæ Joannæ II. quo præfigitur modus procedendi contra allegantes Judicem suspectum, in calce cujus, hæc leguntur; *Ut autem edictalis ordinatio nostra in notitiam deveniat singulorum, & ne ipsius ignorantiam valeant allegare, Membranam, ipsius seriem continentem, in Porticibus Castri Novi Neap. apponi fecimus, & affigi, quæ tenorem edictalis ordinationis affatæ suo sono Præconio, & patulo judicio publicabit, cùm non sit verisimile remanere incognitum, quod tam patenter, in oculis omnium divulgatur.* Hæc *ibi.* ubi multa notat *Caravit. Ebolitan.*

4. Cur hæc pariter Dominus Papa non potest dicere de Roma? ubi nec ex Consuetudine tale jus commune viget, nec aliqua obligatione tenetur servare, ubi etiam totus mundus, quasi propriè, & formaliter inhabitar: tum quia Dominus Papa minus discurrit, & dicitur coram se habere universum orbem, prout notat *Jo. Monach. in Reg. Ingen. de reg. jur. lib. 6. & Navarr.* infrà citand.

5. Sub-

5. Sublato ergo jure civili, leges Romanorum Pontificum debent fieri, & publicari secundùm jus naturæ, quod obligat omnes: stando autem in jure naturæ, ad valorem legis, sufficit una publicatio facta in Curia Papæ, vel Regis; etsi sub eodem Rege, plura Regna reperiantur, & pro omnibus illis lex feratur; quia ex jure naturæ, solùm habemus, quòd lex humana debet esse communitati sufficienter proposita, ita *D.Th.1.2.q.90. art.4.*

6. Modus autem hujus sufficientiæ, cùm non sit ex natura rei definitus; potest secundùm humanam prudentiam definiri ab habente potestatem condendi jus civile positivum, seu leges.

Proinde tam Papa, quàm alii Reges, potuerunt una lege, in ipsorum Curia divulgata, adstringere omnia Regna, illis subdita; prout bene notat *Joann.Andr.super data 6. Decretal. Panormit. in cap. noverint, de sent. excomm.Syl.verb.lex,quæst.6. & Suarez* aliis relatis *lib.2.de leg.c.16.n.4.*

Dummodò in illa præfigatur tempus congruum, quo legis notitia posit exire in extremas partes Regni, secùs, ut dixi, obligarent ad impossibile, quod non potest fieri, nec à subditis servari.

7. Confirmat hoc totum *D.Thom.* ubi suprà, assignans rationem, quare subditi absentes à legis promulgatione, obligentur; ait, *vel quia legis notitia ad illos pervenit, vel quia pervenire poterat*; *nullâ factâ mentione de publicatione in partibus*: ergo satis est, quòd semel sit communitati sufficienter proposita, ad hoc, ut subditi ligentur.

8. Et hoc veriùs erit, & manifestiùs, si attendatur stylus, & Consuetudo Curiæ Romanæ, quæ vim legis habet, *cap. quam gravi, de crim. falsf.* & fatentur omnes: quo attento, Judices Urbis judicant contra omnes totius orbis Christianos, secundùm leges Papæ, promulgatas Romæ, vel in illis, ad id præstitis locis.

Insuper, & multi Episcopi residentes in suis Ecclesiis deferri faciunt ad se extravagantes novas, quæ tantùm in Urbe fuerunt promulgatæ, & secundùm illas decidunt causas suæ Diœcesis, nullâ in partibus habitâ publicatione, *Navarr.lib.1. consil.de constitut. consil.1. quæst.4.* ubi multa eruditè docet, & disputat ad partes.

9. Et adde, quòd *liber sextus Decretalium* obligat omnes, & tamen non in omnibus Diœcesibus mundi, fuit publicatus, ut notat *Gloss. ultima in data 6.* sic item *Bulla Cœnæ, & Regula Cancellariæ,* quæ arctant omnes, & tantùm Romæ publicantur.

10. Nec valet dicere, quòd hujusmodi *Bulla, & Regulæ* non eduntur de novo, sed continuantur; nam sæpè ad libitum Papæ mutantur, prout notat *Lud. Gomes, & Gonzal.* in dict. *Regulis*; & tamen nunquam mutatur promulgatio, quæ tantùm Romæ fit de necessitate.

11. Benè verum est, quòd Dominus Papa cum magna circumspectione solet in suis *Bullis* apponere tempus ad obligandum Christi-fideles præsentes, & absentes, ut patet in dictis *Regulis Cancellariæ,* quippe quæ à die publicationis obligant præsentes; ignorantes verò post duos menses; nec necessum est alibi promulgari.

12. Item *Concil. Trid.* anno Domini 1564. die verò Mercurii 26. Januarii, sub Pontificatu *Pii IV.* fuit confirmatum, & in Consistorio secreto apud Sanctum Petrum, præsentibus, &c. & idem *Pius* sua *Bulla* incip. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, &c.* confirmando publicè mandavit, eadem decreta, & statuta servari in judicio, & extrà. Factâ tamen dubitatione de tempore obligationis, quando scilicet *Concil. Trid.* incepisset obligare. Idem *Pius IV.* sua alia *Bulla* incip. *Sicut ad Sacrorum Concil. Decret. &c.*

13. Ad tollendum omnem controversiam, motu proprio declaravit, quòd etsi ipsius *Concilii* decreta ab ipsomet confirmata fuerint, sub finem mensis Januarii; & ab eo etiam tempore apud Sanctam Sedem observari cœperunt; quia tamen non parum temporis in eis Romæ imprimendis, necessariò consumptum fuit, &c.

Ideo ei æquum, & justum visum est, prædicta decreta omnia ad dictam reformationem, jusque positivum dumtaxat spectantia à Kal. Maji proximè præteriti, omnes obligare cœpissent, nec post eam diem excusationem, cujusquam, quòd eam ignoraverit, admittendam, & ita authoritate Apostolicâ declaravit, & definivit, ita in dicto anno 1564. xv. Kal. Augusti, sui Pontificatus anno 5. prout constat ex dictis cit. *Bull.* quæ circumferuntur annexæ *Trid. Concil.*

14. Igitur *Trident. Concil.* in Consistorio secreto fuit confirmatum à D. Papa *Pio IV.* anno Domini 1564. die 26. Januarii, quod quidem statim habitâ dictâ publicatione, cœpit obligare præsentes, ignorantes verò à die 1. Maji, hoc est, post lapsum duorum mensium; & sic benè poteris cognoscere, quòd una solemnis legis publicatio Romæ facta, satis est ad inducendam legis obligationem; & quòd tempus divulgandæ notitiæ sit arbitrarium.

15. Quapropter allegantes causam ignorantiæ notitiæ legis, non audiuntur in Curia Romana, sed condemnantur ad pœnas in lege appositas: quandoquidem ista exceptio non admittitur; nisi probetur: & quamvis negativa de sui natura sit improbabilis: tamen coarctata per tempus, & locum, potest probari per multa juris remedia, quæ docet *Navarr.* cit. *loc. de constit. quæst. 2.* ubi agit, quomodo potest constare de ignorantia quoad forum fori; quia quoad forum Dei, standum est propriæ conscientiæ.

16. Nec obstat, quòd, ut communiter dicitur, ignorantia excusat; excusat, si sit invincibilis, & quantum ad peccatum; secus autem, si sit affectata, & quoad pœnam, ut dictum est suprà; & præcipuè, si sumus in lege, quæ habeat clausulas irritantes contractus; quia hæc, nedum statim obligat absque dilatione bimestri: verùm etiam, obligat ignorantes, ut dico in *tract. de clausul. privil. & de decreto irritante,* & habetur in *cap. 1. de concess. præben. in 6. & Felin.* multis relatis, docet in *cap. 2. de const. verb. quartò limita,* de qua re vide *Duard. in comm. Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 3. quæst. 6. & Ant. Diana 1. p. tract. 10. de leg. resol. 8. & 9.*

Quæst. 17. Lex absolutè lata in Capitulo Generali, ad hoc, ut obliget, an debeat à subditis acceptari?

1. RESpondeo, quòd lex, sive sit laicalis, sive Ecclesiastica, subditorum receptione, vel approbatione non indiget, ut vim habeat obligandi: dummodo sit honesta, justa, & possibilis; prout de communi sententia Doctorum, docent *Cardinal. Zabarell. in proœm. Clem. verb. universitatis, quæst. 2. & Card. Turrecremat.* nostræ familiæ, in § *ideò, distinct. 4.* ubi quærit, an in condenda lege, contradicentibus omnibus Episcopis in Synodo, prævaleat sententia Papæ, sententiæ assistentium Episcoporum; & an Papa præter, & contra voluntatem suorum Cardinalium, possit condere legem; quæ omnia eruditè resolvit affirmativè; & *Gregor. Lopez* multis relatis *lib. 6. tit. 1. part. 1. num. 4.*

2. Proinde, si subditi nollent acceptare rationabilem constitutionem, possunt, debentque per constituentem compelli, & puniri, *Hugo, & Archid. in d. §. ideò,* prout de facto fuerunt puniti Episcopi Venetiæ, Istriæ, & Liguriæ: ex quo noluerunt recipere statuta *Concil. Constantinopolitani;* & habetur expressè in *causa 23. q. 5. § de Liguribus, seu Lombardis,* à Liguro Rege, sic vocatis.

Aliàs, legumlatorum potestas esset delusoria, inutilis, inefficax, & exilis; quia ad constituendum, deberet expectare

expectare voluntatem, & approbationem subditorum; & sic mendicaret, & dependeret à subditis: quod est valde inconveniens, & perniciosum Reipublicæ, *Bartol. Med.* 1.2. q.90.*art.*3. *in fin. in respons. ad* 2. *& Suarez lib.*3.*de leg. cap.*19.*n.*9.

3. Quod magis patet, si notes, quòd conditio, sine qua, non potest haberi effectus, reducitur ad genus causæ efficientis; prout est videre in approximatione ignis ad stupam, quæ quidem approximatio, antecedit combustionem stupæ; si ergo Princeps Supremus mendicaret à subditis, ut dictum est, aut subditi essent concausæ legis, vel ipsimet sibi legem ferrent, quæ omnia sunt absurda.

Et fundamentum hujus decisionis esse potest; quia legumlatores, leges ferunt, jubent, & mandant jure præfecturæ, & dominii, quod in subditos habent; & obligatio legis oritur ex subjectione, qua subditi Prælatis subsunt; & ex obedientia, quam illis præstare tenentur: Vis autem obedientiæ non dimanat ab acceptatione subditi, sed ex subjectione, ut dictum est; quòd si liberum esset subditis dissentire, & leges respuere, subditi non essent subditi ex necessitate, sed ex propria voluntate: & sic periret subjectio, & obedientiæ vinculum, prout benè notant communiter *DD.*

4. Quibus addo, quòd subditi non acceptando justas leges suorum Superiorum, profectò peccant mortaliter; & primò, quia injuriam faciunt legislatori, quem privant jure suo; secundò, quia violant obedientiæ vinculum, quam Prælatis cum juramento promiserunt: etiam vasalli jurant fidelitatem, & obedientiam Dominis suis; & tertiò, quia recusant subesse, & divinæ ordinationi resistunt, contra præceptum *Pauli ad Rom. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

5. Proinde justè puniuntur, si promulgatæ legis fuerint prævaricatores; & praxis docet, Superiores statim punire transgressores, nullâ expectatâ subditi acceptatione: hæc enim pœna supponit culpam subditi, & obligationem.

Verùm, si subditi haberent potestatem respuendi leges sui Superioris, in casu resistentiæ, certè non peccarent; quia licito jure hoc facerent: quandoquidem nemo peccat in eo, quod faciens, utitur jure suo, quod nullus audet affirmare.

6. Insuper, & subditis liceret movere bellum, & indicere castra, pro tuitione hujus juris; sicque foret justum bellum ex utraque parte; nempe, ex parte Domini, qui justè exigeret obedientiam à subditis: & ex parte subditi, qui justè negaret, & resisteret, ac recusaret obedire: quod non est dicendum, ut omnes notant.

7. Quæ omnia magis urgent, & procedunt in lege Papæ, & aliorum Regularium Prælatorum; quia Ecclesiastici Prælati, non à Populo, sed immediatè à Domino Jesu Christo, jurisdictionem acceperunt, eisque potestas competit de jure Divino, ut docent communiter *DD.* & ego infrà latè dico.

8. Nec verum est, quòd leges sub hac tacita conditione feruntur, & promulgantur; ut si à subditis acceptatæ non fuerint, vim nullam habeant obligandi; tum quia hoc voluntariè dicitur, & nullo jure cavetur, tum etiam, quia oppositum ex praxi colligitur; nam Princeps suâ lege sufficienter publicatâ, subditorum consensum, nedum non expectat; sed illicò illos cogit ad legis exequutionem, & in casu inobservantiæ, pœnas exigit, & multifariè mulctat transgressores.

9. Nec hi audebunt Principi dicere, se ad pœnas non teneri, nec justè posse castigari: ex eo, quòd legem non servant, quia illam servare non tenentur; quia eorum approbatio, seu acceptatio non præcesserit: hîc loquimur de primis transgressoribus.

10. Quod item magis patet, si attendantur verba legis absolutè, & simpliciter prolata, quæ quippe sunt præceptiva; ceu sunt, *volumus, præcipimus, mandamus, ordinamus, imperamus*, & similia præceptiva faciendi hoc, vel illud, quæ obligant absolutè; omni conditione seclusâ: nam si hæc præcepta fiant sub conditione, *si subditus velit acceptare*, quæ, & qualis esset ista jussio, & obligatio?

11. Dixi absolutè, & simpliciter prolata: quia si aliter foret in lege expressum, vel ex aliis conjecturis, morali certitudine constaret, legislatorem, se nolle sua lege obligare; nisi post Populi consensum: secùs dicendum, & standum est Principis voluntati.

Confirmatur id, quod priùs dicebamus, ex jam recensitis verbis *Apostoli Pauli ad Rom.* 13. ubi absolutè dicit: *Obedite, & estote subditi*, non subjungit, *si volueris*, vel, *si tibi placuerit*; & ubi *Paulus* non limitat, noli limitare tu.

Et procedit de jure; nam in *authentica coll.* 15. *ut novæ factæ constitutiones*, post publicationem legis, & lapsum temporis designati, præcisè exigitur observantia legis. nec de acceptatione fit mentio, prout eruditè advertit *Suar. lib.*3.*de leg.cap.*19.*n.*10. *& Franc. Meroll.* multis citatis *tom.*2.*disp.*4.*de leg.cap.*3.*dub.*20.*num.*185.

12. Nec obstant verba *Gratiani in canon. in istis*, §. *leges, distinct.* 4. ubi sic ait, *leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur, & in l. de quibus, ff. de legibus, &c. ipsæ leges nullâ aliâ causâ nos tenent, quàm quòd judicio Populi receptæ sunt.*

13. Quoniam hæc omnia nostræ favent sententiæ, nam leges in duplici tempore, possunt considerari; primò, quoad fieri, seu principium ipsarum, & primævam constitutionem; & sic non indigent Populi assensu, nec subditorum acceptatione; sed statim habitâ promulgatione incipiunt obligare.

Alio modo, quoad ipsarum perpetuitatem, seu permanentiam, & perseverantiam ad hoc, ut futuros homines, & posteros adstringant: & ne contrariâ consuetudine tollantur: & sic per accidens, & secundariò, hoc est, propter futuros homines, indigent more, & usu Populi, quod est mente tenendum. & cordi mandandum pro veritate facti.

Et iste est verus sensus verborum *Gratiani*: expende, quæso, verba *textus: leges constituuntur, cùm promulgantur*: ergò leges solâ promulgatione fiunt, constituuntur, & conduntur.

14. Et prosequitur, *firmantur*, hoc est, radicantur, & tunc perseverant, & posteritatem adstringunt; *cùm moribus utentium comprobatur*, hoc est, dum fuerint in usu; nam certum est, quòd contraria consuetudo, ut infrà dicemus, potest legem auferre, & è contrà, continuatus usus potest illam prorogare, ne dicam perpetuare.

15. Confirmatur; nam cùm Populus incipit uti lege, ut eam usu firmet, & roboret, jam supponit illam factam, firmare enim supponit, factum esse.

Idipsum dicendum est ad *l. de quibus, ff. de leg.* ubi dicitur, *quòd leges nulla alia causa nos obligant*, supple, posteros; *quàm quòd judicio Populi receptæ sunt*, hoc est, ex eo, quia fuerunt continuatæ, & semper in usu, & per contrariam consuetudinem nunquam sublatæ; ita eleganter advertit *Vasquez in* 1.2.*disput.*156. *cap.*5. *num.* 42. *Ferdin. Castro* in suo *opere morali, tract.*3. *disput.* 1. *punct.* 13.*n.*14. *Layman. lib.*1. *tract.*4.*c.*3. *num.*1. *verb. conclus. verò nostra, & Meroll.* cit. *loc.*

16. Nec objicies, quòd Princeps habeat à Populo potestatem ferendi leges, non nisi, sibi sub hac conditione concessam, ut non obligent; nisi priùs fuerint per Populum acceptatæ.

Nam falsum est, Principes supremos proximè, vel remotè,

remotè, à populari communitate, potestatem accepisse ferendi leges sub hac conditione; quia si sic esset, Principum potestas, non esset suprema, nec absoluta, dum penderet à populari consensu, de qua re latè *Sot. lib. 4. de just. q. 4. art. 1. §. hic autem, & Valent. in 1. 2. disp. 7. q. 1. punct. 2.*

17. An autem Respublica, seu Communitas revocare possit facultatem ferendi leges, Regibusque, aliisque Principibus concessam, & per plura *Merell. tom. 2. de leg. disput. 4. cap. 5. de lege civili* resolvit quæsitum negativè; & colligitur ex §. *sed quando Principi, Instit. de jur. natural.* ubi dicitur, *quòd Populus transtulit potestatem suam in Imperatorem*, & adverte, quòd ly *transferre*, idem est, quòd illam à se abdicare, de qua re vide *Duard. in comm. Bull. Cœnæ lib. 1. c. 3. q. 6.* ubi hujus generis plura habes, & modernè *P. Raphael Aversa* Venerabilis familiæ Cler. Regul. *in 1. 2. D. Thom. q. 95. de lege humana, sect. 4. verb. tandem.*

Quæst. 18. An peccent mortaliter primi subditi, qui sine justa causa, superiorum legem legitimè promulgatam, recusant acceptare?

1. ET dico, quòd sic; & patet ex supra immediatè decisis; quia lex absolutè, & simpliciter lata, obligat ad sui acceptationem, independenter à subditis; & ideo, qui legem statim violat, contra illam delinquit, & qui non acceptat, etiam in hoc legem transgreditur; tum quia facit injuriam suo Superiori, & subesse, & obedire recusat potestatibus, contra præceptum *Pauli ad Rom. 13. violat enim obedientiæ vinculum*, quæ fortè haud fieri possunt, sine Superiorum contemptu. *Navarr. in summ. cap. 23. num. 35.* ubi agit de obligatione, qua tenentur subditi obedire suis superioribus, quando aliquid præcipiunt animo obligandi ad mortale.

2. Benè verum est, quòd hujusmodi transgressores possunt interdum aliqua rationabili causa à culpa excusari, & præcipuè ex justa ignorantia, de qua dictum est suprà, vel si primò primi sint transgressores ex eo, quòd advertunt totam Rempublicam, vel ejus majorem partem, legem minimè observare; & sic non peccant, majorem partem sequendo, quia inter causas rationabiles, ad non acceptandum legem sibi propositam, numeratur ista: ut putà, cùm quando aliqui volentes servare legem, & constitutionem, vident suos majores, aut majorem partem illorum, quibus fuit imposita, eam non servare: neque cœpisse servare, prout docet *D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 6. & 2. 2. quæst. 147. art. 3. Archid. in cap. utinam, 76. distinct. & Navarr. cons. 1. de constitu. quæst. 5.* quia minor pars se debet toti, vel majori parti conformare, etiamsi lex, nondum plenè revocata sit, quia in tali casu, minor pars non potest commodè servare legem, habetque justam causam excusationis, *Io. de Salas de leg. disput. 13. sect. 2. n. 7.*

3. Insuper (quod majus est, & valde notandum,) si ista minor pars communitatis, foret omnibus justior, & aliis sanctior, velletque legem datam servare, si ejus observantia posset non generare scandalum, vel seditionem, vel perturbationem in Populo; quia in tali casu, debet abstinere à tali observantia, & se uniformare communitati, vel majori parti Reipublicæ, & teneretur supplicationem Superiori porrigere, ut legem auferat, & adimat occasionem malorum; prout notant præcit. DD.

Quibus addo, quòd primò primi violantes legem, non semper peccant in omni actu, legi contrario; sed tantùm in illis primis binis, vel trinis: quia binus, vel trinus actus, legi latæ contrarius, inducit consuetudinem, & enervat legem; Principe tamen sciente, vel tacente; ita *Abbas in cap. 1. de treuga, & pace, & Gloss.* singularis in *cap. quia circa, de consanguinitate, & affinitate*, dicit, quòd tolerantia, & dissimulatio Principis in actu de jure prohibito inducit dispensationem, hinc (& fortiùs) posteri non servantes legem per suos majores non receptam, excusantur ab omni culpa, vel ratione consuetudinis, vel ratione præscriptionis. *Syl. verb. lex, quæst. 6. in fin.* ubi facit theoricam universalem; per hæc verba: *Et ex his etiam colligi potest alia theorica, scilicet, quòd etiam lex preceptiva tollitur, si moribus utentium non recipitur, licèt aliud censeat Hostiens. cujus dictum est verum, quando lex est Principis, inducens ex natura sua peccatum ex contraventione, ut quia concurrit cum lege Divina: supra consuetudo, §. 3.* hæc ille; & sequitur *Jacobus de Graff. in p. 1. decis. Aur. lib. 2. cap. 10. num. 25. & Layman.* citat. *loc. num. 3. & 4.*

Quæst. 19. Lex justa, moderata, & rationabilis, an per contrariam consuetudinem, vel præscriptionem, possit tolli, & abrogari?

1. DE communi sententia *Doctorum*, consuetudo vim habet abrogandi omnem legem humanam, nempe, Canonicam, & Civilem, & docet *D. Thom.* communiter receptus in 1. 2. *quæst. 97. art. 3.* & habetur expressè quoad Jus Canonicum in *cap. ultim. de consuetudin.* ubi *Canonistæ* bene notant, quòd sacri Canones per consuetudinem abrogan ur; & quoad jus civile habetur in *l. de quibus, ff. de legibus,* ubi hæc leguntur: *Rectissimè receptum est, ut leges, non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

Idipsum repetitur in *l. 1. & 2. C. quæ sit longa consuetudo, & ibidem* communiter omnes *Legistæ, & Summistæ, verb. Consuetudo.*

2. Hinc *Constitutio Sixti V.* interdicens, ne quis Regularis alterius Provinciæ, intra aliquod Monasterium, domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tanquam hospes, ad modicum tempus, recipi possit; nisi à suo Superiore loci, ubi residebat, & à quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, &c. & addit Dominus Papa, *id observari volumus, non solùm in Religiosis de una ad aliam Provinciam, sed in his quoque, qui proficiscuntur de uno in aliud ejusdem Provinciæ Monasterium, tam sui, quàm alterius Ordinis.*

Abiit in multis locis in desuetudinem; quia à majori parte Superiorum locorum Religiosorum, nedum non fuit acceptata, verùm, & per contrarium usum abrogata; *Rodr. tom. 1. quæst. 6. art. 10. in fin.*

3. Item lex pronunciata in *Concilio Lateranensi, session. 9. decret. 9.* quòd Clerici non persolventes officium Divinum, teneantur pro rata fructus jam perceptos restituere: hodie non viget; quia in Ecclesia nedum non fuit acceptata, sed per contrariam consuetudinem abolita, *Sotus lib. 10. & ultim. de justit. quæstion. 5. artic. 6.* ubi quærit, an Clericus prætermittens id, quod facere tenetur, obligetur ad restitutionem? paululum ante *quintam conclusionem*, ubi multa *de Concilio Lateranensi*, & *Bartholom. Medin. 1. 2. quæst. 90. art. 3. in fin. comm.*

4. Item multi in Gallia, Germania, & Polonia excusantur à transgressione legum *Sacri Concilii Tridentini*, vel quia à majori parte priscorum hominum non fuerunt acceptatæ, vel quia in desuetudinem abierunt, *Navarr. lib. 1. consil. de constitut. consil. 1. quæstione 3. num. 12. & Duardus in Bulla Cœna lib. 1. cap. 3. quæst. 6. num. 1.* & majora addit *Layman lib. 1. de leg. tract. 4. cap. 3. num. 4.*

5. Item per contrariam consuetudinem censetur abroga-

abrogata pœna excommunicationis imposita Clericis alienantibus, vel locantibus bona Ecclesiæ ultra triennium in casibus à jure non permissis, juxta *extravagant. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, *Navarrus in summa, cap. 27. num. 149. Syl. ver. alienatio, quæst. 12. & Cajetanus de Censib. cas. 55.* sed de hoc dico infrà in *tract. de rebus Monasterii non alienandis.*

6. Item olim in tota Ecclesia Occidentali in die Veneris, & Sabbati, abstinebatur plenè, & integrè à carnibus, & à lacticiniis, hodie autem propter consuetudinem, abstinemus tantùm à carnibus, & quibusdam in locis hodie utuntur etiam, & sagimine, seu succo carnium porci, *Paulus Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 3. de legibus, num. 5.* & multa alia statuta, leges, Pragmaticæ, & similia abrogata censentur, propter consuetudinem: & quoad hoc, neminem vidi, qui contradicat.

7. Veruntamen, unde robur hoc habeat Consuetudo, & quibus ex actibus consurgat, & fiat, & quæ sint ipsi necessaria, ad hoc, ut legem tollat; diversificant *Doctores*, quæ etsi sint aliena quodammodo à nostro instituto, pro claritate decisæ veritatis, placuit per subsequentes quæstiones decidere, & indagare.

Quæst. 20. Nomine legalis Consuetudinis, quid veniat?

1. ET dico; quòd nomine Consuetudinis duo veniunt, nempe, frequentia actuum, seu operationum similium, quæ per aliquod tempus debent exerceri, & hæc frequentia consuevit vocari, consuetudo facti.

Et aliud est, quod ex tali frequentia, resultat quædam moralis facultas, seu potestas liberè operandi hoc, & illud, quæ potestas appellatur jus consuetudinis, seu consuetudinarium, vel consuetudo legalis: & hoc est illud, quod definitur ab *Isidor. lib. 5. c. 3.* cùm dicit, *quòd consuetudo est jus* (supple) *legale quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur,* hoc est, jus, quod sequitur ad prædictam frequentiam: & hoc jus resultans, venit nomine legis, & juris, *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 6. num. 21. & Megal. in Promptuar. verb. consuetudo.*

2. Hinc si Papa mandat, ut causa finiatur secundùm jus. Delegatus poterit causam definire secundùm consuetudinem, quæ viget in loco, si legem scriptam non habeat, *Panorm. in c. cum à nobis de elect. in 6.*

Quæst. 21. Quot actus requirantur ad hoc, ut fiat consuetudo legalis, quæ legem possit abrogare?

1. QUidam tenent, quòd binus actus sufficit ad inducendam consuetudinem legalem, ita *Bartol. in l. de quibus ff. de legibus, num. 10. Cassaneus in Consuetud. Burgund. rubr. 1. §. 4. fol. 116. n. 34. Abbas in c. 1. de treug. & pace, & Rodr. tom. 1. quæst. 6. art. 12.*

Et hoc ideò, quia binus actus facit frequentiam actuum, quandoquidem quod fit bis, dicitur fieri frequenter, ita *Gloss.* singularis in *rubr. C. quæ sit longa consuetudo, Navarr. lib. 5. consil. de adult. in 1. edition. consil. 4. num. 1. Sanchez lib. 4. de matrimon. disput. 1. num. 22.* & colligitur ex *leg. 3. C. de Episcop. aud. & can. ità nos 25. quæst. 2.* ubi geminatio ejusdem criminis, vocatur consuetudo.

2. Perinde, si reservetur peccatum consuetudinis, intelligitur, & præsupponit pro illo, quod bis patratum fuerit, *Syl. verb. infamia, num. 10.*

Verùm hæc sententia ferè ab omnibus bene rejicitur; quia nulla ratio inveniri potest, ad certum numerum definiendum, & jura illum non præscribunt, prout docent *Bartolus, Baldus, & Salicet. in dict. leg. de quibus, ff. de legibus, Menochius de arbitr. tr. lib. 2. cas. 81. num. 4. Roch. de Curte* multis relatis in *cap. ultim. de consuetudin. sect. 4. num. 37. Salas de legibus, quæst. 96. tract. 14. disputat. 13. sect. 6. in princip. & Merolla tom. 3. disput. 5. de consuetud. cap. 3. dub. 2. num. 19.* quos sequitur *Megal. in prompt. verb. Consuetudo, num. 2.*

3. Nec jura allegata obstant; quia non loquuntur ad inducendum jus consuetudinarium legale, quod habet vim legis, sed de quadam assuefactione peccandi, quæ suadet ad punitionem graviorem, & ad non facilè concedendam veniam: qui effectus, & similes, sunt potiùs facti, quàm juris, prout docent præcit. *Doctores.*

4. Vera sententia est, quòd hoc relinquitur arbitrio Judicis, & viri prudentis; cùm non possit certum tempus assignari, nec certus numerus actuum definiri, *Sotus lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 2. & Suar. lib. 7. de legibus, cap. 10. num. 4.* communiter recepti; nam hæc consuetudo aliquando debet esse præscripta, ut jus inducat, vel auferat, & in tali casu, considerandus est numerus annorum necessarius, ut infrà dico in *tract. de amissione Privileg.* & ubi constiterit de numero annorum à lege definito, & præscripto, est considerandum, an consuetudo requirat in singulis annis, unum tantum actum, vel plures? nam si unum tantum postulat, ut est consuetudo observandi festum sancti Dominici, vel jejunandi in tali die: tunc tot actus erunt necessarii, quot fuerint anni necessarii ad præscriptionem, ita ut ad mensuram annorum præscriptorum, mensurentur actus contrarii, vel omissi: omissio enim in moralibus, etiam actus appellatur.

5. Si verò consuetudo requirit plures actus in certo numero; cum eadem proportione, erunt in annis ad præscriptionem requisitis multiplicandi actus. Verùm si numerus actuum, in singulis annis, non fuerit certus absolutè, sed sub conditione, vel opportunitate aliqua, prout esse potest consuetudo publicè orandi, vel aliquid simile faciendi, quoties talis occasio, vel temporis necessitas occurrerit, & in tali casu juxta numerum, & frequentiam occasionum, erit necessaria frequentia actuum, tempore necessario, sine interruptione, de qua infrà dico in *tract. de amissione privil. per non usum, vel contrarium usum*, ubi non pauca dico de præscriptione.

6. Consuetudo igitur dividitur in præscriptam, & non præscriptam, prout expressè habetur in *d. cap. ultim. de consuet.* ubi dicitur, quòd consuetudo debet esse rationabilis, & legitimè præscripta, & colligitur ex *cap. non est, eod. tit. in 6. & cap. cùm Ecclesia, de causa possess. & ibi Gloss. in verb. de consuet.*

Præscripta autem dicitur in ordine ad tempus certum, & definitum à lege; pro quo durare, & continuare debet, ut præscripta dicatur.

7. Hinc nota, & manda menti; quòd si loquamur de lege, sive Pontificia, sive Imperatoria, legitimè promulgata à majori parte Populi, prætextu rationabilis causæ, non recepta, in tali casu currit contra eam præscriptio legis, legislatore ignorante, quæ, quippe præscriptio finitur, & absolvitur spatio decem annorum; prout docet *Navar. in consil. 1. de Constit. q. 5. & Ferdin. Castro in opere moral. part. 1. tract. 3. disput. 3. punct. 2. §. 2. num. 9.* quia ad abrogandam legem, & inducendam requiritur idem tempus longævum, quod ad minus est decem annorum; prout colligitur ex *tot. titul. C. de præscript. longi temporis, & §. 1. Instit. de usucap. & l. super longi temporis, ff. de præscription.* & docent *Covarr. lib. 1. variar. cap. 17. num. 8. verb. quartò fortiori. Navar. in summ. cap. 13. num. 19. Mascard. de probation. conclus. 422. num. 24. & Meroll.* multis relatis *tom. 3. disput. 5. de consuet. cap. 4. dub. 2. num. 6.*

8. Hæc

8. Hæc autem consuetudo decennalis ad legem inducendam necessaria, debet esse continua, non interrupta; ut per plura probat *Lapus allegat. 4.7 Syl. ver. Religio 3. q. 5. & Navar. cons. 87. de Regul. n. 1.*

9. Tunc censetur consuetudo interrupta, si à tota communitate, vel à majori parte, contra consuetudinem agatur, *Salas de leg. disputat. 19. sect. 11. num. 93. & Reginald. lib. 10. nu. 248.*

Aut loquimur de lege in initio acceptata, & in tali casu requiritur tempus quadraginta annorum, & consuetudo quadradinta annis continuata ad hoc, ut dicatur legitimè præscripta, & illam abroget; ita *Glos. in cap. final. de consuet. & in cap. litigantes, ver. statuimus, de off. ordin. lib. 6. Turrecremat. in cap. consuetud. quæst. 2. & Can. mos, quæst. 4. distinct. 1.* & procedit de communi, & habetur expressè in *cap. de quarta cap. ad aures.*

10. Nec mirandum est, quod plus temporis requiratur via præscriptionis, ad abolendam legem Ecclesiasticam receptam, quàm non receptam, quia recepta plus habet roboris & firmitatis, quàm non recepta, *Paul. Layman. lib. 1. de leg. tract. 4. cap. 3. num. 4.*

11. Altera tandem consuetudo, non præscripta, est etiam sufficiens ad abrogandam legem, si sit nota, & scita Principi, sic adeò, ut ostendat Principis consensum; prout docet *D. Thom. 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3.* ubi ad tollendum legem non recurrit ad præscriptionem, sed ad sufficientem significationem consensus Principis, & *Medin. ibidem, Sot. lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 2. Syl. ver. consuetudo, quæst. 4.* quos sequitur *Suar. lib. 7. de leg. cap. 18. n. 17.*

12. Item, & ad inducendum novum jus magis celeriter, & breviori tempore, quàm decennio; undè potest dici potentior, & efficacior consuetudine præscripta, quod procedit ex scientia legislatoris, quia permagni interest inter Principem scientem, & ignorantem consuetudinem; seu morem Populi, nam quandò Princeps scit consuetudinem Populi, & tolerat, & eò magis, si illa utatur; ex isto usu profectò arguitur consensus Principis, sic item ex tolerantia, adjunctis aliis circumstantiis, ut putà si illa permissio sit rationabilis, & valdè utilis Populo, vel necessaria; nam ista tolerantia sic circumstantionata, & adminiculata erit sufficiens, & morale signũ ad indicandum animum, & voluntatem Principis volentis, ut lex per illam consuetudinem inducatur, *Suar. lib. 7. de leg. cap. 15. num. 8.* & in tali casu non desideratur decennium; nam tota ratio facti, est voluntas legem ferentis.

13. Volo dicere, quod actus, & mos Populi, sivè fiant à tota communitate, vel à majori parte, de se, & ex propria natura, sic item Populi non acceptatio, vel legis violatio, non habent vim destruendi latam legem, & aliam inducendi, sed voluntas Principis per hos actus declarata, enervat legem, & aliam inducit, prout doctè notat *Suar. in dict. lib. 7. de legibus cap. 19. num. 10.* de communi sententia *Doctorum.*

14. Voluntas Principis satis est ad inferendum legem, quandocunque sibi benè visum fuerit, nec dependet à tempore; ergò toties, quoties aliquot signum sufficienter demonstrat novum consensum Principis volentis, ut per illam contrariam consuetudinem lex vetus abrogetur, & alia nova inducatur, non est decennium ampliùs expectandum.

15. Confirmatur, nam penes hoc distinguitur consuetudo præscripta à non præscripta; quia præscripta non postulat scientiam Principis, sed ignorantiam; undè non inducit legem, ut signum novi consensus voluntatis Principis, sed ut continens requisita per legem, in qua voluntas antiqua Principis continetur. Volo dicere, quod jure antiquo, & antiqua voluntate Principis cautum est, ut lex via præscriptionis possit tolli per non usum, vel contrarium usum, tot annorum, ignorante Principe.

16. Igitur, quando lex tollitur, via præscriptionis, non est necessaria; nec desideratur nova scientia Principis, nec consideratur potentia habendi istam, sed satis est illa primæva voluntas, qua Princeps sibi complacuit legem dare vel approbare de præscriptionibus.

17. Verum è contrà consuetudo non præscripta, operatur tantummodò, ut signum voluntatis, & novi consensus Principis, quod tunc operatur, quandò sufficiens reputatur ad indicandum legislatoris voluntatem, absque ullo respectu ad decennale, vel aliud tempus. Lex enim dependet à Principis voluntate, de qua cùm constat, nil aliud curandum.

18. Proindè, si roges, istud signum expressivum novi consensus, & voluntatis Principis quanto tempore indiget?

Dico quod non potest certa Regula definiri, quia nec jure definitum est, nec potest definiri; quia ex quo istud signum consistit in factis, pendet à conjecturis, quæ non sunt æquales in omnibus consuetudinibus, de quibus vide *Sot. lib. 1. de just. q. 7. art. 2. & Suar.* cit. *loc.* qui dicunt, tempus hoc determinandum esse arbitrio prudentis viri.

Quæst. 22. Quales debeant esse actus, ad hoc, ut consuetudo legem abroget, & jus inducat?

1. HUmani actus, ad finem introducendi consuetudinem, multa exigunt, & primò debent esse frequentes & continuati; ut dictum est; & constat ex ejus diffinitione, & notant *Doctor. in l. de quibus, ff. de leg.*

Et debent fieri à tota communitate, vel à majori parte Populi per modum unius; quia communitas se habet, ut una persona ficta; & sic licet singuli de communitate operentur per se, ut patet in observatione jejunii, vel alicujus festivitatis: tamen respectu Populi, dicuntur esse unius personæ, fictè tamen: hinc, etsi hi actus in ordine ad singulares personas videantur multiplices, & in magno numero, tamen respectu jam dictæ communitatis, sunt pauci; quia omnes actus civium in ordine ad communitatem, dicuntur unus actus; quia fiunt, ut dixi, per modum unius personæ fictæ, & unius voluntatis.

2. Secundò, hi actus, oportet, ut publicè fiant; & hoc propter duo; primò, ut omnes de populo, vel ejus major pars videatur consentire, & convenire; secundò, ut talis consuetudo, quantum est ex se, possit esse nota Principi, cujus consensus desideratur, & est necessarius, ut infrà dico pro consuetudine introducenda: hi autem actus, & Populi operationes, duplici modo possunt esse publici, & notorii: primo modo publicitate, & notorietate facti, prout est, quandò fiunt publicè, & manifestè in conspectu aliorum, secundo modo notorietate juris, ut cùm quandò actus fiunt publica authoritate, & juridicè, ut sententia Judicis, vel authore prætore.

3. Prædicti actus saltem primo modo, debent esse publici, nam si fiant occultò, & furtivè, per talem modum operandi clandestinè, datur intelligi, quod non fiunt de communi consensu Populi; & sic non erunt apti ad inducendum consuetudinem: hæc enim coalescit ex consensu Populi, primò, & minùs principaliter: secundariò autem completivè, & magis principaliter ex consensu Principis: ergò utriusque consensus erit necessarius pro consuetudine introducenda, ut dico infrà.

4. Tertiò, hi actus debent esse voluntarii, & liberi; quia actus humani in tantum fundant consuetudinem; in quantum indicant, & manifestent consensum Populi; sed actus non possunt indicare consensum: nisi fiant, & sint liberi, & voluntarii.

Proindè actus facti per ignorantiam, errorem, violentiam, non possunt inducere consuetudinem; quia sunt involuntarii; prout docent *Glos. in cap. ultim. de consuetud. ibique Cardin. Innocent. in rubr. de consuetud. num. 4. Glos. & Bartol. in l. 2. C. quæ sit long. consuet. quæst.* 17. & colligitur expresè ex *d. l. de quibus ff. de leg.* ubi totam vim consuetudinis ponit in consensu Populi; ubi communiter dicitur, quod vis, metus, error, & ignorantia impediunt, vel tollunt liberum consensum Populi, necessarium ad consuetudinem fundandam.

5. Quartò, quod est valdè necessarium, requiritur, ut hi actus non solùm sint publici, voluntarii, & facti à tota communitate, vel ab ejus majori parte, sed, quod majus est, ut fiant à dicta communitate cum intentione inducendi consuetudinem legalem, quia jus consuetudinariū facti, seu quoddam materiale exercitium, sine voluntate obligandi, nihil refert, ut quandò Populus ex devotione introducit celebrationem alicujus festi, ut factum est in modo salutandi *B. Mariam Virginem*, bis, vel ter in qualibet die. Item in modo tumulandi cadavera defunctorum; item sumendi cineres in prima die Quadragesimæ, & similes consuetudines Christianæ, quæ non sunt inductæ animo obligandi, sed ex devotione, sine obligatione peccati, vel personæ, de quibus vide Eminent. *Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap.* 18. ubi multa de Ramis Palmarum, & Aqua benedicta, & *Glos. in canon. frustrà, distin.* 8. ubi ajunt, *quod de ratione consuetudinis legalis est, ut jus in posterùm fiat, Panormit. in cap. fin. ver. septimò requiritur, de consuetud. Syl. ver. consuetudo, quæst. 4. num.* 10. *Tab. nu.* 10. *Sot. d. lib. 1. de justit. quæst. 7. art.* 2. ubi dicit, *quod unum de requisitis in consuetudine legali, est, ut prædicti actus fiant cum intentione obligandi posteros, Tusc. tom. 2. lit. C. concl. 797. n. 18. & Suarez d. lib. 7. de leg. cap. 14. n. 6.*

6. Si modò roges, quonam modo possit cognosci animus obligandi se, & posteros, & præcipuè cum actus sint similes, & non possint discerni, an fiant ex obligatione, vel ex devotione, aut amicitia?

Dico, quod hoc relinquitur arbitrio boni viri, & per conjecturas potest attendi; ut docet *Suar.* cum præcitatis *ubi suprà*; utpotè si consuetudo sit longi temporis, & rei gravis, & difficilis, & communiter servatur à Populo pro majori parte; quia non solet Populus uniformiter convenire in his actibus; nisi quandò ex obligatione fiunt, & hoc est magnum indicium, fieri ex obligatione, vel si prudentes viri, ac timorati malè sentiunt de his, qui non servant consuetudinem, vel si communiter Populus scandalizatur; sic item, si Prælati, aut Gubernatores Reipublicæ graviter reprehendunt, vel puniunt transgressores hujusmodi; item si materia consuetudinis ex se sit gravis, & valdè utilis communitati, hæ quidem conjecturæ magnum dant indicium, consuetudinem talia operandi, ex obligatione fore.

7. Benè verum est, quod in dubio, & cæteris paribus, dicendum est, quod consuetudo sit potiùs devotionis, vel honestatis, vel familiaritatis, quàm obligationis, quidquid alii dicant; quia per regulam generalem, in dubio, nemo præsumitur, se velle obligare, ubi liber esse poterit: nec expedit, multiplicari præcepta, ubi moraliter certa non sunt; ita *Bonac. de leg. disp. 1. quæst. 1. pun. ultim. §. 3. n. 21. Anton. Diana to. 1. tract. 10. resol. 30. & p. 4. tract. 3. res. 58. & Meroll. to. 3. disp. 5. de consuet. c. 3. dub. 2. n. 31.*

Quæst. 23. An scientia, & tolerantia Principis, sit de ratione consuetudinis, ad hoc, ut obliget, & legem abroget?

1. Jam suprà dixi, quod in consuetudine præscripta, non est necessarius novus consensus Principis legē ferentis, nec ejus præsentia, vel scientia desideratur; sed satis est consensus antiquus de jure præsumptus: ex quo enim Princeps laudavit, vel approbavit leges de Præscriptionibus; tunc consentiit in formam legis, qua cavetur, ut consuetudo decennalis possit introducere jus, & præscribere contra Principem, etiam ipso nihil de novo sciente, aut volente tacitè, vel expresè, consuetudinem efficaciter introduci, *D. Ant. 1. par. tit 16. §. 2. Sylv. ver. confess. quæst. 4. Palud. in 4. sentent. distin. 42. quæst. 3. art.* 1. quos sequitur *Suar. lib. 7. de leg. cap. 13. num. 7. & Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 4. num.* 11. & habetur expressè in *d. cap. ultim. de consuetud.* ubi duæ tantùm conditiones sunt appositæ ad firmandam consuetudinem per viam præscriptionis, una est, ut sit rationabilis, & altera, ut sit præscripta: ergò nihil aliud requiritur, nisi secùs velis loqui sine fundamento juris, ne dicam potiùs contra jus.

2. Confirmatur. nam Princeps potuit, & potest legem statuere, quæ approbet consuetudinem, habentem tales conditiones ab ipso præscriptas, & ut vim habeat, absque novo suo consensu, vel scientia; sed hoc totum fecit acceptando prædictū decretum de consuetudine, & alias leges de præscript. habitas; ergò & iste modus convenientissimus Reipublicæ; quia, moraliter loquendo, est impossibile, omnes consuetudines ad Principis notitiam pervenire; ut dicitur in *cap. 1. de constitut.* & docent *Rodr. tom. 1. q. 6. art. 12. & Mirand. tom. 2. Manual. q. 25. de leg. ar. 21. concl.* 4.

3. Secus autem dicendum est de consuetudine non præscripta; nam in ista desideratur, & est omninò necessarius consensus Principis, ejusque scientia, & tolerantia; prout docent *D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 3. ad* 3. ubi de consuetudine universalis Ecclesiæ, *Syl. ver. consuetudo, quæst. 3. Sot. lib. 1. de justit. quæst. 7. art. 2. Glos. in d. cap. ultim. de consuetud. Innoc. in rubr. de consuetud. num. 4. Glos. in l. 2. C. quæ sit long. consuetud.* & est communis, & colligitur ex *l. de quibus, ff. de legib.* ubi tota ratio consuetudinis ponitur in consensu Populi, qui potest vim legibus, & efficaciam dare. Quod est verissimum, si sermo sit de Republicis liberis, quæ Superiorem non cognoscunt, ut est Janua, & Venetiæ, & similes; vel si sit sermo de priscis, & primævis populis, quos penes residebat primaria vis ferendi leges, & consuetudines, quæ sunt leges non scriptæ; tunc enim Populus, ut infrà dico, in *tract. de dominio, par.* 3. habebat in se potestatem supremam ferendi leges, quam postmodùm Populus transtulit in Principem; ergò loco consensus Populi, succedit consensus, & scientia Principis; sed primitùs scientia, & populi consensus erat simpliciter necessarius ad leges statuendum; igitur ita, & nunc consensus Principis, quippe qui subrogatur, ut dictum est, loco consensus Populi.

4. Confirmatur, nam non minus est necessaria potestas legislativa ad inducendum jus scriptum, quàm jus non scriptum, ut omnes fatentur. Lex enim à potestate, & jurisdictione intrinsecè dependet: sed hodie in his Populis, ut supponimus, non est potestas legis lativa, vel quia illam nunquàm habuerunt, ut constat de potestate Ecclesiastica, requisita in legibus Canonicis; vel quia illam in Principem transtulerunt: ergò recurrendum est ad eum, in quo reperitur suprema potestas, ut vires det consuetudini per suam voluntatem & consensum.

5. Bene verum est, quod iste consensus Principis satis est, quod sit expressus, vel tacitus ad introducendum jus legale consuetudinis.

Tunc autem censetur expressus, quandò Princeps est præsens, & personaliter consuetudini expressè consentit, vel unà cum aliis utitur illa populari consuetudine; quia facto, vel opere, voluntas Principis declaratur. sic item si Princeps consentiat antecedenter, hoc est, si dederit licentiam ad introducendum talem consuetudinem; vel consequenter, & concomitanter, approbando il-

do illam expressè, vel tacitè videndo, & non impediendo, dissimulando punire.

6. Nec eas inficias, eo prætextu, quod scientia Principis cum taciturnitate, non sit signum sufficiens consensus ipsius, sed solùm, quod sit signum permissionis, & dissimulationis, quæ potest habere aliam justam causam in Principe: quia multa per patientiam tolerantur, quæ tamen non approbantur, ut dicitur in *cap. cùm jam dudùm de præbendis*: quia hæc procedunt de tolerantia per se, & præcisè sumpta.

Fallit autem in tolerantia cum aliis adminiculis, & circumstantiis, ut dictum est, ceu si illa sit rationabilis, utilis communitati, vel necessaria ad tollendum occasionem peccati, vel scandali, vel Populi perturbationem, & similia.

7. An autem isthæc Principis scientia debeat esse immediata, vel mediata; quod est quærere, an hi actus, usus, vel non usus legis, ad tollendum legem, & introducendum consuetudinem, debeant esse noti, & manifesti immediatè ipsi Principi legislatori, an verò, satis sit, quod sint noti ejus Auditoribus, vel ipsius Principis Rectoribus, Capitaneis, Gubernatoribus, ejusque similibus Officialibus?

8. *Rodriq.* cit. *loc. quæst. 6 art. 12. in medio*, putat, satis esse, quod hi actus innotescant ejus Officialibus; & sic etiam ignorante Principe, jus consuetudinis inducunt, quem sequitur *Miranda* in præcit. *loc.* & pro se citat *Doctores*, & asserunt, eos à Theologis de peccato mortali non argui, qui aliqua faciunt contra extravagantes aliquas Apostolicas, ex quo per contrarios actus non sunt receptæ, qui actus contrarii fiunt, nesciente Papa, sed scientibus Nuntiis Apostolicis, & locorum Ordinariis, & Superioribus, quibus incumbit hæc exequutioni mandare: proindè inferunt, non peccare mortaliter, neque incidere in excommunicationem Rectores & Magistratus consentientes in Hispania, Tauros agitari contrà *Constit. Pontificum Pii V. & Greg. XIII.*

9. Quæ quidem assertio, licet possit esse vera in foro Dei; fallit tamen in foro Cæsaris, & præcipuè ubi agitur de præjudicio jurium, actionum, & consimilium; nam possessio, vel quasi possessio in juribus incorporalibus, ut quæratur, requiritur immediata scientia ejus, ad quem spectat, ut dicitur in *l. penul. ff. de servit. Bartol. in l. 1. §. final. ff. de aqua plu. arc. & in l. 1. §. fin. de itin.* prout refert per multa jura decisum *D. Anton. Capyc. dec. 57 per totam*; ubi agitur de restitutione possessionis jurisdictionis criminalis, cujusdam Casalis S. Cypriani: Actor enim erat de S. Mango, qui prætendebat, possedisse jurisdictionem prædictam in dicto Casali, & fundabat intentionem suam per actus possessorios, & docebat de scientia, & tolerantia, nedum cujusdam Bernardini possidentis prædictum Casale; sed etiam Domini Regis Federici, ex eo, quod Officialis, seu Præsidens Regis Federici, qui erat in civitate Salerni, habuerit notitiam præfatæ jurisdictionis, qui insuper, & sæpius, causas remiserit cuidam Jo. Thomæ.

10. Nihilominùs præfatus Bernardinus conventus, fuit liberatus ab impetitione dicti de Sancto Mango; & fuit dictum, illum fovere potiora jura; & quod scientia Officialium non debet nocere principali Patrono; & quod hujusmodi scientia immediatè debet esse ejus, de cujus præjudicio principaliter agitur; & sic debuisset constare de scientia, & notitia Regis, vel Imperatoris; aliàs secùs, prout etiam docent *Matth. de Afflict. decis. 67. & Ursill. in annotat. ad dictam decisionem*, ubi docent, quod patientia debeat esse libera, non autem violenta, vel præcaria, habita, vel facta ad preces, vel minas alterius.

Quæst. 24. Lex Civilis, & Ecclesiastica an suos possit subditos obligare in foro conscientiæ?

1. Affirmativè *D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 4. D. Anton. 1. par. tit. 18. cap. unic. §. 2. Covarr. in Regula peccatum. & Navarr. in summ. cap. 23. num. 4.* & meo videri, est de fide; nam planè colligitur ex illo *Apostoli ad Rom. 13. qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt sibi ipsis damnationem acquirunt, &c.* quæ quippè damnatio nequit inferri, nisi post peccatum mortale.

Confirmatur, nam *ibidem* additur. *Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit, ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, &c.* quod est dicere, obediendum est omnibus Superioribus, non tantùm propter iram, & ob metum pœnæ, quia gladium portet; sed propter conscientiam, hoc est, prout concorditer dicunt ad evitandum peccatum.

Confirmatur ex illo 1. *Petr.* 2. *hæc est enim gratia, & Proverb. cap. 9. per me Reges regnant, &c.* quæ loca, nedum procedunt de superiore Ecclesiastico, sed etiam de laico, nam uterq; est Dei Minister, & proculdubio, qui ministro resistit in eo, quod minister est, & quatenus repræsentat Principis personam, profectò ipsi Principi resistit, prout dicitur 1. *Reg. cap. 8. non te abjecerunt, sed me. Ibi* enim tractatur de Samuele, qui Dei jussu gubernabat Populum.

2. Prætereà, tàm jus Divinum, quàm naturale, dictat, subditos debere observare justas leges Superiorum; ergò qui illas non servat, nedum agit contra Divinam voluntatem; verùm etiam contra dictamen rationis, & contra præceptum Christi, *Matth. 23. quæcunq; dixerint vobis facite*, hinc *D. Thom.* cit. *loc.* ait, legem humanam obligare in conscientia, quatenus participat legem æternam, & naturalem, quia Dei voluntate, & rationis naturalis dictamine benè cognoscitur, hoc principium verissimum esse, nempè, obediendum est justis præceptis Principum, prout advertunt communiter prisci, & moderni *Doctores*.

Quæst. 25. Lex sufficienter promulgata an semper obliget, & afficiat subditos in omni foro & casu?

1. Negativè dic; nam quoties lex infert subditis gravamen injustum, non obligat in conscientia; etiam si sit legitimè proposita; quia lex tali modo lata, excedit potestatem legislatoris, quandoquidem nemo patiens injuriam per legem, potest per illam obligari, nam unum de requisitis ad formam legis, est, quod præcipiat justa; secùs lex non erit participatio legis æternæ, virtute cujus est obligativa; prout docet *D. Thom. 1. 2. quæst. 95. art. 3. & quæst. 96. art. 4.* lex enim ad hoc, ut dicatur justè lata, tres conditiones debet habere: quarum prima est legitima authoritas ipsam legem ferentis; secunda, ex parte finis, ut feratur propter commune bonum, & tertia, quod correspondeat viribus subditorum, & sit adeò proportionata, ut non magis per eam graventur pauperes, quàm divites, quod est hodiè valdè notandum, ne datia, seu gabellæ, quæ imponuntur in dies, excedant vires Regni, *D. Thom. ubi suprà.*

2. Verùm in dubio, an id, quod per legem præcipitur, sit malum; tenentur subditi obedire, quia in dubiis melior est conditio Principis præcipientis; si sit in possessione præcipiendi; secus autem si non foret in dicta possessione, ut cùm non constat, an sit verus Princeps, etsi hinc inde sint opiniones de illo, *Meroll. tom. 2. leg. disp. 3. c. 3. dub. 2. n. 297.*

3. Item nec obligat, si sit de re impossibili; quia ad impossibile nemo tenetur; & res impossibilis excedit facultatem cujuslibet operantis, ut dicitur in *can. erit autem lex, dist. 4. & D. Thom. loc. q. 96. ar. 2.*

4. Item, nec quandò lex esset nimis dura, quia etiam in tali casu censetur excedere facultatem ferentis; & consequenter injusta; & in dubio Populus tenetur supplicare Superiorem, ut legem auferat, vel moderet; si autem Princeps noluerit auferre, supposito, quod sit justa, est observanda; ita habetur *in cap. ex parte il secondo, de off. deleg.* & docent *Doctor. in c. consuluit 3. de appellat.*

5. Item quartò; si sit ignota, quia ignorantia invincibilis, & justa, ut suprà dictum est, excusat; sic item, si non sit recepta à majori parte.

6. Item quintò non obligat, in omni casu necessitatis, lex enim non comprehendit casus necessitatis, nam dicitur communi proverbio, *quod necessitas non habet legem, Zachar. Pasqual. in opere decis. moral. dec. 166. in fin. n. 5.*

7. Item sextò, quandocunque fuerit lata contra jus naturale, vel Divinum; quia hæc ambo sunt fundamenta cujuscumque legis; nam lex non potest tollere fundamentum cui innititur.

8. Nec tandem obligat in re levi, & exili; ubi tamen habet locum parvitas materiæ, quia sæpè sæpiùs parvitas materiæ excusat à vinculo legis, ut patet in furto.

Quæst. 26. Lex in præsumptione fundata, an obliget in conscientia?

1. Præsumptio, grammaticè idem est, quod præceptio, & venit ab isto verbo, *præsumo præsumis*, quod est priùs sumo, quod sæpiùs præsagire significat, vel imaginari, seu rem antè videre, aut suspicari priusquam sit præsens, & manifesta.

2. Hinc præsumptio apud Legistas, idem est; quod suspicio, seu conjectura, aut judicium incertum, de qua vide *Menoch. de præsumpt. & in cons. 353. & Mascard. de probat. conclus. 830.* ubi latè examinatur judicium præsumptum, & conjecturale.

3. Hoc autem judicium præsumptum, potest esse verum, si adsit ex parte rei fundamentum, si autem fundamentum non extiterit, falsum erit; ex quo enim res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.

4. Hac prævia distinctione, respondent ad quæsitum *Doctores*, legem in falsa præsumptione fundatam, in foro conscientiæ, non obligare, secùs in foro externo; quia deficit præsumptionis fundamentum, sed deficiente fundamento, cadit, & deficit omne illud, quod illi erat superadditum, & ædificatum; quandoquidem non est verisimile, quod Princeps velit in conscientia obligare subditos, contra veritatem. Veritas enim est fundamentum justæ legis, qua stante, stat lex ante Dei faciē, & qua sublata, aufertur; prout colligitur ex *c. veritate, dist. 8. & l. ex facto, ff. de vulg. & c. 1. de constit. & Syl. ver. lex, q. 9.*

5. Verùm hac in re, pro securitate conscientiæ, & veritate, censeo presso gradu incedendum, & cum *D. Thoma* respondendum, quod lex humana in præsumptione fundata (licet falsa) si tamen sit præsuppositiva, seu ex suppositione prærequisita, & necessaria ad bonam gubernationē Reipublicæ, ut subditos præservet à malo, & conservet in bono, est observanda, & obligat in utroq; foro.

Secus autem si sit diffinitiva, & determinativa actuum singularium personarum, ut infrà dicitur, ità *D. Thom. 2.2. quæst. 60 art. 4. in respons. ad 3.* ubi dat regulam, quomodò dubia sint in meliorem partem interpretanda, per hæc propria verba.

Cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sivè nostris, sivè alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id, quod est deterius; quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra minus malum. hæc ille.

Ergò præsumptio, seu Judicium suppositivum, sivè ex suppositione, est illud, quod adhibetur pro remedio, & cautela super aliqua re, ne mali aliquid fiat, vel contingat in Republica.

6. Hinc per Epikeiam, prudenter Prælati solent generalem Constitutionem indicere, ad occurrendū incommodis, periculis, perturbationibus, fraudibus, & similibus, quæ moraliter ferè semper oriri solent. qua lege subditi caventur à periculis, & occasione peccandi. & hæc præsumptio, & cautela, solet esse fundamentum cujusvis legis, quæ quippe ligat in utroq; foro; quia unusquisq; tenetur evitare occasionem peccandi; & in dubio tutior via est eligenda; qui enim amat periculum, peribit in illo.

7. Quamobrem, si Prælatus præcipiat per obedientiam, ut nullus Frater domo exiens, à suo socio separetur, benè facit, & ista lex est obligativa in utroq; foro; quia in hoc casu Prælatus non præsumit peccatum in quovis actu, casu, vel persona, sed quia aliquando, vel sæpè, indè evenit scandalum, vel occasio impudicè vivendi; hinc ad evitanda pericula, legem statuit & benè.

8. Id ipsum procedit de lege Regis Hispaniarum, qua cautum fuit, ne hujus Regni fideles commercium haberent cum Hæbreis, vel cum Turcis; ne contaminarentur, vel ab eis perverterentur, ut habetur in *prag. 1. de commerc. inter Turc. &c.*

Sic item, si fiat præceptum inter Religiosos, ne alter alterius ingrediatur cellam, ob fortè periculum, & mala, quæ timentur, & possent indè evenire.

9. Proindè valdè benè *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1.* statuit, ne fiant matrimonia clandestina, & ita facta non valeant, quod insuper irritat tales contractus, & reddit personas inhabiles, quæ decreta afficiunt in utroq; foro; & hoc ideò; quia lex conciliaris fundatur in præsumptione præsuppositiva ad evitandum futura incommoda, pericula, fraudes, & similia, quæ solent esse, quamvis in aliquo casu cessasset fraus, periculum, & omne aliud, non ideò in ista singulari persona, cessat legis obligatio; quia teste *D. Thom. 2.2. quæst. 88. art. 9.* leges humanæ attendunt ea, quæ frequentiùs accidunt, & ea, quæ sunt factibilia, & possent evenire, & pro justo, & solido fundamento hujus legis, satis est, quod res futura sit dubia, quod possit esse, & non esse, quia lex in facto dubio fundata, justissima est. Undè esto, quod quis pro certo haberet, quod ex sua conversatione cum hæreticis, nullo modo perverteretur, nihilominus tenetur in conscientia abstinere, propter dubium eventum; & quia res poterit esse, & non esse, ut dictum est.

10. Hinc item puer, etsi sit doli capax, & argutus, non ideò poterit in nostra Religione emittere professionem ante decimum sextum annum expletum; quia ei resistit *Decretum Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 15.* prohibens, fieri professionem ante dictum tempus, & in casu contrarii, annullat professionem, & nullam inducit obligationem, quia judicium præsumptum *d. Concil.* quamvis cesset in uno particulari, quia scilicet est doli capax, nihilominùs obligat, quia obligatio generalis, quamvis in aliquo particulari cesset, non desinit obligare, prout docent *Eminent. Cajet. 2.2. quæst. 120. Sot. lib. 3. de instit. quæst. 4. art. 5.* & secùs dicere est multa absurda fateri, prout laboriosè colligit *Merolla disp. 4. c. 8. de cessat. leg. dub. 2. n. 9.*

11. Bene verum est, quod hæc non procedunt de lege fundata in præsumptione diffinitiva, & determinativa actuum singularium personarum, qua legislator præsumit, & suspicatur aliquid in omni, & quovis casu, & actu singulari, & ratione illius præsumpti, legem statuit; quia in singulis casibus ita præsumit.

12. Ita est illa præsumptio, quam habuit Dominus Papa in *cap. veniens il secondo, & cap. is qui fidem, de sponsalibus*, ubi statuit, sponsalia de futuro, in matrimonium transire per copulam carnalem subsequutam; non quia illa, sine novo consensu sufficiat, sed quia Ecclesia, ne præsumat sponsos in copulam consensisse cum peccato mortali, legitimum consensum præsumit, non solùm, ut plurimùm, sed etiam in quovis actu singulari. 13. Et

13. Et talis lex, in quovis casu, in quo præsumptio est falsa, non obligat in conscientia; quia veritas prævalet præsumptioni, *Rodr. tom. 3. quæst. 54. & 1. part. sum. cap. 194. de leg. conclus. 3. n. 3. Navarr. c. 1. sum. num. 48. & Sot. de just. lib. 1. q. 6. ar. 4. ad. 4. in fin.*

14. Proindè lex, quæ præcipit, ut hæres de bonis defuncti, faciat inventarium, aliàs teneatur solvere debita de proprio, etiam si excedant vires hæreditarias, est optima; quia præsumit, in fraudem noluisse conficere inventarium, ut docent Juristæ; non tamen obligat in conscientia, si vires hæreditariæ non sufficiunt.

Sic item lex præcipit, ut testamentum non fiat, sine certo nnmero testium; secùs autem, sit irritum, & nullum, ut dicitur in *l. hac consultissima, C. de testam. Instit: eod. tit. §. ult.*

15. Nihilominùs testamenta facta sine tali solemnitate, in foro conscientiæ sunt valida, *Covarr. in cap. cùm esses, de testament. nu. 4. & Sot. lib. 4. de justit. quæst. 5. art. 3.* quia lex, quæ præsumptionem præsefert, in animæ judicio locum sibi non vendicat; nam in eo attenditur veritas, & cessat præsumptio.

16. Et hujus generis multa; & quot, & qualia inferantur, ab isto principio, leges tàm Civiles, quàm Canonicas in præsumptione fundatas non obligare in foro animæ, quando præsumptio est falsa, & de opposita veritate constet, vide *Rodr.* in citat. *loc. Alphons. de Castro lib. 1. de potestate leg. pœnal. cap. 5. docum. 1. Gregor. Sayr. in Clavi Regia, cap. 7. num. 8. & Anton. Dian. 1. part. tract. 10. de legib. resol. 27. & 28.*

17. Quod extende etiam ad Judicum sententias in falsa præsumptione fundatas; quia sententiæ, quæ ideò justæ sunt, quod secundùm tantùm externum forum in illa præsumptione fundantur, non obligant in conscientia; cùm sint veritati contrariæ. Lex enim naturalis, & Divina aliud continet. *Sot. ubi sup.* communiter receptus.

18. Ideòq; injustè condemnatus, secundùm veritatem, ad restituendū aliquid, quod non abstulit, non tenetur, & si sit justè, hoc est, juridicè secundùm allegata, & approbata sententiatus per falsos testes, vel instrumenta falsa; quia coràm Deo super omnia vincit veritas.

19. Si roges, quonam modo possit cognosci, an lex sit fundata in præsumptione solius moralis periculi, seu in eo, quod frequentiùs accidit; an verò in præsumptione, quæ in quolibet casu particulari, legislator aliquid præsumit?

Dico, quod non potest certa regula assignari, sed potest colligi ex materia, & verbis legis, adjuncto usu, & interpretatione *DD.*

20. Quid autem & quotuplex sit præsumptio juris, & hominis. vide *Syl. & Tab. ver præsumptio, & Francisc. Aret.* in sua *pract. crimin. cap. 10. de conject. & probat. in ver. obser. fol.* mihi 253

Quæst. 27. An obligare in conscientia, sit de intrinseca ratione legis civilis, adeò, ut non possit esse vera lex, sine tali obligatione?

1. Iam dixi suprà cum *S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4.* leges humanas, si sint justæ; & ad bonum commune ordinatæ, in foro conscientiæ, necessariò obligare, & signanter, quia de intrinseca natura habent præcipere. Lex enim intrinsecè, nil aliud est, quàm præceptum justum, communitati impositum, perpetuum, & sufficienter promulgatum, prout est videre in omni lege positiva, tàm humana, quàm Divina.

2. Præceptum autem ex vi Divini juris, habet obligare in conscientia subditos ad obediendū, ut constat ex decisis. Perindè certum est, omnem legē, si sit vera & justa, de se, & per se necessariò obligare in foro conscientiæ immediatè, vel mediatè: volo dicere, quod lex, vel absolutè obligat ad actum, de quo disponit; quia mandat, hunc vel illum actum sic fieri: & sic certū est obligare in conscientia ad talem actum, quem præcipit, ut pater, cùm præcipit jejunium, & simile, ut fiat tali modo: nam nisi egeris ad præscriptum, profectò eris violator præcepti.

3. Vel lex obligat ad aliquam solam pœnam, ita ut lex dicatur purè pœnalis; & sic item præcipit, & obligat in conscientia transgressores ad solvendum pœnam, transgressione supposita; nam si transgressor in conscientia non teneretur sustinere pœnam, eamq; solvere, non posset legislator à transgressore licitè sumere pœnam appositam in lege, nec haberet jus ad puniendum sontes, & legum violatores, quod procedit in omni lege pœnali, prout docet *S. Anton. 3. par. tit. 16. cap. ultim. in fin. & Suar. de leg. lib. 3. cap. 22. Sotus de justit. quæst. 6. art. 4. & 5. & Syl. ver. obedientia, & ver. lex, quæst. 9.* Quod procedit etiam in legibus, quæ de voluntate legislatoris, solùm obligant in foro exteriori; non autem interiori; nam hæ leges, si referantur ad ipsos Judices; utique illos obligant in conscientia, ita ut in foro exteriori secundùm illas teneantur judicare; sic item, & subditos, ut in eodem exteriori foro, eisdem legibus teneantur parere, & non resistere.

4. Quod extende proportionabiliter ad leges irritantes contractus, ipso facto; nam qui facit contractum jure humano ipso facto nullum, tenetur profectò in conscientia, illo non uti; nec in conscientia per talem contractum facit fructus suos, quos faceret, si esset validus & sanus, nec per talem contractum, ipso jure, nullum transfertur dominium, & possessio; nec per illum in conscientia poterit alios obligare, ut patet de contractu inito contra formam *c. ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien. in 6. inter communes extrav.*

5. Et ideò omnis lex, qualisque sit illa, resolvitur in aliqualem obligationem immediatam & proximam, vel mediatam, & remotam, ut satis planè declaravi.

Quæst. 28. An lex humana, tàm laica, quàm Ecclesiastica possit sub culpa mortali subditos obligare?

1. ET quidem ex suo genere posse, affirmant *Doctores*, dummodò ex parte rei adsit debita materia, & voluntas legislatoris, ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 104. art. 1. & 6. & quæst. 105. & quæst. 147 art. 3. Sot. lib. 1. de justit. quæst. 6. art. 4. Navarr. in summ. cap. 23. nu. 55. in medio, & Covarr. in regul. peccatum, p. 2. §. 5. n. 2. & 3.*

Quod prius docuit *S. Augustinus epist. 50.* ferè in *princip.* ubi sic ait, *quicunque legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium,* supple, *ante Deum*, ut patet ex *contextu.*

2. Et hoc ideò; quia lex de sua intrinseca natura, habet obligare subditos in foro animæ, ut dixi cum *S. Thoma 1. 2. quæst. 96. art. 4.* tùm quia Divino jure habet de se præcipere & mandare; tùm etiam, quia hoc ratio naturalis dictat, ità esse Parentibus obediendum, sicut, & Superioribus, cujuscunque sint status; ergò sicut, non obedire Parentibus ex suo genere est peccatum mortale, sic pariter non obedire Superioribus.

Quod præsertim procedit, si interveniat contemptus potestatis Prælati jubentis.

3. Dico, præsertim; quia secluso contemptu, & consuetudine, adhuc leges humanæ etiam possunt obligare sub mortali; prout Juristæ, & Theologi sentiunt, vel præsupponunt; uti est lex audiendi Missam in die Dominico, & consimilibus, quibus adduntur censuræ, & aliæ multæ concernentes rem gravem.

4. Dixi, adjuncta materia debita; cum enim lex possit obligare sub mortali, vel veniali, ad hoc discernendum, con-

considerari debet materia legis: etenim materia gravis capax est obligationis sub mortali, ut patet in legibus naturalibus, & Divinis: & materia levis, capax est levis obligationis, seu venialis, ut etiam patet.

Quæ autem sit materia gravis, vel levis, habes infrà, & dico in *tract. de largit. munerum.*

5. Dixi, voluntate legislatoris, &c. quia forma legis, est interior voluntas, & intentio Principis, quæ per externam scripturam exprimitur, vel per alia signa declaratur.

Quæ quidem intentio, est tàm intrinsecè de substantia legis, quod si legislator non habeat animum obligandi, sed tantùm fictè, & simulatè proponat legem externam; hæc re vera non erit lex, sed tantùm ficta, & simulata; quia Principis intentio dat vim, & vigorem legi. Undè lex dicitur vera, à vera, & reali intentione Principis: ficta autem à ficta, vel simulata ejusdem.

6. An autem lex ficta obliget subditos? dicas, quod non; sed ex conscientia erronea, subditi, in tali casu manerent obligati: dùm putarent, legislatorem habuisse verum animũ obligandi, quem re vera non habuit; quod procedit in aliis rebus humanis; qui enim promittit, vel vovet, vel agit etiam similia, si non habeat internam intentionem vovendi, & promittendi, & se obligandi, verè non remanet obligatus; & minister, qui non habet intentionem conficiendi Sacramentum, verè non conficit, ut docent unanimiter *Doctores.*

Quæst. 29. Gravitas materiæ, quonam modo possit discerni à levi ad hoc, ut sufficiat ad obligandum sub culpa mortali?

1. DE hac re, certa regula dari non potest, sed prudenti remanet commissa arbitrio; ita de communi *Emunent. Cajet. in sum. ver. precept. in medio*, paululùm post *ver. præter hos verò duos modos*, ubi dicit, esse impossibile, velle discernere præcepta ex sola materia in jure humano, & *Graff. in pract. de arbitrar. confess. lib. 2. cap. 31. nu. 4.* & modernè *Aversa 1. 2. quæst. 96. de potestate hum. leg. sect. 1. ante fin. ver. postremò.*

2. Hoc autem arbitrium debet esse regulatum, ne contingat errare, & duo in hac re diligenter adverte, nempè proximum finem legis, & proportionem, seu æqualitatem medii præcepti, ad talem finem consequendum cum suis circumstantiis annexis.

Nam finis cujusvis legis humanæ, semper & necessariò debet pertinere ad aliquam virtutem principalem, utputà, ad prudentiam, temperantiam, justitiam, fortitudinem, fidem, spem, charitatem Dei, & proximi, vel aliquid aliud, quod est ad Dei cultum, vel commune bonum Reipublicæ, ut est Pax, Religio, Quies, Amicitia, & similia, prout *D. Anton. in 2. par. tit. 4. cap. 2. §. 3. Syl. ver. præcept. quæst. 3. & Cajetan. tom. 1. opuscul. tract. 25. quæst. 1.* & alii ferè omnes nostræ familiæ.

3. In qualibet verò virtute, illa censetur esse materia gravis, cujus omissio, vel violatio, notabilẽ habet deformitatem, seu turpitudinẽ in sua specie, quæ quidem turpitudo repugnat virtuti legis, vel impedit, & nocet, ne finis legis habeatur, v.g. lex de jejunio habet respicere, pro fine proximo, temperantiam; & obligat sub mortali: bina autem comestio, non solùm graviter repugnat virtuti temperantiæ, sed etiam impedit, ne quis illam consequatur virtutem, & sic censetur materia gravis in lege jejunii, capax obligationis mortalis.

Sic item, lex de non furando, pro fine proximo, habet respicere justitiam, & Populi pacem; si res furtim sublata sit levis, non erit sufficiens ad inquietandum Populum, & ad evertendum justitiam Reipublicæ; quia leviter lædit, & levem in se habet turpitudinem; ideò non erit capax mortalis obligationis.

4. Examinato igitur legis fine proximo, seu virtute principali, quam lex pro fine habet respicere. Prudens hominis arbitrium debet examinare circumstantias, & proportionem medii ad finem, per legem intentum, & pensare, an multum conferat ad illum? an verò leviter illum impediat; vel diminuat, vel retardet?

5. Nam fieri potest, ut finis in se sit gravis, & quod læsio ejus, sit levis, & minima, ut dictum est de furto; & procedit in multis aliis.

Et versa vice fieri potest, ut materia præcisè sumpta, & ut in se est, considerata, sit levis pariter, & minima; & tamen respectu finis, à lege intenti; & relata ad finem, quod sit gravis & enormis, prout eruditè docet uterque *Thom. 2. 2. q. 104. ar. 2. ad 1.*

6. Hinc est, quod in re minima, fieri potest præceptum obligans ad mortale, quippè quæ, etsi in se sit levis, & minima; relata tamen ad legis finem, censetur gravis: ideoque debet examinari finis cum suis circumstantiis.

7. Proindè si Prælatus præcipiat sub mortali, ne Religiosus subditus accedat ad communem hortum Conventus, vel ne loquatur cum tali persona, vel ne exeat extrà Conventum; tenet præceptum, & violator peccat mortaliter, quia licèt accessus ad hortum, & hæc prædicta sint levia in se spectata, tamen relativè sumpta sunt gravia, nam offendunt Religiosam honestatem, quam pro fine habet Prælatus, dum præceptum intulit, prout scitè advertit *Medin. 1. 2. quæst. 96. art. 4. ad dub. 2. & Reginald. lib. 15. num.* 43. de qua re vide *Anton. Dian. part. 5. tract. 5. de parvitate materiæ*, ubi laboriosè hujus generis multa colligit, à *resolutione* 1. usque ad, & per totam *resolut. 60. & Mirand. tom. 2. Manual. quæst. 25. art. 2.*

Quæst. 30. Lex humana ad hoc, ut obliget sub mortali, an necessariò sit exprimenda sub aliqua certa forma verborum?

1. HÆc quæstio est intricata, circà quam non conveniunt *Doctores*; tu autem, ut ab incertis, certa separes, adverte, & nota diligenter, quod quandocunque legislator dixerit, *statuimus, vel ordinamus in virtute obedientiæ*, per istud additum; semper intelligitur, se velle obligare ad mortale, *D. Ant. 2. p. tit. 4. cap. 2. §. 3. & p. 3. tit. 16. cap. 1. §. 9. Cajet. 2. 2. q. 186. ar. 9. circà solutionem ad secundum.*

2. Sic item si dicat, *in virtute jurisjurandi præstiti, aut voti facti, Sanchez lib. 6. sum. cap. 4. n. 43 & Azor tom. 1. lib. 5. cap. 6.* quia per hæc verba exigitur obedientia.

3. Item si dicat; *in virtute Spiritus Sancti, & sub præcepto formali*, quia tam gravia verba satis indicant animum Superioris, velle obligare ad mortale; *Ledesma 2. part. 4. quæst. 17 art. 2. dub. 6.*

4. Item si dicat, *in nomine Jesu, vel in virtute Christi*, vel si dicat, *sub interminatione gehennæ*, vel *sub pœna maledictionis æternæ*, vel *sub pœna indignationis Dei*, vel *maledictionis Dei*, vel *sub indignatione Apostolorum Petri & Pauli*, vel *sub districto Dei judicio*, vel si dicat, *sub obtestatione Divini judicii*, vel si dicat, *mandamus strictè*, semper obligat ad mortale. *Navarr. in summ. cap 23. num. 53. Rodr. 1. part. summ. cap. 194. & Sayr.* multis citatis *in Clavi Regia lib. 3. cap. 7. num. 24.* quia tàm gravia verba indicant animum Principis, velle obligare, eo majori vinculo, quo potest.

5. Idem procedit, cùm aliquid mandatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, suspensionis, & interdicti; quia tam gravis censura, præsupponit mortale; *Tab. ver. lex. q. 28. & Suar. tom. 5. de censur.*

6. Benè verum est, quod quandocunq; ex verbis legis, non poterit constare de intentione legislatoris, eo quod legis verba ex natura sua, sunt indifferentia ad denotandum obligationem sub mortali, vel sub veniali: in tali casu recurrendum est ad gravitatem, vel levitatem materiæ

præcepta

præceptæ: nam si materia præcepta sit gravis, respectu finis intenti, lex utique obligabit sub mortali, si levis obligabit sub veniali, prout judicatur de lege Divina, *Victoria relect. de potestate civili nu.*18. & *Medin.*1.2.*q.*96.*ar.*4.*ver. secunda regula.*

7. Et in casu dubio, cùm subditus dubitat, an materia legis sit ita gravis, ut possit obligare sub mortali: debet, & tenetur obedire sub veniali, quia in dubiis tutior via est eligenda pro anima, nec subditus debet se exponere periculo peccandi mortaliter, *Merolla* multis citatis *tom.*1.*disp.*4.*c.*3.*de leg. civil. dub.*26.*n.*254.

8. Alii tandem pro regula recurrunt ad praxim, usum, & consuetudinem, eo quòd præcepta fuerunt recepta ab initio, vel ut obligantia sub mortali; in quibusdam verò sub veniali, & in aliis sub sola pœna, & molestia, prout testatur *Ludov. Miranda part.*2. *Manual. q.*25. *art.*2. *Corduba in regula D. Francisci, cap.* 10. *quæst.*3. *pun.*1. *in primo modo cognoscendi, quomodò præcepta obligent*, & *Tab. verb. lex, q.*28.

Quæst. 31. *Lex pœnalis an obliget in conscientia?*

1. Consueverunt Prælati pœnalem legem ferre, hoc est, multa præcipere sub metu pœnarum, dicentes, *hoc Vobis præcipimus sub pœna carceris, vel exilii*, & similium: possunt hi utique obligare ad culpam & pœnam, & conjunctim, & disjunctim, prout sibi benè visum fuerit.

2. Hinc quærunt *Doctores*, hujusmodi lex pœnalis, in qua nulla fit mentio de culpa; an ex vi, & proprietate verborum, obliget ad culpam mortalem, an venialem, vel ad pœnam tantùm?

Dico, ex vi verborum; quia si constaret de intentione legem ferentis, nulla adesset dubitatio: quia dum sumus in claris, non indigemus conjecturis.

Censeo, his habitis, respondendum esse ad quæsitum affirmativè, hoc est, legem pœnalem obligare in conscientia, vel sub mortali, vel sub veniali, juxtà qualitatem materiæ, prout docent *Sot. lib.*1. *de justit. quæst.*6. *art.* 4. & 5. *Medin.*1.2. *quæst.*96 *art.*4. *Syl. ver. obedientia in fin. Armill. ver. lex. num.*4. *Covarr. in regul. peccatum* 2. *par.* §. 5. *num.*3. *Tolet. in sum. tract. de sept. pecc. mortal. cap.*20. *Sayr. in Clavi Reg.* multis relatis *lib.*3.*c.*9.*nu.*9. & *Graff. conf.*2. *de Regul. diffic.*2.

3. Et hoc ideò, quia regulariter pœna relativè dicitur ad culpam, *D. Thom.*1.2. *quæst.*87.*art.*7. & *quæst.*108 *art.* 8. dum ergò lex pœnalis justè punit, supponit utique culpam, ut dicitur *Deuteronomii* 25. *secundum mensuram delicti, erit plagarum modus.* tum quia lex de sua ratione, est præceptum, ut dixi; præceptum autem de sua ratione formali, habet semper obligare in conscientia, & per additionem pœnæ, non evacuatur; nec lex enervatur, sicut patet in præcepto Divino, & naturali; Deus dixit, *non occides*, & lex humana subjunxit, *sub pœna mortis naturalis*. adjectio hæc, non evacuat legem de non occidendo, ita ut in conscientia non afficiat; quia qui occidit, peccat mortaliter, & reus est mortis.

4. Quod procedit etiam de aliis pœnis spiritualibus; quemadmodùm sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, & irregularitas. hæ namque pœnæ cùm gravissimæ sint, imponi nequeunt sine culpa mortali, *D. Ant.*2.*part. tit.*4.*cap.*2.§.3. *Syl. ver. præceptum quæst.*3. *Sanchez lib.*6. *sum. cap.*4. & *Suar. tom.*5. *de suspensione*, & *interdicto*, sic item pœna degradationis, & depositionis, præsupponit mortale: *Cajet.*2.2.*q.*186. *art.* 9. & *Ledesma* 2. *part.*4.*q.*17 *ar.*2.*dub.*6.

5. Quod extende ad legem recitandi officium, & ejus horas Canonicas, quæ habet adjunctam pœnam restitutionis fructuum, quæ quippè obligat in conscientia, & ad pœnam fructuum, ut constat de beneficiariis. & habetur in *cap. final. de celebrat. Missarum*, ubi lege Ecclesiastica sancitur; ne Sacerdos latinus consecret in pane fermentato, sub pœna privationis officii, quæ profectò obligat ad culpam, & infert pœnam, & hujus generis alia multa.

6. Nec his obstant argumenta *Navarr. in summ. cap.* 23. *num.*55. & aliorum sequentium illum, quos allegat *Duard. in Bull. Can. Dom. can.*5. *quæst.* 12. *nu.* 9. & *Diana* 1. *par. tract.*10. *de leg. resol.*18.19.20. & 21. nam optimè solvuntur à *Suarez* cit. *loc.* & nihil benè concludere ostendunt *Castr. lib.*1. *de leg. pœnali, cap.*5. *docum.*4. & alii plures, quos citat *Sanchez in sum. cap.*4.*n.*65. & *Ledesma* cit. *loc.* quibus, & ipsi subscribunt.

7. Id ipsum procedit, in omni lege humana laicali, quæ præcipit sub pœna mortis, vel mutilationis alicujus membri, item pœna gravis infamiæ, vel flagellationis, pœna triremium, vel perpetui carceris, vel amissionis bonorum, & similium. quia hæ pœnæ sunt gravissimæ, & injustum valdè foret, si eas pro solo veniali, legislator imponeret. ita de communi *Sayr. in Clavi Regia lib.*3.*cap.* 7. *num.*25. *Tolet. in sum. tract. de pecc. mortal. cap.* 20. *dub. ultim.* & *Reginald. lib.*15.*n.*50.

8. Si modò roges, in casu, quòd lex non possit cognosci ex materia, nec ex pœna, neque ex intentione ferentis. quid agendum? clarum est, quòd pro conscientia, tutior pars est eligenda, & contrà conscientiam dubiam, non est operandum, *Tolet.* & *Ledesma* cit. *loc.* quod intellige, dum dubium non fuerit depositum.

9. Si iterum roges, an liceat in dubiis legem interpretari tali modo, ut dubium cesset, & lex desinat obligare sub mortali? & dicas, quòd sic, si potest rectè fieri. quia hæc est tutior pars pro conscientia amplectenda; non enim decet, nec expedit tam rigorosè interpretari leges, & præcepta, ne laqueus multiplex injiciatur animabus nostris; *Armilla ver. præceptum nu. ultim.* & *Suar. lib.*3. *de leg. cap.*15 *num.*8. nam sicut leges in casu, quòd possint rectè intelligi de pœna majori, & minori, debent intelligi de minori, ita ut minus lædant, juxtà *Regul. in* 6. *Regula in pœnis*, & habetur in *l. si Præses, ff. de pœnis*, *Cajet. in summ. ver. præcepti transgressio, verb. pœna præceptorum*, & *Sanchez in summ. lib.*6.*cap.*4.*n.*66.

Ita quandò verba legis cum proprietate verborum possunt applicari, & intelligi, quòd obligent ad veniale, & non ad mortale, debet proculdubio ita fieri; & in dubio, sunt interpretanda in favorem animæ, ut minus obligent, secùs autem multiplicaretur laqueus animarum, quod non debet fieri, ut dictum est.

10. Nec objices, retorquendo argumentum in caput authoris, dicendo, ergò sic à pari; quandò lex est dubia, an obliget saltem sub aliqua culpa veniali, vel ad solam pœnam? favore animarum, etiam dicendum, ad pœnam tantùm obligare, quod est contra jam decisa.

Quia toto Cœlo falleris. nam non datur locus dubio in lege præceptiva. nam lex de sua intrinseca ratione habet esse præceptum, & consequenter præcipere, & imperare, saltem sub veniali, & quod certum, & exploratum extat, in utrum vertere non licet.

Quæst. 32. *An detur aliqua lex purè pœnalis, quæ nihil præcipiat, nec prohibeat, sed ad solam pœnam obliget? & sub qua forma verborum ad hoc, ut possit ab aliis discerni, & separari?*

1. Et quidem dari affirmant *Victoria in relect. de potestate civil. num.* 20. *Joan. de Tabiena in summ. verb. constitutio, Armilla ibidem num.*7. & colligitur ex *C. de feriis l. à nullo.* ubi dicitur, quòd Princeps sæcularis, si præcipiat, festum celebrari propter victoriam, vel ob sui nativitatem filii: à contrafaciente potest exigere pœnam. tamen iste contrafaciens nullam incurreret culpam. & potest

potest ratione probari, nam sicut potest legislator sua lege obligare subditos in utroque foro; prout de facto sæpè obligat, ut patet in excommunicatione majori. ita potest,& eosdem devincire in solo foro conscientiæ,sine adjectione pœnæ,vel quoad pœnam tantùm sine reatu culpæ: omnes namque hi modi præcipiendi sunt utiles Reipublicæ, correspondent justitiæ, & subsunt legislatoris jurisdictioni,potestati, & voluntati, quibus uti potest ad sui libitum,& beneplacitum,pro bono, & rationabili regimine Reipublicæ: effectiva enim causa legis est Princeps, & ejusdem interior intentio, atque voluntas,quæ uti causa formalis,si sit sufficienter expressa, dat legi vim,& efficaciam obligandi,hoc,vel illo modo.unde dicitur,*quod Principi placet legis habet vigorem l.1.ff.de constit.Princip.& D.Thom.in 4.sent.dist.15. quæst.1.art.3.* docet, quòd præcepta juris positivi magis obligant ex intentione legislatoris, quàm ex ipsis verbis.

Ergò si intentio Superioris fuerit,se velle obligare subditos ad culpam, vel ad pœnam tantum, & ita expressit, & planè declaravit. omninò standum est huic declaratæ voluntati: & secùs dicere, est mentiri. quia actus agentium non excedunt intentionem eorundem, & obligatio legis,ut dictum est,intrinsecè pendet ex voluntate,& intentione legem ferentis.

2. Quibus accedit praxis, & stylus multarum Religionum,in quibus Constitutiones,& Regulæ,sine reatu culpæ, ad pœnam præcisè obligant transgressores; & præsertim nostræ Dominicanæ familiæ, in cujus *Prologo Constitutionum text.4.* hæc expresse leguntur.

Vt igitur unitati, & paci totius Ordinis provideamus, volumus,& declaramus,ut Regula nostra,& Constitutiones nostræ non obligent Nos ad culpam,sed ad pœnam: nisi propter præceptum, vel contemptum.

3. Hinc transgressores nostrarum Constitutionum, non obligantur ad culpam, sed tantùm ad pœnam: dummodò sint purè Constitutiones, hoc est, si præceptum annexum non habeant, vel si non circumcernant, vel respiciant id,quod alias lege Divina,naturali, vel humana Ecclesiastica sit prohibitum,vel mandatum,ut *ibidem* dicitur in *textu 6.lit.L.* nam contra jus Divinum,naturale,& Canonicum,nihil possumus statuere, ut docet *D.Tho.2.2.q.186 art.9.in responsione ad* 1. ubi ait, quòd transgressio, vel omissio nostrarum Constitutionum, ex suo genere non obligat ad culpam, nec mortalem, nec venialem,sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam.

4. Nec his obstat,quod in universum docuit *D.Thom* leges intrinsecè obligare ad culpam. *Sot. lib.1. de just. quæst.6.artic.4.& 5.*& præcipuè si sint pœnales, *Medin.1.2.q.96.art.4.dub.3.*

Quia hoc procedit, quandò legislator contrarium non declarat,quia omnis lex, quæ absolutè fertur, hoc est,quæ contrarium non explicat,obligat ad culpam, vel venialem, vel mortalem, ut idem *Sot.* cit. *loc.* dicit *in responsione ad 2.*

5. Nec officit, quòd pœna justè imposita,respiciat,vel referatur ad culpam. quia ex *Regula juris 23.in 6.* pœna sæpè incurritur sine culpa,quamvis non sine causa,prout docet idem *D.Thom.2.2.quæst.108.art.4.ad 2.& ar.9.ad 1.* declarans,quonam modo nostri Fratres obligentur ad culpam, dicit, quia sic obligat status nostræ Religionis, ex intentione,& voluntate legislatoris. & Fratres nostri tali modo Religionem profitentur, ut sint obligati ad pœnam,& non ad culpam,ut dictum est,& sic non omnis pœna respicit culpam; nam & Sancti multa incommoda sine culpa passi sunt.

6. Sed quonam modo, & forma sint isthæc ferenda, diversificant *Doctores*, Tu autem pro regula tene, quòd omnis lex pœnalis absolutè lata,& præcisè sumpta, semper obligat ad culpam, nisi in ea per legislatorem contrarium fuerit expressum, *Sot.* cit. *loc. Medina 1.2.q.96.art.4.dub.4.Syl.in summ.ver. inobedientia in fin. & Sayr. in Clavi Reg. lib.3.cap.9.per tot.* ubi ad partes luculenter plura colligit, & modernè *Aversa in 1.2.q.96.sect.1.ver. verum.*

Quæst.33. Pœna in lege posita cum ista clausula, ipso facto,vel ipso jure incurrenda,an obliget in conscientia,ante Iudicis declarationem?

1. Suppono,quòd pœna, in lege posita, aut est latæ, aut ferendæ sententiæ. sub hac enim duplici forma,solet ferri, & publicari. etenim omnis lex pœnalis, aut minatur pœnas, monetque in futurum esse infligendas; sicque dicitur comminatoria, vel monitoria, aut continuò post culpam patratam,est pœnæ inflictiva, & illativa, sine alio requisito; & sic appellatur latæ sententiæ,vel instantanea corporis afflictiva.

2. Si lex pœnalis sit ferendæ sententiæ, seu comminatoria, quæ pœnas confestim non infligit, sed minatur, ceù sunt istæ indictæ sub tali forma verborum, *prohibemus hoc fieri sub tali pœna.* utputa, excommunicationis, suspensionis, interdicti, exilii, carceris, triremium, & similium. vel si ferantur per verbum de futuro, ut si Prælatus dicat, *qui hoc fecerit, excommunicabitur, condemnabitur ad hoc,vel illud*; vel si dicat, *deponatur, irritetur, condemnetur*,vel *est privandus, puniendus, condemnandus*; & tandem in universum, lex omnis, quoties utitur verbis simplicibus comminantibus pœnam, sine aliqua clausula,particula, vel adverbio, per quod explicetur animus legem ferentis obligandi transgressorem ad pœnam, nullo tempore expectato, non obligat in conscientia ad pœnam luendam,antè Judicis sententiam, cujuscunque generis pœna sit; tum quia talis lex,ex vi suorum verborum, nullum præceptum ponit de exequutione pœnæ: ergò nullus hujus legis violator,ex se spontè tenetur exequi pœnam. secùs esset legem pœnalem extendere ad casus non expressos,quod est contra *regulam, odia.* tum etiam, quia hujusmodi leges latæ sub prædicta forma verborum simplicium, tantùm instruunt Judices circa pœnam, quam in casu patratæ culpæ, transgressoribus debent inferre; argum. *cap.de causis,§.1.de off. Deleg.*

3. Si autem lex sit latæ sententiæ, seu pœnarum protinùs inflictiva, quæ solet exprimi, & declarari per has particulas, *eo ipso,ipso facto,ipso jure, ex nunc pro tunc, ante sententiam,absque alia declaratione*, sic item, & aliæ inferuntur sub hac forma, *beneficium ipso jure vacet in conscientia,*vel *fructus non faciat suos in conscientia,* vel *non reteneat in conscientia,*vel *restituat in conscientia,*vel *restituere teneatur in conscientia.*

4. Item,& aliæ consimiles, & æquipollentes, si contineant hæc adverbia, *omninò,penitus, statim, nulla postposita mora, mox, illicò*; de quibus *Tiraquellus in l. si unquam,ver.revertatur,nu.75.C.de revocand.donat. & Corset.*in suis *singul.ver. penitus.*

Et omnia alia his consimilia, pro securitate conscientiæ, distinctione indiget,& attentione,nam quoad hanc partem quæstio gravissima est.

5. Nihilominùs vera,certa,& infallibilis decisio,pendet ex illa, an legislator vim habeat, & potestatem obligandi transgressorem ad infligendum sibi pœnam in lege expressam,absque alterius ministerio,& Judicis mandato. quandoquidem duplex est modus inferendi pœnam: unus, quo lex reum obligat,ut statim,admissa culpa,de se pœnam subeat, & exerceat absque alterius actione. ut liquet in censuris. Alter verò, quo lex pœnam præfinit, vel proponit ad hoc, ut Judex, juxtà illam puniat transgressores.

6. Igitur semel admisso, quòd Princeps possit primo modo subditum obligare; profectò accedente Principis voluntate,sequitur obligatio;quia à potestate, & voluntate

luntate declarata, pullulat subditorum obligatio.

Quam Ego, omissis aliorum sententiis affirmativè concedo, hoc est, Principem posse subditum primo modo obligare, si voluerit, & expresserit; nec non, & subditum, tali lege in foro conscientiæ, ad pœnam teneri ante sententiam, si talis fuerit legislatoris voluntas sufficienter expressa, dummodo pœna in lege præscripta, sit honesta, moderata, justa, & humanæ conditioni consentanea. secùs autem, si foret crudelis, injusta, vel inhumana aut nimis præjudicativa. quæ quippè conclusio, sic qualificata, procedit, & locum habet in omni pœna legali, tam negativa, privativa, seu merè passiva, quæ nullius actionem exigit, quàm positiva, quæ necessariò actionem postulat, vel ipsius rei, vel alterius, utputà Judicis, vel Ministri. *D.Thom.2.2.quæst.69.art.4. & quæst.33.art.7.ad 4. Victoria in relect. de homicidio, num.28. Suarez lib.5. de leg. cap.5. num. ultim. Sayr. in Clavi Reg. lib.3. cap.9. num.*28. ubi prolixè de re, *Garzias tom.2. de benef. part.11. cap.10. n.19. & Sanchez lib.2. sum. cap.22. nu.7.* & ratione probatur.

7. Nam legislator potest illud totum præcipere, quod est æquum, & bonum, & communitati utile: sed licitum, & justum est, ut qui deliquerit in legem, legis pœnam sustineat in se, & per se immediatè, quandò in foro externo satis probari, & convinci non potest. quoniam interest Reipublicæ, ut delicta isto modo puniantur, quando aliter nequeunt puniri, & hoc tàm pro legum majori custodia, quàm ut mala securiùs coerceantur ab Urbe, & ne plerunque delicta maneant impunita, quod semper ferè occurreret in omni occulto delicto.

8. Confirmatur, nam sicut subditus potest obligari in conscientia, ut se privet multis actionibus, ad quas jus, vel propensionem habet, sine Judicis sententia, ut liquet in privatione beneficii, vel fructuum ejus, irritatione contractuum, & inhabilitatum, ad quas sæpè lex pœnalis obligat ante Judicis sententiam, *Navarr. in sum. c.23. nu.67.*

Ita pariter potest obligari ad exercendam in se aliquam actionem pœnalem moderatam ante Judicis sententiam; quia moraliter loquendo, non est minùs grave, & onerosum homini, liberè se privare aliquibus actionibus, ad quas habet jus, vel propensionem, quàm aliquas actiones exercere, quæ sibi graves, vel pœnales sunt.

Immò est, qui velit potiùs solvere centum, quàm esse privatus jure suffragandi, vel irregularis, aut inhabilis ad matrimonium fieri.

9. Et colligitur primò ex *cap. ultim. de præscript. in 6.* ubi dicitur, quòd quis bifariè potest in pœnam suis bonis privari, utputa, per sententiam, vel ipso jure: ergò illæ particulæ, *ipso jure*, vel *ipso facto*, & consimiles æquivalentes aliquid operantur circà pœnam ante sententiam Judicis; quia verba legis debent semper aliquid operari, secùs forent inutilia, & otiosa.

10. Secundò, constat ex omnibus censuris latæ sententiæ, in quas delinquentes incurrunt sine Judicis declaratione, *Covarr. in epitom.4. decretal. p.2. c.6. §.8. n.10. & Sot. cit. loc.*

11. Tertiò, ex irregularitate, quæ si ipso jure imponatur, in conscientia obligat transgressorem ante Judicis sententiam, ad abstinendum se ab omni usu, & receptione ordinum; quæ quidem irregularitas est pœna, & non censura, prout colligitur ex *cap.1. de verb. signific.* & docet stylus Curiæ Rom. & usus rescriptorum Rom. Pontif.

12. Quartò, ex *Concil. Trident. sess.24. c.18. de reformat.* ubi Examinatores beneficiatorum, simoniam in examine committentes, non possunt ab hac pœna absolvi; nisi dimissis beneficiis: ergò sine Judicis sententia incurritur ista pœna: quia si non tenerentur dimittere, non eis præciperetur, ut non absolvantur; nisi priora dimiserint; sed satis fuisset eis consulere, ut dolerent de peccato commisso: ergò quandiu non dimiserint, semper sunt in peccato perseverantes.

13. Quintò, colligitur ex praxi eorum, qui propter aliquid malè gestum, inciderunt in pœnas privativas vocum activæ, vel passivæ. qui profectò in foro conscientiæ, ante Judicis sententiam, non possunt suffragari, seu eligere, nec eligi respectivè; prout communiter *Doctores.*

14. Sextò, ex *Concilio Lateranensi sub Leone X. & motu Pii V.* ubi Clerici beneficiarii, non recitantes Divinum officium, pro rata non faciunt fructus suos; quam partem fructuum, in conscientia tenentur restituere, absque alia sententia Judicis.

15. Septimò, ex usu, & praxi Religiosorum non paucorum, in quorum Regulis apponuntur quædam pœnæ, quæ in positiva actione consistunt, & exercentur immediatè ante Judicis sententiam; prout est levis flagellatio sui ipsius, jejunare, & quid simile; & quidem in Regula Dominicanæ familiæ, *distin.1. cap.12. de silentio*, habetur pœna taxata contra frangentes silentium in calce *textus 2. &c.* quam pœnam taxatam, ultrò nostri Religiosi in se suscipiunt, & exercent; nam in qualibet feria sexta, sedent in terra liberè; & in capitulo de culpis, practicant disciplinam; quia tenentur sub reatu culpæ, subire pœnam taxatam, nam pœnæ taxatæ, & appositæ in nostra Regula, etsi sint pœnæ, tamen consequntivè possunt dici culpæ; quia si transgressor pœnam taxatam non subeat, culpam non evadet; prout doctè notat noster *Festus in summar. de nostrarum Constit. Obligat. cap.5. vers. ex declarat.* & constat ex eo, quia omnis lex pœnalis, etiam si sit purè, obligat in conscientia.

16. Et colligitur ex forma absolvendi subditos in magnis festivitatibus, & capitulis, ubi inter cætera Prælatus absolvit ab omni transgressione Regulæ, & præcipuè ab omni pœnitentia, oblata, vel neglecta; & maximè à pœna, quæ debetur propter fractionem silentii inter duo capitula, cujus pœnæ exequutio; nisi deberetur in conscientia, talem absolutionem non exigeret.

17. Idipsum extende ad moderatam pœnam solutionis pecuniæ, vel exilii, vel quid simile, in ordine ad laicos; qui ex se ipsis, & sine ulla indecentia, & famæ periculo, possunt sine tanto incommodo, pecuniam solvere, & sub aliquo honesto prætextu, de loco ad locum se movere, etenim hoc totum stat infrà terminos justitiæ, & æquitatis, ita post multos *Merolla tom.2. disput.4. cap.5. de lege pœnal. & Lorca 1. 2. q. 96. disp.24. & Vasquez ibid. disp.168. q.2. & ibidem Adversa sect.3.*

Secùs autem, dixi, si legis pœna sit crudelis, intolerabilis, vel inhumana; quia hoc excedit potestatem legumlatorum, *Soc. cit. loc.* contra *Castrum lib.2. de leg. pœnali, & lib.2. de justa hæret. punit.*

18. Et colligitur ex *Isidor. lib.5. ethymolog. cap.21. & D. Thom.1.2. quæst.96. art.2.* ubi docent, quòd unum de essentialiter requisitis ad legem ferendam, est ut lex sit tolerabilis, & usui humano accommodata, aliàs lex, non erit lex, sed Principis violentia; abhorret autem natura, ut quis in re gravi, propriæ vitæ, vel famæ, aut bonis fortunæ præjudicativa, sit sui ipsius accusator, testis, & Judex, & propriæ pœnæ exequutor. hæc enim petunt officium Judicis, qui sit tertia persona. etenim dictum est, quòd vis coactiva legis in re notabili, non potest esse ad se ipsum. hinc conclusimus alibi, Principem, quoad vim legis coactivam, suis legibus non teneri.

19. Quibus addo, quòd nullus ferè est suæ famæ, aut vitæ Dominus; insuper, & qui suam famam, vel vitam negligit, vel dilapidat, crudelis est, aut bruto deterior. Quamobrem nemo tenetur propriam detegere turpitudinem, *l.2. §. Divus, ff. de jur. fisci, c. si peccaverit, 2. q.1. cap. volo 12. q.1. Pax in prax. tom.1. de confess. nu.10.*

20. Nec potest humana lege adstringi, ut sua gra-

public



publicè detegat delicta.secùs si levia; *D.Thom.2.2.quæst.33.art.7.ad 4.* quem sequitur expresse *Suarez tom. 4. de pœnitent.disp. 21.sect.2.num.6.& Salas de leg.disput.9.sect.3.dub.4.*

21. Insuper se ipsum diffamans, inemptumque efficiens ad obtinendum officium, vel administrandum, vel bonum aliud temporale, ob quod damnificantur personæ tertiæ, quibus ejus opera, erat necessaria, peccat mortaliter contra charitatem, *Navarr. lib.2.de restit.cap. 4. num. 18.* hoc enim est contra jus naturæ, contra quod non potest fieri statutum, *Sot.lib.4.de justit. Toletus lib.4. cap.21.num.9.& Rodr.tom.1.q.6.ar.17.& tom.2.q.18.ar.3. & 1.p.sum.cap.195.conclus.2.& Portel.in dubiis, ver. lex. num.6.*

22. Hinc est, ut nullus possit hac lege devinciri, ut de se abstineat à potu, & cibo usque ad mortem; ita ut fame pereat; etiam si lex sit latissimæ sententiæ, & sub quavis forma prolata, & consistens in pœna privativa, & negativa, ceu est, carentia, vel abstinentia cibi, & potus. quia uti nimis acerba, & crudelis, & contra jus naturæ, haud poterit in conscientia obligare. *D.Thom.in d.quæst.69. art. 4. Victoria cit.loc.de homicid.num.28.& Layman.lib.1.tract.4.c.15.nu.9.*

Immò, nec per sententiam Judicis, ad id potest adstringi, cit. DD. unde ad mortem à Judice damnatus, ut fame pereat, vel ut se interimat, non tenetur obedire in agendo, sed patiendo.

12. Perinde in foro conscientiæ, cibum clam sibi porrectum, poterit acceptare; item, & bonis artibus procurare, & fugam petere, & è carcere exire, si poterit. judicio non obstante. ita *D.Thom.*cit. *loc.ad 2.* & lepidè *ibidem Cajetan.& Bannes.& Armilla ver. accusatio, num. 21. & Navarr.com.4.de regul.num. 64.* nemo enim tenetur facere id, unde mors ipsa sequatur. quia, ut idem *D. Thom.* docet, non sumere cibum ex tali casu, vel stare in loco carceris, esset se ipsum occidere. nam quamvis homo non diceretur tunc causa physica suæ mortis. diceretur tamen causa moralis, ex quo unusquisque, nedum ex obligatione charitatis, verùm etiam ex debito justitiæ, tenetur defendere, & conservare, tam vitam propriam, quàm proximi, si commodè fieri; potest etenim homo est custos propriæ vitæ, cujus dominium sibi Deus, uti Dominus, reservavit; & ut dictæ vitæ depositarius, tenetur ex officio justitiæ, illam custodire, & à contrariis defendere.

Secùs faciens committit contra justitiam, & charitatem, *Cajet. ubi suprà.*

Quæst.34. Statuta Religiosorum, quibus cavetur, ut qui tale fecerit, ipso facto, sit suis officiis privatus, aut inhabilis ad cætera consequenda, an obligent in conscientia, ita ut de facto ante Judicis sententiam, teneatur transgrediens, se subtrahere ab officio, & futura respuere?

1. DOminicani ab hoc quæsito absolvuntur, & consimiles, quorum statuta non obligant ad culpam. nam in *Prologo Constitutionum* eorundem, hæc habentur, *sextu 4.pœnis tamen absolutionis ab officio, privationis vocis activæ, vel passivæ, gravioris culpæ, & aliis majoribus (quantumcunque tam in Constitutionibus, quàm extra, ipso facto sint incurrenda) nisi sit pœna excommunicationis latæ sententiæ, nullus sit subjectus, nisi superveniat declaratio Prælati in particulari respectu lujus, qu intumcunque etiam notorium facti, vel juris, ac t utriusque interveniat,* ut *ibi* melius est videre, in *fol.6. col. 1.*

2. Quò verò ad reliquos, dico, secundùm probabiliorem opinionem (deductis censuris) in foro conscientiæ, ante Judicis sententiam, non obligare, per ea, quæ dixi hic suprà immediatè, & docet *Covarr. 4. decretal. 2. par. cap.6.§.9.num.10.ver.tertiò dicitur. Graff.dec. Aur. par.1. lib.2.cap.11.num.41.* & multò minus obligare quoad forum fori, affirmat *Rodr.tom.1.q.6.ar.17.& 1.p.sum. c.195. n. 3. & Portell.in dub.ver.lex.n.6.*

Quia hujusmodi cessiones, & abstinentiæ, non possunt fieri sine maximo interesse, aut periculo famæ, quam naturali jure tenemur custodire; & jus naturæ præponderat juri humano, & positivo, ut dictum est hic immediatè suprà.

3. Quod ampliatur, insuper, & habere locum in alia extrema opinione, quæ, etsi teneat, pœnas privativas deberi ante Judicis sententiam. fatetur tamen de communi sententia *Doctorum*, quòd quando delictum est occultum, propter quod pœna est imposita cum clausula *ipso facto.* Reus in conscientia non tenetur statim pœnam exequi, utputa, cedere officio, vel renunciare beneficio cum periculo famæ, vel jactura bonorum, ante Judicis sententiam, sed occultis mediis dispensationem petere, ita *Reginald.lib.13.num.295. Petr. Cened.quæst.canon. 29. num.2.& Bonac.tom.2.de leg.in gen.disput.1.q.1.pun.7.§.2. utrum lex pœnalis, nu. 10.*

4. Inhabilis autem factus, ob occultum delictum, alia officia de novo nullatenus debet acceptare, si hoc fieri potest sub aliquo honesto prætextu, absque dispendio famæ. aliàs secùs. quia jus ad propriam famam conservandam, præfertur legi humanæ, nec hominum statuta, cum tam gravi damno, videntur obligare.

Quæst.35. Lex humana, an obliget subditos ad sui observantiam cum periculo vitæ?

1. EXploratissimi juris est, legem positivam in casibus ordinariis, de sui natura, & per se haud posse obligare cum periculo vitæ, famæ, aut bonorum magnæ jacturæ; secùs autem per accidens, *D.Thom.* communiter receptus *2.2.quæst.104.art.5.* ubi ait, non teneri quempiam obedire præceptis in iis rebus, quæ spectant ad corporis substentationem, cui subscribit *Syl.in sum. ver. metus,q.7. Victor.relect.de temper.num.6. Sot.lib.1.de just.q.6. art.4. Barthol. Medin.1.2.q.96.ar.4.ver.graviss.dub.* quos & exteri sequuntur.

Et horum fundamentum esse potest, quia unum de essentialiter requisitis ad legem humanam, est, ut lex sit possibilis, practicabilis, & humano usui accommodata, ut dictum est suprà; & habetur in *Decret.distin.4. can.erit autem lex*, ubi dicitur, legem debere esse possibilem secundùm naturam. id est, considerata fragilitate, & conditione humanæ naturæ, quod etiam ipsemet Deus modo suo observat, non enim præcipit omnibus, virginitatem servare. quia hoc non est possibile secundum naturam. hic item lex Canonica, non præcipit omnibus diebus festis communicare; quia non potest dignè fieri secundùm conditionem naturæ; & sic de aliis.

2. Quò fit, ut si lex sit de re difficillima, vel valdè gravi, & onerosa, se se evertat, & desinat esse lex, prout colligitur ex *cap.consilium.de observatione jejunii, ver.cùm non subjaceat legi necessitas, & regul.6.in 6.* ubi dicitur, quòd nemo potest ad impossibile obligari; sed quod est valdè difficile, moraliter censetur impossibile.

3. Confirmatur assumptum ex *l. benignius, ff. de legib.* ubi dicitur, quòd benignius leges interpretandæ sunt: sic adeò, ut per prudentiam humanam, sive per Epikeiam, existimandum sit, legumlatores, suis legibus, non voluisse, nec habuisse voluntatem obligandi subditos in dictis casibus ordinariis, & ferè quotidianis, cum tanto periculo; nam, ut diximus, humanæ leges debent ea præcipere, quæ moraliter, & facilè factibilia sunt, non autem ea ardua, & dura, quæ aut repugnant naturæ, aut excedunt humanum usum.

4. In-

4. Insuper, & plus dico, quòd legislator non habet potestatem ferendi talem legem in subditos; quia homo non est Dominus vitæ, & famæ alterius hominis, ut infrà dico *p.3. tract. de dominio in genere.*

5. Item, ut suprà dixi, jus naturæ præponderat legi humanæ: servare autem vitam, vel famam est de jure naturæ. ergò non potest quis cogi, jure humano, ad prodigendam vitam, & famam.

6. Dixi, secùs autem per accidens: quia humanæ leges in aliquo casu, quo imminet periculum, possunt sibi subditos ad sui observantiam obligare cum periculo, ac dispendio vitæ. *Sot. lib. 1. de just. q. 6. ar. 4. & in 4. senten. dist. 22. q. 1. ar. 4.* quia sicut pro conservatione totius individui, unusquisque nostrum, naturali instinctu, omni periculo, partem exponit, & offert, prout singuli faciunt, cùm in terram cadunt, vel cum inimicis degladiantur; & ceù Medici partem secant, & abscindunt pro conservatione totius corporis: ita possunt à pari, immò debent, & tenentur Superiores, cùm imminet periculum pro custodia, & tutela Reipublicæ, quosdam exponere vitæ periculo, quia corpus politicum, ceù est Civitas, vel Regnum, ad modum corporis naturalis debet gubernari, & subditi tenentur obedire cum vitæ periculo, insuper, & ipsissimam vitam fundere, pro securitate Reipublicæ. quia homo non solùm quantum ad ea, quæ possidet; verùm etiam, quantum ad se ipsum, est Reipublicæ. quia est pars quædam ipsius. ergò potest Respublica, & qui illius curam gerit, ipsum exponere mortis periculo, pro tuendo, & conservando communi bono; & in tali casu Respublica, ejusque Gubernator utitur jure suo, quia vitæ civium est Dominus, & Patronus, per ea, quæ dico in *cap. de dominio in genere*, & docet. *Medin. ubi suprà.*

7. Proindè Princeps in bello, justè præcipit militi, ut sub pœna capitis, locum suum observet; quia præsentaneum est Reipublicæ periculum, & miles debet mori pro tutione assignati sibi loci. nam in tali casu, Princeps potest disponere de illius vita, pro communi bono; & ipse subditus tenetur obedire, ut dictum est.

8. Sic item Episcopus, tempore pestis, potest Parochos, ad infirmis, peste affectis, sacramenta administrandum, evidentissimo mortis periculo, exponere. quia sicut Princeps positus est à Deo pro tutela, & custodia hominum vitæ, & fortunarum.

Ita, & Episcopus pro hominum fidelium vita spirituali, & publico bono sacramentorum: vita, enim spiritualis magis refert; quàm vita corporalis; & bonum animæ prævalet bono corporis, & magis referunt sacramenta, quàm bona fortunarum; sunt enim superioris ordinis, & Parochus tenetur obedire, nedum ex charitate, sed etiam ex debito justitiæ; & potest cogi, quia ad hoc se obligavit, & propter hoc beneficium habet, & suo tenetur muneri satisfacere.

Secùs esset mercennarius, non autem Pastor, & Prælatus. Pastor enim pro cura ovium sibi commissarum, tenetur usque ad effusionem sanguinis inclusivè; *quandoquidem bonus Pastor, dat animam suam pro ovibus suis, Joan. cap. 10.*

9. Regula tandem sit tibi universalis, quòd in quocunque casu, quo agitur de majori bono consequendo, vel damno evitando, quàm sit vita alicujus privati hominis, semper licitum erit Principi, & Superiori edere præceptum, legemque ferre, obligantem subditum, ad sui observantiam, cum quocunque dispendio; quia bonum commune, præfertur particulari, & subditus tenetur obedire, aliter daretur justum bellum ex utraque parte, & plus refert, & prodest Reipublicæ bonum publicum, & commune, quàm bonum privatum, & particulare.

Quæst 36. Decreta Gratiani Monachi Benedictini, an habeant vim legis Ecclesiasticæ, qua causæ Clericorum deciduntur?

1. Præsuppono, quòd ea, quæ continentur in *libro Decretorum Gratiani*, sunt in quadruplici differentia: quæ omninò debent resolvi, & reduci in eorundem propriam originem, & causam effectivam, ad hoc, ut appareat, si vim legis habeant super Clericos, quemadmodum, & sacri canones, & consimiles extravagantes, & Constitutiones Apostolicæ.

Et primò continentur in dicto *libro* quædam propositiones ipsiusmet *Gratiani*, ejusque discipuli, *Palea* nomine, etenim *Gratianus* multa de suo adjecit, tam proponendo, quàm in examinando aliorum placita.

Palea verò ejus discipulus, in eisdem edidit Commentaria, scholia, nec non, & rubricas, quæ hac nota in fronte notantur. *Palea*, in signum, quòd discipulus fecit.

2. Et proculdubio, isthæc omnia *Gratiani, & Paleæ*, ex defectu authoritatis, & jurisdictionis, legis vigorem haud possunt habere, quandoquidem ad legem ferendam, est magis necessaria potestas, quàm scientia, & bonitas, prout expressè habetur in *c. de libellis dist. 20.* & docent communiter DD.

3. *Gratianus* autem fuit persona privata, sicut, *& Palea*, Religiosus ordinis Sancti Benedicti: licèt fuerit acris ingenii, & in sacra Theologia Magister, *D. Anton.* Archiepiscopus Florentinus *in 3. part. Chron. seu Histor. in tit. 17. cap. 6.*

4. Secundò in dicto *libro* inseruntur multæ sententiæ, & authoritates Imperatorum secularium, & Juris Consultorum, nec non aliæ multæ leges civiles, & laicales, quæ pariter ex defectu authoritatis, Clericos non afficiunt, nec tangunt jus Canonicum.

5. Nec obstat, quòd per *Gratianum* sint insertæ, & leguntur in prædictis decretis, nam in ordine ad Clericos, sunt merè laicales, & reputantur, ac si insertæ non fuissent, nisi fortè ab aliquo Pontifice fuerint approbatæ; *Panormit. in proæm. Decretal. in verb. Rex Pacificus, & c. 2. de rescriptis, ibique Jo. Andr. Decius in cap. ne innitaris, de constit. Rodr. tom. 1. quæst. 6 art. 2. & Miranda* in suo *Manuali Prælat. to. 2. quæst. 26. de jur. Canon art. 3. & 4. concl. 1.*

6. Sunt, & tertiò in eod. *libro* multæ propositiones, & sententiæ Sanctorum Patrum, quæ pro decisione multorum afferuntur, quæ (si veræ sint) magnam authoritatem habent in utroque foro, ex usu, & diuturna approbatione Ecclesiæ; & à Viris dictis allegantur pro decisione causarum, *Abbas, & Felin. in d. c. 1. de rescript. & c. de libellis, dist. 20.*

7. Dixi, si veræ sint; quia *Gratianus* multa tribuit *Sanctis Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino*, quæ sunt aliorum, & interdum hæreticorum; quod multis allatis exemplis, practicè ostendit *Cardinal. Bellarmin. descriptor. Ecclesiast. in Gratiano*, multa itidem congessit ex suspectis Authoribus, & alia multa, quæ docet, esse Summorum Pontificum, vel Conciliorum Generalium, deprompta, sunt, non à proprio originali, & fonte, sed ex compilatione *Ivonis*, & aliorum, prout docent *Doctores* ex restitutione facta sub Gregorio XIII. anno Domini 1580. quibus annuit *Paulus Layman lib. 1. summ. tract. 4. cap. 6. § 3. num. 11. & 12.*

Quamobrem in multis contemnitur *Gratiani* labor, *Suarez lib. 4. de legib. cap. 5. n. 6. & Joan. Major in 4. sentent. distin. 27. quæst. 6.* propè *fin. & Camsius in summ. juris Canon. lib. 1. tit. 2. in fin.*

8. Et tandem recensitus labor multa retinet, quæ à diversis Romanis Pontificibus sancita sunt, vel approbata, prout ea, quæ in Conciliis Generalibus, vel particularibus sunt decisa, & postmodùm laudata à Domino Papa, quippè quæ vim legis habent, & omnes Clericos ad observan-

servantiam obligant, prout, & alia, quæ à Romano Pontifice approbantur.

9. Unde *Leo IV.* ad Episcopos Britanniæ, explicans, quam vim canones haberent ad decisionem causarum; retulit, *Canones Pontificios, & Conciliorum Generalium,* iisque nihil statuentibus, dixit, Sanctorum dicta, magnanimiter esse retinenda, ut benè liquet in *dict. cap. de libellis, distin.* 20. vide de hoc præcitatos *Authores*, & *Syl. in summ. ver. Ecclesia* 1. §. 2. *& ver. Papa*, *& ver. lex*, q.13. *Castr. lib.* 1. *contra hæreses, cap.* 7. *& Merolla tom.* 2. *disp.* 4. *de leg. dub.* 11. *n.* 166.

Quæst. 37. Responsa, & Decreta Romanorum Pontificum, seu sententiæ adhibita in aliqua causa seculari, an habeant vim legis ad decidendum consimiles subditorum causas?

1. Affirmativè dic, & habetur in *cap.* 1. *distin.* 19. quod est *Nicolai I. in epist. ad Episcopos Galliæ, & Leon. I. epist.* 1. *in fin.*

Quod procedit in omnibus Epistolis Domini Papæ, etiam si forent extra jus Canonicum vagantes; nam satis est, quòd ipse habeat potestatem ferendi leges, hoc modo; & extenditur ad omnes sententias ejusdem, etiam latas in causa particulari, prout plenè habetur in *c. in causis, de re jud.* ubi dicitur, quòd in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare.

2. Et de facto jus Canonicum coalescit magna ex parte ex sententiis, & decretis latis per Dominum Papam in particularibus causis, ut constat ex illis.

Et hoc totum procedit de jure communi, ut colligitur ex *l. ultim. C. de legib.* ubi clarè dicitur, sententiam inter partes, cum cognitione latam ab Imperatore in una causa, constituere legem universalem in omnibus similibus causis servandam.

3. Id ipsum habetur in *l.* 1. *ff. de constitut. Princip.* ubi inter modos ferendi leges, unus est, quando Imperator cognoscens, decrevit, supple, definitivè, & docet *Glos. ibidem.*

4. Sed hoc magis urget in Papa, cujus authoritas major est, quàm Regia, nam ille immediatè à Deo recepit jurisdictionem, & potestatem in Ecclesia Christi, hic autem à Populo: & sic sententiæ, & decreta, seu decisiones Sacri Regii Consilii hujus Regni Neapolitani, habent vim legis universalis; & hoc non alia ratione; nisi quia emanant nomine Regis, *Afflict. decis.* 190. *&* 383. *Præses de Franchis decis.* 238. *Rovit. cons.* 18. *volum.* 1. *Thesaur. decis.* 2. *num.* 1. *Surd. decis.* 91. *nu.* 4. *& Menoch. cons.* 676. *volum.* 7.

Ergò à fortiori, & ea, quæ à Papa fiunt, & ejus nomine publicantur, ut dictum est suprà, habent vim legis.

5. Quod amplia ad omnem sententiam Principis, latam etiam in casu dubii, vel in declarationem suæ prætcritæ legis; nam interpretatio facta à Principe, ejusdem est potestatis, sicut, & ipsa legis constitutio.

6. Quæ omnia limita; dummodo sententiæ prædictæ, & responsa præfata, sint lata cum tali voluntate, & potestate stabiliendi jus in subditos, pro fælici gubernio eorundem. *Suar. lib.* 3. *de legib. cap.* 15. *num.* 16. *Sanchez in sum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 29. *& Meroll. tom.* 2. *disp.* 4. *de leg. c.* 3. *dub.* 14. *n.* 138.

Quæst. 38. Declarationes, & Responsiones Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium, an habeant vim legis?

Habes infrà *tract.* 7. *de interpretatione privil. quæst.* 4.

Quæst. 39. Responsa, & Epistolæ Reverendiss. Patrum Generalium Ordinum, an habeant, vim legis?

1. Supposita in eis authoritate, & voluntate ferendi leges, & quòd hujusmodi epistolæ responsivæ, non sint contra jus Canonicum, nec contra jus naturale, & Divinum; quia contra hæc non possunt statuere; & si statuant, statuta non valebunt, ut sæpè dico.

Censeo, vim legis habere in ordine ad subditos; prout contingit in rescriptis, & sententiis, quæ fiunt circà materiam, circà quam nulla est lex Superioris, ut putà Papæ, vel Sac. Congregat. & similium.

2. Nam sicut Papa potest statuere pro tota universali Ecclesia, quia est Episcopus totius Orbis, ita à pari, Episcopus potest proportionabiliter statuere pro sua Ecclesia sibi commissa, & P. Generalis pro suo ordine; quia quod potest Episcopus in sua Diœcesi, ita & P. Generalis in suo ordine, & quod possunt Magistratus pro eorum subditis, poterint, & fortiùs Officiales Ordinum, præsertim si sint perpetui, & non annales.

3. Quod etiam procedit, si hujusmodi responsa fiant in interpretationem propriæ legis, quia, ut dixi, qui habet potestatem condendi leges, habet etiam, & potestatem interpretandi illas.

4. Dixi, supposita voluntate; quia de essentia legis, est potestas, voluntas, & promulgatio, adjunctis aliis circumstantiis, de quibus dictum est suprà cum *S. Thom.* 1. 2. *q.* 90. *ar.* 4. *& Navarr. c.* 23. *sum. n.* 44.

TRACTATUS SECUNDUS

DE NATURA PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. Quid sit, & unde dicatur privilegium?

1. Privilegia sunt leges privatorum, & dicuntur quasi privatæ leges; ita *Isidor. lib.* 5. *ethymol. cap.* 18. *& S. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 1. *ad* 1. & habetur in *decret. distin.* 3. *cap.* 3. Hinc *Cic. de legib. lib.* 3. *majores nostri in privatos homines, leges ferre noluerunt*; idest recusarunt privilegium concedere.

2. Privilegium inde dicitur, quòd in privato feratur; privati quidem dicuntur, omnes exempti à jure communi, sive sit collegium, sive specialis persona. 7. *q.* 1. *petiisti.*

3. Privilegium est privatum, seu singulare jus, contrà commune indultum; ut patet de decimis per Regulares non solvendis, & Quarta funerali.

4. Diciturque lex privata, eò quòd privatam legem, singulis generet; illos scilicet eximendo à jure communi.

5. Quod adeò verum est, ut nec esset privilegium; nisi aliquid indulgeret speciale, ita probatur in *c. in his, quæ ad cultum* 30. *de priv.* & est commune apud omnes in *l. fin. C. de in offic. testam. l. divus, ff. de usu, & habuas. & cap. Abbate de verbor. signif.*

6. Quapropter si aliquid contingat concedi, quod sit præter

præter jus commune, vel sine alicujus præjudicio, non privilegium; sed propriè beneficium debet nuncupari. *Panorm.in cap.olim,nu.7.de verb.signif.* & noster *Sylvest.* cum nostratibus *Summistis ver. privil.*

7. Sæpè sæpiùs, nomine privilegii largè sumpti, venit indultum, gratia, favor, indulgentia, bulla, rescriptum, beneficium, licentia, & similia.

8. Nec obstat, si quod est de jure communi, contingat in privilegium concedi: nam repetita concessio; nedum non nocet, verùm aliquid de novo operatur. Utputa majorem timorem incutit, vel juris communis ambiguitates tollit, aut majorem claritatem affert: quæ enim generaliter dicuntur, neglecta videntur, nisi in specie dicantur, & quod specialiter cavetur, magis timeri consuevit, *l.item apud.§.prætor ff.de injur.* & *Hostiens.in sum.lib.5.de privil, §.quid sit.Navarr. in manual.cap.12.num.79. Rodriquez qq.regul.tom.1.quæst.7.art.1.*& noster *Joann.Lacrux lib.2. de stat.Relig.cap.de natur.privil.*

Quæst.2. An Partis instantia sit de ratione privilegii?

1. Respondeo negativè, ex quo tam privilegium, quàm dispositio pendet ex sola Principis voluntate; nulloque jure cavetur, privilegium factum sine privilegiarii consensu, esse irritum, & inane: secùs autem, non daretur locus privilegiis datis, per modum legis, & constitutionis, nec aliis concessis motu proprio, & Principis mera liberalitate, ita *Panor.in c.innotuit,de elect.n.10.* & *Navarr.lib.1.de rescript.cons.23.*

Quæst.3 An scriptura sit de substantia privilegii?

1. Nec scriptura, nec bullatio quoad forum animæ est de essentia privilegii, prout habetur in *c.institutionis 25.q.2.* ubi *D.Greg.Papa* dicit, *sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita, glos.ibid.* & *clem.dudum,de sepultur.c.sibi, de rescript.in 6. Innoc.in cap.constitutus,de rescriptis,*& sequitur *Syl. in sum. ver privileg.quæst.14.Salas de legibus disputat.17.sect.2. num.20.*

2. Et ideò, quia sicut carta testamenti, non est testamentum: ita scriptura privilegii non est privilegium: & sicut lex potest oretenus promulgari, & acceptari; sic pariter, & privilegium; & cùm id sit lex privata: nulloque jure cavetur, scripturam esse necessariam ad legem, & privilegium ferendum.

3. Immò sæpiùs, & excellentiùs extat, legem ore tantùm ferre; quàm scripto tradere, prout Christus Dominus sapientissimè fecit, & *D.Thom.* declarat *3.p.q.43. art.4.*

4. In foro namque conscientiæ, sola veritas attenditur, quæ consistit in adæquatione rei ad intellectum: ac proinde est satis quoad conscientiam, quòd ex parte rei, Princeps suum declarat animum verbo tantùm, vel scripto: nulla interest, sive dicat *placet*, sive *fiat ut petitur*; parùm refert.

5. Item Roman.Pont.Religiosis viris, oretenùs tantùm multa solet concedere; quod testantur tot oracula vivæ vocis, quibus ipsi, & in secreto utuntur, nec vult Papa, literas fieri, ne cæteri Prælati, seu Religiosi insurgant; ut cùm alicui Religioso Sacerdoti, dignetur facultatem facere ad absolvendum à reservatis Episcopo: hoc autem ore, & non scripto dignatur concedere: quia si innotescerent Episcopis, utique reclamarent; ita observavit Eugenius Papa; prout notat *Felin.in cons.6.nu.4.* & *in c.1. de constit.* quod etiam observavit S.Pontifex Urbanus VIII. qui die 19.Aprilis 1624. Privilegia nobis concessa, vivæ vocis oraculo, revalidavit, & confirmavit; prout refert *Laur. Portell.tom.2.resp.ons.cas.42.p.3.in fin.*

6. Hinc collige, indulgentias, per Dominum Papam concessas Missæ Sanctissimi Rosarii, quæ ita notoriè per tot tempora sunt proclamatæ, & obtestatæ; etiam in fine missalis Romani notatæ: quamvis eorum privilegium, in scriptis non appareret; validas esse: quia gratia Principis dicitur perfecta ex solo verbo *fiat*; vel *placet*: dicat Papa, & sufficit: quod per plura probat *Bald.in l.fin.in princ.C.de comm.ser.man.* & *Afflict.decision.253.* & *ibi Ursill.* & *Ricc. coll.240.* ubi examinat, quibus in casibus sit necessaria scriptura.

7. Verùmtamen quoad forum externum, est omninò necessaria scriptura, quod est de mente omnium Curialium, & Juristarum, & ita de stylo tam Regiæ, quàm Romanæ Curiæ, probat *Luc.de Penn.in l.unicuique C.de prox. sacr.scrin.*& in Regno adest *Pragmatica*, quam refert *Ursill. in addit.ad dec.*suprad.*Affl.*

Et habetur in *Extravag. Jul. II.* quæ incipit *Romani Pontificis.*

8. Quapropter hodiè non creditur memoriali expedito per verbum, *fiat*; sed requiritur registratio in Cancellaria: unde beneficia à Papa obtenta, ante expeditionem literarum, non tutè possidentur; qui quippè ita possidet, ante expeditionem literarum; censetur intrusus, & violentus possessor, nec facit fructus suos, nec illi prodest Regula Cancellariæ, de annali, biennali, vel triennali possessione: ita latè *Ludov.Gomez quæst. 14. in regula de non judicando juxta formam supplicationis,*& sequitur *Suarez lib. 8.de leg.cap.11.Sanchez de matrim.lib.8.disput.29.* & *Bonac. de leg.tom.2.disp.1.q.1.pun.4.n.49.*

9. Hinc collige, quòd si Papa solo verbo, aliquem pronunciet Episcopum; licèt ille sic pronunciatus sit statim Episcopus; verùm non debet pro Prælato recipi, nec tractari, quin suam gratiam probet per scripturas Apostolicas, ita *Navarr.in lib.consil.de Privil.cons.1.* & *in cap. accepta,de restitut.spoliat.opposit.8.num.30.* quem multis citatis sequitur *Rodriquez tom.1.quæst.regul.quæst.7.art.5.* & *Graff.1.p.decis.Aur.lib.1.c.13.n.51.* & habetur clarè ex *Regul.Cancell.51.*

Quæst.4. Sine data diei, mensis, & anni, & loci, & temporis, an valeat privilegium?

1. Pro *Doctorum* concordia, hac in parte distinctione utor: aut loquimur de legibus, & privilegiis antiquis, in juris corpore clausis; & sic data minimè indigent; prout habetur expresè in *prima Constitutione Codicis, ver.etsi quæ earum*; ubi dicitur, quòd *leges,* & *constitutiones sine die,* & *consule, valent:* & docet *Glo.ibid.* & *in l. si qua,C.de diver.rescrip.* & *ibi DD.*

2. Et hoc ideò, quia leges antiquæ, & in unum legum volumine collectæ, erant ita notæ, practicatæ, ac divulgatæ, ut in nulla earum parte, nullavè occasione redderentur suspectæ: & perinde data haud indigebant.

3. Quod etiam procedit de legibus, & statutis Universitatum; quæ quidem cùm fuerint diutiùs observata, nota, & practicata, quamvis data careant, & manu Notarii non sint munita: propter eorum notorietatem, omni dubio postposito, creduntur, & acceptantur, ita *Bart.in tract. de repræs.in ver.data,* & *Alexand.in rubr.ff.de novi oper.nunc.* & *Glos.in fin.tit.de regul.jur.in 6.* & *extravag. execrabilis ver.datum Avinione.de præben.Duard.in Comment. Bullæ Cœnæ lib.1.cap.4.quæst.9.de data bullæ,nu.4.*

4. Et quod dicitur de legibus, & constitutionibus, extende ad privilegia: hæc enim cùm sint leges privatorum; æqua lance liberantur; ita probatur in *cap.privil.distin. 3.* & *ibi* omnes communiter DD.

Si autem loquamur de legibus, privilegiis, & statutis, quæ de novo emanant; sine data non valent; ita habetur in *d.l.si qua,C.de diversis rescrip.* ubi dicitur, privilegia, quæ in corpore juris non continentur, invalida esse sine data, & consule.

5. Et adde, quòd dum per præfatam *primam Constitutionem Codicis* dicebatur, *leges debere inseri in Codice sine die, & consule*, signum est, quòd priùs edebantur, adjecto die, & consule; & postmodum in legum volumine redigebantur sine data: ergò antiquissima, & continuata consuetudine consueverunt, privilegia, & leges expediri cum data.

6. Et hæc justa solemnitas saltem ratione consuetudinis efficitur de substantia, & omissa contractum reddet nullum; ut dicit *Felin. in cap.1. de fide instrument. & Bernard. Pandus* Gravinensis *in declaratione tertia, nu.*11. cum aliis, quos refert *Joann. Paul. Galterius* Altimontanus, nimis mihi familiaris in *pract. instrument. in part.* 1. *in rub.*2. *num.*2. & post multos sequitur *Joann. Vincent. in addit. Bullæ Cœnæ super Comment. Duardi* cit. *loc.* & in parte placet *Bonacina tom.*3. *de censur. in Bulla Cœnæ disp.*1. *pun.*3. *in unic. propos. diffic.*3. *n.*5.

7. Item tempus datæ etiam in gratiosis debet maximè attendi, ex *cap. cùm te, & cap. constituto, de rescript.* & refert pluries decisum *Aloys. Ricc. coll.*476.

Ac proinde ex data plures solvuntur quæstiones de Doctorum præcedentia, & loco dignitatum; uti est illa de duobus Marchionibus, quorum unus, licet posterius fuerit creatus: tamen priùs habuit literas exequutoriales, & fuit dictum, quòd debet attendi locus datæ, ita *Vinc. de Franchis in dec.*62. quæ incipit *Illustr. Marchio Orioli.*

Et multa alia sine data, essent confusa, & minimè possent judicari: de qua materia vide *Affl. dec.* 1. & 253. & *Vinc. de Franch. in dec.*326. & 509.

8. Si roges, an hæc locum habeant in privilegiis, & Constitutionibus Papalibus? dicas quòd si Dominus Papa expresè præcipiat, datam non esse attendendam, aut omissam nihil officere, vel quòd privilegia sine data emanent, in tali casu ea, quæ diximus non procedunt, ita *Anton. Fab. de fin.*3. *C. de precibus Imper. offer.* quia Dominus Papa, cùm sit omnium Princeps, *cap. cuncta per Mundum* 9. *quæst.*3. nec suis ligatur, nec alienis legibus vincitur. Quia Princeps Superiorem non recognoscens, est legibus solutus, *l. Princeps ff. de legibus.*

9. Verùm cùm non constat de Papæ voluntate, & jus Canonicum tacet. Standum est juri Cæsareo, ut dicitur in *c.*1. *de nov. oper. nunciat. & ibi DD.*

10. Et quemadmodum leges non dedignantur sacros canones imitari; sic etiam sacrorum canonum statuta constitutionibus Principum adjuvantur: quod in tali casu fateri, non est Papam, sed subditos ligare, ita *Panormit. & Felin.* in prædictis *capitulis*, & alii plures in *cap.*2. *de constitut.*

Quæst. 5. An promulgatio sit de ratione privilegii?

1. Respondeo, quòd privilegium debet omninò innotescere, & sufficienter publicari, secùs autem non valet. Quia cùm privilegium sit lex, legemque intrinsecè claudat in diffinitione sui; debet necessariò ad modum legis regulari; quæ cùm sit regula humanorum operationum, debet prorsùs promulgari; regula autem, nisi actualiter applicetur ad mensurandum, est inutilis, & vana; ita *D. Thom.* ejusque Discipuli in *part.* 2. *quæst.* 90. *art.*4. & est vera conclusio in utroque jure; nam in *decret. distin.*4. *cap. in illis*, tunc leges instituuntur, cùm publicantur, & in *c.*1. *de concess. prabend. in* 6. dicitur, quòd lex, & mandatum, nullos adstringit, nisi postquam ad notitiam pervenerint; aut post tempus, infrà quod ignorare minimè debuissent.

Et *extrà de postulat. Prælat. cap. ad hæc, & in c. cognoscentes, de constit.* & etiam in *l. leges, C. de leg.* idem dicitur, & habetur.

2. Hinc *Panorm. in cap. olim de ver. signific. num.* 7. & *Navarr. de spol. Monac. cons.*3. ajunt, cùm privilegium concedit aliquid contrà jus commune; ut videtur significare nomen privilegii; quòd lex etiam, id munus habeat? & sic fit, ut lex sit contrà legem; quia definitio, & definitum sunt idem; & sicut homo non potest subterfugere essentialia animalis; ita nec privilegium, ea, quæ sunt legis, quorum unum est promulgatio.

Quæst. 6. An acceptatio sit de substantia privilegii?

1. Respondeo, privilegium nullam habere vim, nec effectum sortiri, antequam acceptetur ab eo, cui conceditur; aut ab ipsius privilegiarii nuncio, vel procuratore, qui vices ejus gerat; quia si privilegium non acquiritur absenti; multò fortiùs ignoranti, ex *l. qui absenti, ff. de acquir. possess.* ubi dicitur, *libertatem non acquiri per rescriptum manumissionis, donec servus sciat, & acceptet*, idem dicitur de legitimatione in *authen. quibus modis nat. effic. l.* §. *illud autem*: idem de concessione beneficii *cap.* 1. *de concessione prebendæ in* 6. *ver. ex parte*; ubi expresè dicitur, privilegium prodesse à tempore scientiæ habitæ, & beneficium non confertur invito; nec aliquid sine nostra voluntate possumus acceptare; quæ quidem voluntas, semper necessariò fertur in præcognitum; quamobrem cùm incognita, nec diligere; ita nec acceptare valemus quibus accedit, quòd cùm privilegium sit quædam donatio, ut communiter *Doctores* docent, in *cap.*1. *de concess. præbend.* hæc autem non acquiritur absenti, ante acceptationem ipsius donatarii, vel saltem alterius, qui possit pro eo stipulari, donatio autem ut sit valida, efficax, & irrevocabilis, oportet, ut sit nota ipsi donatario; nam perfectio contractus donationis, consistit in unione voluntatum, *l.*1. §. *de pact.* absentium verò voluntates non conjunguntur, nisi voluntas unius, alteri per propriam vocem, aut saltem per epistolam, vel per nuncium ab eo missum, intimetur, quod patet ad sensum, & docet *glos. in d. l.*1. *in fin. & Covarr. lib.*3. *variar. resolut. cap.*16. *num.*3. *Capyc. dec.* 180. *Jul. Clar. in* §. *donatio, quæst.*12. *ver. scias, Rot. Roman.* apud *Puteum in noviss. dec.*169. & *in antiq. dec.*175.

2. Est ergò prorsùs, & omninò necessaria, acceptata notitia, per se, vel per alium ad hoc specialiter deputatum. Verùm privilegii acceptatio, etiam tacitè facta, valet, hoc est cùm privilegium notificatur ipsi privilegiario, sufficit, quòd ipsemet expresè non contradicat, nihilvè opponat contra illud; quia in favorabilibus tacens, consentire censetur. *glos. in cap. is tacet, de regul. jur. in* 6. *Panormitan. in cap. nonnè de præsumpt. nu.*1. *Covarr. pract. quæst. cap.*15. *n.*5. *Menoch. de præsumpt. lib.*3. *præsum.*42.

3. Nam donatio pariter absenti facta, ut sit, & fiat valida, & irrevocabilis, satis est habere tacitam acceptionem donatarii, ut si absens, cùm sciverit, non contradicat; ita docent *Doctores*, qui suprà.

Quæst. 7. An acceptatio privilegii facta per nuncium, ad id specialiter deputatum; ita sufficiat, ut propria, & personalis ipsius privilegiarii non sit ampliùs necessaria?

1. Negant quidam; quia privilegiatus utens privilegio; sine prævia illius notitia, & exponit periculo transgrediendi legem; & consequenter peccandi: nec est verosimile, Principem velle dare occasionem peccandi, aut velle concedere, ut privilegium haberet effectum, ante notitiam illius; cui fit concessio: si enim quis utatur privilegio absolvendi à casibus reservatis, antequàm notitiam habeat concessi privilegii; exponit

ponit se periculo faciendi irritum sacramentum pœnitentiæ; ac proinde peccat mortaliter: item si quis antequam habeat notitiam suæ exemptionis à jurisdictione Ordinarii, non pareat illi, vel illius censuras contemnat, graviter peccat.

2. Attamen, his non obstantibus, rectiùs, & probabilius censeo, ad consequendum effectus, & fructus omnium privilegiorum, ipsius privilegiarii acceptationem sufficere; aut saltem ejus nuncii, vel procuratoris, ad hoc spiritualiter destinati; ita tenet noster *Sylvest. in sum. ver. privil. quæst. ultim. Lopez tom. 2. quæst. 41. art. 6. Rosella in summ. ver. indulgentia, num. 8. & ibidem Tabien. quæst.* 10. cum aliis nostratibus, quos citat. *Rodr. tom. 1. quæst. regul. quæst. 7. art. 6. & P. Merolla tom. 3. de privileg. disput. 6. cap. 6. de effectibus, num.* 113. §. *limitatio tertia, num.* 117.

3. Et ratio esse potest; quia sicut donatio est firma, & vera per solam procuratoris accceptationem, ad id specialiter destinati; ita, & privilegium; est enim, ut diximus, gratiosa donatio. Item sicut epistola est sermo absentis ad absentem; ita supplicatio, seu petitio illius, in literis contenta per nuncium, vel per procuratorem Principi exhibita; nomine ipsius privilegiarii, est petitio insimul, & acceptatio, per epistolam, sive per procuratorem expressa, & declarata, ergò ex vi supplicationis ita porrectæ, consensus, & acceptatio ipsius privilegiandi præit, & antecedit; & sub conditione præcurrit, si Princeps concedat, hoc erit mihi in privilegium: ex quo ergò ambæ voluntates, petentis scilicet, & concedentis, sunt simul unitæ, quid aliud desideratur? acceptatio illa post concessionem facta, sive per nuncium, sive per procuratorem, sive per propriam personam fiat; est potiùs supererogata ad majorem cautelam, vel ratificatio præstiti, ac prævii consensus, aut gratiarum actio.

4. Et tandem, matrimonium celebratum per specialem procuratorem, habito consensu, seu utriusque personæ, scilicet procuratoris, & fœminæ, coram Parocho declarata voluntate, nonne est validum, & verum matrimonium, absque alio superaddito, & novo consensu illi us viri, qui ad hoc faciendum specialem destinaverat procuratorem? consensus ergò præstitus per mediam destinatam personam, satis est ad validandum, stabiliendumve contractum. Quia nuncius, & procurator vices gerunt mittentis, & quod per alios facimus, nos facere videmur.

5. Hinc collige; valida esse gesta facta per privilegiarium post privilegium concessum, & acceptatum per nuncium, seu procuratorem; ut suprà: etiam si ipsemet privilegiatus concessionem sui privilegii minimè cognoverit: & hoc ideò; quia privilegium ut suprà acceptatum, erat jam validum, & requisitum.

6. Hinc etiam fit, ut stante excommunicatione per loci Ordinarium lata in eos, qui carnibus utuntur in Quadragesima; si Plato post expeditam sibi dispensationem à Domino Papa, per sui nuncium impetratam, de posse vesci carnibus in Quadragesima, si ante sui notitiam, de privilegio concesso, carnes comedat; non ideò erit excommunicatus; sed tantùm culpabilis ob periculum, cui se exponit.

7. Nec obstat, quòd ille actus, seu usus privilegii ante personalem acceptationem, sit malus: nam si re vera, & ex parte rei dispensatio erat concessa ad partis instantiam absentis, & ut suprà petentis: per se illa operatio non est mala; quia de facto, & ex parte rei non est contrà legem; sed est mala per accidens: hoc est ratione periculi, cui se exponit ex ignorantia provenientis, seu Princeps violans legem, quam ipse tulit in publicam, & communem utilitatem, peccat; non ex eo capite, quod suam transgrediatur legem, sed ex alio capite, ex eo scilicet, quòd dicit, & non facit, & quod non se uniformat, nec correspondet Reipublicæ, cujus est pars, nam naturali lege totum debet correspondere partibus suis, & caput suo corpori, ita in nostro casu, qui peccat, non peccat ratione violatæ legis Episcopalis, sed ratione violatæ legis naturalis, quia naturali lege inducimur cavere pericula, qui enim amat periculum, peribit in illo, & hoc benè nota.

8. Insuper, & alia multa reperiuntur privilegia, quæ privilegiatorum notitiam minimè præstolantur, ut illa nobilitatis Ducatus, Marchionatus, & similium, administratione carentium: hæc quippè etiam ex motu proprio Principis dantur, & dari solent pueris, & infantibus, usu rationis, & libertate carentibus, de quibus latè *Vinc. de Franch. dec. 62. Mar. Frecc. lib. 2. de feud. q. 29. num. 3. & Car. Tap. in l. fin. 1. p. c. 4. n. 30. ff. de constit. Princ.*

9. Item privilegia militiæ, & legitimationis, quæ etiam dantur pueris, & absentibus, & ignorantibus, sic etiam procedit privilegium in præstatione Regii assensus in alienatione feudi, qui semel præstitus, & imperatus, prodest, etiam si partes ignorent, quod etiam currit de privilegio ad absolvendum excommunicatum, quod etiam potest invito conferri, prout docet *D. Thom. in 4. sent. dist. 18. q. ult. art. 5.* quæ quidem limitationes, & fallentiæ sunt dignæ notatu.

10. Si roges, an privilegium Papale, quo Petrus suffultus per sui loci Ordinarium excommunicari non potest, ad hoc ut suum sortiatur effectum, ipsius Domini Ordinarii, de cujus præjudicio agitur, notitiam postulet: an verò præfata sufficiat notitia Petri?

Dicas, quòd quoad forum externum, requiritur scientia ipsius Ordinarii, cui exemptionis privilegium debet constare, & hoc habetur expresè in *cap. si duobus, de appellat.* ubi *glos.* colligit, quòd quilibet vocatus in judicium, debet ire, & allegare privilegium suum, aliàs tenet sententia excommunicationis, pro contumacia lata contra ipsum, quod etiam habetur in *c. persona, de privil. in 6.* & sequitur *Bero. in c. 2. de const. & Riccard. in 4. sent. dist. 18. q. 5. art. 5.*

11. Secùs autem in foro animæ, & habetur expresè in *cap. 1. de concess. præben. lib. 6.* ubi privilegium alicui concessum, ut à suo Episcopo excommunicari non possit, dicitur habere effectum, etiam ignorante Episcopo; quia excommunicatio ab illo ignorante, ut suprà, valida non est: intellige quoad forum animæ; ita *Dec. in c. 2. de const. in 1. lect. Tapia in l. ult. ff. de const. Princ. p. 1. c. 4. nu. 23. Menoch. lib. 2. de arbitr. cent. 2. cas.* 185.

Quæst. 8. Privilegium pro sui validitate, an debeat reponi, aut reperiri in corpore juris?

1. Resolutivè dico, omnes literas Apostolicas, etsi in corpore juris minimè sint; eandem omninò prorsus vim habere, ac si clausæ essent in corpore juris: & est decisio Papæ Nicolai in *dist. 19. cap. si Romanorum Pontificum decreta*, quod etiam ratione probatur: nam cùm Papa aliorum opusculis authoritatem præstet; multò fortiùs, & suis: tum etiam, quia scripturæ S. Gregorii, & aliorum multorum decessorum Pontificum, & novum, & vetus testamentum in corpore canonum non inveniuntur; & tamen recipiuntur, venerantur que & habent vim integræ authoritatis, item Decretales Epistolæ, & Bullæ Domini Papæ sunt recipiendæ, & observandæ; etsi in Codice Canonum haud reperiantur; & contrarium fateri, sicut temerarium, punitur: de qua re in *Decretis, loco,* quo suprà, abunde scripsit *Gratianus.*

Quæst. 9. Privilegium vi, & metu à Principe extortum, an sit validum?

1. Valere, censeo, si post vim, vel metum tacitè, vel expressè contingat confirmari; si secùs, oportet distinguere: aut sumus in privilegio concernente liberales gratias, & favores, qui intrinsecè pendent à liberalitate Principis, & sic ipso jure, ipsoque facto redditur nullum, prout post multos docet *Basilius Ponz. de matrim. lib. 4. c. 6. n. 4.* quia libera potestas Principis, liberalem justificat actionem, & versa vice violentia, contaminat liberalem contractum.

2. Proinde qui injustè aliquid extorquet per vim, & metum à donante, tenetur etiam in foro conscientiæ ad restitutionem; quia stante vi, & metu, non transfertur possessio, nec dominium, sed censetur furtum, & rapina; prout docent communiter DD. fit enim injuria utrique juri; nempè naturali, & civili.

3. Secùs autem dicendum, de privilegio concesso intuitu meritorum, ob causam compensationis, vel ob pretium solutum; nam hujus generis privilegia proficiscuntur, non à liberalitate; sed à justitia Principis; quandoquidem justitia commutativa, ac distributiva, sæpè cogit nolentes, & afficit metuentes; prout post multos benè notat *P. Ant. Diana in 3. p. resol. moral. tract. 5. miscell. resol. 118. in fin.*

Quæst. 10. Privilegium acquiritur ne, consuetudine immemorabili, & præscripta?

1. Et dico, quòd sic; quia sicut consuetudo refert legem; sic item, & privilegium: quia privilegium est lex privatorum; prout diximus, & probat *D. Thom. in 3. sent. dist. 23. & in 1. 2. q. 97. ar. 3.* & *ibi Medin. & Bannes de justitia, & jure.*

2. Nam privilegium æque pendet à Principis voluntate, cujus animus non magis verbo, quàm facto declaratur: id etenim unusquisque elicere videtur, quod opere complet.

3. Et confirmatur; nam consuetudine, & præscriptione acquiritur jurisdictio, *cap. duo, de offic. ordin. cap. cùm contingat, de foro competenti.* Item consuetudine acquiri potest jus exigendi tributa, *cap. super quibusdam, §. prætereà, ver. non extat, de verb. signif.* ergò potent pariter acquiri privilegium, seu jus ad aliud agendum, & habetur in *l. hoc jure, §. ductus aquæ, ff. de aqu. quotidian. & æstiv.* ubi dicitur, quod consuetudo immemorabilis habet vim constituti, & privilegii, & quòd per illam probatur præsumptivè quilibet titulus allegatus pro illa.

4. Quapropter qui allegaret, aliquid sibi competere ex privilegio Papæ, ad quod probandum literas Apostolicas non haberet, probando consuetudinem immemorabilem, probat titulum, & privilegium à se allegatum; quoniam præscriptio (ut diximus) habet vim legis, & legitimi tituli, & privilegii, & constituti, nec exposcit bonam fidem, sed ex tanto temporis cursu, præsumitur: ita ut adversùs eam non detur restitutio in integrum; ita omnes *Legistæ*, & præcisè *Afflict. decis. 254. De Ponte decis. Collat. num. 8. Peregrin. de jure fisci lib. 6. tit. 8. num. 5. Navarr. lib. 3. de regular. cons. 15. num. 4. & cons. 3. de censib. Ricc. collect. 778.*

5. Consuetudo etenim immemorabilis, cujus initii hominum memoria non extat, est quasi possessio, ex certa scientia Principis: & quasi quoddam ipsius solemne privilegium, prout in præcit. *loc.*

6. Verumtamen præfata consuetudo ex *D. Thom.* ad hoc ut vim legis possit habere, debet esse multis modis qualificata, & primò, ut sit rationabilis, id est à ratione procedens, & quòd protendat in bonum finem, ita ut non sit, nec contrà lumen naturæ, nec adversùs legem Divinam: aliàs esset injusta, & vitiosa corruptela.

7. Secundò, ut sit legitimè præscripta, id est obtenta, continuata, & practicata per cursum temporis, à lege præfixum, & determinatum, ut in *cap. cùm quanto, de consuetud. & cap. ultim. de constit. in 6. & in can. consuetudo, distin. 12.* & *ibi* omnes *Canonistæ, & Legistæ in l. de quibus, ff. de legibus,* ubi clarè exprimitur tempus (quicquid alii dicant) necessarium consuetudini, quam solemnizat, ad hoc, ut possit legem ferre, vel abrogare: dicitur enim præscripta consuetudo in ordine ad aliquod certum, & legitimum tempus, pro quo durare debet, ut præscripta dicantur, quod patet ex vi vocabuli, tum etiam ex appellatione longevæ consuetudinis in *C. quæ sit longa consuetudo, l. 2. & l. diuturna, ff. de legib.* & ex *rubrica, C. de præscript. long. temp.* quibus in *locis* habes, tempus infrà decennium appellari longum tempus, & vicennium longavissimum.

8. Tu autem breviter, & fundatè dicas, que consuetudo alicujus communitatis ad hoc, ut præscribat præter, vel contrà jus civile, sufficit, ut sit practicata, & continuata per decennium; ut præscribat contrà jus canonicum, dicas requiri tempus quadraginta annorum, *c. de quarta, & c. ad aures, de præscrip.* ut autem præscribat contrà Regulares, requiritur, juxtà eorum privilegia, spatium sexaginta annorum: ut præscribat contrà ea, quæ sunt reservata Domino Papæ, requiritur consuetudo plusquam centenaria, & immemorabilis, & habetur in *auth. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles. & cap. super quibusdam, §. prætereà, de verbor. signific.* ita noster *D. Anton. loco,* quo suprà, *Tabiena ver. consuetudo, & Sylv. ibi, quæst. 4.* quos paucis mutatis, sequuntur novissimi *Doctores,* quos consultò omitto, causa brevitatis.

9. Si roges, privilegium, ut suprà, acquisitum, est ne verum, & proprium; an fictum, & præsumptum? Respondeo, quòd parum refert, sive sit verum, sive fictum, & simulatum; sufficit enim, quòd æquipolleat, & quòd in quibusdam sit verum, & non simulatum privilegium; nam generalis consuetudo obligatus in conscientia ad aliquid faciendum, non constituit præsumptam, vel fictam legem, sed veram. Item dominium præscriptione acquisitum, non est dominium fictum fictione juris, sed verum. Item jurisdictio, quam dat consuetudo, est vera jurisdictio, ergò privilegium consuetudine comparatum, est verum privilegium; *Rodr. quæst. regul. tom. 1. q. 7. art. 3. & Mirand. in Manual. Pral. to. 2. q. 41. art. 5.*

Quæst. 11. Privilegium consuetudine introductum; an sit fortius eo, quod est ab homine concessum?

1. Omissis hinc inde opinionibus; respondeo, privilegium ab homine esse majus, & fortius extensivè; secùs autem intensive; quia est majoris ambitus, & ad plura se extendit, ad quæ non potest consuetudo, quomodocunque præscripta; quoniam sæpè sæpiùs privilegium jurisdictionem donat, & personæ incapacitatem aufert; quæ quidem consuetudo, etiam si sit immemorabilis, præstare minimè potest; prout in multis practicari videmus.

2. Nam illegitimi, & consimiles, ex illicito coitu producti, ad Prælaturas habilitantur, & ad jura hæreditaria legitimantur, non præscripta consuetudine; sed Principis beneficio.

3. Item

3. Item laicus nulla consuetudine, quovis modo longæva, & antiquata; sed Papæ privilegio poterit Ecclesiaca beneficia conferre, decimas exigere, & Episcoporum pensiones obtinere.

4. Item simplex Sacerdos, nulla consuetudine, quantumvis præscripta, & centenaria; sed Papali tantùm privilegio, potest Sacramentum confirmationis administrare, & minores ordines conferre; quia contra hæc non datur præscriptio; nec invalescit consuetudo.

5. Cæterùm privilegium, à consuetudine introductum, est fortius, & præpotentius intensivè quia in effectibus, quos habet, & infert, ad modum qualitatis habitat & radicatur; in illis enim fortiùs figit pedem, & præpotentius radicatur, quapropter consuetudine acquisitum, difficilius tollitur: hinc faciliùs perditur privilegium Principis, quàm mutetur jus consuetudinis, & Princeps faciliùs potest privilegium revocare; quàm consuetudinem abrogare; ac proinde privilegia consuetudine acquisita, generali privilegiorum revocatione, non censentur revocata; nisi in specie revocentur, magna quippè est vis consuetudinis, *Curt. in tract. feud. 2. p. q. 3. Girond. de privileg. num. 905. Lamber. de jur. patron. lib. 2. quæst. 5. art. 1.* cum aliis multis, quos ipse citat.

Quæst. 12. An privilegium possit dici lex?

1. Affirmativè respondeo; si privilegium sit perpetuum, & concessum alicui Communitati, intuitu alicujus communis boni, *Isid. lib. 5. ethymol. c. 19.* cui privilegio privatæ personæ renunciare non possunt; ut dicitur in *cap. si diligenti, de foro compet. & l. jus publicum, ff. de pactis*, quale est illud fori concessum Clericis, cui nullus clericus potest renunciare; quia extat concessum intuitu Ordinis; non respectu privatæ personæ: & hoc privilegium propriissimè dicitur lex: non solùm respectu aliorum, quibus præcipitur, ut tale privilegium Clerico observent; sed etiam respectu ipsius Clerici, cui præcipitur, ut illo utatur.

2. Secùs autem dicitur, si privilegium reperiatur concessum intuitu privati commodi ipsarum personarum; prout colligitur ex *regul. quod ob gratiam. de regul. jur. in 6.* Hoc enim privilegium respectu illius personæ, cui conceditur, non potest dici lex; quia in ordine ad privilegiarium non continet præceptum quod est de ratione legis, neque obligat illum; cum possit ei renunciare.

3. At verò respectu aliorum, qui tale privilegium tenentur observare, veram habet rationem legis; quia obligat, illas observari facere, & præcipit; ita *Suar. lib. 1. de legib. cap. 14. n. 8. & Meroll. in Theol. moral. tom. 2. disp. 6. cap. 6. num. 2.*

Quæst. 13. Regulares, an teneantur pro validitate gratiarum exhibere originalia; an verò satis sit ostendere transumpta?

1. Quamvis (ut diximus) scriptura non sit de essentia legis, nec privilegii, prout communiter docent *Doctores in rubrica de constitut.* quia solo verbo, Superioris præceptum, non solùm privatæ personæ; sed etiam communitati, voce saltem Præconis, potest sufficienter intimari, & publicari; ita ut remaneat in hominum memoriis, ut postmodum per traditionem ad posteros transferatur.

2. Verùm regulariter, & ordinariè non sit lex, nec privilegium sine scriptura; nam ex quo ad futuram rei memoriam, tam privilegia, quàm leges debent conservari, & esse stabiles: oportet, ut signis permanentibus ferantur: nihil etenim inter hominum inventa stabilius literis.

3. Cùm etiam sæpè cogamur expendere propria, & illorum formalia verba, quod neque benè moraliter potest fieri sine scriptura: hinc *D. Thom. 2. 2. quæst. 57. art. 1. ad 2.* dicit, jus, si in scriptum redigatur, vocari legem, quæ (teste *Philosopho*) est communis Civitatis consensus, qui scriptis præcipit, quomodo unumquodque agendum sit; & *Isid.* dixit *lib. 5. ethym. cap. 5.* legem esse constitutionem scriptam, & propter hoc differre à consuetudine; & latè sequitur noster *Turrecremat. in can. lex, dist. 1. art. 2.* est ergò nobis opus scriptura, ad probandum in foro fori, gratiam Principis.

4. Cæterum, quia difficile foret, originales literas, seu prothocolla ad singula quæque loca deferri. Authoritate Apostolica Regularibus indultum est, quòd literarum Apostolicarum copiæ, vel transumpta manu publici Notarii, & alicujus Prælati Ecclesiastici, aut illius Curiæ, vel demum alicujus Prælatorum Ordinum Generalis Magistri sigillo munita, ubique locorum, tam in judicio, quàm extrà, plenè, & perfectè probent, & eadem prorsùs fides, copiis, & transumptis sic munitis adhibeatur in judicio, & extrà, in omnibus, & per omnia prout eisdem originalibus adhiberetur, & præstaretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

5. *Leo Papa X.* die 22. Novembris 1513. Pontificatus sui anno primo, multa concessit P. F. Thomæ de Vio Cajetano, nostri Ordinis Prædicatorum, tunc Generali Magistro, & communicavit Ordini, privilegia omnium Ordinum Mendicantium, motu proprio, & ex certa scientia, & suffragari voluit omnia concessa, & in posterum concedenda, & pro validitate concessorum, & concedendorum adjecit hæc formalia verba.

Mandantes proprio motu, scientia, liberalitate, authoritate prædictis universis, & singulis Christi fidelibus, cujuscunque gradus, conditionis, dignitatis, præeminentiæque fuerint ut dum indulgentiarum, prærogativarum, favorum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, privilegiorum, & indultorum prædictorum Fratrum, & Ordinum, aut originales literæ, aut transumpta authentica ex illis pro, & in favorem Ecclesiarum, domorum fratrum, & utriusque sexus personarum Ordinis Prædicatorum adducta, vel exhibita fuerint, eadem illis fides indubia, tam in judicio, quàm extra, & aliis locis ubicunque opus fuerit, habeatur, ac si pro, & in favorem dicti Ordinis Prædicatorum à Sede Apostol. dimanassent, ac eidem immediatè concessa, & indulta fuissent, non obstantibus, &c. ita habetur in *Privilegiis* nostri Ordinis, jussu Reverendissimi Patris Generalis Fr. Stephani Usumaris Genuensis collectis *fol.* mihi 175.

6. Idem *Leo* anno Domini 1518. sui Pontificatus anno 6. die 21. Junii alia consimili constitutione amplissimam fecit concessionem Ordini nostro cum magnis non obstantiis, & cum clausula validitatis, & quòd credatur transumpto, sigillo Ordinis munito, ita in prædictis nostris *Privilegiis* cõcessis à *Leone fol.* 187. *constit.* quæ incipit, *Cùm inter cæteros operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabbaot.*

7. Idem *Leo* statuit, & concessit Fratribus Minoribus, ut transumptis quarumlibet literarum Apostolicarum manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà adhibeatur, quæ ipsis literis originalibus adhiberetur, si originaliter exhibitæ, vel ostensæ forent, non obstantibus, &c. cujus originale habetur in *lib.* præfati *Ordinis Minorum* in Italico scripto impresso Venetiis in *fine 2. partis*, quod testatur *Cæsarubios in* Compen-

Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, ver. Privilegium, num. 31. & *Sorbo* Capucinus *ibidem*, quod etiam in specie nobis concessit *Clemens VIII.* & *Paulus V.* qui anno Domini 1605. confirmavit ample, & latè nostra Privilegia.

8. Idem *Leo* statuit, & concessit, quòd in quibuscunque causis per Fratres Minores, vel contrà eos in Romana Curia, vel extra eam, pro tempore motis, ad quarum prosequutionem, & defensionem aliqua clausula, vel clausulis ex contentis in literis Apostol. *Mare magnum* nuncupatis, & aliis, quibus in posterum forsitan concedendis indiguerint, hujusmodi Fratres; mandata, citationes, & inhibitiones, quæ earum vigore fieri contigerit, etiam illarum non inserto tenore, sed solùm effectu clausulæ deputationis, seu concessionis, & jurisdictionis hujusmodi una cum clausula rei, super qua agitur ex ipsis literis originalibus, aut earum transumpto authentico de mandato Judicis, coram quo fuerint productæ, per Notarium publicum fideliter extractis; perinde eos, quos concernent, arctent, & processus, earum vigore, pro tempore habiti valeant, & eo prætextu, quòd non inserto tenore delegationis facti fuerint, de innalitate impugnari nequeant: dummodò in primo actu coram ipso mandante, vel citante, antequam ad ulteriora procedatur, ipsæ literæ originales, aut earum transumptum authenticum exhibeantur.

9. Quòdque solùm clausulæ hujusmodi extractæ (ut præfertur) & non totus ipsarum literarum tenor, apud acta registrentur, & quòd ipsi Judices, etiam Delegati Apostolici juxtà clausulæ, vel clausularum, sic coram eis pro tempore productarum continentiam, & tenorem, judicare, & diffinire habeant, ac si ipsæ literæ originales, seu earum transumptum authenticum, productæ, & registratæ forent; ita in *lib. Ord. Minorum* Italico, impresso Venetiis, *in fine 2. partis*, & refert *Casarubios*, & *Sorbo* Capuccinus *in Compend. Privil. Fratrum Minorum, ver. privil. Frat. n.* 30. & *Rodr. tom.* 1. *qq. regul. q.* 9. *art.* 16.

10. Id ipsum statuit, & voluit *Urbanus VIII.* in confirmatione privilegiorum, & gratiarum Congregationis Joannis Dei sub regula Sancti Augustini degentis una cum elargitione, & communicatione quantumcunque prærogativarum, ut patet in sua *Constitutione*, quæ incipit *Sacrosanctum Apostolatus officium*, edita anno Domini 1624. prout habetur in *Bull. Cherub. tom.* 4. *constit.* 18. *f.* 254.

11. Quod etiam ferè omnibus, & singulis Regularibus convenit, non solùm, ob privilegiorum extensionem, & communicationem; verùm ex speciali indulto; quod est valdè pro foro judiciali notandum.

Quæst. 14. *An transumptum privilegiorum Mendicantium fieri debeat, parte citata?*

1. QUamvis de jure communi transumpta, & exemplificationes originalium literarum, debeant fieri parte citata; saltem per edictum, de cujus præjudicio agitur; prout *Covarr.* docet *lib. pract. qq. c.* 2. *ver. Legista*, & *Panorm. in c. ex parte*, & *c. olim il primo de privil.*

2. Tamen in Regularibus, hoc fallit; & ob concessiones tot Pontificum ad transumptandum, exemplandum, & copiandum, Regulares privilegiato jure, non teneri citare partem; nec procurare, citationes fieri per edictum; sed satis est, quòd originalium literarum transumpta, & copiæ sint subscriptæ manu alicujus publici Notarii, & munitæ sigillo alicujus personæ Ecclesiasticæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sine alia solemnitate; quia sic factæ æquivalent literis originalibus, & operantur totum illud, quod originales, & propriæ literæ operarentur; si essent exhibitæ, vel ostensæ.

3. Quod etiam intellige de copiis, & de particulis, seu de aliquibus clausulis in originalibus contentis, ut suprà factis, quia ad hoc, ut copia, seu transumptum fidem faciat, parum refert, quòd contineat integrum, & totalem tenorem privilegii, vel aliquam illius particulam; sed sufficit habere insimul illa duo, utputa subscriptionem publici Notarii, & sigillum, seu obtestationem personæ Ecclesiasticæ, in dignitate constitutæ, aut Patris Generalis Ordinis.

4. Si rogas; an Bullæ typis datæ, & impressæ conjunctim sive disjunctim plenè probent, tam in judicio, quàm extra? Dicas affirmativè; & hoc non solùm ob tot prædictorum Pontificum concessiones, quorum verba nobis, & mandata, sunt leges; verùm etiam propter alia multa, & primò, ex quo concurrunt in earum impressione ea omnia, quæ *Sacr. Concil. Tridentin.* pro librorum impressione decrevit.

5. Secundò, collectiones privilegiorum Apostolicorum imprimuntur in typographia Rever. Cameræ Apostolicæ, & sic prodeunt ex propria officina.

Vel sit compilatio, & collectio gratiarum, facultatum, & privilegiorum cum testimoniali authentico, & fideli; quòd facultates, & gratiæ, & privilegia, sint ex Archetypis, aut ex authenticis transumptis :• sic nostra privilegia in unum collecta, & typis data, jussu, & impensis Reverendissimi nostri Generalis Fratris Stephani Ussumaris Genuensis; ex testimonio, & approbatione Reverendæ Cameræ Apostolicæ testantur; sic etiam prodierunt privilegia, & nostri Ordinis, & Minorum, & aliorum, collecta per Admodum Reverend. Patrem Fratrem Emanuelem Rodriquez; & tandem ex lectura tot Doctorum, & cum silentio per tot tempora sine scrupulo admissa; omni prorsùs suspicione carent; quapropter Regularibus omnibus satis erit in vim probationis, libros Ordinum ostendere; & ad plus non teneri.

Quæst. 15. *An privilegia Mendicantium derogent consuetudini immemorabili?*

1. SI privilegia sint nobis concessa cum expressa revocatione contrariæ, & immemorabilis consuetudinis, utique prævalent privilegia, & consuetudo immemorabilis in tali casu censetur revocata, *Covarr. lib.* 3. *variar. resolut. cap.* 13. *num.* 5. & *Rota Romana coram Rever. D. Orano Palestinæ jurisdictionis* 25. *Maii* 1565. de qua *Garz. de benef. p.* 3. *c.* 2. *num.* 190. si aliàs secùs; quia generalis revocatio non satis est ad derogandum consuetudini immemorabili, prout docet *Rum. cons.* 13. *lib.* 2. Consuetudo enim immemorabilis habet vim tituli, & privilegii, *cap. super quibusdam*, §. *præterea, de verbor. signific.* & *Felin. in cap. accedentes, col.* 5. *vers. tertius casus, de præscript.* quod nos suprà diximus multis citatis.

2. Proindè, non obstantibus Mendicantium privilegiis, fuit decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, quendam Capelanum Casalis Resinæ, ob immemorabilem consuetudinem potuisse, & posse sumere Viaticum, oleumque Sanctum de conventu, & Ecclesia Fratrum Minorum, ad illud ministrandum infirmis suæ Parochiæ; prout refert *Aloys. Ricc. in* 4. *part. decis. Cur. Archiep. Neap. dec.* 352.

***

TRAC-

TRACTATUS TERTIUS.

DE PRIVILEGIIS AD INSTAR.

Quæst. 1. Quid sit Privilegium ad instar?

1. Quod conceditur, aut fit ad imitationem, & æqualitatem alterius, dicitur esse ad alterius instar; nam ad illud refertur, ceu exemplatum ad exemplar; hæc quidem relativè dicuntur.

2. Privilegium solet dividi in absolutum, quod ad nullius similitudinem conceditur, & in relativum, quod ad æquiparationem alterius fit: Relativum enim elucescit per absolutum, uti unum contrarium per aliud, cui opponitur.

3. Privilegia, jam dudum aliis primò concessa, solent iterùm, & aliis de novo concedi ad instar, vel per communicationem; ut infrà dicemus, de quo latè *Bal. in l. omnia, C. de Episcop. & Cleric. & Navarr. in comment. de jubil. not. 26 num. 2. & Horat. Mandos. in tract. de privileg. ad instar, quæst. 4.* & sequitur *Suar. lib. 8. de legibus cap. 15. & Laur. Peyr. tom. 1. privil. minim. in constit. Pyrrhi. §. 11. num. 2. Portell. in dub. regul. de forma privilegii, num. 14. & P. Merolla tom. 3. de privil. disput. 6. c. 2. n. 109. Tamburr. to. 1. de jur. Abbat. disp. 17. q. 5.*

Quæst. 2. An sublato, vel revocato exemplari, censeatur revocatum, vel destructum privilegium ad instar?

1. Cum privilegium ad instar, ab exemplari; cui assimilatur, realiter distinguatur, cumve ab illo in suo conservari haud dependeat: est etenim relativum secundùm dici; sed absolutum in re; ita, & taliter, ut à nullo alio, quàm à solo Principe fiat, & conservetur in esse.

2. Virtus namque, & efficacia privilegii, neque omninò, neque essentialiter stat posita in externa relatione; sed in voluntate concedentis, cui suum placuit rescriptum alteri præexistenti similare: ceu placet Archytecto architectando curare, ut res fabriles correspondeant exemplari in schemate expresso, quod quamvis destruatur, aut deperdatur, non tamen ob id, res instar illius factæ deperduntur, ut est videre in magna domo, rebusque consimilibus, quæ præexistenti schemati correspondent.

3. Ac proindè per *Pium V.* extincto Ordine Humiliatorum, non censentur extincta privilegia aliorum Religiosorum, quibus ad instar Humiliatorum fuerunt concessa; quia privilegium, instar alterius factum, ab illo exemplari (ut diximus) intimè non dependet; sed fit ita illi proprium, cui conceditur; ut dicatur stare per se primò, absque alterius subalternatione, & dependentia, prout docuit *Bald. in d. l. omnia, quæst. 2. C. de Episcop. & Cler. Panorm. in cap. ult. ne Cler. vel Monach. Afflict. in cap. unico, ver. portus, num. 19. quæ sint regalia, Io. Vinc. Anna alleg. 46.* & sequitur *Rodriquez qq. regul. tom. 1. q. 9. art. 9. & Tamburr. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 17. q. 5. n. 2.*

4. Quapropter censeo, respondendum esse ad quæsitum, negativè; secùs autem, si Princeps dependenter concedat; sub ista forma, *ad modum, & instar illius A. ita, ut stante, & permanente, A. stet, & perseveret privilegium:* vice versa destructo, & casso, censeatur pariter cassum, & revocatum; quia extincta re fundamentali, & substentativa privilegii; extinguitur pariter privilegium; tali rei concessum, ut dicitur in *c. placuit 16. q. 7. & c. translato, & c. accessorium, de reg. jur.*

Quæst. 3. An aucto vel diminuto exemplari, intelligatur auctum, vel diminutum privilegium ad instar?

1. Si privilegium ad instar per se, propriè, & solitariè sumatur, ad sui exemplaris incrementum, vel decrementum; non minuitur, nec augetur: tum quia utrumque (ut diximus) per se stat, & mutuam excludit dependentiam; prout constat ex frequentissima forma communicandi, vel extendendi privilegia. Solitus quippè fuit Dominus Papa Monachorum privilegia, nobis Mendicantibus concedere; *ut illorum privilegiis possimus, & nos uti; prout ipsimet Monachi priùs illis utebantur, vel usi essemus, & uti potuissemus, si nobis primò, & per se talia privilegia concessa forent.*

2. Tum etiam, quia fieri ad instar, propriè, & verè est secundariò effici, & efformari ad similitudinem alterius rei præexistentis, & primò factæ; sicut Eva dicitur facta in adjutorium simile Adæ præexistenti, & anteà facto à Domino Deo: impropriè quidem diceretur aliquid fieri ad instar futuræ rei, cùm de ratione causæ exemplaris (ut patet) sit præcedere, præexistere, & præesse, non autem subsequi, & exemplatum prosequi.

3. Si verò Privilegium fiat ad modum causæ futuræ, seu fiendæ (ut cum aliis loquar) ita ut ejus verba ex voluntate concedentis, ad rem futuram referantur, ejusque valor à futuro dependeat; tunc mutatis exemplaribus, & ea, quæ ad eorum instar sunt facta, mutari necesse est: forma enim dans esse legi, & privilegio, est voluntas concedentis, cui licet in hac re, dicere, *sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

4. Consueverunt summi Pontifices suis subditis ita concedere; ut eorum privilegia ad instar, semper, & in omni futuro tempore æqualia sint, & correspondeant aliis privilegiis, primò concessis; prout sunt illa de immunitate Ecclesiastica, quæ conceduntur, & competunt omni futuræ Ecclesiæ, in posterùm erigendæ, ad instar antiquarum Ecclesiarum, quarum antiqua privilegia, si jussu Papæ mutarentur, censerentur, & posteriora consimilia ad eorum instar concessa mutari, & hoc ex voluntate, & dispositione concedentis, cui (ut sæpè diximus) aliquandò placet concedere, & subordinare sua privilegia usui futuro; ut si Princeps dicat; concedo tibi privilegia, quibus utetur, & gaudebit prima nova Religio, ubi fuerit à Papa approbata, & sic ista gratia dependeret ab usu futurorum Mendicantium, juxtà regulam *text. in l. in delictis, §. si extraneus, ff. de noxal. action.* prout multis allegatis docet *Horat. Mandos. in tract. de privil. ad instar, glos. 14. num. 10. quæst. 9. Corset. in singul. ver. Meus, col. 1. Affl. d. c. unic. ver. portus*, cum aliis, quos suprà citavimus.

Quæst. 4. Privilegium ad instar, an valeat, si non appareat illud, ad quod refertur?

1. Hujus quæsiti decisio habetur in *cap. Abbate S. Sylvani de verbor. signific.* ubi recensetur privilegium concessum Abbati, & Monachis eligendi Abbatem in alio monasterio, secundum morem præteriti temporis; de quo more non apparebat: fuit hinc dubitatum de viribus privilegii.

2. Nec non colligitur ex his, quæ sedulò, & latè colligit *Thom. Grammat. in dec.* 59. ubi agit de privilegio Domini Principis Roberti de Sancto Severino, quo poterat possidere sic, & prout dictus Princeps, & sui antecessores tenuerunt, & possiderunt; veruntamen, non constabat de concessione antecessoribus facta; nec de eorundem possessione antiquorum.

Quæ omnia, & consimilia solvuntur unica distinctione præmissa.

3. Aut dispositio est certa specificè, & determinatè facta ab habente potestatem de novo concedendi; & sic valet, & sustinetur concessio; non obstante, quod non appareat illud privilegium, ad quod refertur, & ad cujus instar autumatur factum.

4. Quia de communi *Doctorum* consensu, hæ dictiones; *sic, sicut, prout, juxta, secundùm,* & consimiles positæ, tàm in dispositionibus, quàm in privilegiis, & legatis, sumuntur, & intelliguntur causaliter; non autem conditionaliter, id est dicunt causam impulsivam, seu allectivam, exemplificativam, aut demonstrativam, non autem conditionem necessariò purificandam.

5. Ac proindè constitutiones, ex vi talium dictionum, non erunt conditionales, sed potiùs absolutæ, & per se stantes; prout docet *Bar. in Extravag. ad reprimendum, in ver. prout.*

6. Quæ quidem impulsiva causa, cùm sit occasio nimis remota, non est obligatoria; nec, ut necessaria debet attendi ad inferendum privilegium; ita *Bald. in l. generaliter, C. de Episc. & Cler.*

7. Hinc sivè cesset, sivè sit falsa, non perindè vitiatur dispositio, nec invalidatur privilegium; quia falsa causa impulsiva legem non vitiat; ut dicitur in *l. tale cum tale, §. falsam, ff. de condit. & demonstrat.* ubi *Bart.* idem *Bart. in l. demonstratio, §. quod autem, quæst.* 1. & 3. *ff. de cond. & in l. si sic, ff. de leg.* 1. & *Aret in cons.* 72. *visis* 3. *col. ver. circà tertium, & cons.* 149.

8. Quod magis declaratur, si notetur, quod virtus, & efficacia privilegii, neque omninò, neque essentialiter est posita in ratione impulsiva rescripti quamobrem non extenditur privilegium de persona ad personam, ob identitatem, vel majoritatem rationis impulsivæ, ut colligitur ex *l. si pupillorum, §. si prætor, ff. de rebus eorum;* & *ex cap. sanè, de privileg. & clem.* 1. *de censib.* quod etiam per plura probat *Cardin. in clem.* 1. *de testam. q.* 6. *Bart. in l.* 1. & *ult. de const. Princ.*

9. Sed benè stat in ipsius Principis voluntate, cujus voluntas, sicut agit ob finem; ita cessante causa finali, vel sublata, aufertur, vel cessat operari; quia finis est causa causarum, & movet agentem, ideoque omnis dispositio regulatur à causa finali, *l. final. ff. de hered. instit. Reg. Rovit. in prag.* 4. *de possess. non turb. nu.* 59. *Antonin. de Amat. resol.* 44. *n.* 21. & 22.

10. Causa autem finalis legati, & privilegii regulariter est Principis regularitas, à qua quidem liberalitate primò & principaliter omnis ejus donatio procedit; ut per plura firmè probat *Grammat. in d. dec.* 59. *num.* 49. ubi notat, quod Principis liberalitas non subditur fræno, nec debet coerceri, ex *l. penul. C. de donat. inter vir. & uxor. l. sancimus. C. de donat.*

11. Dixi regulariter; quia irregulariter, & per accidens causa finalis dandi privilegium, potest esse necessitas, quæ gratiam non resolvit in liberalitatem, sed in justitiam, & debitum; ut sunt privilegia, quæ medio denario transeunt in contractum, ut dicitur in *l. rem legatam, ff. de adimend. legat.* aut affinitas, vel consanguinitas, ex *l. final. ff. de hered. instit.* ubi institutio facta ex causa consanguinitatis, cessante consanguinitate rumpitur.

12. Ex dictis ergò plura collige, & primò, quod si dicam *lego tibi centum, quia benè mea negotia gessisti;* ista causa, utputa bonorum administratio, non est obligatoria; sed tantum impulsiva, & consequenter esto, quod nulla mea negotia fecisses, tenet donatio.

13. Si verò dicam, *tibi centum lego, quia illa mihi mutuasti*: in tali casu, debet apparere de mutuo, aliàs legatum vitiatur, quia causa mutui est obligatoria, & finalis, & illativa legati, ita *Bart. in l. damus ff. de cond. indeb.*

14. Item si dicatur, *concedo tibi, ut possis collectare, & exigere unum ducatum pro qualibet seta libra, secundùm quod, & prout hactenùs colligere consuevisti:* debet exponi: quia sic consuevisti, etsi de tali consuetudine non apparet, non vitiatur dispositio.

15. Sic autem, si Judex in sententia dicat, *condemno te ad dandum singulis annis unum par caponum, secundùm quod tui antecessores consueverunt;* valet sententia, etsi de consuetudine non constet.

16. Si item Dominus dicat, *investio te de feudo, ac tibi dono potestatem decimandi fœnum, secundùm quod tu tuique antecessores fuerunt investiti,* licèt non probetur de investitura, & quamvis de antecessorum exactione non appareat: nihilominus valet concessio, ut latè probat *Paul. de Castr. in l. admonendi, ff. de jurejur. Ursill. in addit. ad Afflict. in decis.* 273. *num.* 4. & *Afflict.* latè in *cap.* 1. *num.* 19. *de feud. guard. Boerius dec.* 16. *Rot. Roman. decis.* 401. *num.* 6. *part.* 5. *divers. Puteus dec.* 1. incip. *verba, ut antecessores tui possidebant, sub tit. de confirmat. util. vel inutil.* & novissimè post multos allegatos *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 18. *q.* 7.

17. Aut constitutio est incerta, & per verba generalia declarata, & non apparet id, ad quod fit relatio, & sic vitiatur concessio, ut si Princeps dicat, *concedo tibi in tali loco totum illud, quod concessi genitori tuo;* nisi constet de relata concessione, vitiatur concessio, quod colligitur ex *l. si sic legatum* 75. *§. si mihi, ff. de legat* 1. ubi habetur, quod si quantitas non sit adjecta, evidenti ratione, nihil debetur; quia non apparet, quantum fuerit legatum.

18. Et hoc ideò, quia generalis concessio manet incerta, & non potest ad particularia determinari; & cum nostræ actiones morales, & humanæ sint circà particularia, concessio sic genitricè facta, erit inutilis; *Alex. cons.* 28. incip. *juris, nu.* 7. *vol.* 1. *Felin. in cap.* 2. *ver. aliquandò, de rescript.*

19. Aut tandem illud, ad quod fit relatio, apparet, verùm est magis strictum, quàm privilegium de novo concessum, & confirmatum; & in isto casu dispositio restringitur, & limitatur, secundùm illud primum, ita *Bart. loc. cit.* & *Ludov. Rom. cons.* 336. *Felin. in cap.* 2. *ver. clausula, si preces, de rescript.*

Quæst. 5. *An privilegium ad instar, debeat à suo exemplari transumptari, parte citata & requisita.*

Dixi suprà in præcedenti *tractatu quæstion.* 14.

TRAC-

TRACTATUS QUARTUS

DE DIVISIONE PRIVILEGIORUM.

Quæstio 1. Quotuplex sit Privilegium?

1. Consuevit privilegium à nostratibus partiri in reale, & personale: Illud dicitur reale, quod directè conceditur alicujus rei, loco, aut dignitati, indirectè, & secundariò personæ; ceu illud Ecclesiæ de refugio; & libertate, qua delinquentes gaudent, si ad illam liberè confugiant,

2. Et hoc ita rebus, locis, & dignitatibus adhæret, ut semper sit perseverans, illis perseverantibus, vel transiens, illis transactis: res privilegiatæ, si in alium transeant, secum ferunt privilegium, eritque locorum, rerum, ac dignitatum privilegium perpetuum.

3. Personale autem primò, & directè conceditur personæ nominatæ, & expressæ in Principum rescriptis, ut si Papa dicat, *tibi Petro de N. concedimus*, erit personale, adeò, quod extra Petri personam non extenditur; & extinguitur cum illo; nisi aliter in privilegio dicatur; ita probatur in *cap. privileg. de regul. jur. in 6. de concess. præbend. cap. constitutus, & cap. bonæ, §. final. de postulat. prælat.*

4. Privilegium quippè semper ad hominem dirigitur, mediatè, vel immediatè, eritque sic semper privilegium, aut reale, aut personale, *l. 1 de aqua quot. & æstiu. in fin.* & notat *glos. in clem. 1. ver. excolendas, de decim.*

5. Et subdividitur utrumque in generale, & particulare.

6. Illud est generale, seu universale reale; quod omni loco convenit, ut illud de refugio, quod omni convenit Ecclesiæ, in qua divina celebrantur.

7. Illud autem, quod uni tantùm conceditur loco, erit particulare reale, sicut illud Monasterii nostri Balnearensis superioris Calabriæ, de posse exercere munia Episcopalia, Pontificalibus exceptis, quò fit, ut Prior præfati Conventus in dicta terra, in Clericos jurisdictionem habeat, exerceat, & puniat.

8. Sic pariter privilegium personale; aliud est generale, & aliud particulare.

9. Generale, seu aniversale illud dicitur esse, quod omnibus personis religiosis conceditur, ut illud de exemptione Clericorum à potestate laicali.

10. Quod autem uni personæ, vel paucis de Populo, vel de Collegio conceditur, erit personale particulare, ut illud, quo quis fulcitur, ne possit incarcerari, nec de persona cogi ad debita solvenda; sic communiter *DD.* quos citant *Hostien. lib. 5.* suæ *summæ de privil. nu. 3. Sylv. Tabien.* & omnes *Summistæ ver. privileg. Rodr. qq. regul. tom. 1. q. 7. ar. 2. Suarez lib. 8. de leg. c. 3. per tot. Bonac. tom. 2. de leg. disp. 1. q. 5.* & omnes alii novissimi, quos omitto, causa brevitatis, quam affecto. Quibus addunt, & alii mixtum, quod æquè principaliter respicit rem, insimul, & personam; *Molfes. in summ. Theol. moral. tract. 9. de leg. c. 12. tom. 1. nu. 25.* & quod ista tertia species privilegii mixti, non sit distincta à duobus prioribus, patet ex dictis, & docet *Ioan. Mar. Novar. in tract. de privil. miserab. person. c. 3. n. 3.*

Quæst. 2. privilegium esse reale, vel personale; an possit aliqua certa regula cognosci?

1. Pro communi, & infallibili regula, debet attendi objectum proximum, seu subjectum immediatum, ad quod immediatè dirigitur intentio concedentis: nam hac in re, tota ratio facti, est voluntas disponentis; *sic volo, sic jubeo sit pro ratione volu. tas.*

2. Princeps, sua quidem voluntate facit, ut persona, vel alia res sit privilegiata, & in his dispositionibus debet attendi causa principalis; & primaria, quæ est voluntas ipsius privilegiantis; non autem secundaria, remota, & impulsiva, se tenens ex parte rei; ita in *l. socium, qui, §. 1. & ibi Bart. ff. pro socio l. qui except. in princ. ff. de condit. indeb.*

3. Illa res censetur proprium, & immediatum objectū voluntatis Principis, cui immediatè inhæret immunitas privilegii; undè si intentio concedentis fuit, providere personæ: privilegium erit personale; si verò rei, vel dignitati; vel similibus adjacentibus; erit reale ex quocunq; motivo hoc fiat, sivè intrinseco; nam Princeps undecunque moveatur, semper, quod vult, operatur; ita *DD.* suprà cit. & *Rodr. in addit. ad § 13. decis. casuum pro explicatione Bull. cruciatæ, f.* mihi 181. & *Suar. loc.* suprà cit. *n. 9.*

4. Intentio autem concedentis, ex multis (ut infrà dicemus) potest cognosci; & præcisè ex verbis privilegii: si enim verba dirigantur ad rem: privilegium erit reale, si v.g. dicatur, *concedo vineæ Petri immunitatem solvendi decimas*: benè vides, vineam Petri esse subjectum immunitatis volitæ, & consequenter privilegium esse reale.

5. Si verò verba dirigantur ad personam, dubio procul erit personale; ut si v. g. dicatur, *concedo Petro facultatem, non solvendi decimas ex vinea*; quia persona Petri significatur esse subjectum immunitatis concessæ: hæc sunt verba *glos. in clem. 1. ver. excolendas de decim.* eadem *glos. 25. q. 2. in princ.* & in *c. tua, de his, quæ fiunt à Prælat. Bar. in l. 1. de const. Princ.* & probant *text. in c. per exemptionem, de privil. in 6.* & *cap. porrò de privileg.*

6. Verùm, si post res, vel personas, in privilegio expressas, contingat aliquid superaddi; debet omninò attendi, & partitè considerari: nam illo superaddito, fit verborum privilegii restrictio, vel extensio, aut mutatio.

7. Si enim dicatur, *concedimus Petro in perpetuum*, vel *perpetuò*, vel *ejusque hæredibus, & successoribus*, vel quid simile: ex isto superaddito post personam, debet privilegium perpetuum censeri, & consequenter fieri reale, non autem personale.

8. Similiter si Dominus Papa dicat, *concedimus Archiepiscopo Cosentino, cujus scientiam & sanctitatem benè novimus*: quamvis ista concessio censeatur facta (suppresso proprio nomine) ipsi dignitati: verùm non transit ad successores, nec personam excedit; nam ex illo superaddito, restringitur, fitque privilegium personale; quia una præsumptio tollit aliam, & major aufert minorem, ita *glos. fin. c. transmissa, qui sint filii legit. Bart. Abb.* & alii relati per *Menoch. de præsumpt. lib. 1. q. 3. n. 1.*

9 Si autem verba non sufficiant, debet attendi materia subjecta, cui privilegium justè, & rectè possit adaptari; nam licet forinsecus, & vocetenùs, sæpè sæpiùs privilegii verba sonent quid reale; verumtamen cùm subjectæ materiæ nequeat, immò repugnet accommodari debet, non reale, sed personale censeri privilegium, si v.g. per Papam excommunicetur Episcopus Cordubensis, tacito proprio nomine, & expressa tamen dignitate, non ideò realis; sed personalis erit excommunicatio: quapropter ad successores non transit, nec personam transcendit; privilegium verò reale de sui natura perpetuitatem exposcit, quæ in casu posito, materiæ subjectæ, non potest convenire.

10. Ex

10. Ex quibus sic adnotatis plura inferas, & primò, delegationem factam alicui Prælato, sub nomine dignitatis, ut Episcopo Cassanensi, censeri realem, quia est facta Sedi, & est perpetua; adeò, ut isto moriente, successor intelligatur delegatus; secùs autem si fiat nomine proprio personæ, ita probatur in *cap. quoniam Abbat. de offic. deleg.*

11. Secundò, privilegia, gratias, & facultates Bullæ Cruciatæ, esse personalia; nam verba Bullæ ad personas diriguntur: & ex eadem Bulla habes, facultates hujusmodi semel suspensas, denuò per sumptionem Bullæ reconvalidari, constat autem, singulares personas, & non Monasteria, vel Civitates, Bullam sumere, ita *Navarr. de indulg. not. 28. n. 13.*

12. Tertiò, privilegium concessum Religioni, Collegio, vel alicui certo generi personarum, ceu non sunt Minores, Mulieres, Scholares, Doctores, & similes, esse reale, & perpetuum, quia ficta persona, & Ecclesia nunquam moritur; sub illoque genere individua nunquàm desunt; tùm quia, privilegium conceditur ratione alicujus qualitatis, vel status, vel conditionis, in tali persona repertæ; Fratribus nostris quidem conceditur privilegium canonis & fori; quia sunt de tali ordine, aut saltem de genere Clericorum: Minoribus, ob defectum ætatis, datur privilegium restitutionis in integrum: Mulieribus ratione status, datur Velleianum: Filiisfamilias Macedonianum: sic etiam sunt privilegia piæ causæ, utputà Scholarium, Doctorum, & similium, *l. forma, § quanquàm, de censib. l. in omnibus causis 69. ff. de reg. jur. Suarez lib. 8. de legib. cap. 3.*

13. Quartò, privilegia Confessoribus Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium concessa, ad absolvendum olim à reservatis, ad dispensandum, & commutandum sæcularium vota, & similia, non esse personalia; sed realia: nam hæ gratiæ, & facultates per S. Sedem, non personis; sed Regularibus ordinibus conferuntur: quapropter si Fratres authoritate Apostolica, Religionis habitum dimittant, præfatis privilegiis, post habitum dimissum, frui non possunt; ita multis citatis docet *Rodr. tom. 1. qq. regul. q. 61. art. 4. not. 2.*

14. Quintò, privilegium Ecclesiæ Romanæ, de non solvendo gabellas de rebus suis, *c. quamquam, de censib.* esse reale; quia perpetuum, & Ecclesia nunquàm moritur; verùm quoad aliquos effectus, censetur personale; quia illa immunitas, exceptis Clericis, Rectoribus, & Gubernatoribus, qui immediatè res Ecclesiasticas negotiantur, ad alios non transit; quo fit ut emens ab Ecclesia, vel Ecclesiasticis personis, teneatur ad gabellam, nisi tantæ magnitudinis esset privilegium franchitiæ, ut non solùm vendentes; sed etiam quoscunque & quomodocunque ementes, faciat immunes; ita *Panor. c. ex parte 1. nu. 5. de decim. Dec. in l. in omnibus causis, ver. id, n. 2. ff. de reg. jur. Ruin. consil. 144. n. 19. lib. 5. Cavalc. dec. 44. Bart. l. lucratio, §. cui, ff. de public. P. Meroll. tom. 3. de privil. disp. 6. c. 2. nu. 17.* cum aliis, quos citat.

15. Sextò, jurisdictionem, vel concessionem à Principe factam alicui personæ, & Castro simul, ob merita alicujus, esse realem, & perpetuam; ita ut ubique locorum transeat cum Castro, & habetur in *l. si aliena res 10. ff. de usucap. Bart. in l. final. n. 9. ff. de servit. leg.*

16. Et tandem collige, concessionem, seu facultatem ab Episcopo Confessariis factam, sub ista clausula; *donec decessero,* vel *usque ad nostrum beneplacitum,* esse personalem, & extingui cum morte concedentis; quia in tali concessione virtualiter inest conditio, ut semper pendeat ab ipsius concedentis voluntate, quo defuncto, cessat tam voluntas concedentis, quàm dependentia admissi Confessarii: secùs erit, si dicatur, *ad beneplacitum Sedis,* quia Sedes perpetua est, ita habetur in *c. gratiosè de rescript. in 6.*

Quæst. 3. An privilegium in dubio, sit censendum reale, an verò personale?

1. Marcus Antonius Genuens. in tract. de practic. Ecclesiast. quæst. 146. dicit, multis citatis, quod favore Ecclesiæ debet censeri reale.

2. Tu verò pro *Doctorum* concordia, cum distinctione respondeas.

Vel privilegium est purum beneficium, id est, nec communi, nec privato juri contrarium, & in dubio censendum est reale, per juris regulam, *Decet, concessum à Principe beneficium, esse mansurum*; tum quia, beneficium favorabile, latam admittit interpretationem, *l. ult. de constit. Princip.* ut latè infrà dicemus *de interpretatione privil. tract. 7.*

3. Si verò privilegium sit odiosum, utputa contra jus commune, vel contrà jus privatum; aut in aliquorum præjudicium, & in dubio, censendum est personale; quia sic strictè est interpretandum, ut potiùs temporale, quàm perpetuum damnum inferat; ita noster *D. Anton. 1. p. tit. 19. c. 1. §. 2. in fin.* & sequitur *Roman. in l. maritum, ff. solut. matrim. Tiraq. de primogen. quæst. 4. nu. 72. & Bart. in l. fin. num. 5. ff. de servitut. legat. Cagnol. in l. in omnibus causis, ff. de reg. jur. Suarez lib. 8. de leg. c. 3. n. 18. Aloys. Ricc. collect. 3004.*

4. Si autem pro una parte, probabiliùs appareat, esse reale, privilegiarius debet illo uti, & frui ut reali; non autem ut personali, & tàm in foro interiori, quàm exteriori; quia illa major probabilitas, facit certitudinem moralem, & confert majus jus, quod quidem in sententia ferenda, debet præferri; nam in ea debet servari justitia distributiva, *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 4. ad 1. & Cajet. ibidem,* & novissimè *Joa. Mar. Movar. in tract. de privil. miserab. person. prælud. 3. nu. 1.*

Quæst. 4. An privilegia Mendicantibus concessa, censenda sint odiosa?

1. Et quidem, si privilegia sint ab homine concessa contra jus commune in præjudicium tertii, odiosa censentur: *Rot. Roman. divers. dec. 432. p. 1. & Menoch. de recup. possess. remed. 4. n. 38.*

2. Hinc minimè amplianda; sed restringenda, juxtà regulam *c. odia, de reg. jur. l. cum quidam, ff. de liber. & posth. c. renovantes 22. dist.*

3. Secùs, si sint à jure concessa: nam privilegium juris, pro lege habetur, & legis instar debet interpretari, ampliari, & extendi ad omnes casus, & personas, quas lex comprehenderet, ita *glos. in auth. qua in Provincia, in ver. illis, C. ubi de crim. agi oport. Felin. in cap. 1. nu. 12. de rescrip.* quem multis allegatis sequitur *Molfes. in Comment. ad Consuet. Neap. tom. 1. p. 4. q. 33. n. 4. & Ioa. Mar. Novar. in prax. elect. for. p. 1. q. 8. sect. 1. in ult. edit. & in tract. de privil. miserab. person. prælud. 6. per tot.*

4. Dixi, in præjudicium tertii; quia etsi privilegium sit ab homine, non in præjudicium tertii: sed in damnum ipsius concedentis, debet latè interpretari, & favorabile censeri, ita de communi docet *P. Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 1. n. 4. & Molfes. in summ. moral. tract. 9. de legib. c. 12. n. 32. tom. 1.*

TRAC-

TRACTATUS QUINTUS
DE CAUSA ACTIVA, ET PASSIVA PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. Quæ sunt observanda pro consequutione privilegii?

1. QUi vult à Principe gratiam impetrare, in supplicatione, ea omnia tenetur exprimere, quæ potuissent verisimiliter retrahere animum Principis ab ejus gratiæ concessione, si ea scivisset *Iul. Clar. §. fin. q. 59. ver. debes advertere.*

Ac proindè qui impetrat gratiam de secundo homicidio, non facta mentione de primo, laborat vitio subreptionis, & non juvatur; *Barbat. in cap. super his, de rescript.* quem cum aliis multis refert *Clar. ubi suprà,* ob quod, quidam famosus Sicarius, qui obtinuit à Principe literas impunitionis; verùm non expresserat, quod tempore impetrationis, erat in carceribus detentus, fuit condemnatus.

2. Quonam pacto gratia censeatur, & probetur subreptitia? consule *Alciatum in cap. cùm non ab homine, nu. 44. de judic. & Covar. var. resolut. lib. 1. cap. 20. n. 8. Farin. q. 6. n. 47.* & latè *Mascard. de probat. concl.* 846. vide etiam *Addit. ad Iul. Clar. loc.* quo suprà.

3. Gratia non vitiatur ex omnibus tacitis, quæ non movissent Principem ad non concedendum; sed ex eis tantùm, quæ sunt expressa jure. *Ægid. dec.* 698. incip. *Conclusio extrà Rotam, & Felin. c. postulasti, col. 3. ver. declara.*

4. Literæ obreptitiæ dicuntur, quando propter involucrum verborum, Princeps decipitur, & dicuntur furtivæ; quia fugiunt plenam, & deliberatam conscientiam Principis, & propterea non juvant, *Capr. comm. conclus. reg. 43. nu. 5. de obreptione, & subreptione in casu rescriptorum,* & tradit *Tiraq. de pen. caus.* 44. *n.* 38.

5. Ad salvandam, & canendam subreptionem, non sufficit exprimere factum aliquod generaliter; nisi etiam exprimantur modus, per quem factum fuit, & qualitates; aliter gratia foret nulla, *Grammat. cons. 34. num.* 10. *Bertaz. cons.* 104.

6. In gratiosis, omnis supreptio vitiat ipso jure, *Felin.* de communi in *cap. ad audientiam, n. 22. de rescript. Verall. dec. 49. p. 2.*

7. Ita, quod clausulæ, *ut petitur, ex certa scientia, motu proprio, & non obstantibus,* quæ solent apponi in literis gratiosis, non tollunt subreptionem, quoties gratia est facta ad partis postulationem: ut dictum est in *tract. de clausul.* ita *Ruin. cons. 41. col. 5. vol. 1. Verall. dec. 45. p. 2. Addit. ad Iul. Clar. q. 59. n. 82.*

Quæst. 2. Quisnam possit privilegium concedere?

1. REspondeo, dicendum, quod privilegium, prout est contra jus commune, ab eo tantùm concedi potest, & debet; qui legem ferre, vel abrogare potest; cùm enim privilegium nihil aliud sit; quàm lex privata, juxtà *cap. privilegia distin.* 3. clarè sequitur, quod quicunque potest legem condere, possit etiam & privilegium indulgere; hoc est, privilegiarum eximere à legis obligatione, nec dispensatio hujusmodi, rectè fieri potest, sine jurisdictione, & potestate ad hoc requisita; quæ debet esse in ipso dispensante, & concedente; ita *glosa* singularis in *cap. quod autem 25. q. 2. Hostiens. in summa de privil. num. 5. §. quis possit privilegium concedere, D. Antonin. in 1. part. tit. 19. cap. 1. in princ. Rosella, Tabiena, Sylvest. ver. Privilegium, quæst.* 2. quos sine controversia alii sequuntur, & docet *Guid. Pap. dec. 354. in addit.* hinc plura collige.

2. Et primò, quod Imperatores, Reges, & cæteri Principes, Superiorem non agnoscentes, possint in temporalibus, scilicet in immunitatibus, honoribus, dignitatibus, & in consimilibus; non autem in spiritualibus privilegium concedere; quia de spiritualibus laici non possunt se intromittere; ita ex *cap. benè quidem, dist.* 96. sic omnes præcit. *DD.*

3. Secundò, quod Romanus Pontifex ubique locorum in spiritualibus, ac etiam in temporalibus in terris Ecclesiæ, validè possit privilegia concedere, quia ipse ubique gentium, in materia spirituali, & in Ditione Ecclesiæ, in spiritualibus, & temporalibus, potestatem habet legislativam; secùs autem in alienis Regnis, ideò indirectè, & pec accidens; hoc est in ordine ad spiritualia, poterit in aliena Ditione laicis indulgentias, & privilegia concedere, ut patet in materia de decimis, & in privilegio dispensationis ad ordines, ut in *cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi, cap. innotuit. & cap. cùm Vintonensis de electiom Petra de fideicommiss. quæst.* 11. post *num* 238. *vers. decima nona conclusio, Peregrin. de fidei commiss. art.* 23. à *n.* 1 ad 10. cum *seqq.*

4. Ex quibus juribus *Sylvester* deducit, quod Romanus Pontifex, nunquam consuevit privilegiare aliquem contra se, & probat ex *cap. cùm ex officio, de præscript.* & notata, hoc esse singulare contra fingentes, se habere privilegia judicandi de rescriptis Papæ, & quod secundùm illa, non sit sine eorum approbatione procedendum.

5. Et tandem propter eandem rationem fit, ut omnes Episcopi in suis Diœcesibus, & Patres Generales in Ordinibus, quos regunt, ac Patres Provinciales in suis Provinciis, quas curant; omnesque alii Superiores laici, jurisdictionem habentes, & potestatem in suos subditos exercentes respectivè, & cum debita proportione possunt privilegia concedere; cum hi quidem omnes possint leges ferre, & consequenter per dictam regulam privilegium indulgere, & habetur expresè in *cap. cùm olim de privileg. Guid. Pap. ubi suprà*

6. Dixi respectivè, & proportionabiliter; nam sicut Episcopus non est Dominus juris Canonici, nec Patronus legis Pontificiæ; ità nec ex se potest alicui contra jus commune privilegia concedere; nec ullum eximere à legis obligatione; quod etiam currit de P. Generali respectu totius Constitutionis, & præcisè respectu eorum, quæ sunt ordinis substantialia: secùs autem de privilegio, quod est præter jus; nam in his possunt, ut patet in *cap. constitutus, de relig. domib.* quæ privilegia data præter jus commune, debent potiùs dici gratiæ, & donationes liberaliter factæ, quàm verè & propriè privilegia.

7. Nec te moveat, quod tàm Episcopus, quàm Pater Generalis possint in votis, & in nonnullis aliis impedimentis, per leges Pontificias introductis, dispensare, & consequenter contra jus commune aliquid concedere; quia neuter eorum hoc facit ex se, sed quatenùs à jure, vel à privilegio, vel à consuetudine sibi concessum est, contra jus commune privilegia elargiri, ita *Sylvest. ver. privilegium q.* 3.

8. Particularium autem conventiones, gratiæ, seu donationes, quæ ad invicem quotidiè fiunt de rebus propriis

propriis cum proprio interesse, & damno, largè, non autem propriè dici possunt privilegia; cum quisq; sine præjudicio juris & tertii, suarum rerum sit arbitrator, & custos.

Quæst. 3. Quibusdam sint concedenda privilegia?

1. ET quidem subdito regulariter, & propriè: nam privilegium propriè sumptum, & prout est contrà jus, nihil aliud est, quàm dispensatio, seu juris relaxatio; & privilegiarium fieri, non est aliud, quàm à communi lege eximi, & absolvi.

2. Nemo tamen verè dicitur à lege solutus, & exemptus, quin sit, vel fuerit legi subjectus, & concedentis constitutione arctatus, & ligatus ergò.

3. Verùm privilegium largè sumptum, prout est præter jus, & quatenùs ad Principum donationes, gratias, indulgentias, & beneficia se extendit, utique potest concedi, etiam, & non subditis, quod in praxi servari videmus, ut in *C. de Episc. & Cler. & in C. de Sacrosanct. Eccles. & in can. quicunque*, 1. 1. *quæst.* 1. & *Felin. & Abb. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constitut. & Hostiens. in summ. de privil. §. cui concedendum, num.* 7.

4. Ac proindè clericis sibi non subditis Imperator multa concessit privilegia; & nobis Regularibus, posse absolvere à casibus sibi reservatis, Episcopi sæpè concedunt, & facultatem faciunt; & tamen illis subditi non sumus.

Quæst. 4. An supremi Principes possint sibi privilegia concedere?

1. EX quo concessio privilegii est actus jurisdictionis in subditum: manifestè sequitur, Romanos Pontifices, Reges, Imperatores, aliosque Supremos Principes, Superiore carentes, tam respectu eorum, quæ sunt præter jus, quàm respectu propriarum legum, non posse sibi privilegia concedere, quia Princeps quoad vim legis coactivam, est legibus solutus; prout habetur in *l. Princeps ff. de leg.* quia sibimet præcipere non potest, & *l. penult. ff. de recept. arbitr.* Præceptum namque jurisdictionem, vel dominium postulat; nullus autem potest jurisdictionem in se habere, nec sibi ipsi esse subjectus, ut dicitur in *l. ille, à quo, ff. ad Trebell.* quia coactio ex sui intrinseca ratione petit, ut proveniat ab extrinseco; illud quidem dicitur esse coactum (teste *Arist. 3. ethyc. c. 1.*) quod fit ab extrinseco passo, non conferente vim, ergò nullus hominum sibi potest violentiam inferre; quia nihil tàm intimum homini Principi, quàm idem sibimet.

2. Quod magis declaratur, si advertas, quod vis coactiva legis, pertinet ad pœnæ impositionem, & inflictionem: pœna autem de se, & per se secundùm suam rationem formalem, postulat, ut inferatur, & infligatur in invitum, ob quod ferri, & irrogari non potest, nisi à Superiore, habente potestatem in subditum.

3. Repugnat autem, & implicat in adjecto, quod idem, respectu sui, & ejusdem, in vi coactiva sit superior, & inferior, dominus, & servus, patronus, & subditus; itaque dicere, quod sit supremus Princeps, & ex adverso fateri, habere Superiorem, se se evertit, & contradicit: de qua re latè, & sedulò *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 96 *ar.* 5. *ad* 3. & *in* 4. *sent. dist.* 20. *quæst.* 1 *art.* 5. *q.* 4. & *Sot. lib.* 1. *de justit. & jur. quæst.* 6. *art.* 7. & *Sylv. ver. lex. q.* 14. *P. Victor. relect. de potestate civil. n.* 21. & *de potestate Papæ*, & *Concil. n.* 7.

4. Quapropter si Dominus Papa Clericum percutiat, non erit excommunicatus, & si Rex suam violet legem, non incidit in infamiam, nec in pœnam perjurii, ut doctè noster *Medina*, & *Corrad. in* 1. 2. *cit. loc.* ubi habes, Principem Supremum per se, directè, immediatè non obligari à sua lata lege; quia lex lata non est illi causa propria, nec proxima obligandi legislatorem in conscientia.

5. Sed est conditio requisita, qua posita, emanat jure naturali obligatio ad servandam suam legem: nam lex naturæ præcipit, ut caput se conformet membris suis, & quod patiatur legem, quàm ipse tulerit, *l. digna vox C. de legibus.*

6. Ac proindè Princeps, sine rationabili causa, quæ aliàs semper in Principe debet præsumi, violans communem legem, à se latam, peccat; ut per plura docet *ibidem* noster *Cajet.* quia turpiter & malè agit, eritque reus non violatæ legis; sed violati juris naturæ: & licet Princeps sine causa, & ad sui libitum, & beneplacitum possit eximere suum subditum à legis obligatione; & multò magis seipsum; alias Princeps esset deterioris conditionis, quàm subditus: tamen si hæc dispensatio fiat sine rationabili causa, tàm eximens, quàm exemptus peccat, non peccato suæ violatæ legis, sed (ut dixi) peccato violati juris naturæ, quia naturali lumine cognoscimus, partem debere se conformare toti, & præcipuè caput.

7. Quamobrem, si Dominus Papa licentiet se, vel alium sine causa, quæ tamen semper debet præsumi in Papa, sed solùm, quia placet, ad non dicendum horas canonicas, vel carnes comedendum in Quadragesima, licentiatus, secundùm aliquos, in foro poli malè facit, non recitando horas, aut carnes comedendo, quia turpis est pars illa, quæ non consonat suo toti ex naturæ jure, quod violatur à subdito, & multò magis à capite, cui etiam à Divino jure improperatur; *dicis, & non facis, alligas onus grave. Matth. c.* 23.

8. Quæ Thomistica doctrina, est valdè notanda, contra novissimos *Doctores*, qui qui non verentur affirmare, Romanum Pontificem obligari directè & proximè à suis legibus, sicut obligantur, & subditi, & postmodùm negant, posse sibi propriè privilegia concedere, quæ, meo videri, contradictoria sunt, nam admisso antecedente benè sequitur: ergò verè & propriè privilegium potest concedi Romano Pontifici; quia illi, ut dictum est, propriè, & regulariter debet privilegium concedi, quem concedentis constitutio ligat, & arctat: Item ex concessione consequentis, destruitur antecedens; nam benè sequitur, & valet illatio, si privilegium propriè, & per se non potest concedi papæ: ergò lex à Papa lata, eundem non afficit, nec ligat per se, proximè, & immediatè.

9. Propter quod, sibi non constant, & falsà docent; Papa etenim suo jure, suaque propria potestate, legem potest ferre, & abrogare, & respectu rerum Ecclesiasticarum, non nisi impropriè, & largè dicitur sibi privilegium concedere.

10. Benè verum est, quod sicut dicimus, Supremos Principes esse subjectos, & teneri ad ea, quæ sunt Divini, vel naturalis juris; ita respectu eorum quæ sunt contra tale jus, ex rationabili causa posse secum propriè, & verè dispensare, & consequenter privilegium concedere, non minùs, sicut suis dispensarent subditis, aliter subditus esset melioris conditionis, quàm Princeps; qui quidem cùm potest alios, multò fortiùs, & seipsum poterit à communis legis obligatione eximere: hinc Summus Pontifex verè & propriè ex rationabili causa secum dispensare potest in lege jejunii, & in voto de non jejunando, quod est de jure Divino naturali.

11. Sic pariter, cum causa, poterit se eximere ab omni alia communis legis obligatione, ità ut nec in foro fori, nec in foro poli, ad illius teneatur legis observantiam: isthæc autem rationabilis dispensatio, si fiat ad tempus, ad unum scilicet actum, aut in perpetuum firmiter, & stabiliter operandum, erit privilegium temporale, vel perpetuum: ita *Cajetan.* cum nostratibus ubi suprà.

12. Nec

11. Nec te moveat, quòd dispensatio personarum distinctionem exigat, & quòd Supremus Princeps sit una identicè persona, impotens ad exercendum jurisdictionem in seipsum, ut paulò antè dictum est: hæc enim valent de jurisdictione punitiva, seu coctiva, quam in semet exercen, repugnat; fallunt autem de jurisdictione voluntaria, quæ, cùm non sit contentiosa, nec testium probationem, nec partis citationem desiderat, sed solùm justam, & rationabilem causam postulat, secum dispensandi; ità noster *Palud. in 4. sent. distinct.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *conclus.* 4: *Turrecremat. canon. do Monachis,* 16. *q.* 1. *Ledesma* 2. *p.* 4. *q.* 29. *art.* 4. *Lopez* 2. *p. instruct.* ubi *de indulg. cap.* 5. & alii nostræ familiæ cum *D. Thom.* 2.2. *q.* 185. *art.* 8. ea igitur jurisdictione voluntaria, potest quis plurium vices sustinere, dummodo exercitium unius actus, non obstet exercitio alterius. Quod latè probat *Abb. in c. ex literis, num.* 11. *de probat.* & constat ex *l. si consul, ff. de adopt.* ubi dicitur, quòd si Præses sit filiusfamilias, potest se mancipare, vel in adoptionem tradere, & hoc non aliâ ratione, nisi quia non repugnat, unam, & eandem personam secundùm diversas rationes, diversa munia subire, ac esse subditum, & Superiorem; Episcopus etenim tanquam Canonicus, subditur sibi ipsi, tanquam Episcopo, ut dicitur in *c. à collusione, de appell. in* 6.

Quæst. 5. *Monasteriis, & Ecclesiis nondum erectis, an posit privilegium concedi?*

1. Utique dico, quòd sic, & breviter probo ex *cap.* 3. *de testament.* ubi dicitur, quòd legatum, relictum ad alicujus Ecclesiæ constructionem, non erit caducum, etiamsi locus ædificio non fuerit designatus.

Cujus ratio esse potest, quòd cùm privilegium non sit qualitas physica prædicamentalis, de cujus esse, est inhærere rei præexistenti; sed qualitas moralis, cui satis est, habere objectum finale movens: quapropter donationes, & legata fiunt futuris personis, ut putà filiis, & nepotibus, patri nascituris, quod praxis ipsa docet.

2. Cùm item futuro ædificio imponi posit servitus, & gravamen, ut in *l. servitus*, 22. §. *futuro, ff. de servitut.* ergo multò fortius beneficium, & gratiæ, quæ sunt semper ampliandæ, & magis diffundendæ.

3. Cùm etiam privilegium sit quædam donatio, quæ absenti fieri potest, & solet; eò fortiùs, si ad pias causas sit facta; ad cujus contractus validitatem, Deus, cujus intuitu fit, extat præsens, laudat, & acceptat, ergo firmitas hujus privilegii, à reali præsentia Monasterii non dependet, & refert decisum *Thesaur. dec.* 70. *n.* 10. & *Felin. c.* 1. *de pact. n.* 7.

4. Et tandem privilegia, beneficia, & gratiæ Apostolicæ æquiparantur ultimis voluntatibus; perinde de uno ad aliud arguit *Gloss. in cap.* 1. *de conceß. prabend. in* 6. & latè refert *Ludov. Gomes. in reg. Cancell. de non tollen. jus quæsitum, q.* 4. *n.* 11. *fol.* mihi 21.

5. Legatum verò, & hæreditas potest relinqui futuro Monasterio, & Ecclesiæ, nondum constructæ, ut in *l. servos*, 17. *ff. de aliment. leg. Panormitan. in cap. ad audientiam*, 2. *de Eccles. ædificand.* & refert decisum *Guid. Pap. dec.* 267. *Garz. tom.* 1. *de benef. p.* 5. *c.* 9.

6. Verùm nota, quòd tunc privilegium, incipiet vires habere, ubi constructa fuerit Ecclesia, & proinde concesio censetur facta nunc, pro tunc; ut idem *Panorm. in d. c. ad audientiam.*

Nec te moveant præfati *Capituli* illa verba, *quòd licèt nobis instantiùs supplicares, ut Ecclesiæ prædictæ confirmationis privilegium faceremus, tibi non possumus de jure deferre, cùm nulli Canonici adhuc ibidem existunt, quibus privilegium concedatur.* Hæc *ibi.*

7. Quia isthæc intelliguntur de facto, non autem de posse; volo dicere, quòd Romanus Pontifex recusavit concedere privilegium Ecclesiæ, nondum constructæ, non quia non posset, sed quia fieri non solet; nam ordinariè, & regulariter privilegia debent concedi Ecclesiæ existenti: & cùm futuræ conceduntur, non fit concesio pro nunc, sed pro tunc; hoc est, tunc privilegium incipiet habere vires, cùm Ecclesia erit existens; ita præcit. *Doctores.*

8. Nec obstant verba *cap. Abbate sanè,* §. *nec pro eo, de sent. & re judic. lib.* 6. ubi dicitur præsertim, *quia Monasterio; quod nondum erat, aliqua donatio fieri non valebat*; quia verba, non sunt Domini Papæ, sed partis; nam unius partis allegatio incipit post *principium* à *vers. allegabatur autem*, & durat usque ad *vers. pro parte altera dicebatur.*

9. Allegatio verò partis non facit jus, *cap. dilectus, de præbend.* quod multis allegatis de communi docet *Steph. Gratian. tom.* 2. *discept. forens. c.* 358. & priùs *Felin. in c.* 1. *n.* 18. *de const.*

Quæst. 6. *An concessum privilegium in casu deperdita scriptura, in foro fori, posit per testes probari?*

1. Et quamvis sit imposibile, per testes probare, hanc, vel illam, Principem mihi gratiam fecisse, ut *Gloss. in cap.* 1. *de censib. verb. in scriptis,* & *Afflict. dec.* 361. *num.* 17. & *dec.* 319. *n.* 10. *Bald. in l. si solemnibus, C. de fide instrum.* & *Bellem. dec.* 746.

2. Si tamen privilegium, sit in scriptis traditum, ejusque scripturam contingat amitti, potest nihilominus in externo foro, per testes probari; ut dicitur in *cap. cùm olim*, 1. *de privil.* & docet post multos *Cancer. tom.* 3. *variar. cap.* 5. *num.* 170.

3. Nam omnia acta, etiam quæ ad sui valorem, scripturam requirunt; si semel scriptura sit facta; licèt deperdita, possunt quippe probari per testes, deponentes de ejus tenore, & qualitate, ut putà, quòd fuerit facta ex motu proprio, vel ad partis instantiam, die, & anno tali, quia de jure eandem vim habent testes, & instrumenta; & quidem æquiparantur in robore.

4. Immò scriptura alicujus testamenti, formaliter facta, si deperdatur, per duos testes probari potest, licèt ad testamenti validitatem plures requirantur; ita de communi refert *Maranta in specul. part.* 6. *tit. actorum editio, num.* 31. ex *l. quoniam, C. de hæret.* & *Afflict. dec.* 14. & *dec.* 253. & habetur clarè in *l. testium, C. de testam.* & ibi *Bald. Mascard. de probat. conclus.* 845. *num.* 18. *Panorm. in cap. ex diligenti, not. ab ult. num.* 3. *Felin. in rubr. de constitut. verb. terruni casus, Rebuff.* cum aliis, quos ipse citat in *concord. tit. de mandat. Apostol.*

5. Et hoc ideo, quia instrumentum semel publicatum, non potest ampliùs inficiari; ita multis citatis docet *Joann. Paul. Galter.* Altimont. in *pract. instrument. part.* 1. *quæst.* 7. *num.* 17. & *Affl. dec.* 398. & habetur in *l. in exercendis, C. de fid. instrum.*

6. Propter quod Monasterium Sancti Dominici terræ Altimontis, Calabriæ citrà, Cassanens. Diœcesis, deperditum privilegium, à Rege Ferdinando I. sibi concessum, de pleno dominio, & perfecta possesione Casalis Græcorum, seu Albanensium; *Firmo* vulgariter nuncupati, cum gladii potestate, & jurisdictione vasallorum, in Sacro Regio Neapolitano Consilio, per testes probavit, & obtinuit; referente Ill. Domino Hectore Capycio Latro, Regio Consiliario doctisimo, & integerrimo, nunc meritisimo Regente Regiam Cancellariam, & Marchione Torelli, Actuar. Borrello.

Quæst. 7. *An privilegium concessum alicui Monasterio, duret etiam, destructo Monasterio?*

1. SI Monasterium, vel Ecclesia, suis invitis Superioribus, destruatur, & jaceat humi, cum spe tamen futuræ refectionis, prout fieri solet à Turcis, hostibus, & latronibus, vi armorum, aut terræ motu, & casu: nec jura, nec privilegia deperdit, sed pro illo statu, non refectæ fabricæ, cessant, & quoad exercitium, & usum quodammodò suspenduntur: ita expresse habetur in *l. cùm loca*, 36. *ff. de Relig. & sumptib. fun.* ibi, *cùm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt, Religiosa, vel Sacra esse*, (intellige quoad usum) quòdsi ab hac calamitate fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa, pristino statui restituuntur.

2. Quæ, diligenter nota, currere de privilegiis, quæ directè templum, vel totum ædificium respiciunt; nam illa alia, quæ ipsi pavimento sunt concessa, eique, nudè sumpto, adhærere possunt, in casu hostium, vel combustionis, remanent in usu, ut illa, quæ ex consecratione, vel benedictione nascuntur, ut putà, locum non esse ampliùs venalem, nec posse converti in profanos usus, & si quæ alia hujus generis, quia eorum fundamentum non est destructum; ita apertè colligitur ex *l. Æde sacra*, 73. *ff. de contrahend. empt.* ibi, *Æde sacrâ terræ motu diruta, locum non fieri profanum, & ideò vendi non posse.*

3. Secus autem, si sacer locus destruitur authoritate Superioris, sine spe refectionis; quia sic omnino amittit privilegia: destructo enim principali, petit etiam, & accessorium; & sicut extinctâ personâ, deperditur privilegium personale, sic item destructo loco, amittitur locale; ità *Gloss. ultim. in cap. Abbat. de verbor. signific.* & *gloss. in reg. privil. de reg. jur. in* 6. *Innoc. in cap.* 2. *de nov. oper. nunc. Sylv. & Armill. in verb. Civitas*, & multis citatis sequitur *Jul. Clar. in pract. crim.* §. *fin. q.* 3. *verb. majus dubium.*

Quæst. 8. *An Monasterium unitum alteri, deperdat privilegia, quæ priùs habebat?*

1. DIstinctione utor, aut ista Monasteria uniuntur, sicut solent uniri duo Episcopatus, de qua unione fit mentio in *cap. decimas, in fin.* 16. *q.* 1. ita ut ex duobus fiat unum Monasterium, & sic unitorum actiones, jura, & privilegia, non solùm remanent, verùm etiam ad invicem communicantur, quia non est major ratio, cur potiùs unius Monasterii, quàm alterius privilegia extinguantur, nec est æquum, utraque perire: ità *Hostiens. in sum. tit. ne sede vacante, cap.* 1. *Caccialup. in tract. de unione, art.* 2. *Rebuff. in prax. tit. de unione, Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Garz. tom.* 2. *de benef. part.* 12. *cap.* 2. *num.* 10.

2. Aut uniuntur per modum subjectionis, ita ut unum subalternetur, & subjiciatur alteri; & privilegia ipsius Monasterii, sic subjectivè uniti, & accessione annexi, deperduntur, & tantùm attenditur qualitas, & natura principalis Monasterii, cui fit unio; & sicut castrum unitum civitati, tenetur ad leges, & regulas civitatis, & amittens propria, illius potitur privilegiis, gratiis, & favoribus; sic proportionaliter est dicendum de unitis Monasteriis, *Bart. in l. si convenerit*, §. *si nuda, num.* 2. *verb. breviter, ff. de pignorat. act. Felin. in c. translato, num.* 6. *de constitut.*

3. Aut uniuntur inter se æquè principaliter, seu tantùm quoad Rectores, ita scilicet, ut utraque remaneant cum suis propriis bonis, juribus, & statutis, quamvis subsint uni, & eidem Rectori, ut videre est in Episcopatu Cariatensi, & Cerentiensi, & remanent jura, actiones, & privilegia incommunicata, & singula singulis; quia Rectore excepto, nihil eis commune; ità *Gloss. in cap. & temporis*, 16. *q.* 1. & in *Clem. per literas, de præbend.* & *ibi Cardinalis*, & est communis sententia apud *DD.*

4. Ex his plura collige, & primò, Hospitium, seu Granciam nostri Ordinis in Civitate Paulæ, habere sua jura, & privilegia de se, & per se, ita ut præter Priorem, nihil commune habeat cum nostro Conventu Civitatis Montisalti.

5. Secundò, quòdsi in una Ecclesia Parochiali, unita alteri Parochiæ, sit ponendus Vicarius, & redditus illius Ecclesiæ, in qua ponitur, pro congrua illius sustentatione non sufficiant, tunc Rector non tenetur supplere ex redditibus, quos percepit ex altera Ecclesia, quia quælibet Ecclesia suos habet redditus, & sua quæque emolumenta conservat, sed in tali casu supplendum esset per Parochianos; ita refert decisum *Rota Roman.* 2. *part. diversf. dec.* 73. & colligitur ex *Concil. Trident. sess.* 21. *c.* 7.

6. Tertiò, Beneficiatu unius Ecclesiæ, alteri unitæ, ut suprà, non teneri supplere defectum servitii in altera Ecclesia, ut fuit decisum in *Rot. Rom. decis.* 578. *num.* 2. *part.* 3. *diverf.* quod etiam multis allegatis docet *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell.* cit. *loc.*

7. Si verò roges, quomodo cognosci posit, Ecclesiam uniri accessoriè, vel æquè principaliter: dicas, ex unionis literis, quæ semper sunt aspiciendæ; nam si Prælatus uniens, dicat, *quòd unit unum alteri*; vel si dicat, *incorporamus*, censetur unio facta accessoriè; si verò dicat, *se unire talem, & talem Ecclesiam*, unio præsumitur facta æquè principaliter; ità *Gloss. in clem.* 2. *de præbend. verb. Ecclesias, & Felin. in cap. translato, num.* 6. *in fin. de const. verb. in dubio*, & est communis.

8. Si attamen ex lectura literarum patentium, nequeat cognosci, debet attendi, qualis illarum dignior existat; nam in dubiis semper præsumitur, Ecclesiam minus dignam, fore unitam digniori accessoriè, & secundariò; quia magis dignum, trahit ad se minus dignum, *cap. quod in dubiis, de consecrat. Eccles. vel altar.* quapropter non est verosimile, quòd dignius est, uniri accessoriè, & non æquè principaliter minus digno, argumentum *l. justissime*, 44. *in princ. & in verb. ridiculum namque est, ff. de adilit. edict.* & ita de stylo Curiæ servari, docent *Gomes. & Gonzal. ad* 8. *regul. Cancell. & Rebuff.* cum aliis cit. *loc.*

Quæst. 9. *Extinctus omnibus Religiosis alicujus Religionis, an deperdantur ejus privilegia? & si contingat, eandem Religionem renovari; retinetne priora jura?*

1. SI in casu posito, una ad minus persona superstit, utique durant privilegia concessa; quia Collegia, Universitates, & similia Corpora censentur semper vivere, etiamsi ad unam personam redigantur; ità *Gloss. in cap. gratum, verb. pauciores, de postul. Prælat.* & habetur in *l. sicut*, §. *fin.* ubi *Gloss. & Bart. ff. quod cujusque univers.* & sequitur *Bald.* in sua *margarita, verb. collegium.*

Secus autem, si nullo excepto, moriantur omnes, per argumentum à contrario sensu.

2. Quod etiam extende ad Religionem renovatam; hæc enim renovata Religio, extinctis omnibus personis, ex quibus priùs constabat, non est eadem cum illa priori, cui fuerant privilegia concessa; argumento *d. l. sicut*, §. *fin.* cum multis aliis, quos allegat *Horat. Mandos. in tract. de privil. ad instar, gloss.* 7. *n.* 44.

3. Immò defunctis omnibus Religiosis alicujus Religionis,

gionis, eorum bona, actiones, & jura, transeunt in dominium Cameræ Apostolicæ, à qua avocari minimè possunt, nisi prævià licentià Papæ, quæ omninò debet attendi, & juxta sui tenorem observari.

TRACTATUS SEXTUS
DE EXTENSIONE PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. An privilegium sit extendendum de persona ad personam, ob identitatem, paritatem, vel similitudinem rationis, utrobique repertam?

1. Distinguo, aut privilegia sunt inserta in corpore juris, & sic veluti communes, & universales leges, ob identitatem rationis, de persona ad personam extenduntur: lex enim etiam de casu ad casum, sub illius verbis non comprehensum, ex identitate rationis extenditur, trahitur, & ampliatur, *Sylvest. verb. lex, q.18. Covarr. in c. Alma mater*, quos multis citatis sequitur *P. Merolla tom.2. de legib. & constit. disp.4. c.9. diff.2. n.54.*

2. Ac proinde statutum à Rege datum in favorem alicujus particularis Ecclesiæ, ex identitate rationis ad omnes alias transit Ecclesias: ex quo enim fit ratione Divini cultus, aut reverentiæ ergà Deum; quæ quidem ratio cùm in quavis militet Ecclesia, debet pariter, & in illis omnibus eadem reperiri dispositio.

3. Quod etiam probatur ex *l. Grammaticos, C. de Professoribus, qui in Urbe Constantinopolitana cæteros edocuerint, lib.12.* ubi Magistris per viginti annos, scientiam alios edocentibus, Comitivæ dignitatis privilegium assignatur; quod etiam ad alias Civitates, ob identitatem rationis, ut putà intuitu tot laborum, cum publica, & communi utilitate, transit, & ampliatur; prout sedulò, & latè in *d.l.* docuit *Joan. de Plat.* ubi per plura ostendit ea, quæ statuuntur in uno loco, gratia exempli, ad alia loca trahi, ubi militat eadem ratio finalis, integra, & totalis, legis scilicet constitutiva, ita ex *l.1. §. & licèt, ff. de injur. Franc. Pegna in disput. de author. extravag. in fin. direct. n.14. & Mar. Ant. Genuens.* in suis *practic. Eccles. q.590.* & his priùs *Bal. in auth. nisi rogati, num.15. C. ad Trebell. Felin. in c.1. de const. num.16. Hostiens. in c. cùm super, de sepult.*

4. Si verò privilegia sint particularia, seu contra jus commune, quomodolibet concessa, nec ob identitatem, nec propter majoritatem rationis, poterint extendi de persona ad personam, quia virtus, & efficacia privilegii, non pendet à ratione, sed à voluntate concedentis.

5. Et ea, quæ à jure communi exorbitant, non sunt in consequentiam trahenda; quapropter si quis ob infirmitatem, privilegium habet à Papa, non recitandi Officium Divinum, si eadem in me sit infirmitas, & major; non ideo absolutus ero ab onere recitandi Officium; valor namque privilegii, non est positus in similitudine, nec in paritate rationis, sed in potestate, ut dixi, & voluntate concedentis.

Et habetur in *Decretal. de privil. c.11.* ubi sic dicitur, *sanè temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua authoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui, certà ratione inspectà, singularibus voluit beneficiis indulgere.*

Item in *6. de censibus, & exactoribus, cap.1.* quod incipit, *cùm sit natura consonum*, in ejus fine hæc verba leguntur: *Privilegia verò, seu exemptiones hujusmodi, ad Monasteria, seu Ecclesias, quæ ad eas obvenire contingent in posterum, volumus, non extendi*; & sic privilegium exemptionis Ecclesiarum priscarum, jussu Papæ *Clementis*, ad futuras non extenditur; quibus in verbis, illud placeat expendere, *volumus, non extendi*: sit pro ratione voluntas, cùm aliàs deceat, privilegium Principis esse mansurum, *de reg. jur. in 6.*

Et confirmatur ex *l. pupillorum, §. si Prætor, ff. de reb. eor.* & est communis sententia *DD.*

6. Nec te moveat, quòd privilegium datum alicui ad celebrandum tempore interdicti, extendatur ad famulum ministrantem: quia in tali casu, non fit extensio ad personas, propter identitatem, vel paritatem rationis, sed ob continentiam virtualem, & ne fortè Principis beneficium frustratorium fiat inutile, vel inane. Cùm enim Dominus Papa concedit, ut tempore interdicti, liceat celebrare, intendit, & jure præsumitur, ad celebrandum habilitare, ut juris, & moris; ut putà cum solito, & debito Ministro; sic etiam cùm concedat alicui Illustri personæ, tempore interdicti, divinis interesse, præsumitur concessisse, juxta statum, & personæ qualitatem, ut putà cum congrua, honesta, & solita comitiva; sic etiam dic de Clerico privilegiato, cum socio recitante, aliàs foret inutile concessum privilegium.

Quæst. 2. Privilegium concessum viris, an transeat ad mulieres?

1. In favorabilibus, & præsuppositâ capacitate mulierum, respondeo affirmativè; quia, ut Juristæ communiter ajunt, quando conceditur aliquod privilegium viris, censetur fœminis concessum; si talis privilegii sint capaces, prout latè probat *Anton. de Butrio in cap. fin. de consuetud. Rebuff. in l.1. ff. de verbor. signif. & Tabiena in summ. verb. privilegium, q.12. Aloys. Ricc. collect. 1109.* ubi refert decisum, quòd appellatione hominis, venit fœmina in materia favorabili, secus odiosa: unde etiam dicitur in *Psalmis, Beatus vir, qui timet Dominum*, ubi ly *vir*, comprehendit masculum, & fœminam.

2. Et appellatione fratrum, veniunt sorores, in his, quæ illis possunt adaptari; quia privilegium concessum sub nomine masculino, comprehendit sexum fœmininum, & privilegium absolutè concessum filiis, extenditur etiam ad filias: ex vi namque vocis, filii nomen commune est ad filias, ut dicitur in *l. justa, 201. ff. de verbor. signific. & in l. filii, & in l. cognoscere, ff. eod. titul.* ità *Alex. cons.135 lib.1. Dec. in l. fœminæ, ff. de regul. jur. num.116. Thesaur. dec.269. n.3. Menoch. de præsumpt. præsumpt.34. num.4. lib.4.*

3. Quod limita, non procedere in feudis; in his enim appellatione fratrum, non veniunt sorores, ut multis relatis ostendit *Marin. Frecc. de subfeud. lib.2. author. 1. quæst.12. num.22.*

Quæst. 3. Privilegium concessum nostris Religiosis Fratribus, an intelligatur concessum Sororibus, seu Monialibus, in privilegio non expressis?

1. Et dico, quòd sic in favorabilibus; secus autem in odiosis; & hoc ex privilegio, non autem ex communi jure; *Leo* namque *X.* concessit, & decrevit,

Moniales Divi Augustini, plenè, & largè frui posse omnibus gratiis, & privilegiis, antedicto Ordini concessis; prout legitur in *Compend. Privilegiorum Minorum, tit. Communicatio Privil.* §. 28. & refert *Rodriq. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 22. ubi habes propria verba.

2. Idipsum concessit, & dedit *Bonifacius VIII.* & *Sixtus IV.* nostris Sororibus, & Monialibus Sanctæ Claræ, ut in omnibus, & per omnia gauderent privilegiis Fratrum Minorum, atque Prædicatorum in his, in quibus sexus non repugnat. Et cùm Mendicantium privilegia, ad invicem sint communicata, omnes Sorores sui Ordinis, ac etiam omnium Mendicantium, gaudent gratiis, & fruuntur privilegiis, prout sedulò colligit *Mirand.* in suo *manual. Prælat. part.* 2. *quæst.* 46. *art.* 2. *fol.* mihi 434.

3. Quod limita, non procedere in Monialibus Tertiariis, quæ in parentum domibus habitant, & sub obedientia Ordinis non sunt; ità *Mirand. in d. loc. p.* 2. *de Monial. q.* 46. *art.* 2.

4. Quod item limita in institutione, substitutione, & legatis; nam legata facta Fratribus nostris, non extenduntur ad Moniales nostri Ordinis; aliàs fieret extensio, cum præjudicio tertii, quod justè fieri non potest, quia si legatum nobis factum, extendatur ad Sorores, fit exile, & minus juvat, *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 84. *n.* 4. *Barbat. consil.* 50. *col. ult. lib.* 4. *Alber. in l. tres fratres, ff. de pact.* & *ibi Jas.* cum aliis multis, quos citat *Alex. cons.* 15. *n.* 2. *lib.* 4.

Quæst. 4. *Privilegium nobilitatis mariti, an extendatur ad uxorem?*

1. ET quidem certum est, extendi ex juris dispositione, & omnia privilegia competentia marito, ratione nobilitatis naturalis, qualis est illa, quæ habetur in stirpe, & sanguine, ad uxorem transire, ob quod mulier ignobilis nobilitatur, si fiat uxor viri nobilis, ut dicitur expressè in *l. mulieres, C. de dignit. lib.* 12. & *l. fœmina, ff. de senator.*

2. Quod amplia, procedere, etiam post mortem viri, quia uxor in viduitate perseverans, sui quondam viri nobilitatem retinet, argumento *l. filii, §. Senatores, ff. ad municip.* & *d. l.* 1. *C. de dignit.*

3. Quod item amplia, procedere in dignitate accidentali, quæ, etsi conveniat marito, ratione alicujus artis, vel exercitii; durat tamen, transacto, vel renunciato officio: ceu Senator fit nobilis ex tali munere, & manet nobilis, etiamsi administrationem relinquat: hæc quippe dignitas, licèt in fieri ab officio pendeat, non tamen in conservari, quia semel habita, nunquam deperditur.

4. Secus autem, si dignitas pendeat ab arte, vel exercitio in fieri, esse, & conservari; nam in tali casu, uxor gaudet nobilitate viri, illo vivente, non autem mortuo; prout habetur in *l. sordidorum, C. de excus. muner. lib.* 10. quod refert post multa decisum *Capyc. dec.* 129. *num.* 9. & *Alberic. in l. fœmina, ff. de senat.* ubi docet, mulierem hanc deperdere nobilitatem, si iterum nubat homini inferioris gradus, quod priùs multis citatis ostendit *Bald. cons.* 103. *col.* 2. *vol.* 1. ubi probat, quòd uxores Principum, vices Cæsaris gerentium, habeant jura Augusti.

Quæst. 5. *Privilegium concessum marito, de non solvenda gabella, an transeat ad uxorem?*

1. DIco, quòd sic, dummodo hoc privilegium exemptionis, sit fundatum in nobilitate mariti; nam cum nobilitas mariti, uxori sit communicata, ut in *d. l. mulieres,* dictum est, & *cap. is, qui, § fin. de sepultur. in* 6. eidem pariter sunt communicanda omnia favorabilia, in sui viri nobilitate radicata; accessorium etenim sequitur naturam principalis.

2. Quod amplia, procedere hoc idem, quando ratio exemptionis mariti militat etiam in uxore, ut accidit in privilegio immunitatis, patri concesso, ob numerum duodecim filiorum, quod habetur in *l. si quis Decurio,* 24. *C. de decur. lib.* 10. ubi sancitur, *si quis Decurio, pater sit duodecim filiorum, honoratissima munerum quiete donetur*; quæ *lex*, etsi loquatur de Decurionibus, tamen in privatis hominibus locum habet, prout decisum refert *Thesaur. decis.* 267. *num.* 4. & *Alexand. Trentacinq. lib.* 1. *variar. resolut. tit. de jure immun. num.* 2. & novissimè, non minus eruditè, quàm laboriosè hujus generis argumenta multa colligit *P. Meroll. tom.* 3. *de privil. disp.* 6. *c.* 3. *dub.* 9. *n.* 66.

3. Quod privilegium, ex juris dispositione, convenit etiam matri post mortem sui viri, ut in *d. l. si quis Decurio,* quia in generatione filiorum, plus uxor, & mater patitur, quàm pater, vel maritus; ac proinde utrique commune, & à jure conceditur privilegium, & ambobus viventibus, cùm vir sit caput mulieris, ratione honoris, potiùs pater, quàm mater nominatur, etsi utrumque comprehendat.

4. Quod item amplia, procedere in privilegio, quod est à consuetudine, vel statuto particulari; nam apud quosdam, ex particulari lege, ratione matrimonii, bona uxoris & mariti, fiunt communia, & quasi indivisa, quod ajunt practicari in Regno Portugalliæ, & tunc privilegium concessum viro, prodest etiam uxori possessori omnium bonorum sui viri; ità probatur in *l. si is, qui duos,* & *ibi Bart. in fin. ff. de liber. leg. gloss. in l. fin. C. de muner.* quia usus privilegii, ex parte mariti, est connexus cum uxore.

Quæst. 6. *An privilegium militis, ad ejus uxorem extendatur?*

1. AFfirmativè respondeo; si militia habeat nobilitatem annexam, quod cavetur juribus adnotatis in retroscriptis quæstionibus, quibus probavimus, ex juris dispositione, omnia privilegia, quæ competunt marito, ratione nobilitatis, transire ad uxorem, saltem marito vivente; ità *Afflict. lib.* 3. *Constit. rubr.* 37. *in Constitutione præsenti, num.* 1. & colligitur ex *l. sordidorum, C. de excus. muner. lib.* 10. ubi fit mentio de privilegio, concesso ratione militiæ, habentis dignitatem annexam, ideoque præsupponit, pertinere ad uxorem; prout etiam decisum refert *Capyc. dec.* 129. *n.* 9.

2. Secùs autem, si militia habeat nudum ministerium, sine dignitate, & nobilitate, sic *gloss. in l. unic. C. de castrens. dignit. lib.* 12.

3. Ac proinde privilegium exceptionis hosticæ, concessum Militi, dum militat in castris, non competeret suæ uxori; ità *Capyc. dec.* 76. in causa D. Comitis Altavillæ, & *dec.* 172. in causa Didaci de Sillos, & *Tapia in Constitut. Hostici, num.* 14.

Quæst. 7. *Privilegium fori, quod convenit marito, ratione domicilii, vel alicujus artis, & exercitii, an extendatur ad uxorem?*

1. COnstanter dicas, uxorem per matrimonium fieri de fòro sui viri, sic adeò, ut proprium amittens, absoluta censeatur à patria potestate, & civis effecta illius loci, ubi nupsit; quia vir, & uxor sunt una caro, & non debent per imparia judicari, ut dicitur in *cap. si quis uxorem,* 23. *quæst.* 1. & refert decisum *Mantica decis.*

decis. Rot. Roman. 50. *Thesaur. decis.* 123. *n.* 9. *Surd. dec.* 230. *n.* 14. *Aloys. Ricc. collect.* 251. & 2140.

2. Ac proinde mulier Neapolitana nupta extero, non gaudet privilegio Neapolitanorum; ità *Vinc. de Franch. dec.* 416.

Et habetur in *l. cùm quædam puella, ff. de jurisd. omn. jud.* & *l. fœmina, ff. de Senat.* & *l. mulieres, C. de incol. lib.* 10.

Quæ jura expressè loquuntur, & absque controversia accipiantur de privilegio fori, quod ratione domicilii competit marito.

3. Quod amplia ad uxorem, etiam post mortem viri, prout expressè habetur in *l. filii libertorum*, 22. §. *vidua, ff. ad municip.* ubi sic legitur, *Vidua mulier, amissi mariti domicilium retinet, exemplo clarissimæ personæ, per maritum factæ: sed utrumque aliis intervenientibus nuptiis, permutatur*; hæc ibi.

4. Et ideo vidua relicta, durante viduitate, gaudet omnibus gratiis, & prærogativis, & privilegiis, & statutis Civitatis sui viri, prout fruuntur, & gaudent alii concives.

5. Quod limita, non procedere in præjudicium tertii; quapropter filiafamilias forensis, nupta Neapolitano, in præjudicium sui patris advenæ, non potest testari de bonis adventitiis, sicut possunt, & valent filiæ, & filii Neapolitani, vigore *Consuetud. Neapol.* incipient. *Filiusfamilias*; juncta *Consuet. Sed & mulier*, quod refert decisum *Vinc. de Franch. dec.* 456.

6. Privilegium verò, quod competit marito, intuitu alicujus artis, & exercitii, ut illud de foro, pariter extenditur ad uxorem: prout clarè habetur in *l. pen.* ubi *gloss. C. de fabricens. lib.* 11. & *l. ne ad diversa, C. de silentiar. lib.* 12. & ratio, quæ in dictis juribus assignatur, cùm sit generalis, & finalis, à communi jure præscripta, ubicunque militat, eandem secum fert juris dispositionem: extenditur quippe juris communis privilegium de persona ad personam, ob identitatem rationis, ut suprà dictum est.

7. Finalis ratio prædictarum *Constitutionum* est; quia uxores fabricantium, dicuntur militare inter illos suos viros, est enim uxor, caro sui viri, & socia sui mariti; altera verò extat, ne ad diversa tribunalia tracti, à suis exercitiis extrahantur: quod eveniret utique, si vir pro se coram uno Judice, & pro uxore coram alio litigaret; sunt ergo ob id coram uno, & eodem Judice conveniendi; quæ ambæ rationes, revera, militant in omnibus aliis exercitiis.

8. Quod fori privilegium, intuitu artis debitum, limita, post mortem viri, non habere locum in uxore; nam deperdito officio per mortem, vel delictum, vel renunciationem viri, cessat in uxore privilegium, quod ab illo exercitio procedebat: illud enim privilegium, erat in uxore accessoriè, & in ejus viro, principaliter; & destructo principali, cessat accessorium. Quibus adde, quòd hujusmodi privilegium, tam in fieri, quàm in conservari, dependet à prædictæ artis exercitio: igitur tali arte, quomodocunque & qualitercunque deperdita, cessat privilegium, ut benè notat *Ricc. collect.* 251. & clariùs *collect.* 2984. ubi quærit: An vidua post mortem viri, utatur privilegiis defuncti?

9. Quonam modo, si roges, Judex ordinarius, uxoris privilegiati, causam teneatur remittere? Dicas, teneri; instante, & petente marito; secus autem ad instantiam uxoris; ità sanè per plura refert decisum *Jo. Maria Novar. in praxi elect. fori, quæst.* 47. *sect.* 1. & sedulò id ipsum latè probat in sua *allegat.* typis data per *Aloys. Ricc.* post *collect.* 2984. ubi multa habes, digna notatu.

Quæst. 8. *Privilegium Clerici conjugati, an extendatur ad ejus uxorem, ipso vivente?*

1. Præsupposito, quòd Clericus conjugatus contraxerit cum unica, & virgine, & quòd deferat tonsuram, & habitum Clericalem, juxta *textum cap. unic. de cler. conjugat. in* 6. & quòd alicui Ecclesiæ serviat, & ministret de mandato Episcopi, juxta *Decretum Sac. Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 6. *de reformat.* duo dumtaxat habebit privilegia, nempe *Canonis, Si quis suadente Diabolo*, 17. *quæst.* 4. & fori; ita, ut in causis criminalibus coram Judice laico, nullatenus possit conveniri, ut expressè dicitur in *c. unic. de cler. conjug.* ubi habes hæc præcisa verba.

2. *Clerici, qui cum unicis, & virginibus contraxerunt, si tonsuram, & vestes deferant clericales, privilegium retineant Canonis, ab Innocentio Papa II. prædecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis.*

Et cùm (juxta Parisiense Concilium) nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Judice sæculari: præsenti declaramus edicto, hujusmodi Clericos conjugatos, pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicium sæculare, nec ab ipsis sæcularibus Judicibus, eos debere personaliter, vel etiam pecuniariter, (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari.

In cæteris autem, vel nisi (ut præmittitur) tonsuram, vel vestes deferant clericales: etiam in præmissis, eos gaudere nolumus privilegio clericali. Hæc ibi.

3. Dixi, præsupposito, &c. quia prædictæ qualitates debent insimul, & conjunctim concurrere, & copulativè reperiri in clerico conjugato, aliàs nec prædicta duo habebit privilegia, sed in omnibus, & per omnia reputabitur, ut merè laicus, prout ex multis ostendit *gloss. in d. cap. unic. de cler. conjugat. in propositione casus, in fine*, ubi docet de praxi, & multa refert, plenè *Dom. Reg. Sanfelic. decis.* 13. 14. & 230.

4. An autem hæc duo privilegia comprehendant uxorem clerici conjugati, ipso vivente? Quæsitum est facile, quoad privilegium Canonis: sed multum difficile, quoad privilegium fori.

5. Dixi, facile, quoad privilegium *Canonis*; quia cùm privilegium *Canonis*, sit privilegium personale, in reverentiam Ordinis concessum, & privilegium personale, extra personam non progreditur, nullo prorsus juris subsidio, poterit clericorum uxoribus competere; quia sicut ordo clerici conjugati non communicatur ejus uxori; ità nec ad eam potest extendi clericatus privilegium, *Sanchez lib.* 7. *de matrimon. disput.* 47. *num.* 2. & 4. *Barthol. Gavant.* in suo *manual. Episcop. verb. Clericus, in addit. num.* 18. & *Squillant. cap.* 6. *num.* 41. *de privil. Clericor.* Hinc Clericorum uxores temerè percutientes, non debent, nec possunt excommunicari, *Imola in cap.* 2. *num.* 3. *de for. compet.* & *ibi Alex. de Nevo, num.* 21. *Felin. num.* 3. *Tiraq.* post *leges connub. gloss.* 2. *n.* 61. *Barbos. de potest. Episc. p.* 2. *alleg.* 13. & modernè *P. Merolla tom.* 3. *de privil. disp.* 6. *c.* 3. *n.* 52.

6. Quò verò ad privilegium fori, quæstio est difficilis, de qua duæ sunt opiniones ex remæ: una scilicet negativa, quam sequuntur *Jo. Andr. in addit. ad Speculat. de cler. conjugat.* §. *unico, super num.* 5. *verb. uxores, Joannes de Lignano in cap. unic. de cleric. conjugat. in* 6. *ibique Franc.* §. *ultim. in fin. Anton. de Butr. in cap.* 2. *de foro competent. Sanchez in d. lib.* 7. *de matrimon. disputat.* 47. *Suarez lib.* 8. *de legib. cap.* 11. *num.* 3. *Bonac. de legib. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 7. §. 2. *num.* 6. *Tartaglia in praxi Magni Cur. Vicar. Civil. cap.* 2. *num.* 2. *Joann. Baptista Thor. tom.* 1. *Compend. decis. verb. uxor, D. Reg. Rovit. in prag.* 1.

de Cler. Selvat. num. 2. & alii plures, qui per eosdem allegantur.

7. Ducunturque ex eo, quia prædictum privilegium fori, est etiam personale, sicut & illud Canonis: quandoquidem censetur fundatum in puro, & in nudo ministerio, immediatè, & personaliter præstando per ipsum clericum conjugatum, ut liquet in *d. cap.* 6. *Concil. Tridentin. sess.* 23. *de reformat.* ibi, *in Clericis verò conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII.* quæ incipit, *Clerici, qui cum unicis, modò hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & clericali habitu, & tonsurâ utantur, nemini, quoad hoc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante.*

8. Quapropter servitium præstitum Ecclesiæ per interpositam personam, non suffragatur clerico conjugato, sicut nec ei prodest mea tonsura, & habitus clericalis.

9. Et secundùm hanc opinionem procedunt *Regia Pragmatica de Diaconis, & Clericis Selvaticis*, & plura *Banna Regia*, emanata à Regio Collaterali Consilio hujus Regni, quæ per extensum refert, & sequitur *Marcell. Vulpes* in sua *praxi judic. fori Ecclesiast. cap.* 40. *fol.* mihi 393.

10. Altera verò opinio est affirmativa, quam sequitur *gloss. in can. Clericum*, 3. *verb. Clericum*, 11. *quæst.* 1. *Panormitan. in cap.* 2. *num.* 7. *de for. competent. ubique Imola num.* 3. *Felin. num.* 3. *Aret. num.* 10. *Sylvester verb. Excommunicatio*, 9. *dub.* 12. *verb. quartò, uxor Clerici deferentis tonsuram, & habitum, Tabien. verb. excommun.* 5. *cas.* 18. *quæst.* 7. *num.* 8. *Carol. de Grassis de effect. clericat. effect.* 1. *num.* 155. *Barbos. de potestat. Episcopi, part.* 2. *allegat.* 13. *num.* 15. *Ricc. in praxi variar. resolut. resolut.* 114. *in princip. Novar. de elect. fori, tom.* 1. *sect.* 3. *quæst.* 3. *num.* 4. & alii plures, per eosdem allegati; & moventur ex eo, quia quælibet uxor efficitur de foro mariti, prout expressè habetur in *l. cùm quædam puella, ff. de jurisdict. omn. judic. & in l. mulieres, C. de incol.* quod dictum intelligunt etiam procedere de exemptione à foro sæculari, & effici de foro Ecclesiæ: & privilegium dignitatis viri, extenditur ad ejus uxorem, ut clarè apparet in *d. l. final. de incol.* ubi *textus* ita loquitur, *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum, ex eorum persona statuimus.* Hæc *ibi.* sunt enim una caro, ex *cap. hæc imago*, 33. *quæst.* 5. *cap. Agatosa*, 27. *quæst.* 2. *cap. lex divina, eadem causa.* Unde uxor dicitur pars corporis sui viri.

11. Sed hoc privilegium, de quo agitur, fundatur in Clericatu, qui quidem Clericatus per se est magna dignitas, ut dicitur in *cap. Clerici, de vita, & honestat. Cleric. in* 6. *ubique gloss. in fin. cas. & in verb. Dignitas, & in can. denique*, 4. *distinct. & Felin. in cap. qualiter, & quando, n.* 7. *de judic.*

12. Igitur debet extendi ad ejus uxorem, *Ricc. in d. praxi variar. resolut. resolut.* 114. secus mulieres Clericorum essent pejoris conditionis, quàm cæterorum Artificum, ad quas extenditur privilegium dignitatis maritorum, *Tiraq. de nobil. c.* 9.

13. Et secundùm hanc opinionem procedunt declarationes Sacræ Congregat. Eminentiss. Cardinalium *Sacri Concil. Tridentin.* Interpretum, quas referunt *Barbos. lib.* 1. *de Jure Ecclesiast. cap.* 39. *Joann. Baptista Ciarlin. controvers. forens. cap.* 53. *num.* 77. *Diana part.* 1. *tract.* 2. *resol.* 50. *& in fin. part.* 5. *fol.* mihi 441. in impress. Lugdun. *Addit. ad num.* 38. *Barthol. Gavant. in manual. Episcop. verb. Clericus, num.* 1. & Illustriss. *Maranta* Episcopus Juvenacensis in suo *tract. Apolog. num.* 174. *fol.* mihi 63.

Tu verò, amice Lector, expende prædicta fundamenta, & præfatos *Doctores*, ad quos te remitto, consule, & præcipuè Dom. *Reg. Carol. Tap. lib.* 1. *juris Regni, tit. de Episcop. & Cleric. rit.* 66. *num.* 3. *Regen. Sanfelic.* in suis *Addition.* novissimis, in *decis.* 14. ad *num.* 1. *in fin. & Gallup. in prax. S. C. p.* 2. *c.* 6. *n.* 46. in ultima editione, & presso gradu ambula.

Quæst. 9. Privilegium fori, & immunitatis Clericorum Græcorum, an extendatur ad eorundem filios, & uxores, in viduitate permanentes?

1. Sanchez *de matrimon. tom.* 2. *lib.* 7. *disp.* 47. *num.* 3. respondet ad quæsitum negativè, & movetur primò ex eo, quòd hoc privilegium fori, sicut, & Canonis, sit personale, utpote, quod conceditur ratione dignitatis Ordinis, sicut, & Religiosis, ratione Religionis: cùm ergò sit in solo viro, & omnino divisus à conjunctione conjugali, nec uxor capax sit participationis alicujus Ordinis, sequitur, id viri privilegium, ratione solius Ordinis concessum, non extendi ad uxorem.

2. Secundò, quia, teste *Innoc. in cap.* 1. *num.* 1. *de major. & obed.* privilegium fori concessum est Clericis, ex eo, quia omnino animam, & corpus in Dei obsequium transtulerunt, quod in uxore non reperitur.

Tertiò tandem, quia fundamenta contrariæ opinionis non probant, ut optimè ea resolvit *Barbos.* infrà citandus.

Et hanc sententiam tenuerunt ante ipsum *Jo. de Lignan. in cap. unic. de cleric. conjugat. in* 6. *& ibid. Franc. Ant. de Butr. in cap.* 2. *n.* 6. *de foro compet. & ibid. Alex. de Nevo, Gregor. Lopez*, & alii, quos refert, & sequitur *Barbos. de Jur. Ecclesiast. cap.* 39. §. 2. *num.* 62. ubi latissimè, & *Bonac. de legib. disput.* 1. *quæst.* 3. §. 2. *num.* 9. & novissimè *Reg. Sanfelic. in addit.* noviss. ad *dec.* 14. ad *num.* 1. *in fin.* ubi inclinat in præcitatam opinionem *Sanch. & Barbos.*

3. Verumtamen *Joan. Andr. in cap. unic. de cler. conjug. in* 6. *Carol. de Grass. de effect. cler. effect.* 1. *num.* 155. *Paul. Squillant. de privileg. cleric. cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 34. *Diana part.* 3. *tract.* 1. *resolut.* 45. *& part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 41. *Donat. Anton. de Marin. quotid. resolut. cap.* 58. *num.* 14. *tom.* 1. *Belleti. disquisit. cleric. part.* 1. *tit. de favor. cleric. real.* §. 1. *num.* 24. & alii plures, per eosdem citati, respondent ad quæsitum affirmativè, & moventur.

4. Primò, quia exploratissimi juris est, quòd uxores viduæ, quamdiu manent in viduitate, utuntur privilegiis maritorum, ut clarè constat ex *l. fœmina, ff. de Senat. l. filii, §. vidua, ad municipal. l. cùm te, C. de nupt.* ubi habentur hæc propria verba.

Cùm te non ex Senatore patre procreatam; sed ob matrimonium cum Senatore contractum, clarissima fœmina nomen adeptam dicas: Claritas, quæ beneficio mariti tibi parata est, si secundi ordinis virum postea sortita es: redacta ad prioris dignitatis statum, deposita est, & *l. mulieres*, C. *de incol. lib* 10. ibi *mulieres honore, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. Sin autem minoris ordinis virum postea sortita fuerint, priore dignitate privata, posterioris mariti sequantur conditionem, & domicilium mutamus.* & *l. mulieres.* C. *de dignit. lib.* 12. ubi reperiuntur eadem præcitata verba, ut ibi meliùs est videre: quæ jura omni dubio procul, loquuntur de uxoribus, in viduitate permanentibus; quæ si ad secunda vota transeant, utique perdent privilegia primi mariti.

5. Quò verò ad privilegium immunitatis, moventur ex *l. Medicos, C. de profess. & Medic. lib.* 10 ibi *unà cum uxoribus, & filiis, nec non & rebus, quas in Civitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civili-*

civilibus, vel publicis, immunes esse, præcipimus, & ex l. *omnis* 2 *C. de Episcop. & Cleric.* ibi *Ad perangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates, atque substantia. Omnibus Clericis hujusmodi prærogativa succurrat: ut & conjugia Clericorum, ac liberi eorum quoque ministeria, id est mares, pariter, ac fæminæ, eorumque etiam filii, & filiæ, immunes semper ab hujusmodi muneribus perseverent.* hæc ibi.

6. Quæ *leges* habere locum, non solùm vivente viro, quidam putant; sed etiam mortuo, tum quia, per jura superiùs allegata, privilegia maritorum transeunt ad uxores, in viduitate permanentes; tum etiam, quia ubi lex generaliter loquitur, generaliter, & absque ulla limitatione debet intelligi, *l. filium, ff. de legat. præstandis, l. de pretio. ff. de public. in rem act.* tum item, quia hoc videtur significare illa dictio, *semper*, quæ de sui natura perpetuitatem importat. Ut putà tam constantis, quàm soluti matrimonii, *l. 1. ff. solut. matrimon.* ibi *dotis causa semper*, ubi *Gloss.* per hanc dictionem, exponit causam dotis, etiam soluto matrimonio, permanere.

7. Et quòd prædicta privilegia locum habeant, non solùm in uxore, constante matrimonio; verùm etiam, soluto matrimonio per mortem viri; donec tamen alteri non nupserit; non esset mirandum; nam uxor, dum vidua est, videtur stare in eodem matrimonio, esse, & reperiri in eodem statu, *l. fin. de honor. matrim. l. de emancipat. C. de legat.*

8. Secundò, moventur ex eo, quia dum prædicta privilegia competant uxoribus, & filiis, de jure civili; videntur realia, & non personalia, per ea, quæ docet *Præses de Franchis decis. 363. num. 1.* ubi ait, quòd uxor, quoad forum, de jure communi sequitur forum viri, & constat ex *d. l. fœmina*, & aliis præcitatis Juribus; ergo remanent viro defuncto, & non transeunt cum persona, ut liquet in privilegio immunitatis, propter numerum duodecim filiorum, patri concesso, quod habet etiam locum, mortuo patre; ita ut filii superstites eodem privilegio gaudeant, ut colligitur ex *d. l. Medicos*, & docet *Guid. Papa decis. 389.* & *Anna singul. 24.* ergò ita à pari, & filii Clericorum Græcorum gaudebunt paterno privilegio, etiam patre defuncto.

9. Tertiò, quia privilegia concessa viris, ratione alicujus dignitatis, vel nobilitatis, extenduntur ad eorum filios, & uxores, & perseverant post mortem virorum, ut constat ex allegatis Juribus; sed privilegia hæc, concessa Clericis, sunt dignitatis, & honoris; prout docet *Gloss. in cap. unic. de vit. & honestat. Cleric. in 6. verb. Dignitati*, ubi ait, quòd privilegium dignitati, & non personæ Clericorum confertur, & allegat *text. in cap. si diligenti, de foro compet. & in cap. contingit de sentent. excommun.* Et quòd Clericatus sit honor, & dignitas, planè constat ex *textu, l. 4.* ibi *ad Clericatus honorem, C. de Episc. & Cleric.* & ex *textu, & Glossa, cap. Denique, 4. distinct. cap. reperiuntur, 1. q. 1. cap. si officia, 59. distinct. Gloss. in cap. fides, de rescriptis, & in cap. recolentes, de Cleric. non ordin.* in quibus juribus expressè dicitur, quòd Clericatus sit honor, & dignitas.

10. Et quòd privilegia concessa viris ratione alicujus dignitatis, vel nobilitatis, extendantur ad eorum filios, & uxores, & quòd perseverent post mortem virorum, fuit pluries decisum, ut refert *Capyc. decis. 129. num. 8. Præses de Franchis decis. 363. num. 1. Amendola ad Franch. decis. 416. Regens Ronit. decis. 75. Novar. de Elect. fori, in Append. ad 2. part. quæst. 27. num. 1. & 2. & Philipp. Paschalis de Viribus patr. potest. p. 4. cap. 2. num. 6. fol.* mihi 442.

11. Quartò, quia est magna differentia inter uxores Græcorum Clericorum, & Latinorum; nam Clerici Orientales, Græco ritu viventes, licito jure, possunt conjugio copulari: Etenim Ecclesia Orientalis, præceptum continentiæ Clericis non imponit, *cap. cum olim, de Cleric. conjug. cap. quæsitum, de Pœnit. & remiss.* Secus autem Ecclesia Romana, ut liquet in *cap. aliter, 14. distinct. 31.* ubi sunt hæc præcisa verba: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ Occidentalium, nullus Sacerdotum, à Subdiacono, usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*, hæc ibi.

12. Item Clerici, Græco ritu viventes, etiamsi sint uxorati, & sine actuali servitio, gaudent omnibus privilegiis Clericorum, quia sunt verè Clerici, & personæ Ecclesiasticæ quoad omnia, ut notat *Additio ad Quarantam, verb. vectigal.* ita, ut etiamsi Ecclesiæ non inserviant, juxta *Decretum Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformatione*, adhuc fori privilegio gaudent, ut ex multis ostendit *Squillant. c. 7. num. 15. de privil. Cleric.*

13. Secus autem, Clerici Latini conjugati; quippe qui duobus tantùm potiuntur privilegiis, juxta *c. un. de Cler. conjug.* ut putà fori, & *Canonis, si quis suadente Diabolo:* de qua re videndus *Duard. in explicat. Bullæ Cœnæ Domini, lib. 2. in can. 15. q. 4. conclus. 1. 2. 3. & 4.* cum *addit.* cætera autem privilegia sibi ab Imperatoribus concessa, suspenduntur ab eis, *Abbas in cap. Cleric. de vita, & honestate Cleric. in 6. Carol. de Grassis, de effect. Clericat. effect. 1. num. 90.* & idem *Squillant. de privileg. Cleric. cap. 6. num. 17.*

14. Item Clerici conjugati, Græco ritu viventes, mulieribus non obstantibus, possunt ad sacros Ordines promoveri, ex *d. cap. aliter, 31. distinct.*

15. Secus autem Clerici conjugati Latini: quia hi ad sacros Ordines non admittuntur; imò per conjugium amittunt beneficium, si quod habeant Ecclesiasticum, *cap. cum decore, de Cleric. conjugat.* perinde aliter judicandum est de Clericis conjugatis Latinis, & Clericis Græcis.

Quæ autem opinio sit probabilior, dicant alii, quibus judicandum relinquo.

Quæst. 10. Privilegia Diaconorum, & Clericorum Selvaticorum, an extendantur ad eorum uxores?

1. Diaconi, & Clerici Selvatici, non sunt ipsimet Clerici conjugati, prout quidam malè putant, sed alterius generis, & ab illis in multis distinguuntur.

2. Nam Clerici conjugati ante matrimonium consummatum cum unica, & virgine, minores Ordines, vel saltem primam tonsuram susceperunt, & in habitu, & tonsura incedebant, ad præscriptum *cap. unic. de Cleric. conjug. in 6.* de quibus latè *Carol. de Grass. de effect. Cleric. effect. 1. num. 84.* & *Barbos. de potest. Episc. part. 2. alleg. 12. num. 25.*

3. Clerici autem Selvatici carent omni ordine Clericali, & parùm refert, an cum virgine, vel corrupta, an cum unica, vel cum multis matrimonium contraxerint, etenim sunt personæ merè laicales, nudis, & vilibus Ecclesiarum servitiis adscriptæ ab Illustrissimo Episcopo, loci ordinario.

4. Item Clerici conjugati ratione Ordinis, quo sunt insigniti, gaudent privilegio *Canon. Si quis suadente Diabolo*, quo Diaconi, & Clerici Selvatici, nequaquam possunt potiri, cùm nullum habeant Ordinem.

5. Item, & Clerici conjugati possunt sine certo numero ad libitum multiplicari, secus autem Selvatici, prout constat ex *Decreto* Sacr. Congregat. quod per extensum refert *Jo. Maria Novar. in tract. de elect. fori, part. 1. sect. 2. quæst. 52. num. 13. fol.* mihi 143. in impressione Neapolitana,

de Cler. Selvat. num. 2. & alii plures, qui per eosdem allegantur.

7. Ducunturque ex eo, quia prædictum privilegium fori, est etiam personale, sicut & illud Canonis: quandoquidem censetur fundatum in puro, & in nudo ministerio, immediatè, & personaliter præstando per ipsum clericum conjugatum, ut liquet in *d. cap. 6. Concil. Tridentin. sess.* 23. *de reformat.* ibi, *in Clericis verò conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII.* quæ incipit, *Clerici, qui cum unicis, modò hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & clericali habitu, & tonsurâ utantur, nemini, quoad hoc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante.*

8. Quapropter servitium præstitum Ecclesiæ per interpositam personam, non suffragatur clerico conjugato, sicut nec ei prodest mea tonsura, & habitus clericalis.

9. Et secundùm hanc opinionem procedunt *Regia Pragmatica de Diaconis, & Clericis Selvaticis*, & plura *Banna Regia*, emanata à Regio Collaterali Consilio hujus Regni, quæ per extensum refert, & sequitur *Marcell. Vulpes* in sua *praxi judic. fori Ecclesiast. cap.* 40. *fol.* mihi 393.

10. Altera verò opinio est affirmativa, quam sequitur *gloss. in can. Clericum 3. verb. Clericum 11. quæst. 1. Panormitan. in cap. 2. num. 7. de for. competent. ibique Imola num. 3. Felin. num. 3. Aret. num. 10. Sylvester verb. Excommunicatio, 9. dub. 12. verb. quartò, uxor Clerici deferentis tonsuram, & habitum. Tabien. verb. excommun. 5. cas. 18. quæst. 7. num. 8. Carol. de Grassis de effect. clericat. effect. 1. num. 155. Barbos. de potestat. Episcopi part. 2. allegat. 13. num. 15. Ricc. in praxi variar. resolut. resolut. 114. in princip. Novar. de elect. fori, tom. 1. sect. 3. quæst. 3. num. 4.* & alii plures, per eosdem allegati; & moventur ex eo, quia quælibet uxor efficitur de foro mariti, prout expressè habetur in *l. cùm quædam puella, ff. de jurisdict. omn. judic. & in l. mulieres, C. de incol.* quod dictum intelligunt etiam procedere de exemptione à foro sæculari, & effici de foro Ecclesiæ: & privilegium dignitatis viri, extenditur ad ejus uxorem, ut clarè apparet in *d. l. final. de incol.* ubi textus ita loquitur, *Mulieres honore maritorum erigimus, & genere nobilitamus, & forum, ex eorum personis statuimus. Hæc ibi.* sunt enim una caro, ex *cap. hæc imago, 33. quæst. 5. cap. Agatosa, 27. quæst. 2. cap. lex divina, eadem causa.* Unde uxor dicitur pars corporis sui viri.

11. Sed hoc privilegium, de quo agitur, fundatur in Clericatu, qui quidem Clericatus per se est magna dignitas, ut dicitur in *cap. Clerici, de vita, & honestat. Cleric. in 6. ibique gloss. in fin. cas. & in verb. Dignitas, & in can. denique, 4. distinct. & Felin. in cap. qualiter, & quando, n. 7. de judic.*

12. Igitur debet extendi ad ejus uxorem, *Ricc. in d. praxi variar. resolut. resolut.* 114. secus mulieres Clericorum essent pejoris conditionis, quàm cæterorum Artificum, ad quas extenditur privilegium dignitatis maritorum, *Tiraq. de nobil. c.* 9.

13. Et secundùm hanc opinionem procedunt declarationes Sacræ Congregat. Eminentiss. Cardinalium *Sacri Concil. Tridentin.* Interpretum, quas referunt *Barbos. lib. 1. de Jure Ecclesiast. cap. 39. Joann. Baptista Ciarlin. controvers. forens. cap. 53. num. 77. Diana part. 1. tract. 2. resol. 50. & in fin. part. 5. fol.* mihi 441. in impress. Lugdun. *Addit. ad num. 38. Barthol. Gavant. in manual. Episcop. verb. Clericus, num. 1.* & Illustriss. *Marantâ* Episcopus Juvenacensis in suo *tract. Apolog. num. 174. fol.* mihi 63.

Tu verò, amice Lector, expende prædicta fundamenta, & præfatos *Doctores*, ad quos te remitto, consule, & præcipuè Dom. *Reg. Carol. Tap. lib. 1. juris Regni, tit. de Episcop. & Cleric. rit. 66. num. 3. Regen. Sanfelic.* in suis *Addition.* novissimis, in *decis.* 14. ad *num. 1. in fin. & Gallup. in prax. S. C. p. 2. c. 6. n.* 46. in ultima editione, & presso gradu ambula.

Quæst. 9. Privilegium fori, & immunitatis Clericorum Græcorum, an extendatur ad eorundem filios, & uxores, in viduitate permanentes?

1. Sanchez *de matrimon. tom. 2. lib. 7. disp. 47. num.* 3. respondet ad quæsitum negativè, & movetur primò ex eo, quòd hoc privilegium fori, sicut, & Canonis, sit personale, utpote, quod conceditur ratione dignitatis Ordinis, sicut, & Religiosis, ratione Religionis: cùm ergò sit in solo viro, & omnino divisus à conjunctione conjugali, nec uxor capax sit participationis alicujus Ordinis, sequitur, id viri privilegium, ratione solius Ordinis concessum, non extendi ad uxorem.

2. Secundò, quia, teste *Innoc. in cap. 1. num. 1. de major. & obed.* privilegium fori concessum est Clericis, ex eo, quia omnino animam, & corpus in Dei obsequium transtulerunt, quod in uxore non reperitur.

Tertiò tandem, quia fundamenta contrariæ opinionis non probant, ut optimè ea resolvit *Barbos.* infrà citandus.

Et hanc sententiam tenuerunt ante ipsum *Jo. de Lignan. in cap. unic. de cleric. conjugat. in 6. & ibid. Franc. Ant. de Butr. in cap. 2. n. 6. de foro compet. & ibid. Alex. de Nevo, Gregor. Lopez,* & alii, quos refert, & sequitur *Barbos. de Jur. Ecclesiast. cap. 39. §. 2. num. 62.* ubi latissimè, & *Bonac. de legib. disput. 1. quæst. 3. §. 2. num. 9.* & novissimè *Reg. Sanfelic. in addit.* noviss. ad *dec. 14.* ad *num. 1. in fin.* ubi inclinat in præcitatam opinionem *Sanch. & Barbos.*

3. Verumtamen *Joan. Andr. in cap. unic. de cler. conjug. in 6. Carol. de Grass. de effect. cler. effect. 1. num. 155. Paul. Squillant. de privileg. cleric. cap. 7. dub. 2. num. 34. Diana part. 3. tract. 1. resolut. 45. & part. 4. tract. 1. resol. 41. Donat. Anton. de Marin. quotid. resolut. cap. 58. num. 14. tom. 1. Belleit. disquisit. cleric. part. 1. tit. de favor. cleric. real. §. 1. num. 24.* & alii plures, per eosdem citati, respondent ad quæsitum affirmativè, & moventur.

4. Primò, quia exploratissimi juris est, quòd uxores viduæ, quamdiu manent in viduitate, utuntur privilegiis maritorum, ut clarè constat ex *l. fœmina, ff. de Senat. l. filii, §. vidua, ad municipal. l. cùm te, C. de nupt.* ubi habentur hæc propria verba.

Cùm te non ex Senatore patre procreatam; sed ob matrimonium cum Senatore contractum, clarissima fœmina nomen adeptam dicas: Claritas, quæ beneficio mariti tibi parata est, si secundi ordinis virum postea sortita es: redacta ad prioris dignitatis statum, deposita est, & *l. mulieres,* C. *de incol. lib* 10. ibi *mulieres honore, & genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus. Sin autem minoris ordinis virum postea sortita fuerint, priore dignitate privata, posterioris mariti sequantur conditionem, & domicilium mutamus,* & *l. mulieres. C. de dignit. lib.* 12. ubi reperiuntur eadem præcitata verba, ut *ibi* meliùs est videre: quæ jura omni dubio procul, loquuntur de uxoribus, in viduitate permanentibus; quæ si ad secunda vota transeant, utique perdent privilegia primi mariti.

5. Quò verò ad privilegium immunitatis, moventur ex *l. Medicos, C. de profess. & Medic. lib.* 10. ibi *unà cum uxoribus, & filiis, nec non & rebus, quas in Civitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus civili-*

civilibus, vel publicis, immunes esse, præcipimus, & ex l. *omnis* 2. C. *de Episcop. & Cleric.* ibi *Ad perangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates, atque substantiæ. Omnibus Clericis hujusmodi prærogativa succurrat: ut & conjugia Clericorum, ac liberi eorum quoque ministeria, id est mares, pariter, ac fœminæ, eorumque etiam filii, & filiæ, immunes semper ab hujusmodi muneribus perseverent.* hæc ibi.

6. Quæ leges habere locum, non solùm vivente viro, quidam putant; sed etiam mortuo, tum quia, per jura superiùs allegata, privilegia maritorum transeunt ad uxores, in viduitate permanentes; tum etiam, quia ubi lex generaliter loquitur, generaliter, & absque ulla limitatione debet intelligi, *l. filium, ff. de legat. præstandis, l. de pretio. ff. de public. in rem act.* tum item, quia hoc videtur significare illa dictio, *semper*, quæ de sui natura perpetuitatem importat. Ut putà tam constantis, quàm soluti matrimonii, *l.* 1. *ff. solut. matrimon.* ibi *dotis causa semper*, ubi *Gloss.* per hanc dictionem, exponit causam dotis, etiam soluto matrimonio, permanere.

7. Et quòd prædicta privilegia locum habeant, non solùm in uxore, constante matrimonio; verùm etiam, soluto matrimonio per mortem viri; donec tamen alteri non nupserit, non esset mirandum; nam uxor, dum vidua est, videtur stare in eodem matrimonio, esse, & reperiri in eodem statu, *l. fin. de honor. matrim. l. de emancipat. C. de legat.*

8. Secundò, moventur ex eo, quia dum prædicta privilegia competant uxoribus, & filiis, de jure civili; videntur realia, & non personalia, per ea, quæ docet *Præses de Franchis decis.* 363. *num.* 1. ubi ait, quòd uxor, quoad forum, de jure communi sequitur forum viri, & constat ex *d. l. fœmina*, & aliis præcitatis Juribus; ergo remanent viro defuncto, & non transeunt cum persona, ut liquet in privilegio immunitatis, propter numerum duodecim filiorum, patri concesso, quod habet etiam locum, mortuo patre; ita ut filii superstites eodem privilegio gaudeant, ut colligitur ex *d. l. Medicos*, & docet *Guid. Papa decis.* 389. & *Anna singul.* 24. ergò ita à pari, & filii Clericorum Græcorum gaudebunt paterno privilegio, etiam patre defuncto.

9. Tertiò, quia privilegia concessa viris, ratione alicujus dignitatis, vel nobilitatis, extenduntur ad eorum filios, & uxores, & perseverant post mortem virorum, ut constat ex allegatis Juribus; sed privilegia hæc, concessa Clericis, sunt dignitatis, & honoris; prout docet *Gloss. in cap. unic. de vit. & honestat. Cleric. in* 6. *verb. Dignitati*, ubi ait, quòd privilegium dignitati, & non personæ Clericorum confertur, & allegat *text. in cap. si diligenti, de foro compet. & in cap. contingit de sentent. excommun.* Et quòd Clericatus sit honor, & dignitas, planè constat ex *textu, l.* 4. ibi *ad Clericatus honorem, C. de Episc. & Cleric.* & ex *textu, & Glossa, cap. Denique*, 4. *distinct. cap. reperiuntur*, 1. *q.* 1. *cap. si officia*, 59. *distinct. Gloss. in cap. sedes, de rescriptis, & in cap. recolentes, de Cleric. non ordin.* in quibus juribus expresè dicitur, quòd Clericatus sit honor, & dignitas.

10. Et quòd privilegia concessa viris ratione alicujus dignitatis, vel nobilitatis, extendantur ad eorum filios, & uxores, & quòd perseverent post mortem virorum, fuit pluries decisum, ut refert *Capyc. decis.* 129. *num.* 8. *Præses de Franchis decis.* 363. *num.* 1. *Amendola ad Franch. decis.* 416. *Regens Ronit. decis.* 75. *Novar. de Elect. fori, in Append. ad* 2. *part. quæst.* 27. *num.* 1. & 2. & *Philipp. Paschalis de Viribus patr. potest. p.* 4. *cap.* 2. *num.* 6. *fol.* mihi 442.

11. Quartò, quia est magna differentia inter uxores Græcorum Clericorum, & Latinorum; nam Clerici Orientales, Græco ritu viventes, licito jure, possunt conjugio copulari: Etenim Ecclesia Orientalis, præceptum continentiæ Clericis non imponit, *cap. cùm olim, de Cleric. conjug. cap. quæsitum de Pœnit. & remiss.* Secus autem Ecclesia Romana, ut liquet in *cap. aliter*, 14. *distinct.* 31. ubi sunt hæc præcisa verba: *Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ; nam earum Sacerdotes, Diacomi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem Ecclesiæ Occidentalium, nullus Sacerdotum, à Subdiacono, usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*, hæc ibi.

12. Item Clerici, Græco ritu viventes, etiamsi sint uxorati, & sine actuali servitio, gaudent omnibus privilegiis Clericorum; quia sunt verè Clerici, & personæ Ecclesiasticæ quoad omnia, ut notat *Additio ad Quarantam, verb. vectigal.* ita, ut etiamsi Ecclesiæ non inserviant, juxta *Decretum Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 6. *de reformatione*, adhuc fori privilegio gaudent, ut ex multis ostendit *Squillant. c.* 7. *num.* 15. *de privil. Cleric.*

13. Secus autem, Clerici Latini conjugati; quippe qui duobus tantùm potiuntur privilegiis, juxta *c. un. de Cler. conjug.* ut putà fori, & *Canonis, si quis suadente Diabolo:* de qua re videndus *Duard. in explicat. Bullæ Cœnæ Domini, lib.* 2. *in can.* 15. *q.* 4. *conclus.* 1. 2. 3. & 4. cum *addit.* cætera autem privilegia sibi ab Imperatoribus concessa, suspenduntur ab eis, *Abbas in cap. Cleric. de vita, & honestate Cleric. in* 6. *Carol. de Grassis, de effect. Clericat. effect.* 1. *num.* 90. & idem *Squillant. de privileg. Cleric. cap.* 6. *num.* 17.

14. Item Clerici conjugati, Græco ritu viventes, mulieribus non obstantibus, possunt ad sacros Ordines promoveri, ex *d. cap. aliter*, 31. *distinct.*

15. Secus autem Clerici conjugati Latini: quia hi ad sacros Ordines non admittuntur; imò per conjugium amittunt beneficium, si quod habeant Ecclesiasticum, *cap. cum decore, de Cleric. conjugat.* perinde aliter judicandum est de Clericis conjugatis Latinis, & Clericis Græcis.

Quæ autem opinio sit probabilior, dicant alii, quibus judicandum relinquo.

Quæst. 10. *Privilegia Diaconorum, & Clericorum Selvaticorum, an extendantur ad eorum uxores?*

1. Diaconi, & Clerici Selvatici, non sunt ipsimet Clerici conjugati, prout quidam malè putant, sed alterius generis, & ab illis in multis distinguuntur.

2. Nam Clerici conjugati ante matrimonium consummatum cum unica, & virgine, minores Ordines, vel saltem primam tonsuram susceperunt, & in habitu, & tonsura incedebant, ad præscriptum *cap. unic. de Cleric. conjug. in* 6. de quibus latè *Carol. de Grass. de effect. Cleric. effect.* 1. *num.* 84. & *Barbos. de potest. Episc. part.* 2. *alleg.* 12. *num.* 25.

3. Clerici autem Selvatici carent omni ordine Clericali, & parùm refert, an cum virgine, vel corrupta, an cum unica, vel cum multis matrimonium contraxerint, etenim sunt personæ merè laicales, rudis, & vilibus Ecclesiarum servitiis adscriptæ ab Illustrissimo Episcopo, loci ordinario.

4. Item Clerici conjugati ratione Ordinis, quo sunt insigniti, gaudent privilegio *Canon. Si quis suadente Diabolo*, quo Diaconi, & Clerici Selvatici, nequaquam possunt potiri, cùm nullum habeant Ordinem.

5. Item, & Clerici conjugati possunt sine certo numero ad libitum multiplicari, secus autem Selvatici, prout constat ex *Decreto* Sacr. Congregat. quod per extensum refert *Jo. Maria Novar. in tract. de elect. fori, part.* 1. *sect.* 2. *quæst.* 52. *num.* 13. *fol.* mihi 143. in impressione Neapolitana,

litana, & ejus Frater Canonicus *Jo. Antonius Novar. in Summa Bullarum, titul. de Diaconis Selvatic. fol.* mihi 229. secundùm eam impressionem Neapolitanam.

6. Et ex his ego dico ad quæstionem, quòd Privilegia hujusmodi servientium, fundantur in nudo servitio, à quo pendent in fieri, & conservari, omni Nobilitate exclusâ: consequenter nequeunt ad eorum uxores extendi.

7. Et confirmatur; nam si Privilegia Clericorum conjugatorum secundùm plures *DD.* non comprehendunt eorum uxores, eo, quòd censentur personalia, & fundata in solo servitio, juxtà *Decretum Concil. Tridentum, sess. 23. de reformat. cap. 6.* & latè probat *D. de Marin. resolut. 350. lib. 1.* Quantò magis hoc debet procedere in Diaconis Selvaticis, qui sunt inferioris notæ, sine ordine, & infimæ conditionis.

8. Sed in hoc Regno Neapolitano valde dubitatur in Praxi de Privilegiis talium Clericorum Selvaticorum, ex *Pragmat. 4. de Clericis, seu Diaconis Selvaticis;* Propterea videndi sunt *D. Regens Sanfelic. decis. prima, Vulpes in Praxi, cap. 40. num. 10. fol. 393. Dian. part. 3. tract. 1. resolut. 69. Petr. Henriquez in opusculo de Appretio, singular. 58. & 59. Barbos. in collectan. Bullar. verb. Diaconus, & Laganar. in addition. ad D. Reg. Rovit. in d. Pragmatic.* Ad quos me remitto, & alios supra citatos.

Quæst. 11. Privilegium concessum alicui; an ad ejus Familiares, Socios, & Commensales extendatur?

1. Familiarium nomine, largè sumpto vocabulo, veniunt omnes cohabitantes cum aliquo, ut in *c. in his literis, de testib. & cap. insinuante, de offic. delegat.* uti sunt mulier, filii, nepotes, servi, omnesque alii, qui ratione potestatis paternæ, vel dominii degunt cum illo, vel illius sumptibus, & expensis continuò aluntur; etiamsi aliquando pro ejus negotiis peragendis, contingat abesse; prout docuit *Gloss. in d. c. in his literis, & gloss. in l. præsenti, §. sanè. C. de his, qui ad Eccles. confug. Ang. Tab. & Sylv. verb. Familiaris,* & sequitur *Navarr. in summ. cap. 27. num. 181.*

2. Quo præsupposito, negativè respondeo ad quæsitum, quia Privilegium personale, Privilegiarii personam non excedit, ut suprà dictum est; secus autem reale.

3. Quod limita, nisi aliter in Privilegio exprimatur, aut si esset, vel fieret privilegium inutile, nisi ad prædictos extendatur, ut docuit *Bald. in l. 1. C. de uxor. milit. Lucas de Pen. in rubr. de appar. præfect. urb. lib. 12.*

4. Et hoc ideò; quia, qui vult finem, dat media ad consequendum finem; & qui alicui facultatem facit, moraliter ea omnia concedere censetur, quæ ad illius usum necessaria sunt. Ob id, si Rex tibi potestatem concedat deferendi sclopetum, ea omnia, quæ ad usum sclopeti sunt necessaria, concessisse videtur, argum. *text. in cap. præter. de off. delegat.* in quo casu Privilegii non fit extensio, sed rigorosa, & juridica interpretatio, ut post multos docuit *Suar. de legib. lib. 8. cap. 11. num. 7.*

Ex quibus licet inferre ea multa, quæ dicam infrà *quæst. 14.*

Quæst. 12. Privilegium Patri concessum, an ad Filios extendatur?

1. Si Privilegium sit reale, vel competens Patri, ratione alicujus artis, aut ministerii, utique sic transit ad filios, eo modo, quo diximus, Privilegia Mariti transire ad Uxorem, quia filius, & mater, quoad hoc æquiparantur.

2. Secus autem, si Privilegium sit Patri personale; prout colligitur ex regula generali, *l. in omnibus causis, 48. ff. de regul. jur.* & docet *gloss. in cap. licèt, de censibus, & gloss. fin. l. ex pluribus, 43. ff. de administ. tut.* quæ jura simpliciter negant, filium gaudere Patris privilegio; ita *Bald. in l. 2. C. de Episcop. & Cleric. num. 5. Alex. de Nevo in cap. 2. de foro compet. n. 22. & Jason. in l. si cum Procuratore, n. 8. ff. de re jud.*

3. Verùm, quando hoc personale Privilegium conceditur principaliter propter matrimonium; quodammodo fit reale, ac proinde transit ad filios susceptos ex eodem matrimonio, *l. etiam, 19. ff. solut. matrim.* ut est privilegium tacitæ hypothecæ, quod personæ mulieris conceditur, ad recuperandam dotem, *§. fuerat. in fin. Instit. de act.* ubi *gloss.* ut præferatur creditoribus mariti, habentibus personales actiones, aut tacitam hypothecam, etiam anteriorem in bonis ejusdem Mariti, *l. assiduus, C. qui potior. in pignor. hab.* hæc enim Privilegia non solùm ad filios transeunt, verùm etiam ad hæredes, etiamsi sint extranei; prout docet *gloss. in d. §. fuerat, verb. quod verum intellige,* & apertè colligitur ex *l. unica, C. de Privil.*

4. Benè verum, & mente tenendum est, quòd Privilegia paterna, & materna, multifariàm; multisque modis possunt ad filios transire; ita ut, si uno jure prohibeantur ad illos extendi, ex vi tamen alterius juris, de facto extendantur, ut putà, non principaliter, sed accessoriè, non per se, sed per accidens; quatenus sunt de familia Patris, vel sub patria potestate, ut de Uxore dictum est; ità *gloss. in l. 2. C. de Episc. & Cleric. verb. filius, Jason l. filius à Patre, §. 1. n. 3. ff. de liber. & posth. Barbos. in l. quia tale, 14. num. 26. ff. solut. matrimon. Tiraquell. de primogenit. quæst. 32. num. 3.*

Quæst. 13. Privilegium concessum Sacerdoti ad celebrandum Missam tempore Interdicti; an comprehendat Ministrum servientem?

1. Ita sanè, secus autem inutile foret celebrandi Privilegium, aut valde nimis vexaretur Sacerdos, si semel cogatur Ministrum quærere, qui pariter ex particulari Privilegio ipsum Sacerdotem celebrantem possit adjuvare: Privilegium quippe debet esse per se efficax, & alterius ope non indigere; ità *gloss. in cap. licèt vobis, de privil. in 6. verb. non debent, Sylv. verb. interdictum 5. quæst. 1. & Navar. in sum. cap. 27. num. 180.* cum aliis, quos citat, *Sayr. de censur. lib. 5. cap. 5. num. 29.*

2. Quod limita, non procedere in Ministro, qui causam dederit interdicto, vel auxilium, vel consilium, aut favorem præstiterit ad patrandum delictum, cujus intuitu fit, & publicatur interdictum: tunc etenim Missæ non poterit inservire, prout declaratur in *d. cap. licèt, §. cùm conceditur, de privil. in 6.*

3. Quod item procedit de privilegio Sacerdoti concesso, ad recitandum officium per Breviarium brevius chorale, aut ad illud persolvendum in tempore, non suo; hoc etiam extenditur ad socium adjuvantem, qui quidem socius suo satisfacit muneri, etiamsi sit beneficiatus, vel in sacris constitutus; Privilegium enim dari censetur in levamen, & opem Privilegiarii; aliàs esset inutile, aut parum juvaret; tum quia in Ecclesia consuevit officium cum socio recitari; & ob connexionem actionis, ad personam non expressam, contingit extendi Privilegium; prout docet *Henriquez lib. 7. de indulgentiis, cap. 30. num. 4.* cum multis aliis, quos citat

Bonac.

Bonac. de legibus disput. 1. quaest. 3. punct. 7. §. secunda, utrùm Privilegium censeatur concessum, num. 6. vers. 3. & P. Merolla tom. 3. de Privil. disput. 6. cap. 3. num. 133. in 3. coroll. & in propriis terminis de Breviario breviori, id docet *Henriquez ubi suprà. Portellus in dubiis regularib. verb. Horæ Canonicæ num. 8. Diana part. 2. tract. de Hor. Canonicis, resolut. 35.* & sequitur *Faust. in tract. de Hor. Canonic. quæst. 94.* ubi dicit, opinionem prædictam procedere in casu, quo Privilegiatus non potest commodè recitare Officium sine socio: secus autem, si commodè potest illud persolvere.

4. Quod iterùm amplia, procedere de licentia data Religioso ad ingrediendum Monasteria Monialium, comprehendere socium, etiamsi non exprimatur; quia gratia Principis, ut infrà dicemus, ad Familiares extenditur, ut dicitur in *cap. licèt, de Privil. in 6. & cap. authorit. eodem titul. & cap. judicatum, 89. dist.* quod doctè probat *Rodriquez qq. regul. tom. 3. quæst. 6. de Monialibus, art. 2. Miranda* in suo *Manual. Prælat. de Monialibus, quæst. 2. art. 17. in fine, Aloys. Ricc. part. 1. prax. fori Eccles. resolut. 632. & P. Sanchez in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 46.* cum aliis multis, quos citat *Diana in 3. part. tract. 2. de dubiis regul. resolut. 51.* quia Religiosorum ordo, & decentia petunt, ut euntes, simul habitent, & revertentes, simul stent, ac proinde debet unusquisque testem habere pro conscientia sua. Tutiùs tamen foret, habere licentiam à suo Superiore, etiam pro socio.

Quæst. 14. Privilegium ad audiendum Divina Officia, tempore interdicti, alicui gravi personæ concessum, an ad ejus Domesticos, & Familiares extendatur?

1. Dico, quòd sic; etiamsi Privilegium sit particulare, & de servis, ac familiaribus expresè non loquatur; prout clarè habetur in *cap. licèt vobis, de privileg. in 6.* aliàs inutile foret; quod non debet esse, ut dicitur in *cap. in his, de privileg. in 6.*

2. Dummodo (quod nota) eorum culpa, vel fraude non sit latum interdictum; nec eorum consilio, auxilio, vel favore, sit delictum commissum; cujus causa fiat, & publicetur interdictum: hi quidem omnes, in tali casu, privilegio non gaudent.

3. Sicut, nec etiam Familiares, & Domestici alicujus Conventus, vel Collegii admittuntur ad Divina audiendum: etiamsi illorum Monasterium privilegium habeat officiandi, & celebrandi tempore interdicti: hæ namque limitationes habentur expresè in *d. cap. licèt vobis, de privileg. in 6.* ut benè notant noster *Sot. in 4. sent. dist. 22. q. 3. art. 1. & Covarr.* post multos alios in *2. p. relect. §. 4. num. 5. illatio. 11.*

4. Si verò roges, qui sint hi Familiares, & Domestici, ad quos se extendit Privilegium, ad Divinis interessendum tempore communis interdicti: omissis Juniorum dicteriis, respondet *Sot.* cit. *loc.* & *Navarr. in summ. cap. 27. num. 181.* quòd quanquam in aliis materiis per Familiares, & Domesticos, intelligantur; Mulier, Filii, Nepotes, Servi, & Famuli, illi subjecti, qui ratione potestatis Paternæ, vel Dominii, degunt cum illo; juxta *Gloss.* & determinationem *Aret. & Felin. in cap. in literis, de testibus*; in hoc tamen casu non sumitur tam latè; & sic, nostro judicio, illi tantùm intelligendi sunt Familiares, & Domestici alicujus, qui eum de more comitantur. Hæc enim ampliatio hujus Privilegii fit, ne inutile sit, ut posset esse; nisi sic ampliaretur ad multos, qui sine comitatu, non possunt honestè ad Ecclesiam ire, aut celebrare in ea, juxta *gloss. in d. c. licèt,* quam solemnem *Dec.* appellat, & commendat in *cap. cùm ordine, de rescriptis, col. 2.* & sequitur *Henriquez lib. 7. de indulgent.* cum multis aliis, quos *P. Avila* citat in *tract. de censur. part. 5. disp. 4. sect. 11. dub. 7. & P. Merolla tom. 3. de Privil. disput. 7. cap. 3. n. 136. diffic. 1.*

5. Quapropter uxor, ex vi Bullæ concessæ marito, tempore communis interdicti, non potest, nec debet interesse divinis officiis; quia servorum nomine, & famulorum voce, cum proprietate sermonis, non venit Uxor; ut docet *Anchar. in d. cap. licèt,* tum etiam, quia Uxor non solet de more esse in comitatu sui Mariti, euntis ad divina; cùm item hoc privilegium, quandam contineat dispensationem contra jus commune, debet strictè interpretari; juxta *text. in cap. porrò, de privileg.* Tum item, quia posse secum ferre consanguineos usque ad quartum gradum, ad interessendum divinis officiis tempore interdicti, est peculiaris concessio sumentibus *Bullam Cruciatæ*; cujus proprium non debet ad aliena extendi, ut doctè notat *Rodriquez in expositione dictæ Bullæ, §. 5. num. 5.* ubi dicit, hoc esse singulare in *Bulla Cruciatæ.*

6. Et tandem adde, quòd si Romanus Pontifex in *d. cap. licèt, de privil. in 6.* voluisset largè hoc privilegium extendere ad omnes, & singulos Familiares, & Domesticos Privilegiarii: non quidem excepisset Familiares Conventus, & Collegii Domesticos.

7. Hos, revera excepit; quia Monasteria, & Conventus sine his potest utique decenter divina recitare officia, & reverenter Missas celebrare.

8. Verùm, non admisis Domesticis, & Familiaribus privilegiatæ personæ, sine solita decentia, & comitatu, talis persona Ecclesiam non peteret, & divina non adiret: sicque fieret ejus Privilegium inutile, quod non debet esse, ut suprà dixi.

9. Ac proinde, ad eos etiam extenditur, qui Domi Privilegiati non habitant, dummodò illum continuè sequantur, & de more, ut par est, comitentur.

10. Nec non, ad eos, qui subrogantur, & assumuntur loco Familiarium, aut Domesticorum, qui sunt absentes, vel infirmi, ne scilicet perperam, & inane sit præfatum Privilegium.

11. Quod intellige, dummodo fraudulenter non recipiantur, vel callidè acceptentur; prout dixit *Gemmian. in d. cap. licèt,* & habetur in *cap. final. de verb. signif. in 6.* ubi dicitur, quòd ille est alicujus Clericus, qui sine fraude susceptus fuit ab eo, & continuè in ejus familia assistit, ejusque sumptibus sustentatur.

12. Qui quidem Familiares, sic admisi, ad hoc, ut privilegium participent, ultrà prædicta, debent insimul cum Domino divinis interesse; nam absente Privilegiario, vel ab eo divisi, frui non possunt Privilegio, prout concorditer ajunt præcitati *Doctores.*

Quæst. 15. Regularium Familiares, an in aliquo casu admitti possint ad audiendum Divina Officia, tempore communis interdicti, non obstante cap. licèt vobis, de Privil. in 6.?

1. Et quamvis Religiosis hoc expresè in cit. *loc.* prohibeatur, ut pluries dictum est; nihilominùs, si in aliquo Conventu, vel Collegio non reperiantur, nisi tres Fratres, quorum duo malè se habeant, & infirmentur; poterit quidem tertius cum Familiari celebrare; sic etiam in casu, quòd omnes (præter unum) febribus teneantur, poterit ille unus superstes cum Familiari celebrare; secus autem, esset Privilegium inutile.

2. Quod limita, dummodo isti assumpti, vel assumendi, interdicto causam minimè dederint; ità *Joannes Andr. in d. cap. licèt, & Hostiens. in cap. nonnullis, de privil. in summ. §. quid operetur, & Sylv. verb. Interdictum, 5. q. 1. vers. 4.* quem sequitur, multis allegatis *Sayr. de Censur. lib. 5. cap. 5.*

Quæst. 16.

Quæst. 16. An Privilegiarius, eodem, quo potest Privilegio, Divinis Officiis interesse; possit pariter in loco sacro sepeliri?

1. Et quidem certum est, post mortem, jam dicti Privilegiati, posse celebrari pro eo Officia Divina; ut putà Missam, & Officium Defunctorum, præsente ejus cadavere; & consequenter, posse sepeliri in loco sacro; si namque vivus poterat divinis interesse, multò fortiùs, & mortuus, quod minus est: Cùm assistentia hominis defuncti, non sit humana, nec rationalis, cùm ei desit rationis usus; quamobrem pueri, tempore interdicti, ante usum rationis, utique possunt divinis assistere officiis; quia interdictum, humanam, & rationalem, seu discursivam, & doli capacem tantùm excludit assistentiam.

2. Item dico, quòd cui communicamus vivo, possumus etiam & mortuo communicare, argum. à contrario sensu, *cap. sacris, de sepult.*

3. Sepultura autem Ecclesiastica, est quoddam accessorium ad divinum officium, quod fit circa Defunctum, quod est dicere, illud defunctorum officium, fieri in ordine ad sepulturam, ut clarè constat ex usu Ecclesiæ; habens igitur Privilegium, ut sive vivus, sive mortuus, divinis possit vacare, quod est quid principale: poterit profectò, & sepeliri in loco sacro, quod est accessorium ad illum; ità noster *S. Antoninus 3. part. tit. 27. de interdict. cap. 4. in medio, Sylv. verb. interdictum, 5. quæst. 8. num. 10. ver. 6. Tabiena verbo interdictum, 5. num. 12. ver. 11.* quos, multis allegatis sequitur *Henriquez lib. 13. de interdict. cap. 24. §. 5. Avila de cens. p. 4. disp ut. 4. sect. 3. dub. 4.* cum aliis, quos citat *Bonac. de censur. disp. 5. punct. 5. num. 6.*

4. Nec te moveat, quòd privatio divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, numerentur, ut distincti effectus interdicti: nam, & si sint duo; ad invicem tamen subordinantur; ita ut unus sit, ut quid accessorium ad alterum principale: & ideo, concesso principali, censetur accessorium, etiam fuisse concessum.

5. Nec nocet, quòd hoc privilegium sit odiosum, cùm jus commune relaxet; nam etiam odiosum extenditur ad connexa, seu accessoria, moraliter à principali inseparabilia; ut fit in casu nostro, saltem, juxta ritum Ecclesiæ, ut communiter dicunt præcitati *Doctores.*

Quæst. 17. An intuitu Privilegiorum, possint Regulares, tempore Interdicti, in eorum Ecclesiis; suos Confratres tumulare?

1. Confratres, qui mutato sæculari habitu, donationis titulo irrevocabiliter inter vivos, se, suaque bona Ecclesiis, vel Monasteriis obtulerunt; sunt utique, etiam tempore Interdicti, in Ecclesiis, ad quas pertinent, tumulandi: secus autem illi, qui ad lucrandum tantùm Indulgentias, in aliquibus Societatibus annotantur; sic expressè habetur *lib. 5. decretal. c. 24. ut privilegia, de Privil.* ubi quidam Religiosi Templarii, & Hospitalarii à *Gregorio* Papa jure reprehenduntur; & cùm nullus, aut vix unus reperiatur homo, qui non sit alicui Confraternitati adscriptus; nisi talis præcessisset declaratio, frustra poneretur Interdictum.

Quæst. 18. Privilegia concessa Monasterio, vel alicui Universitati; an ad ejus singulas personas, separatim sumptas, extendantur?

1. Si Privilegium sit concessum Monasterio, ejusque singulis personis, præsentibus, & futuris, sine controversia; ut sonat, debet practicari.

Si verò, tacitis Fratrum nominibus, de Monasterio duntaxat loquatur, distinguere oportet.

2. Aut Privilegium est talis naturæ, ut necesse sit, ne elusorium fiat, quòd per Collegii singulares personas exerceatur, ceu est illud de Confessionibus audiendis, & Concionibus habendis, eaque omnia, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, vel Indulgentiarum acquisitionem respiciunt, quorum exercitium, ad singulas personas, non autem ad Collegia, nec ad Universitatem pertinet; & sic affirmativè respondeas ad quæsitum: aliàs namque Privilegium foret inutile; & ob id ex præsumpta concedentis voluntate interpretandum, ut id, quod Conventui, seu Monasterio, vel Universitati conceditur, dum illius rei concessæ capax non extat, in singulos de Universitate, seu Collegio collatum censeatur; ut in *l. quoties. ff. de reb. dub. & in cap. si sententia, de sententia excommunicationis in 6.* ubi dicitur, *quòd quando alicujus Terræ populus interdicitur, etiam singulares ex eo persona, interdicta intelliguntur, ne sententia interdicti effectu careat; cùm Divinorum auditio, & Sacramentorum perceptio, Populo, & universis non competat. Hæc ibi.* Ac proinde, quod Collegio relinquitur, singulis de Collegio relictum censetur, prout latè ostendit *Bald.* quem cæteri sequuntur in *l. cùm Senatus, ff. de reb. dub. & in l. 2. ff. eodem titulo, & Socinus in d. l. 2.* asserit, legatum factum Civibus, quod ex ea lege Civitati factum præsumitur, non acquiri Reipublicæ; sed singularibus personis, quoties Reipublicæ legari non poterat, aut legatum ei non conveniebat, & *Covarr.* multis allegatis in *cap. Alma Mater p. 2. §. 1. post num. 7. verb. tertiò est notandum.*

3. Secus autem dicas, si privilegium absolutè, & simpliciter Collegio, vel Universitati concedatur: sic etenim Cives, uti omnes, & non ut singuli, hoc est, collectivè, non autem distributivè, seu disjunctim illud participant, & possident; quia aliud est Collegium, seu Universitas, & quodvis simile corpus fictum, & aliud singulares personæ, divisim sumptæ: quæ, ut diversæ à dictis corporibus, in qualibet dispositione judicantur, *l. sicut, §. Universitatis, ff. de rerum divis.* & *ibi* concorditer omnes *Juristæ, & Canonistæ, in cap. Romana, §. Universitat. de sentent. excomm. in 6. Feder. de Senis in cons. 229.* incipiente, *punctus quæstionis, & Fel. in cap. cùm accessissent, de constitutionibus:* hinc, quod Collegio datur, nemini datur; quia nec mihi, nec tibi datur, sed cuidam corpori ficto: singulares personæ ad invicem collectæ, ex juris fictione fiunt unum corpus, & quoddam totum per aggregationem, ut dicitur in *l. non tantùm, §. eos, qui in corporibus, ff. de excusat. tutor.*

4. Quapropter, inter singulares personas, seorsum sumptas, & Collegium, uti corpus fictum, magna reperitur differentia, de qua plura docet *Farinac. de testibus, q. 60. num. 467. Horat. Mandos. in tract. de Privileg. ad instar gloss. 7. & Sylv. verb. testam. 1. q. 5.*

5. Ac proinde, singulares Cives in beneficium suæ Universitatis, sic etiam, & Monachi, seu Religiosi in beneficium sui Collegii, possunt esse testes in testamento, in quo aliquid eorum Collegio legatur; non obstante, quòd non liceat, in eodem testamento legatarius fieri, vel hæres institui, & testis esse, ut dicitur in *l. testamento, ff. de testamen. §. sed neque res, Instit. eodem tit.*

6. Et

6. Et hoc ideo, quia Cives, seu Religiosi, seorsum sumpti, ab eorum differunt Collegio, & Universitate, ut in *cap. insuper, de testibus, & Bartol. in l. in tantum, §. Universitatis, ff. de rerum divis. Dec. consil.* 340. incip. *in causa, n.* 4. *volum.* 2. *Ursil. in addit. ad Afflict. decis.* 400. *& Menoch. de arbitr. lib.* 2. *cent.* 2. *casu* 106. *Rosella, & Armilla, verb. testamentum*, quos, multis citatis sequitur *Sanchez tom.* 2. *summ. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 102.

7. Hinc, quod immediatè Ecclesiæ relinquitur, non censetur proprium, nec singulorum speciale commodum; ut *DD.* præcitati concludunt.

Quæst. 19. *An Privilegia Religioni concessa, ad ejusdem Prælatos extendantur, etiamsi de illis nulla mentio sit facta in Privilegiis?*

1. ET quidem certum est, Privilegia Religioni concessa, omnes ejus Prælatos & Capita comprehendere, quia in favorabilibus, & gratiis proportionatis, appellatione Collegii, seu Monasterii, aut Capituli, venit ejus Caput, seu Prælatus; sicut, & appellatione Monachorum venit Abbas, ut dicitur in *cap. final. de simon.* & *ibi gloss.* & *Panorm. num.* 2. *Felin. in proœm. Decretal. num.* 13. *& Anton. de Butrio num.* 10. *& Bart. in l.* 4. *ff. de stipulat. servor.* cum aliis multis, quos citat *D. August. Barbosa in tract. de Appellativa verborum utriusque Juris significat. appellat.* 153. *num.* 1. *Rodriquez Q. Q. RR. tom.* 3. *q.* 51. *art.* 8. *Tambur. de Jure Abbat. tom.* 1. *disput.* 1. *q.* 7. *& disput.* 16. *q.* 3. *& P. Merolla de Privileg. tom.* 3. *disput.* 6. *cap.* 3. *dub.* 12. *num.* 158.

2. Quia Privilegium, ut beneficium Principis, est latè explicandum, *c. cùm olim, de verbor. signif. & l. beneficium, ff. de constit. Princ.* Et adde, quòd Patres Generales, Provinciales, & consimiles, per assumptionem ad Generalatum, & Ordinis Prælaturam; non desinunt esse Fratres, sicut filius effectus Episcopus, non desinit esse in potestate Patris, cùm tractatur de ejus commodo, *Salyc. in authent. sed Episcopalis dignitas, C. de Episc. & Cleric. Gomez super §. final. Regul. Cancell. de expect. part.* 2. *ante finem.*

3. Et Rector, per Rectoratum, non desinit esse Scholaris, *Joan. And. in proœm. Decretal. in prin. & ibi Felin. col.* 4. *verb. caterùm in proposito.*

4. Nec Religionum Superiores, ob consecutionem Dignitatum, fiunt pejoris conditionis, quàm sint cæteri Fratres, cùm Dignitatis proprium sit, augere, non autem diminuere, vel auferre, in præjudicium ejus, cui Dignitas confertur, ut per plura notat *Horat. Mandos. de Privileg. ad instar. gloss.* 6. *num.* 29. *& Andr. Barbat. in tract. de Cardin. præstantia, lib.* 1. *q.* 7.

5. Ac proinde, si in aliquo testamento relinquatur nostris Fratribus Cappa, & Patri Priori Biblia; ipse Prior habebit etiam & Cappam, ut docet *Archidiac. in Can. convenientibus,* 1. *quæst.* 7. *Roman.* in *consil.* 259. *& Fabus decis.* 57.

6. Quod limita, non procedere de Abbate Commendatario, & si sit perpetuus, & verus Abbas, quia Commendatarius non profitetur Ordinem, nec Regulam suorum Monachorum, cujus intuitu Regulæ, & Ordinis Privilegia sunt concessa; prout latè ostendit *Gomez super Regul. Cancell. de trienn. q.* 5. *art.* 3. *num.* 21. *Rodriquez* cit. *loc. art.* 9. *& Tambur.* cit. *loc. quæst.* 4. *disput.* 16.

Quæst. 20. *Privilegia Regularibus, eorumque Ordinibus concessa; an quoque ad Novitios extendantur?*

1. HUjus decisio quæsiti, ex alia pendet; an scilicet Novitius sit verè, ac propriè persona Religiosa, Regularis, Ecclesiastica, & immediatè subjecta Domino Papæ? ceu ille Ordo, cujus habitum suscepit: hoc enim semel admisso, cessat disputatio, an Regularibus Prælatis competat ordinaria potestas dispensandi in Novitiorum votis, eosque à peccatis reservatis sacramentaliter absolvendi, ligandi, coercendi, puniendi, eaque hujus generis omnia, quæ in Religionis Professos exercent, & habent: de qua re plura colligit *Anton. Cordub. lib.* 1. *quæst. Theolog. q.* 30. ubi ad partes latè, & scitè disputat *Graff. consil. lib.* 3. *de Voto, consil.* 8. à *num.* 6. usque ad *num.* 17. *Laur. Peyr. tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 25. cum aliis, quos allegat *Ludov. à Cruce Lusitan. in exposit. Bullæ Cruciatæ, disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 20. *num.* 4. *verb. sed quæres.*

2. Cæterùm, cùm Novitius, tanto ante professionem tempore, sit in quodam statu medio, & dubio; ita ut nec propriè sit Monachus, ut dicitur in *cap. ad Apostolicam, de regular. cap.* 1. juncta *glossa, de Religiosis Domibus, cap. Religioso, de sententia excommunicationis in* 6. *& cap. porrectum, de Regularibus, cap. beneficium, de regular. in* 6.

3. Quapropter primò, & per se, ad Religionis vota non obligatur; nec ad Regulares Observantias tenetur; nec potest puniri ob illarum violationem, *Sylv. verb. Religios. quæst.* 6. *Armill. n.* 18. *& Tabiena num.* 13. *eod. verbo.*

4. Imò, potest matrimonium contrahere, accusare, transigere, ac remissionem facere de injuria sibi illata; & hoc ideo, quia Novitiatus tempore, adhuc mundo vivit, & extat sui juris, suique velle, ut cæteri Laici, est Dominus, & Patronus, *cap. placuit,* 16. *quæst.* 1. *cap. in præsentia,* ubi *DD. de probationibus, cap. consului, cap. postulasti, & cap. statuimus, de Regularibus,* quod per plura docet *Farinac. part.* 1. *prax. tit. de accusat. quæst.* 13. *num.* 23. *Jul. Clar. lib.* 5. *§. fin. q.* 58. *num.* 25. *in fin. & ibidem Bajard.*

5. Nec est absolutè, & simpliciter Laicus, est quippe saltem largè persona Religiosa, ut per *text.* 12. *q.* 1. *cap. duo,* & potest ob id absolvi ab excommunicatione, quam incurrerat ante ejus ingressum, ut dicitur in *cap. cùm illorum, verb. habuum, de sentent. excommun.*

6. Gaudet secundò privilegio *Canonis, si quis suad. diab.* 17. *quæst.* 4. prout expresè declaratur à Domino Papa in *cap. Religioso, §. quamvis, de sentent. excommun. in* 6. unde injiciens in eum violentas manus, in excommunicationem incidit, quod procedit, etiamsi injiciens sit ejus Pater, cui etsi liceat, filium impuberem revocare à Religione, & coram Superiore repetere, ut dicitur in *c.* 2. *de Regul.*

7. Non tamen potest eum violenter de ejus Ecclesia retrahere, ab ejus habitu; & maximè si sit Clericus, argum. *text. in cap. eum, qui, de præbend. in* 6. *& l. si quis in tantam, C. unde vi,* quod optimè explicat noster *Palud. in* 4. *sent. dist.* 39. *q.* 3. *& Angel. verb. Novitius.*

8. Item tertiò, & fori privilegio gaudet, ita ut nullatenus possit conveniri coram Judice Laico, immò nec coram Judice Ecclesiastico, sed coram Superiore suæ Religionis; ità *Navar. Conf. lib.* 3. in prima editione, de *Regul. consil.* 58. *num.* 4. & in secunda editione *lib.* 2. *de for. comp. consil.* 5. *num.* 4. *Cordub.* cit. *loc. vers. sed nec ista ratio,* cum aliis multis, quos citat *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 18. & plenè *D. Cons. Carleval. tom.* 1. *de Judiciis, disp.* 2. *num.* 405. *&* 406.

9. Nec non, & Privilegio electionis fori, quemadmodum & cæteri professi, ut latè, & bene probat *Joann. Mar. Novar. in tract. de elect. fori, sect.* 2. *q.* 63.

10. Item gaudet privilegio exemptionis, & immunitatis à gabellis, & impositionibus; quia reverà Novitius, in Religionem admissus, est pars ejus Communitatis, quæ verè est Ecclesiastica, ita ut nomine Ecclesiasticorum

eorum veniat Novitius, & uti persona Religiosa debet reputari, ita ut gaudeat, & potiatur gratiis, & privilegiis, quibus professi gaudent, & fruuntur; ita *Graff. cit. loc. num. 12. & P. Sanchez lib. 6. summ. cap. 10. num. 10.* & sequitur *Bartholomæus à Sancto Fausto, tom. 1. de relig. stat. quæst. 162. & 163.*

11. Propterea, resolutivè dicas, Privilegia, & gratias nostræ Religionis, ad Novitios etiam extendi, quia in iis, quæ gratiam, & favorem concernunt, Professorum appellatione venit Novitius. Secus autem in pœnalibus, & onerosis, ut per plura ostendit *Aloys. Ricc.* in sua *aur. prax. resolut. 138. num. 3.* favores enim sunt ampliandi, & odia restringenda, & cùm gaudeat, sine controversia Privilegio fori, & Canonis, ut suprà diximus, ità debet aliis privilegiis potiri: non enim est major ratio de uno, quàm de alio: cui accedit communis practica omnium Religiosorum, & ad tollendum omne dubium, fuit ità à Domino Papa concessum, & declaratum Patribus Societatis JESU, ut est videre in eorum Privilegiis, quæ ob communicationem, exteros afficiunt, & comprehendunt.

Quæst. 21. Privilegia nostræ Religionis, Professis concessa, an ad Fratres Tertii Ordinis, & Oblatos extendantur?

1. ET quidem extenduntur: cùm appellatione Religiosorum Mendicantium in favorabilibus veniant Fratres Tertii Ordinis, tam Sancti Dominici, quàm S. Francisci; secus autem in pœnalibus, & onerosis; ita *Panorm. in cap. cùm Dilectus, de Consuetudine. Felin. in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de Constit. Sylv. verb. Statutum, num. 3. & Rodriquez qq. regular. tom. 1. q. 66. art. 5. in fine.*

2. Quod limita, dummodo collegialiter vivant, & ad præscriptum Regulæ, professionem emittant, & sub cura, & jussu Religionis Prælatorum degant; ita declaravit *Pius Quintus* sua *Constitutione*, quæ incipit: *Ea est officii nostri*, edita anno Domini 1568. & *Gregor. XIII. Constit.* quæ incipit: *Ex benigna*, edita anno Domini 1575. de quibus multa refert *Rodriquez qq. regular. t. 3. quæst. 73. art. 1. de Tertiariis, quoad eorum Privilegia.*

3. Ac proinde, alii Tertiarii, qui prædictis conditionibus carent, & in suis domibus habitant, prælibatis privilegiis non gaudent, nisi sint Oblati plenè, & in forma juris, magis valida facti, hoc est, si mutato sæculari habitu, Ecclesiæ, vel Monasteriis, se, suaque bona omnia mobilia, & stabilia, acquisita, & acquirenda, nihil sibi prorsus reservantes, dederint, & obtulerint: sic quippe fiunt de bonis Ecclesiæ, & uti personæ Ecclesiasticæ tractantur; ità sæpè sæpiùs Sacra Cardinalium Congregatio declaravit, ut infrà dicemus.

4. Nec non, item, & mulieres in sæculo viventes, quæ, etsi continentiam virginalem, vel vidualem promiserint, vel in quavis Congregatione vivant, & Locorum Ordinariis subdantur, adhuc prædictis privilegiis non gaudent, cùm recensitas qualitates non habeant, nec perpetuò claustraliter vivant; nam earum sic modus vivendi, quem Regulam vulgariter appellant, propriè Regula non est, cùm tria vota non includat, in qualibet Regularium Religione necessaria, sed de his inferiùs.

5. Hinc, istæ Pizocheræ, Mantellatæ, Corrigiatæ, Cordellatæ, & aliæ, quocunque nomine nuncupatæ, in propriis domibus habitantes, Regulares non sunt, nec personæ Ecclesiasticæ censentur.

6. Insuper *Pius V.* has Tertiarias, quæ tunc temporis collegialiter vivebant, & professionem emittebant, & instar Religiosorum Mendicantium in communi bona possidebant, sub his verbis reformavit, & ad Clausuram perpetuam reduxit.

Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, vel de Pœnitentia vocantur, cujuscunque fuerint Ordinis, in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè teneantur; quòd si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earundem, hortentur, & persuadere studeant, ut illud emittant, & post illud emissum, clausuræ se subjiciant, cæteris autem omnibus, sic absque professione, & clausura vivere omnino volentibus, prohibemus perpetuò, ne in futurum ullam aliam in suum Ordinem, sive Congregationem recipiant; quòd si aliquas receperint, eas ad sic vivendum inhabiles reddimus, & illarum receptiones, nullas esse decernimus. Hæc ille, *in Bulla super Clausura Monialium.*

7. Quamobrem, aut nullæ, aut paucæ in nostra Italia reperiuntur Tertiariæ, quæ sine clausura, collegialiter vivant; & quæ nunc sunt, in propriis, vel in consanguineorum domibus habitant, ut Religiosæ dicantur, Sacræ Congregationis nuperrima *Decreta* servare tenentur.

8. Nec te moveat, quòd in *Concilio Lateranensi sub Leone X.* hujusmodi Sororibus, domi habitantibus fuisset indultum Privilegium, quo cavetur, ut sint immunes, & Privilegiis gaudeant, quibus gaudent & Fratres Ordinis, cujus habitum portant: quia hujusmodi gratia fuit revocata per *Pium V.* & *Gregorium XIII.* prout advertit *Capuccinus* in suis *additionibus ad Compendium Privilegiorum Ordinis Minorum, verb. Tertiarii*, quem multis citatis sequitur *Rodriquez 3. tom. Q. Q. RR. cit. loc. & P. Merolla de Privileg. tom. 3. cap. 3. num. 170.*

9. Verùm Sacra Congregatio *Concil. Trident.* confirmando declaravit, gratiam Leonis X. in favorem Tertiariorum concessam, adhuc vigere, qua possint omnibus gratiis Fratrum, & Monialium gaudere, quæ est tenoris sequentis:

Sacra Congregatio Concil. Trid. Cardinalium interpretum, consulta respondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cujus tertiæ Regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii jurisdictione exemptos esse, si Viri collegialiter vivant, aut cum Claustralibus habitent; & Mulieres, & virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem, expresso voto; & sub dicto habitu, vitam traduxerint, quemadmodum cavetur Constitutione Concilii Lateranensis sub Leone X. quæ habetur sess. 11. in fine. Hoc autem voto Mulierum alia duo, scilicet Paupertatis, & Obedientiæ, nequaquam includi: quinimò hujusmodi Mulieres; si vitam virginalem, aut cælibem simpliciter, expressèque voverint, etiam in Consanguineorum, & Affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, supradictis Privilegiis Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum deferunt; exemptioneque ab Ordinarii jurisdictione frui debere; quemadmodum idem Leo postea declaravit; Constitutione editâ die primâ Martii, 1518. quòd si Fratres, & Sorores Tertii Ordinis, quid ampliùs prætendant vigore Consuetudinis, posse jus suum prosequi in judicio ordinario. Hieronym. Card. Pamphilius, ita refert *P. Magist. Frater Petrus Martyr in summario* nostrarum *Constitutionum in fine*, ubi plura habes de Intentione, Statu, Regula, & Privilegiis Fratrum, & Sororum Tertii Ordinis Sancti Dominici, *fol.* mihi 50. *Barbos. de Jure Ecclesiastico, lib. 1. tit. de Privileg. Cleric. cap. 39. §. 2. num. 44. Tambur. de Jur. Abbatiss. disp. 7. quæsit. 3. num. 7.*

10. Et *Thor. tom. 1. Compend. Decis. Neapol. verb. Monialis, in libris Additionum* refert, in Sacro Regio Consilio

silio fuisse remissam Monialem Pizocheram ad suum Superiorem, ut etiam scribit doctissimus, & praeclarissimus Advocatus *D. Donatus Anton. de Marinis*, *tom. 1. Resolut. quotidian. cap.* 117. qui loquitur pariter de Oblatis.

11. Sed tamen advertendum est, quod hoc Privilegium fori controvertitur, tàm respectu Oblatorum, quàm Pizocherarum, ut de Oblatis tradit *D. Regens Sanfelic. decis.* 191. & de Pizocheris aliam decisionem contrariam, ejusdem Sacri Regii Consilii, refert idem doctissimus, & studiosissimus rerum Judicatarum Enucleator *Dom. Thor. tom.* 3. *Compend. sect.* 3. *in verb. Remissio ad Judicem Ecclesiasticum*, & *D. Reg. Sanfelic. decis.* 318. *par.* 3. *Castill. decis.* 88. Proindè, quia intentionis meae non est, causas Jurisdictionum alterare, id remitto, ad quos spectat, referens haec, causâ discursus, & non alicujus ad invicem praejudicii.

Quaest. 22. *An privilegia nostri Ordinis extendantur ad Fratres, assumptos in Episcopatum, vel Cardinalatum?*

1. Sixtus IV. decidens quaesitum, statuit, ut si aliqui Fratres Minores, aut Praedicatores obtinuerint habitationem ad habenda beneficia Ecclesiastica, & quod interim, vel postquàm ea habuerint, valeant residere in domibus dicti Ordinis, & ibidem cameras, & vocem activam, & passivam in Capitulis Generalibus habere, & privilegiis dictorum Fratrum, & Ordinum gaudere, quod isti tales, postquam aliquod beneficium pacificè adepti fuerint, aut pro Capellanis in aliquibus Ecclesiis deservire coeperint, concessionibus praedictis nequeant gaudere, aut aliis consimilibus Ordinum Conventibus, nisi de Praelatorum consensu.

2. Et idem statuit de promotis ad Cathedrales, & alias dignitates Ecclesiasticas & habetur in *lib.* qui intitulatur, *Monumenta Ordinum Minorum*, *fol.* 145. *concess.* 365.

3. Quod etiam ratione fulcitur; nam qui sentit commodum, debet pariter & incommodum sentire, & econtrà: Religiosus autem Episcopus factus, licet non desinat esse Religiosus quoad continentiam, & vota essentialia: verumtamen, quoad alias observantias Regulares, non remanet Religioni obligatus; prout docet *D. Th.* 2. 2. *q.* 85. *art.* 3.

4. Hinc, non gaudebit privilegiis, intuitu Religionis habitis, & concessis: cùm Religiosus, tamdiu Religionis fruatur privilegiis, quamdiu illius pars, seu membrum extiterit, & in ea permanserit.

5. Quod excipe, non procedere in illis privilegiis, quae animae, & corporis ipsius Religiosi commodum concernunt, sine tamen Religionis gravamine: iis etenim, etiam post statum Religionis dimissum, gaudent, & potiuntur: sicut enim onera Regularia, quae se simul compatiuntur, cum illo statu perdurant; sic etiam convenit, ut cum ipso permaneant favores, & gratiae, quae hujusmodi statui possunt adaptari, sine Religionis incommodo, prout sunt Indulgentiae.

6. Idipsum procedit de Religioso promoto in Abbatem, vel in aliquam Dignitatem, habentem propriam Dioecesim, nulli Episcopo subjectam; hi namque Praelati, sunt in omnibus similes Episcopis, & ab illis sola consecratione differunt; etiam si sint tantùm Titulares, & sine subditis.

7. Dixi, respectu sui ipsius Religiosi assumpti; nam respectu alterius, nequit uti Mendicantium Privilegiis; & ob id non poterit caeteros absolvere à casibus Papae reservatis; nec eorum vota commutare.

Quaest. 23. *An privilegia Miserabilium Personarum, extendantur ad Monachos & Fratres Mendicantes?*

1. Affirmant *Doctores*; tùm quia Regulares sunt Ecclesiastici, & Ecclesia est proculdubio mater miserabilium personarum. *cap. super prudentia*, ante *fin.* 14. *qu.* 2. *Covar. pract. quaest. lib.* 1. *cap.* 6. cum aliis multis, quos citat *Joan. Mar. Novar. in tract. de privileg. miserab. personar*, *in prælud.* 9.

2. Proindè, sicut Ecclesia defendit Miserabiles personas, *cap. ex tenore. de for. compet.* & *Gennens. in practicab. Eccles. quaest.* 144.

3. Multò fortiùs defendit omnes Regulares, uti proximiores stantes in sinu suo.

4. Tùm etiam; quia per Antonomasiam, Fratres nostri, & caeterorum Ordinum, dicuntur Mendicantes; quia re, & nomine, cum proprium non habeant, piorum hominum eleemosynis aluntur; quas saepè, & hostiatim quaerunt, & non obtinent: *Oculi Domini in pauperem respiciunt; cui commissus est pauper; & orphano ipsemet Deus erit adjutor, Psalm.* 9. *num.* 9. & 14.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM.

Quaest. 1. *Quid, & quotuplex sit Communicatio?*

1. Communicare à nomine communis derivatur, & idem significat, quod commune facere, participare, conferre, & alteri impartiri, quod alicui priùs fuerat concessum.

2. Haec autem Communicatio, bifariam fieri potest: uno modo perfectè, & absolutè, ut cum quando id, quod uni corpori, vel personae fuit priùs concessum; contingit alteri reconcedi, & ita absolutè, & perfectè communicari, ut illa persona, cui facta est communicatio, de se, & per se, illo uti possit privilegio independenter, & absolutè, ac si ipsi priùs propriè, & in specie concessum foret, prout communiter *Doctores in l.* 1. *ff. de legat.* 1. *Natta cons.* 432. *num* 9. *Rot. Rom. Decis.* 8. *num.* 5. *par.* 2. *diver.* & in una *Bononiens.* exemptionis, coràm Illustriss. Cardin. Verospio 25. Maii 1618. *Oltradus* cum aliis, quos citat in *consil.* 300. *nu.* 8. & *Paris. cons.* 22. *n.* 5.

3. Et hoc modo fit saepè, & ferè semper inter Mendicantes Privilegiorum communicatio, quae potiùs adaequatio dici debet, cùm tantam habeat authoritatem P. Generalis, & Provincialis in Ordine Praedicatorum, quantam adaequatè retinet, & exercet P. Generalis, vel Vicarius, seu Minister, & Custodes, in Ordine Minorum, & Minimorum, quod etiam procedit in Prioribus, Guardianis, Praepositis, Vicariis, caeterisque Officialibus, qui inter Generalatum, & Provincialatum mediant, quovis nomine nominentur: hi quidem sunt aequipollentes, & respectivè in potestate pares, & neuter ab altero dependet; prout *Jul. II.* declaravit, & habetur in *Suppl. Ordinis Minorum*, *fol.* 74. & refert P. *Rodriquez tom.* 1. *Q. Q. RR.* 55. *ar.* 20. quod etiam *Sixtus IV.* decre-

decrevit in suo *Mari magno*, §. *postremò cùm Fratres*, & habetur inter *Privilegia* nostri Ordinis *lit. D. fol.* 159.

4. Alio modo fit Privilegiorum communicatio; Imperfectè & Relativè; ut cum Privilegium, quod fuerit uni primo perfectè, & absolutè concessum, ab illo priori redundet, & extendatur ad alios, propter connexionem, quam habent cum illo primo, ita ut privilegia, sic data, non in propriis personis; sed in alio censeantur concessa; quemadmodum privilegia nostræ Religionis extenduntur usque ad Familiares, Medicos, & Advocatos, non ratione sui; sed ratione Religionis, à qua omninò pendent in eorum fructu, & casu; quamobrem Religione destructa, horum profectò cessant privilegia, & persistente, durant, quia in esse, & conservari, dependent ab illa,

Quæst. 2. *An privilegiorum Communicatio habeat aliquem modum, vel formam, à Romano Pontifice præscriptam?*

1. Lite orta inter Nos, & Fratres Minores de Observantia in Hispania: *Julius II.* P. M. formam adhibuit, & modum declaravit, sub *Diplomate*, quod est tenoris seq.

Venerabilibus Fratribus Salamantino. Pacen. & Corduben. Episcopis, & eorum cuilibet.

Iulius II. Venerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam benedictionem. Aliàs ad supplicationem charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Regis, & infrà, ***Quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & indultorum præfatorum communicatione, tàm universaliter per prædecessores nostros toti Ordini Minorum, quàm etiam per nos particulariter prædictorum Regnorum Fratribus facta, eaque quoad absolutionem, dispensationem, vel aliàs ad Priorem Generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum spectare ad Ministrũ, vel Vicarium Generalem FF. Minorũ pertineant, & ea, quæ ad Priores Conventuales, id est Prælatos singularum Domorũ Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios, similiter spectant ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea, quæ ad Priores seu Vicarios, vel Suppriores Provinciales, id est Prælatos, qui medii sunt, quocuque nomine censeantur, & vocentur, inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios, simili modo spectant ad Ministros & Vicarios Provinciales, ac Custodes; qui etiam medii sunt inter Ministrum, & Vicarium Generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios, similiter pertineant, & sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos dictum est; ita de Congregationibus unius ad congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, id est sine Prælatura, ad Fratres privatos, & de festivitatibus ad festivitates, in his casibus, in quibus congregationibus, vel Fratribus privatis, aut festivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur congregationibus, Fratribus privatis, ac festivitatibus alterius Ordinis, nunc & pro tempore respectivè concessa intelligantur. Ita quòd ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis, Fratribus, vel Locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque Locis, in festivitatibus Sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, Quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marrochium, martyrii coronam adepti sunt, & Sancta Clara, & in aliis festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quàm festa ipsorum Fratrum Prædicatorum, sint & intelligantur concessa, ad tollendam quamcunque hæsitationem, & indè fortè ortum scrupulum, auctoritate, & tenore præfatis declaramus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die prima Iunii 1509. Pontificatus nostri anno sexto.***

Quod pariter per extensum refert *Passarellus* à Monopoli in *in privil. Ordinis Minimorum, fol.* mihi 99. & *Rodriq. tom.* 1. *qq. regul. q.* 55. *ar.* 2.

Quæst. 3. *An quilibet Ordo Mendicantium, habeat Privilegium Communicationis?*

1. Adeò certa est responsio affirmativa; ut de ea nullatenùs liceat dubitare; prout in praxi omnium, & singulorum Ordinum testantur *Privilegia*, quæ summariè colligit *Alfons. de Casarubios Hispan.* & *Hier. à Sorbo Capucc. in compend. privil. Fratrum Minorum, ver commun.* & *Gaspar. Passarell. in comm. privil. Fratrum Minimorum, cap.* 4. *Pater Emanuel Rodriquez tom.* 1. *qq. regul. q.* 50. *ar.* 1. ejusque nepos, *Frater Hier. in comp. resol.* 116. *de privil.* & *P. Ludov. Mirand. to.* 2. *Manual. Prælat. per totam quæstionem* 41. & *Joannes Crux de statu Religionis, lib.* 2. *cap.* 4. *Alexand. Peregrin in comp. privil. Theatinorum, verb. introductio.* §. 2. & *Ioannes Baptista Lezana in summ. qq. regul. tom.* 1. *cap.* 3. *n.* 17. *Joannes Baptista Confectus in collect. privil. Ordinis Mendic. Laur. Peyr. to.* 1. *privil. Minimorum, in Constit. Paul. III.* & novissimè *Tanbur. De Iure Abbat. disp.* 17. *q.* 1. & *P. Merolla to.* 3. *de privil. disp.* 6. *cap.* 4.

2. Qui quidem ex pluribus præinsertis *Bullis*, & *Apostolicis Constitutionibus* concorditer demonstrant, quod concessa uni Ordini, & aliis omnibus Ordinibus, etiam in specie concessa intelliguntur, & efficiuntur illis propria, ac si eis nominatim concederentur: prout expressè declaravit *Jul. II.* sua *Constit.* 33. *Leo X. Constit.* 81. *Pius V. Constit.* 33. & alii plures, quos vide in præcit. *Doctoribus*, videlicet adaptando congrua congruis, quæ non repugnent regulis, constitutionibus, & statui Religionis.

Quæst. 4. *An Ordo prædicatorum communicet in privilegiis cæterorum Mendicantium?*

1. Dico quod sic; & habetur expressè in *Mari magno Sixti Quarti, in* §. *Postremò, cùm Fratres Ordinis Minorum, sicut & prædicti Prædicatorum Ordinis professores, pro fidei catholicæ dilatione, &c.* in *Bull.* nostri Ordinis, *fol.* 159. *à tergo, littera F. in lib. Monum. Ordin. Minor.* in prima impression. *fol.* 66. & in secunda *fol.* 149. *concess.* 367. ac etiam in *Bulla Aurea* relata per *Confect. fol.* 56. *Constit.* 2. *Sixti* præfati.

2. Verùm, his melior nobis concessio facta est in specie per *Leonem X.* qua major hucusque in concessionibus omnibus non apparet; cùm etiam in *fine* latissimas, & fortissimas habeat non obstantias; & inter cæteras notatur in *Bullario* prædicto nostri Ordinis, *fol.* 185. *à tergo, littera D.* quæ est tenoris seq.

Leo Papa Decimus; universis, & singulis Christi fidelibus, cujuscunque gradus, conditionis, dignitatis, præeminentiaque fuerint, salutem, & Apostolicam benedictionem; Cùm inter cæteros operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth vocati sunt, Ordo Prædicatorum magnos, & probitatis, & doctrinæ, & animarum salutis fructus semper olim attulerit, quotidieque afferre cernatur, deceatque, ut etiam in hac vita pro tot suis sanctis studiis, honestisque laboribus ab Apostolica Sede, cujus nostris quoque periculosis temporibus pacem & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, spiritualia subsidia, ornamentaque suscipiat, quibus & sancta sua officia faciliùs, atque expeditiùs exequatur, & cæteræ religiosæ personæ, ordinesque alii exemplo benignitatis promptiores, alacrioresque ad sua officia persolvenda reddantur. Idcircò Prædecessorum nostrorum vestigiis consectati, qui plurima eidem Ordini beneficia, ac privilegia contulerunt, omnes & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immu-

munitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tàm spiritualia, quàm temporalia qualiacunque illa sint, quæ Minorum, Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum S. Mariæ, ac Minimorū Fratrum Ordinibus, & illorum Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus cujuscunque status, aut sexus existant, seu pro earum manutentione, & ornatu contribuentibus, necnon Domibus, & Præsidentibus, non solùm Generalibus, sed etiam Provincialibus, & Conventualibus, Fratribusq; & Sororibus, nec non Monialibus, & Conversis, Oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia, seu Tertii Habitûs nuncupatis à prædecessoribus nostris Rom. Pontif. aut à nobis, nostrisque Successoribus, aut aliis authoritatem habentibus, conjunctim, vel divisim, in genere, vel in specie concessa sunt, aut in posterùm concedentur, illa omnia, & singula, ac si nominatim exprimerentur pro sufficienter expressis habentes, dicto Ordini Prædicatorum, & illius Ecclesiis, Oratoriis, ac Ecclesias ipsas, & Oratoria visitantibus, cujuscunque status, aut sexus existant, seu pro earum manutentione, & ornatu contribuentibus. Nec non Domibus, Magistroque Generali, Provincialibus, Prioribus, & Conventualibus, Fratribus, etiam & Sororibus, sive Monialibus, Conversis quoque & Oblatis, ac utriusque sexus personis de pœnitentia nominatis, & aliis ejusdem Ordinis personis, motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatæ nobis petitionis instantiam, sed ex mera nostra Scientia, & liberalitate, & de Apostolicæ authoritatis plenitudine communicamus, de novoque concedimus, & suffragari volumus, ac si eisdem nominatim directè, & expressè concessa fuissent, aut in posterum concederentur. Mandantes motu, scientia liberalitate, & authoritate prædictis, ut dum indulgentiarum, prærogativarum, favorum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, privilegiorum, & indultorum prædictorum Fratrum, & Ordinum, aut originales literæ, aut transumpta authentica ex illis pro, & in favorem Ecclesiarum, ac Ecclesias ipsas visitantium, Domorum, Fratrum, & utriusque sexus personarum, Ordinis Prædicatorum adducta, vel exhibita fuerint, eadem fides illis indubia, tàm in judicio, quàm extrà, & aliis Locis ubicunque opus fuerit habeatur, ac si pro, & in favorem dicti Ordinis Prædicatorum à Sede Apostolica emanassent, ac eidem immediatè concessa, aut indulta fuissent. Non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, revocationibus, restrictionibus, sive Constitutionibus, & ordinationibus, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel Generalibus, & quorumcunque Legatorum, etiam à Latere in quibusvis Regnis, Provinciis, aut Locis Constitutionibus, Parisiensisque & aliorum Locorum Generalium studiorum, Universitatibus, & Curiæ Vicegerentiæ Avinionen. & quibusvis Ordinariis, Prælatis, & personis concessis, & concedendis literis, privilegiis, ac per illas deputatis in eis Conservatoribus privilegiorum hujusmodi facultatibus, & jurisdictione. Nec non Regulis Cancellariæ Apostolicæ jam editis, aut fortè edendis in futurum, Ecclesiarum quoque, & Locorum quorumlibet statutis, & consuetudinibus, & inter quoscunque dicti Ordinis Professores, ac Locorum Ordinarios seu Rectores initis & conclusis, ac hactenùs observatis pactis, & conventionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis. Nec non omnibus illis, quæ prædecessores nostri Romani Pontifices in litteris privilegiorum, gratiarum, exemptionum, favorum, immunitatum, prærogativarum, concessionum, facultatum, & indultorum prædictorum prefatis ordinibus concessorum, voluerunt non obstare. Quibus omnibus illa, ac si de verbo ad verbum insererentur, & derogatoriarum derogatorias Clausulas in se continerent, præsentibus pro expressis habentes (illis aliàs in suo robore permansuris) quoad præmissa specialiter, & expressè derogamus & ea nenimi in præjudicium præmissorum suffragari posse, aut debere decernimus, irritum facientes quidquid secùs contigerit attentari. Cæterisque contrariis quibuscunq;. Et quia difficile foret præsentes litteras originaliter ad omnia loca, ubi opus esset deferri, volumus, & authoritate præfata decernimus, quod earum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus in dignitate Ecclesiastica constituti, vel dicti Ordinis, munitis, ea fides indubia in judicio, & extra, ubicunque opus fuerit adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, & adhibenda esset, si exhibita forent, vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 21. Iunii 1518. Pontif. nostri anno 6.

Quæst. 5. An Ordo Prædicatorum possit uti, & frui Mendicantium, & non Mendicantium privilegiis: nedum concessis; verùm etiam, & in futurum concedendis?

1. ITa sanè *Julius III.* Pontifex Maximus nobis in specie concessit exemptiones, libertates, prærogativas, gratias, favores, & privilegia omnium Regularium Mendicantium, & non Mendicantium, Monachorum, & aliorum quorumcunque Ordinum, Congregationum, & Confraternitatum, prout habetur in *Bull.* nostri Ordinis *fol.* 210. ex quo hic transferre pro majori commoditate, & placuit annotare sub forma sequenti.

Iulius Papa III. ad perpetuam rei memoriam. In Sacra Beati Petri Sede meritis, licet imparibus, divina dispositione collocati, Ea, quæ pro felici, & prospero statu ac salubri directione personarum quarumlibet sub regulari habitu, divinis laudibus insistentium per Rom. Pont. prædecessores nostros comprobata fuisse comperimus, quo firmiùs subsistant (cùm à nobis petitur) munimine nostro confirmamus, idque tantò libentiùs, quantò personarum earundem doctrina candor, vita sanctimonia, regularis disciplina, bonorum denique operum odor universum Orbem illustrant. Sanè pro parte dilecti filii Francisci Romæi de Castilione Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias ipsi Ordini, & illius pro tempore existenti Magistro Generali, ac Fratribus præsertim hæreticæ pravitatis inquisitionis officium exercentibus, nec non Provinciis, seu Congregationibus ipsius, & Monialibus Ordinis Sancti Augustini, sub cura, & habitu Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum degentibus, ac Fratribus, Sororibusque de pœnitentia B. Dominici, seu Tertii Ordinis nuncupatis, illorumque Locis, Domibus Monasteriis, Ecclesiis, & personis utriusque sexus in favorem inquisitionis Cruce signatis; tam per felicis recordationis Sixtum IV. Leonem X. Clementem VII. & Paulum III. quàm alios Rom. Pontif. Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam quamplura, & diversa privilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab Ordinariorum Locorum, & ejusdem Sedis Legatorum, etiam de Latere, jurisdictione, visitatione, & correctione, quàm etiam ab omni impositione, collecta, decima, etiam Episcopali, subsidio, quarta, & quinta funeralium, & legatorum partibus, nec non datiis, pedagiis, gabellis, & quibuscunq; aliis gravaminibus, per Sedem eandem pro tempore impositis, nec non libertates, prærogativa, favores, conservatoria, declarationes, facultates, gratia, concessiones, etiam contra Apostatas, indulgentia, indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis concessa, approbata, & innovata fuerunt, prout in diversis indè confectis literis, pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat dictus Franciscus, cui præ cæteris sibi demandati Magistri Generalis officii incumbentibus sollicitudinibus, hæc cura potissima est; ut per eosdem Prædecessores concessa, & approbata, in suo robore conserventur, & firmiter observentur, propterea desideret, præmissa omnia, etiam munimine nostro roborari: nobis humiliter supplicari fecit; ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptio-

nibus, libertatibus, prærogativis, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, gratiis, indulgentiis, indultis, communicationibus, & extensionibus pro illorum viridi observantia etiam robur nostræ Confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ad fructus uberes, quos dictus Ordo Fratrum Prædicatorum in agro dominico jugiter producit, paterna meditatione attendentes; ipsumque Franciscum à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes; nec non privilegiorum, facultatum, conservatoriarum, indulgentiarum, extensionum, ac aliorum præmissorum; nec non singularum desuper confectarum literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab Ordinariorum Locorum, & Legatorum, (etiam de latere jurisdiction. & potestate, ac libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta spiritualia, & temporalia, etiam per modum extension. & communication. Ordini, Magistro Generali, Fratribus, maximè Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, Provinciis, Congregationibus, Monialibus, ac aliis personis utriusq; sexus prædict. nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, & Locis quibuscunq; ipsorum, vel ab eis dependentibus in genere, & specie, tam per præfatos, quàm quoscunque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem prædictam, sub quacunque forma, & verborum expressione hactenus quomodolibet concessa, ac etiam iteratis vicibus innovata, nec non cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, & decretis desuper confectas literas, & in eis contenta quæcunque (quatenus sint in usu & authoritati Officii Magistri Generalis hujusmodi non derogent,) authoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia approbamus, & innovamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, & ea inviolabiliter observari debere decernimus. Et nihilominus potiori pro cautela illa omnia, & singula; prout per prædecessores, & Sedem prædictos concessa, statuta & ordinata fuerunt de novo in omnibus, & per omnia; ita quod Ordo, Magister, Fratres, Inquisitores, Moniales, Sorores, ac alii prædicti, nec non Monasteria, Domus, Ecclesiæ, & Loca hujusmodi, illis tàm in genere, quàm in specie concessis, uti, potiri, & gaudere possint, & debeant. Ac ab ipsis ordinariis, legatis, impositionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, etiam Episcopalibus, datiis, pedagiis, gabellis, ac omnibus, & singulis aliis supradictis, libera penitùs, immunia, & exempta existant, concedimus, & indulgemus, ac statuimus, & ordinamus, nec non Superiores, Fratres, Moniales, Sorores, Personas, Monasteria, Domus, Ecclesias, & Loca hujusmodi omnibus, & singulis privilegiis, exemptionibus, & gratiis, quibus prædicti, & aliorum quorumcunque Ordinis Mendicantes, etiam Minores & de Observantia nuncupati, ac Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, B. Mariæ Servorum, & Minimorum, ac aliorum quorumcunq; Ordinum, Congregationum, & Confraternitatum Fratribus, & Personis, Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Oratoriis & aliis piis locis, eorumq; Prioribus, Fratribus, Sororibus, Conversis & Oblatis, Corrigiatis, Mantellatis, ac etiam de Pœnitentia nuncupatis, ac aliis utriusq; sexus personis, per eosdem prædecessores, ac etiam nos hactenùs, quomodolibet etiam vivæ vocis oraculo concessis, & in posterum concedendis, uti, frui, potiri, & gaudere posse, & debere in omnibus, & per omnia, perindè, ac si Fratrum Prædicatorum, & aliis sibi commissis Ordinibus, eorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, Sororibus, Personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, Locis præfatis, specialiter & expressè concessa fuissent, authoritate, & tenore præmissis, decernimus, illaque eis, & eorum singulis communicamus. Mandantes nihilominus in virtute Sanctæ Obedientiæ universis Locorum Ordinariis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, sub interdicti ingressus Ecclesiarum & suspensionis à Divinis, aliis verò Inferioribus quibuscunque, cujuscunque Dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existentibus, & quacunque authoritate & potestate fungentibus, sub majoris excommunicationis, eo ipso incurrentibus lata sententia pœnis, quatenus præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, nec non omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, concessiones, gratias, indulgentias, & indulta, ac alia præmissa inviolabiliter observent, & observari faciant; nec contrà tenorem ipsarum aliquid attentare præsumant. Ac decernentes, sic per quoscunque Iudices, etiam Commissarios quavis authoritate fungen. (sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate) judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Quocircà, universis, & singulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non Metropolitan. & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac eorundem Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicariis in spiritualibus, & Officialibus Generalibus per præsentes committimus, & mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Francisci, & pro tempore existentis Magistri Generalis, aut Diffinitorum, Provincialium, Priorum, Fratrum, & aliarum personarum Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assisten. faciant authoritate nostra præsentes literas, & in eis contenta, quæcunque plenarium effectum sortiri ac ab omnibus firmiter observari; nec non Generalem, Diffinitores, Provinciales, Priores, Fratres, Sorores, & Personas, omnesque & singulos alios supradictos, quos illa quomodolibet concernunt, eis, nec non omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis & indultis, communicationibus, extensionibus, & aliis prædictis pacificè frui, & gaudere, non permitten. eos, aut eorum quemlibet perturbari, contradictores per censuras Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc etiam, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis, non obstante piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisq; Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoq;, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinariis legatis, Officio Inquisitionis, & Inquisitoribus, ac Parisien. & aliorum Locorum Generalium studiorum, Vniversitatibus, eorumque personis, & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & aliàs quomodolibet, etiã iteratis vicibus concessis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumq; totis [illegible] tenori-

tenoribus specialis, specifica & expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habendi. Illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscunque. Aut si Ordinariis, Inquisitoribus, Legatis, Universitatibus, & personis prædictis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim à dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quia difficile foret, præsentes litteras ad singula loca, ubi illis opus erit, deferre, volumus, & Apostolica auctoritate prædicta decernimus, quod earumdem præsentium transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Curiæ Ecclesiasticæ, aut Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, seu Canonici Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Ecclesiæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 10. Julii M. D. LI. Pontif. nostri Anno secundo, &c.

Et alteram *Bullam*, huic consimilem habes in eodem nostro *Bullario fol.259. litera B.*

2. Sic item *Clem. VII.* directè concessit Fratribus Minoribus; ut quibuscunque facultatibus, & gratiis Fratrum, Professionis Regularis observantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuscunque non Mendicantibus, quomodolibet concessis, & concedendis; uti, frui & gaudere possint, & debeant in omnibus, & per omnia, perindè ac si eis specialiter concessa fuissent, quod per communicationem ad omnes extenditur Mendicantes, ut latè *Rodr. tom.1. qq. regul. quæst.55. art.17. & Miranda in Manual. Prælat. tom.2. quæst. 46 ar.2. conclus.1.*

3. Quod extenditur ad omnes alios, ob mutuam communicationem privilegiorum, quam habent Mendicantes, *ibid. concl.1. & 2.*

Quæst. 6. An Religio Clericorum Regularium Scholarum piarum, gaudeat privilegiis aliorum Mendicantium?

1. HÆc Congregatio ad pauperes Scholares, piè, & sine ulla mercede, erudiendos; per *Paulum V.* instituta, & per *Gregorium XV.* in Religionem erecta, & inter Mendicantes declarata; meruit ab eodem Papa, omnium Mendicantium Privilegia, & gratias, & favores, ita adæquatè & in specie obtinere; ut propria censeantur, & independenter concessa; prout idem Pontifex expressè declaravit in sua *Constit. XV. in 4. to. Laertii Cherubini*, incip. *Ad uberes fructus*, ubi inter cætera hæc placeat annotare.

Congregationi prædictæ, illiusque Ministro & Clericis aliisque personis, ut omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis & indultis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, Professoribus, nec non Ecclesiis, Monasteriis, Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, per quoscunque Roman. Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos quomodolibet concessis, & quibus ipsi, nec non Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca hujusmodi de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, seu aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum; dummodò tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa; nec Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnent; pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter; perindè ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant; Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & indulgemus, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicamus, illaque ad eos extendimus. Decernentes, præsentes literas validas, firmas & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Præposito, & Clericis prædictis in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 15. Octobris 1622. Pont. Anno secundo: & habetur etiam in libro articulato, *Bullæ, & Decreta Recentiora fol. 74.*

Quæstio 7. An Religiosi Mendicantes, possint uti & frui privilegiis Religionis Societatis Iesu?

1. ET quidem sic; cum Illustrissima hæc Religio Societatis Jesu, inter Mendicantes computetur, & Privilegia Mendicantium, nedum per Priscos; verùm etiam per novissimos Romanos Pontifices; nempè per *Clem. VIII. Greg. XV. & Urb. VIII.* sint ei confirmata, & ad invicem communicata; Imò ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis, de novo, per se, & indepenter concussi, & mutua facta; benè sequitur, omnes, & singulos Mendicantes Ordines ex vi Communicationis, & Privilegiorum novæ concessionis absolutè factæ, in Privilegiis dictæ Societatis communicare, eorumve participes fieri, ac si illis quoque singulis in specie, & nominatim fuissent concessa. Omnes etenim Mendicantes mutuò & reciprocè in eorum privilegiis communicant.

2. Quod magis patet, si advertas, hoc ad Cistercienses, & Cruciferos, seu Religionem Clericorum, Infirmis ministrantium, peculiariter spectare, ex concessione *Greg. XIV.* cujus Bullam per extensum ponit P. *Emanuel Rodriquez Lusitan. tom.1. Q Q. RR. quæst.55. art.7.11. & 17.*

3. Tunc enim temporis Religio Societatis Jesu, erat ab Ecclesia approbata, per mundum diffusa, & inter Ordines connumerata.

4. Mendicantes autem multifariè (ut diximus suprà) & specialiter ex indulto *Clem. VII.* gaudent privilegiis concessis, & concedendis omnibus aliis Religionibus Mendicantibus, & non Mendicantibus; & signanter Cistercienſibus, & Cruciferis, jam dictis; ut est videre in prædictis jam recensitis *Bullis*.

5. Inter quorum Ordinum Privilegia annotantur ea, quæ sunt Societatis prædictæ, ergò virtute Communicationis, omnibus, & singulis Mendicantibus in specie censentur indulta, propria effecta, & in specie concessa; ita *Miranda 2. to. Manual. Prælat. quæst. 46. art. 5. conclus. 2. in medio; Joan. Crux lib. 2. de stat. Relig. cap. 4. §. sequitur secundò, & Anton. Diana par. 3. tract. 2. de dubiis Regularium, resol. 81. Portell. ver. Comm. nu. 1.*

Quæst. 8. An procedat prædicta Decisio, non obstante illa Clausula, quæ dicitur, ut Patrum Iesuitarum privilegia, sint incommunicabilia, vel quod aliis non communicentur eorum privilegia?

1. GReg. XIII. ubi Patribus dictæ Sanctæ Societati, multa concessit; *in fine suæ Constitutionis*, subjungit hæc formalia verba: *Præsentis autem Constitutionis, & gratiæ Communicationem omnibus aliis, qui sua privilegia cum ipsa Societate copiosè participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum fieri omninò prohibemus &c.*

Horum occasione verborum, plures cœperunt timere de veritate jam dictæ conclusionis.

2. Verum enim verò, qui pensat Regularium Privilegia, aut Papæ ligare manus, aut irrevocabilia esse; seipsum seducit, & fallitur toto cælo; ut docet *Fel. in cap. nonnulli, de rescript.* cùm Par in Parem non habeat Imperium; & legitimus successor defuncti Papæ, in omnibus, & per omnia sit æqualis suo Prædecessori, potens in opere & sermone. Cui sæpè sæpiùs placet, uni Religioni concessa Privilegia, alteri communicare; & ad æqualitatem, vel plura, & majora indulgere; non enim possumus dicere Domino Papæ, *cur ita facis?* ita in *cap. potuit, de concess. præb. & de judic. cap. novit.* & *Extravag. cap. ad Apostolatus nostri*, & *ibi glos.*

3. Jam suprà diximus: quod *Julius III.* nobis in specie concessit *exemptiones, libertates, gratias, prærogativas, & Privilegia omnium Regularium Mendicantium, & non Mendicantium quorumcunque, &c.*

4. Sic item *Leo X.* anno Domini 1518. nobis concessit *Privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, tàm concessa, quàm in futurum concedenda*, & voluit nobis suffragari, *ac si nominatim, directè, & expressè concessa fuissent, & in posterùm concederentur; & hoc ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine Potestatis, &c.*

5. Idipsum fecit *Clemens VII.* sua peculiari *Constitutione*, sub datum Romæ die 3. Maii 1525. qua nobis, & Mendicantibus omnibus concessit; *ut possimus gaudere omnibus Privilegiis concessis, & concedendis reliquis Religionibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, &c.*

6. Nec obstat, quod prædicta verba debeant referri, & quod de facto referantur ad concessa, & concedenda Religionibus, quæ tunc temporis reperiebantur, erantque fundatæ, & approbatæ à Sancta Sede Apostolica, & quod in anno Domini 1525. 30. Maii non erat adhuc fundata à Sede Apostolica hæc Sancta, & Venerabilis Religio Societatis Jesu; ut ejusdem Ordinis *Bullæ* & *Constitutiones* testantur.

7. Nam tam Privilegia *Clem. VII.* quàm aliorum Pontificum Indulta, post mortem *Clementis* fuerunt confirmata, ratificata, & de novo concessa, & præcisè per *Pium V.* qui uti omnium Mendicantium Pater, anno 1567. confirmavit in secundo anno sui Pontificatus, & innovavit, & de novo concessit, ac si de verbo ad verbum ibi ea referret.

8. Idem fecit, & dixit *Greg. XIII. Sixtus V.* anno 1586. & anno Domini 1604. *Clem. VIII.* cum latissimis, & amplissimis non obstantiis, & derogatoriis derogatoriarum, ut infrà ponemus in *tract. de confirmat. privil.*

9. *Greg. XIV.* tàm Cistерciensibus, quàm Cruciferis, ut suprà visum est, concessit Privilegia omnium Ordinum, & in specie, quæ sunt prædictæ Societatis Jesu, cujus *Bullæ*, sicut & illæ *Clem. VII.* & aliorum Romanorum Pontificum; nedum fuerunt confirmatæ; verùm etiam de novo concessæ, & absque ulla restrictione innovatæ; ut patet suprà, & libet legere, & videre.

10. Ac proindè per Privilegia dictæ Societati concessa, cæteri Regulares ad Ordines possunt promoveri, absque interstitiis, & extrà tempora, & sine examine de cantu, & hoc ob amplissimam confirmationem, & extensionem, & innovationem Privilegiorum factam per subsequentes, & antecedentes Romanos Pontifices, quibus charitativè placuit, gratias, & privilegia Societatis præfatæ, ad alios Regulares extendere, illisque non solùm in genere, sed etiam in specie, & nominatim, & de novo, sine aliqua limitatione concedere.

11. Quapropter isthæc prohibitio in *fine Constitutionis Greg. XIII.* apposita, non potest impedire, quominùs generalis, & absoluta communicatio privilegiorum Societatis Jesu, vel aliarum Religionum, facta alteri Religioni, has etiam gratias comprehendat.

12. Tum quia Generalis Communicatio cum qualitate, & Clausula, *quorum tenores, &c.* omnia complectitur; quia hæc Clausula, ut diximus in *Tract. de Clausulis, à clausula* 11. habet vim specialis, & individuæ derogationis, & expressionis, cum omnibus suis qualitatibus, & tollit derogatorias derogatoriarum; quod est derogare omnibus juribus, & Constitutionibus derogantibus, & derogaturis Privilegio, in quo est apposita, & derogat omni Clausulæ resistenti: ergò.

13. Tum etiam, ex quo Romani Pontifices in ampla, & absoluta Privilegiorum Communicatione, excipiunt unum, scilicet, *quatenus Sac. Conc. Trid. Decretis; nec non Regularibus dicti Ordinis Institutis non adversentur*; censentur omnia alia concedere; quia exceptio firmat Regulam in contrarium, ut suprà diximus.

14. Tùm item; quia in hujusmodi privilegiorum Communicatione, veniunt privilegia Cistерciensium, & Cruciferorum, quibus in specie per *Greg. XIV.* anno Domini 1591. fuerunt concessa prædictæ Societatis Privilegia, ut patet in ejus *Bulla* quæ incipit, *Illius, qui pro Gregis*, & refert *Hieronymus à Sorbo in addit. ad Compend. Mend. ver. Communicatio.*

15. Quibus adde; quod à concessione generali qualificata non est recedendum, nisi, ubi aliter constat de voluntate concedentis; cùm præcisè simus in beneficio Principis, sine præjudicio alicujus tertii, quod beneficium de jure latè interpretandum est.

Ita docet *P. Rodriq. tom. 1. Q. Q. RR. q. 55. ar. 17. §. at circa hunc articulum*, & in sua *summa latina cap. 85. num. 5. & in exposit. Bullæ Cruciat. §. 9. num. 138. Mirand. tom. 2. Manual. Prælat. q. 46. art. 5. conclus. 2. in fine. Ioan. Crux lib. 2. de stat. Relig. cap. 4. §. 2. sequitur*, cum aliis, quos citat *P. Diana p. 3. tract. 2. de Dub. Regul. resol. 81.*

Quæst. 9. An sit necessaria licentia Patris Generalis, vel Provincialis; ad hoc, ut cæteri Subditi Mendicantes actualiter gaudeant, aut uti possint privilegiis Societatis Iesu?

1. GReg. XIII. omnia aliorum privilegia, immunitates, gratias, indulgentias, & hujus generis similia concessit Patribus, & Fratribus Societatis Jesu; quod etiam fecit postmodum *Pius V.* ex Ordine nostro assumptus.

2. Cum hac tamen limitatione; *ut hactenùs concessa, & in posterùm quomodocunque concedenda, intelligantur concessa immediatè Præposito Generali, qui ille per se ipsum, vel per alium, seu alios sub eo, vel de ejus commissione electos, seu eligendos quibuscunque personis de Societate, sub ejusdem obedientia degentibus, communicare liberè poterit, &c.*

3. Et subjungit; *ut non intelligantur concedi Inferioribus singulis immediatè; sed mediante Præposito Generali*; ac proindè nec aliter cæteræ personæ Societatis, prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmissis uti, aut gaudere possunt; nisi de licentia Præpositi Generalis, ut benè advertit *Collector privilegiorum Societatis in Compendio ejusdem Religionis, tit. Communicatio gratiarum, §. 2. & 4. fol. 209. par. 2.*

4. Hinc quæritur, an ista restrictio, & limitatio transeat ad alios Mendicantes, quibus, ut diximus, prædictæ Societatis jam sunt communicata privilegia?

5. Et ob multa, negativè respondeo; & primò, ex quo *Greg. XIV.* absolutè, & independenter concessit Cistерciensibus privilegia omnium Ordinum, & Cruciferis, in specie omnia privilegia Societatis Jesu, absque ulla limitatione, & restrictione; quod etiam nobis fecit *Clemens VIII.* anno 1604. Id ipsum *Urb. VIII.* concessit Religioni Scholarum piarum sine restrictione, & deducta omni dependentia; ut est videre in sua *Const. 15. in 4. tom. Laert. Cher. ub.*

Cherub. non indigemus Prælatorum facultate pro Privilegiorum usu; ubi enim lex non limitat, nec distinguit; nec nos limitare, aut distinguere debemus.

6. Secundò in Communicatione Privilegii, non veniunt pœnæ, sed gratiæ, & favores. Hæc autem limitatio, seu restricto est pœnalis, & odiosa; & consequenter per juris regulam debet restringi, & coarctari, non autem ad alios extendi, vel protrahi.

7. Tertiò, hæc limitatio per *Greg. VIII.* facta est, ad bonum regimen, & juxtà Statutum præfatæ Societatis; Privilegia sub hac conditione semper intelliguntur concedi, dummodò non repugnent Regulari Observantiæ, vel Statutis Religionis; aliàs forent odia, & non gratiæ.

8. Cæteræ autem Religiones, quibus extant jam communicata Societatis Privilegia, sunt à Societate, nedum differentes, verùm etiam & diversæ in ratione regiminis, & statuti; cùm Societatis Regimen sit Monarchicum, quo (ut ajunt) omnia meliùs, faciliùs, & securiùs in pace conservantur. *Quia pacis interest omnem potentiam ad unum referri, Tacit. 1. lib. histor. in princip.*

9. Quamobrem inrequisito P. Generali, ac inconsulto P. Provinciali, tutè, & liberè possumus uti, & frui Jesuitarum Privilegiis, ita *Rodriquez tom. 1. Q Q. RR. q. 55. art. 17. § secundum dubium est; Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 46. art. 5. conclus. 2. in fin. Hier. in Comp. Rodr. resol. 116. nu. 50. Crux* noster *lib. 2. de stat. Relig. cap. 4. § secundo,* sequitur *Suarez de leg. lib. 8. cap. 17. nu. 6. prope finem, Portellus ver. Communicatio privil. n. 5. Diana p. 3. tract. 2. de dub. regul. resol. 81. & Meroll. disp. ut. 6. cap. 4. dub. 2. n. 13.*

Quæst. 10. An communicatis Privilegiis Mendicantium; intelligantur esse communicata Privilegia Monachorum?

1. Affirmativè respondeò; eo, quòd inter Mendicantium Privilegia, unum speciale est, quo possunt Mendicantes uti Privilegiis, & gratiis quorumcunque non Mendicantium: utputà Monachorum, & aliorum Clericorum: quod quidem ad communicationem exterorum, & extensionem, re vera communicatur, & extenditur: secùs autem, si unum incommunicatum remaneret, non quidem omnia Mendicantium Privilegia dicerentur communicata.

2. Hinc ex vi communicationis omnium; licitum erit, non Mendicantium Privilegiis uti, & frui: qui enim totum dicit, nihil excludit, cùm præcisè simus in materia favorabili, ita *Rom. consf. 383. incip. in proposito. Oltrad. consf. 300. incip. factum tale est, & Card. Tuscus tom. 6. liter. P. conclus. 363.*

Et habetur expresse in *Bulla Clem. VII.* quàm refert *Hier. à Sorbo in Comp. Privileg. ver. commun. n. 19.*

Et habetur *Motu proprio, Alex. 6. num. 21. & Navarr. consf. 74. n. 3. tom. 1. de regul.* & expressiùs *Sanchez in oper. moral. c. 13. n. 88.*

3. Quapropter, sicut Monachus potest esse Coadjutor Episcopi, & Vicarius ejusdem, & jus, & justitiam administrare; habita tamen priùs licentia sui Superioris; sic item, & pariter Fratres Mendicantes poterunt esse Vicarii Generales, & Coadjutores Episcoporum; prout per plura ostendit *Joan. Mar. Navar. in tract. de Malè ablatis privil. in substitut. facta per Vicarium Apostolicum, n. 8. fol.* mihi 92. sed hodiè quoad hoc est attendenda dispositio *Clem. & si principalis, de rescriptis.*

4. Et ceu Monachi communicant in Privilegiis Mendicantium, prout *Ascan. Tambur. tom. 1. de jur. Abbat. disp. 17. q. 3.* ita pari passu, ut servetur æqualitas, debent Fratres Mendicantes communicare in Monachorum Privilegiis.

Quæst. 11. An in generali Communicatione Privilegiorum, quorumcunque Ordinum, veniant & illa, quæ propriis Constitutionibus repugnant?

1. Fuit, gratia exempli, Militiarum Professoribus concessum, ut possint Uxores ducere, ac de bonis patrimonialibus testari; quemadmodùm, & alia multa laxioribus Religionibus indulta; quæ nostræ Regulari observantiæ sunt contraria. Nec nè, veniunt nobis concessa, vel communicata intelliguntur?

2. Et propter multa, minimè dico; tùm quia in generali Privilegiorum communicatione, hoc quidem in specie cavetur; consueverunt Romani Pontifices in hujusmodi Constitutionibus hanc Clausulam apponere. *Dummodo eorum institutis, & regulari observantiæ non sint contraria.*

3. Cùm insuper & hæc limitatio, non expressa, inserta intelligitur, & apposita; quia Dominus Papa per communicationem Privilegiorum, intendit Religionum statuta conservare, & Regularem observantiam fovere; non autem auferre, vel destruere; secùs autem, quod in favorem extat introductum, in odium retorqueretur; quod est falsum, & irrationale, *l. favores, C. de legibus, & cap. quod ob gratiam, de regul. jur. in 6.*

4. Hæc quippè communicatio, non debet esse nociva, *l. Divus ff. de testamentis,* nec odiosa, nec turbativa, vel spoliativa tranquilitatis, & pacis, *l. nulla juris rat o. ff. de leg.*

5. Ac proinde, Privilegiatos ad instar, quoad commoda, non autem quantùm ad incommoda, æquiparari intelligas; juxtà *gloss. in l. 2. C. de jur. aur. 'anul.* prout ostendit *Ludovic. Rom. consf. 382. incip. quoad primum, & Pater Rodriquez tom. 1. Q Q. RR. q. 55. ar. ult.*

6. Veniunt ergò amplà, & generali communicatione ea, quæ sunt favorabilia, & nostro statui nullatenùs contraria, communique modo vivendi consona. *Miranda Manual. Prælat. quæst. 46. art. 6. in fine, ver. solummodò, & Horat. Mandos. in tract. de Privileg. ad instar, glos. 8. n. 4. in fine,* & sequitur *Suar. lib. 8. de legib. cap. 17. n. 3.*

Quæst. 12. An sub generali Communicatione omnium Privilegiorum Mendicantium, veniant pœnalia, & odiosa?

1. Dominus Papa *Bonifacius Nonus*, anno Domini 1402. quinto Kalendas Maii; sui verò Pontificatus anno 13. *Constitutionem* edidit, qua jussit, & voluit, Patres Ordinis Prædicatorum, non posse fieri Magistros, nec esse Doctores in Sacra Theologia, nisi de licentia, & approbatione Capituli Generalis ejusdem Ordinis, & contrarium facientes, excommunicantur.

2. An hoc odiosum, & pœnale Privilegium extendatur ad eos, qui in nostris Privilegiis communicant?

Respondeo negativè, quia Privilegia communicantur in gratiam, & favorem Religionum, non autem in earum pœnam, & odium; ut stylus Curiæ docet, & ipsiusmet Communicationis Privilegiorum litteræ testantur; & habetur in *cap. sanè, de privil.* ubi dicitur, Privilegia esse restringenda, quod communiter *Doctores* intelligunt de Privilegiis odiosis, per juris *Regulam in 6. favores sunt ampliandi, & odia restringenda.*

3. Et quod in favorem, & commodum alicujus Religionis extat concessum, contra ipsam, vel in ejus odium, & incommodum non est retorquendum, ex *cap. quid nov a-le, junct. gloss. de verb. signific. & cap. quod ob gratiam, de regul. jur. in 6.*

4. Et adde, concessiones hujusmodi, in quibus sunt pœnæ constitutæ, esse potiùs statuta, quàm Privilegia censeri: Statuta autem secundùm omnes, non communicantur, ita *Miranda Manual. Prælat. tom. 1. q. 46. artic. 6.*

Tambur.tom.1.de iure Abb.disp.17.q.6.Hier.Rodr.in comp. resolut.126.num.50.in fine.

Quæst. 13. *An sub generali privilegiorum Communicatione, Mendicantibus facta, veniant Oracula Vivæ Vocis?*

1. DOcent *Doctores*, generali Privilegiorum communicatione, ea Privilegia primò venire, quæ motu proprio, vel partis instantia fiunt, quomodocunque fuerint concessa, viva voce, vel quovis alio modo: hoc enim sonat vox illa, *Quomodolibet*, prout habetur in *Clem. 2.de sent.excomm.in 6.& glos.ibi* dicit, quòd hæc Clausula *quomodolibet* cum sit quoddam universale, est talis naturæ, ut faciat venire ea, quæ aliàs non venirent.

2. Cùm etiam nomine Privilegii, latè sumpti; veniat omnis gratia, & Principis beneficium, dubio procul, concessis omnibus, nullo excepto, indistinctè, & omnia, etiam Oracula Vivæ vocis concessa censentur.

3. Secundò, ea (ajunt) Privilegia comprehendere, quæ sunt clausa in corpore Juris, quæ licèt ut cæteris fortiora, sub generali Privilegiorum revocatione, non revocentur, communicantur tamen sub generali Privilegiorum communicatione, per vulgarem Juris *Regulam*; *Gratiæ, & favores amplandi, pœnæ autem, & odia restringenda.*

4. Tertiò comprehendere, non solum quæ immediatè sunt concessa Mendicantibus; verùm etiam, & illa, quæ non Mendicantibus sunt indulta; quibus ob sæpè sæpiùs Privilegiorum Mendicantium, & non Mendicantium repetitam Communicationem, & Extensionem, Mendicantes liberè gaudent, & potiuntur, quod etiam procedit in illis, per quæ nobis Indulgentiæ conceduntur, prout infrà dicemus plenè in *tract. de Oraculis*, ubi latè de revocatione Oraculorum.

Quæst. 14. *An in generali Communicatione privilegiorum, censeantur communicata ea, quæ alicui Loco, vel Monasterio; vel particulari personæ sunt specialiter concessa?*

1. SUb prætextu Communicationis omnium Privilegiorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium concessorum, & concedendorum indistinctè, & latè factæ; sunt, qui putant, Regulares posse gaudere, & frui omnibus gratiis, privilegiis, & indultis, etiam particulari loco, vel domui concessis, prout *Rodriquez qq. RR. tom.1.qq.55.ar.18. & Miranda tom. 2. Manual. Prælat.q. 46.ar.7.*

2. Verùm tamen falluntur, & errant. Nam concessio generalis, non ea comprehendit, quæ per speciales Constitutiones sunt provisa, argumento *l. doli, ff. de verb. oblig.* & habetur clarè in *cap. si propter, de rescriptis in 6.* ubi dicitur, quòd Privilegium generale, non operatur circa ea, in quibus Ecclesia habet speciales Constitutiones, & Statuta.

3. Et expressius in *cap.cùm capella de privil.* ubi dicitur, quòd concessum uni Ecclesiæ, vel Provinciæ, seu Loco; nequit trahi ad aliam Ecclesiam, sive Provinciam, vel Locum.

4. Tum quia, in generali concessione Privilegiorum, non veniunt exorbitantia; juxtà *regulam* 81. *de regul. jur. in 6.* ubi dicitur, in generali concessione non venire ea, quæ quis verisimiliter interrogatus non esset in specie concessurus; hinc insolita concedi, & quæ raro, vel cum difficultate conceduntur, nunquam intelliguntur concessa, nisi in specie, & nominatim exprimantur; prout pluries decisum refert *Rot. Rom. decis.* 214.*p.2. Recent. & decis.55 num.14. & 15.1.p.divers.* & in una *Valentina* Decimarum 28. Novemb. 1603. coram Card. Lancelott. & in una *Toletana* 16. Novembris 1605. coram Justo; & in una *Mediolanens.* 10. Aprilis 1606. coram Illustrissimo Coccino Decano.

5. Quamobrem, quis sanæ mentis audebit dicere, Privilegia Capellaniæ nostri Conventus Terræ Altimontis, & nostri Conventus Balneariæ, cæteris Provinciæ Locis, vel Regni Conventibus, communicationis virtute, esse communicata; fierique ita propria; ut quilibet Loci, & Monasterii Prior, sit Curatus, & Parochus, vel nulli Loci Ordinario subjectus?

6. Hæc quippè Privilegia, respiciunt determinatum Locum, & præscriptum habent territorium; & ob id minimè transire possunt de loco ad locum; quia sunt localia, & exorbitantia, & rarò cum difficultate concessa; ita communiter docent *Doctores Juristæ*, quos *Jason* citat, & allegat in *l.beneficium num.18. & 24.ff.de Constitut. Princ. Surd.decis.274 ad finem cap.1. & 2.de Privil.Rot. Rom.decis.663.nu.2.par.1.recent.* & hoc ideò, quia Privilegium specialiter quibusdam concessum, generaliter observari non debet, *l.3.in fin.C.de leg.l.Jus singulare ff.eod. & Mantica decis.284.n.5.*

7. Ac proindè, Privilegium Hispanis datum à Domino Papa, quo possunt ovis vesci, & lacticiniis uti in diebus prohibitis, non extenditur ad Italiam; quia concessa uni Loco, non transeunt ad alium Locum; & Indulta uni casui, non extenduntur ad alium casum: cùm præcisè habeant determinatam materiam.

8. Quia in Privilegiis concessis ab homine, per vulgatam Regulam, non fit extensio de Loco ad Locum; sicut nec de persona ad personam: etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut suprà dixi; & hoc ideò, quia virtus, & efficacia Privilegii, non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis, quæ voluit concedere Privilegium tali Loco, & non alteri; Voluntas autem concedentis non extenditur, nisi exprimatur; quia inter homines, Voluntas non operatur; nisi per verbum, vel scriptum declaretur; ita docent *Doctores* communiter in *l.hoc modo, ff.de condit. & demonstrat.* & sequitur *Suarez de leg.lib.8.cap.26. Henriquez lib.7.de Indulg.c.14. Azor.par.1.institut. moral. lib. 5.cap.22.Tambur.de Jure Abb.tom.1.de Privil. disput.17. quæst.2.num.7.in fin.* cum aliis multis, quos citat *P.Merolla tom.3.de Privil.disput.6.c.4.dub.8.num.72.*

9. Quibus & adde, quòd in generali Privilegiorum Communicatione, non ea veniunt Privilegia, quæ in aliqua particulari, seu speciali ratione fundantur, cùm eadem ratio totalis, & finalis constitutiva Constitutionis in aliis non reperiatur.

10. Quapropter Privilegium non recitandi Officium in Choro, non cantandi, non eundi ad publicas Processiones, etiam pro communi bono, & similia propter Scholas, & Litteraria exercitia, Patribus Societatis Jesu concessa; cæteris Regularibus, in quibus eadem non militat ratio, nec eadem urget necessitas, nequeunt communicari, & haud indulta censentur; Id ipsum dicas de Privilegiis præjudicialibus, ceu sunt illa de non solvendis Decimis, & Quarta funerali.

11. Nec te moveat ampla Privilegiorum Communicatio, qua Romani Pontifices omnia, & singula Privilegia, Immunitates, & Exemptiones, Concessiones, Indulgentias, peccatorum Remissiones, & Indulta quæcunque, quibusvis Congregationibus, seu Societatibus, aut aliis Locis, vel illorum personis quomodocunque concessa in genere, vel in specie, tam conjunctim, quàm divisim singulis Mendicantium Ordinibus, ita concedunt, extendunt, & communicant, ut illis uti, & frui liberè possint, & valeant, ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent, cum debitis, & consuetis Clausulis, *quorum tenores, &c.* & fortissimis non obstantiis.

12. Nec quòd *Pius Quartus* extenderit Privilegia concessa uni, aut quibusdam Monasteriis Ordinis Divi Hiero-

Hieronymi, ad omnia, & singula Monasteria ejusdem Ordinis, tam Virorum, quàm Mulierum, quibus in specie concessa non sunt; & in quibus aliæ causæ concessionis, & prædictorum indultorum, & aliàs, quàm præfertur suberant; prout latiùs est videre in *lib. Monumenta Ordinum* in 2. impressione, *fol.* 265. *concess.* 648. *& in Supplemento Ordinis Minorum. fol.* 66. *concessione* 206. *& in Summ. Joa. Baptistæ Confect. cap.* 5. *& Hier. à Sorbo Capuccin. in Compend. Privileg. ver. Communio.*

13. Nam præfata Privilegiorum extensio, seu Communicatio, de illis tantùm debet intelligi, quæ Ordinibus, vel Congregationibus, & Personis, & Locis Congregationum, & Ordinum in communi, & in genere concessa sunt, non autem de concessis quibusdam Domibus, vel Personis particularibus Congregationum, vel Ordinis; prout *Leo X.* decrevit, & in *Supplemento Ordinis Minorum, fol.* 59. *concess.* 157. habetur, & notatur.

14. Quæ quidem communis, & generalis Privilegiorum Communicatio, prout suprà diximus, & *Julius II.* declaravit, non debet esse Identica materialis, sed Analoga formalis; hoc est, similis, & ferè eadem secundùm quandam Proportionem, & status Decentiam; ita ut totum id, quod potest Magister Generalis in Ordine Prædicatorum, possit Pater Generalis Ordinis Minorum, & quilibet alius in suo Ordine; & quantum valet Prior in suo Prioratu, tantum valeat Pater Guardianus in sua Guardiania: Idem dic de Congregationibus unius ad Congregationes alterius Ordinis, & de Religiosis non Prælatis ad Religiosos non Prælatos alterius Ordinis; ita de festivitatibus, ad festivitates; ita quòd concessa festivitatibus Sancti Dominici, Hyacinthi, Petri Martyris, & aliorum Sanctorum nostri Ordinis, respectivè intelligantur concessa festivitatibus Sancti Francisci, & aliorum Sanctorum Ordinis Minorum; ita ut pares sint in honore, & dignitate.

15. Quibus, & adde, si quæ dicta sunt, non juvant, quòd hujusmodi Communicatio, non habet locum in exorbitantibus, & in iis, quæ rarò, vel cum difficultate conceduntur; prout *Rot. Rom.* sæpè docuit, & in præcitatis *locis* declaravit, ita censet *Butr. consf.* 19. *num.* 9. *Navar. tom.* 2. *tit. de Privil. cons.* 13. *num.* 4. *Socin. in l.* 1. *num.* 3. *in fin. ff. de leg.* 1. *& ibi Jason. nu.* 21. *ver.* 1. *limita, & Rip. num.* 8. *ver. & ita intellige, Crot. num.* 10. *Paris. num.* 24. *in fin.* cum cæteris, suprà citatis.

16. Hinc item benè colliges, non meo libito, sed præfatorum consilio, Privilegia alicui particulari Religioso concessa, aliis Religiosis ejusdem, vel alterius Religionis multò fortius haud posse communicari; nec indulgeri etiam si in illis eadem ratio, aut necessitas militaret; prout *Leo X.* in præcitatis declaravit, ratio dictat, & prædicta jura convincunt.

18. Sedes enim Apostolica, ex justissimis causis quosdam, revera Patres, à nonnullis Regulæ observantiis consuevit eximere; quorum particularium Religiosorum indulta, si ad omnes alios Religiosos indifferenter fateamur transire, atque extendi; utique tota funditùs everteretur Religio, vel brevi tempore destrueretur, cùm dispensatio sit Juris communis destructio, seu relaxatio: nociva autem (ut sæpè diximus,) & odiosa restringenda sunt; ita *Rodriq. Miranda, & Tamb.* in præcit. *loc. & Joann. de la Crux de Statu Relig. lib.* 2. *cap.* 3. *dub. unic. concl.* 3. *illat.* 1. *fol.* mihi 158.

Quæst. 15. *An in generali Communicatione Privilegiorum Mendicantium, veniant Indulgentiæ concessæ?*

1. VBi Romanus Pontifex suis in *Bullis* explicitè dixerit, se nobis communicare quorumcunque Ordinum Immunitates, & Indulta, seu Indulgentias, & Remissiones peccatorum, prout in multis apparet, non licet ampliùs de hujusmodi Extensione, seu Communicatione dubitare.

2. Immò generalis Communicatio Privilegiorum, Indulgentias comprehendit, etiam si non exprimantur; hæ quippe veniunt nomine Privilegii, saltem latè sumpti, cùm omnis gratia Principis, Privilegium appelletur, *Joan. Andr. in cap. olim de verb. signif. Bald. in prælud. feud. num.* 18. *Gramm decis.* 59. *num.* 29.

3. Igitur communicatis nobis cæterorum Ordinum Privilegiis omnibus; & Indulgentiæ illis concessæ, nobis item communicatæ, & extensæ intelliguntur, cùm eò fortiùs simus in materia favorabili, in qua latissima, ut suprà diximus, fieri debet extensio.

4. Hæc tamen Indulgentiarum Communicatio, cum grano salis debet intelligi, hoc est, secundùm quandam proportionem, & status decentiam; & de illis tantùm, quæ sunt communes, vel in genere Ordinibus concessæ: Et sic, sicut simplex Novitius suscipiens habitum nostræ Religionis, multa consequitur beneficia, & Indulgentias lucratur; ita quis dum suscipit habitum sancti Francisci; & quemadmodum laicus visitans nostras Ecclesias tempore festivitatum nostrorum Sanctorum, consequitur remissiones peccatorum; ita à pari, qui visitaverit Ecclesias cæterorum Mendicantium.

5. Secus autem est dicendum de iis, quæ alicui certo loco, vel ob aliqualem specialem rationem conceduntur: hæ quippe per generalem Privilegiorum Communicationem minimè communicantur; tum quia in generali concessione, non veniunt Privilegia exorbitantia, nec propria specifica, nec ea, quæ rarò conceduntur, nec item ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus, juxta *regulam in generali,* 81. *de regul. jur. in* 6. prout multoties dictum est, & practicatur; nam per generalem facultatem, Confessariis datam absolvendi, non venit illa, quæ requiritur ad casus *Bullæ Cœnæ*, vel Ordinario loci Episcopo reservatos.

6. Quapropter Indulgentiæ Sanctissimi Rosarii, ejusque Privilegium, quo noster Pater Generalis, Advenis facultatem facit, & Exteris licentiam impartitur, societates fundandi, & sacellum erigendi, virtute Communicationis Privilegiorum, ad alios Ordines non transeunt, nec communicatæ intelliguntur. *Horat. Mandos. in tract. de Privil. ad instar, gloss.* 9.

7. Quod etiam procedit in Altaribus privilegiatis, & Indulgentiis uni particulari Ecclesiæ concessis, ceu sunt illæ Portiunculæ Assisii Fratrum Sancti Francisci, Ordinis Minorum præscriptæ, *Portel. in dub. Regular. verb. Privilegii Communicatio, & Tambur.* 1. *tom. de jure Abbat. disp.* 17. *quæst.* 2. *num.* 4.

8. Quod iterum extende ad privilegium faciendi celebrare Missam in aliqua determinata Domo, vel privato Oratorio, adeo, ut sic Privilegiatus, si extra præscriptam domum reperiri, vel habitare contigerit, vigore supradicti Privilegii, non posset coram se Missam celebrari facere; quia privilegium ab homine concessum, non extenditur de loco ad locum, sicut nec etiam de persona ad personam, aliàs non daretur Privilegium locale particulare; sed omnia essent communia, ne dicam, confusa; ita censet, multis allegatis *P. Merolla. tom.* 3. *de Privil. cap.* 8. *dub.* 22. *num.* 121. ubi habes, de stylo Curiæ ita practicari, sic adeo, ut per unum Breve, nunquam censeatur data facultas celebrandi in pluribus, ac diversis Oratoriis privatis.

Quæst. 16. *An in generali Communicatione omnium Privilegiorum Mendicantium, ea veniant Privilegia, quæ sunt consuetudine acquisita?*

1. SI Dominus Papa, Privilegiorum concessionibus addat, (ut sæpè solet,) & ista verba subjungat, *Conce-*

Concedimus, & Indulgemus N. ut possit potiri, & gaudere omnibus, & singulis Privilegiis, quibus Mendicantes, in omnibus, & per omnia utuntur gaudent, & fruuntur per modum communicationis, vel extensionis, aut aliàs quomodolibet, sive de jure, vel usu, & consuetudine, sumus in claris.

2. Si autem *Bulla* non ita expresè loquatur; sed tantùm dicat, *per Romanos Pontifices concessis*, per talem generalem Communicationem omnium Privilegiorum Mendicantium fateor, ea etiam Privilegia venire, quæ sunt consuetudine acquisita; quia cùm simus in materia favorabili; hæc utique veniunt appellatione Privilegii: quia Privilegia, consuetudine acquisita, saltem remotè dici possunt à Principe concessa.

3. Consuetudo enim vim habet conferendi Privilegia, non ex se, sed Principis concessione; etenim longæva consuetudo, dat jurisdictionem; quia Princeps id statuit, & voluit, ut ex usu longævo, Jurisdictio acquiratur: omnis quippè Jurisdictio à Principe dimanat, prout docent communiter *Doctores*: sic item lex per consuetudinem introducta dici potest; quòd sit à Principe; quia Princeps statuit, ut talis consuetudo vim habeat inducendi legem; hinc etsi consuetudo per actus privatorum paulatim introducatur: non tamen dat Privilegium, nec Jurisdictionem ex virtute, & efficacia talium operationum, absolutè, & per se sumptarum; sed virtute, & voluntate Principis dantis, & concedentis hanc consuetudini efficaciam, & virtutem.

4. Ex quo ergò Papa concedit omnia per Romanos Pontifices concessa, pariter concedere videtur ea, quæ sunt consuetudine acquisita; nam Dominus Papa voluit, & statuit, consuetudinem antiquam vim habere inferendi legem, & dandi Privilegium.

5. Quæ Privilegia consuetudine acquisita, non necessariò, sed ad majorem cautelam, & ad tollendum omnem scrupulum, aliquando expresè, & nominatim conceduntur, & communicantur à Domino Papa.

Quæst. 17. An in generali Communicatione Privilegiorum, intelligatur communicari Usus & non Usus; an verò Ius Utendi?

1. Consueverunt Rom. Pontifices, sub hac conditione, Mendicantium confirmare Privilegia, quatenùs sunt in usu, & non sunt abrogata, sive derogata per contrarium Usum, legitimè præscriptum.

2. Verùm, quia fieri potest, ut aliqua Mendicantium Religio, aliquo utatur Privilegio, altera tamen ob ignorantiam, aut incuriam, vel ob quid aliud simile, non utente: benè quæritur, an Communicatis nobis Mendicantium omnibus Privilegiis, censeatur pariter & nobis communicari jam dictus non usus alicujus Religionis, prænarrato Privilegio non utentis?

3. Resolutivè dicam, quòd non usus unius, non solùm non præjudicat, sed nec præjudicare potest Usui alterius; quod procedit in omni Privilegio, Religioni, vel Communitati concesso; prout expresè vult *Panor. in cap. cùm accessissent, de Constit. in fin. Innocent. cap. in accidentibus, de Privil.* cum aliis, quos allegat noster *Sylvest. in summ. verb. Privil. q. 11.* ubi latè per plura ostendit, quomodò particulares personæ non possint per contraventionem renunciare, nec tacitè, nec expresè præjudicare Ecclesiæ Privilegiis, ubi sunt in usu, & *Decreto Conc. Trid.* non advertantur.

4. Quod item patet, si advertas, quòd cùm hujusmodi Privilegia communicantur, ex vi talis Communicationis fiunt absolutè, & independenter communia; immò propria illi, cui communicantur; eò fortiùs, si Papa dicat, *Communicamus, & de novo in specie concedimus*: etenim in hujus generis communicatione, re vera non communicatur Privilegiorum usus, sed Jus utendi. Et consequenter, si qua Religio, quomodolibet contingat suis non uti Privilegiis, vel amittere; alteri Religioni, cui Privilegiorum sit communicatio, nullatenus præjudicare poterit: quia hujus Usus, & Privilegiorum possessio, ab usu, & possessione alterius non dependet, nec quidem dependere potest; cùm Privilegiorum communicatio, sit ei absolutè, & per se facta, & independenter habita; & unum absolutorum, ab alio non dependet.

5. Ac proindè, per quemvis reliquarum Religionum non Usum; nec quippè verò per proprium non Usum, nisi legitimo tempore præscriptum, nostris poterimus præjudicare Privilegiis: prout doctè, & latè demonstrat *Rodriquez 1. tom. qq. regular. q. 55. art. 19. & Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 46. ar. 8.*

Quæst. 18. An Communicatarius, seu is, cui facta est Privilegiorum Communicatio; teneatur se certiorare de usu, & viridi observantia Privilegii, habita tempore Communicationis, ad hoc, ut tutè uti possit Privilegio, sibi communicato?

1. Nupertima, v. g. Privilegiorum Communicatione, *Urbanus Papa VIII.* Mendicantium omnium Privilegia Religioni Scholarum Piarum, sub hac Claulula communicavit; *Dummodo tamen sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa.*

2. Vult modò, hæc nova Religio, quodam uti Mendicantium Privilegio; tenetur nè se certiorare; an illud, quo uti intendit, fuisset in usu tempore communicationis sibi factæ? nec nè?

3. Cum distinctione respondeo; aut clarè constat, hoc privilegium, quo uti vult, fuisse apud Mendicantes in usu tempore prædictæ Communicationis, vel anteà; & sic sine scrupulo uti potest, & debet prædicto Privilegio.

4. Aut non apparet clarè; & sic datur locus affirmativæ præsumptioni: etenim præsumendum est, Privilegium, quo nùnc Mendicantes utuntur; etiam, & anteà, vel saltem tempore actualis communicationis fuisse in usu; præsumitur de præsenti in præteritum, quando actus non esset aliàs nullus, vel illicitus; prout dixit *Bald. in l. ex persona, notab. 2. de probat.* quem, multis allegatis, sequitur *Horat. Mandos. in tract. de Privil. ad Instar, Glos. 15. num. 49.*

5. Ac etiam præsumitur de præterito in futurum; ita ut si aliquando fuit usus, ad præsens etiam uti præsumatur; prout clarè habetur in *cap. mandata, & cap. scribam, & ibi glos.* & communiter *Doctores*; *de præsumptionibus, l. 2. ff. de Senat.* & sicut præsumptio est, quòd qui originale Privilegium apud se retinet, etiam anteà, apud se habuisse; & vice versa; ut docet *Aret. consil. 5. in fin. & Ruin. cons. 13. ad fi. lib. 4.*

6. Ita poterit esse præsumptio, quòd qui hodiè Privilegiis utitur, etiam temporibus præteritis usus fuerit, & è contrà, ut dictum est.

7. Si autem, nec appareret, nec præsumi potest, Privilegium fuisse in usu tempore Communicationis; & sic non licet uti, nisi probetur usus, & observantia habita tempore jam dictæ Communicationis, quia cùm Privilegia sint facultatis, non autem necessitatis illorum usus stat liberè positus in nostra voluntate; perindè fieri potest, ut quis habuerit Privilegium, & quòd eo uti noluerit.

8. Nec ex eo solo, quòd ostendatur Privilegium, ostenditur usus Privilegii, quia usus est quid facti; & ideò non præsumitur, nisi probetur *l. in bello, §. facta, ff. de capt. & postlim. rever.* ita *Menoch. de Præsumpt. lib. 2. præsumpt. 1. 2. num. 3. Bertrand. cons. 149.* incipit *illud est gene-*

rale

rale, num.2. vol.1. & conf.130. incip. viso processu, n.3. vol. 2. & idem Mandos. gl.15. n.56.

9. Verùm tamen, Alleganti, Privilegium non esse in usu, onus probandi incumbit; ita decisum refert Rota Rom. apud Crescent. decis. 4. Gregor. Lopez in l. 42. tit. 18. part.3. & Tapia in comm. ad l. fin. ff. de Constit. Princ. par. 2. cap.1. in fin. Fontanell. de pactis nupt. tom.2. Claus. 3. glos.2. num. 21.

Quæst. 19. An inter Mendicantes, sic adeò conquassentur communicata Privilegia, ut unus Ordo nequeat contrà alium suis gaudere privilegiis?

1. PRivilegia priscis indulta Mendicantibus; ita sanè perfectè & adæquatè per Dominum Papam novissimis, ac postremis communicantur Regularibus, ut censeantur propria, & sibi absolutè, seu independenter, & de novo in specie concessa; sic adeò, ut sine primariorum Privilegiatorum respectu, & absque quavis alia dependentia, communicatis sibi Privilegiis, etiam contrà jam dictos, primiter, atque pariter privilegiatos, uti possint, & valeant, ac si ipsis primitùs fuissent indulta, vel elargita: omnes enim Mendicantium Ordines sunt per se primò, & æquè principaliter privilegiati, & in eorum communicatis privilegiis neuter dependet ab alio, & omnes directè subsunt Domino Papæ, à quo singuli immediatè habent quicquid boni retinent; & ob id antiquorum Usus, vel non Usus, ultimis Religiosis in parvo, vel in nihilo poterit nocere; Etenim Privilegiorum communicatio ferè semper est nova, & absoluta concessio.

2. Hinc est, quòd Dominicani, eorum Monasteria propè Fratres Minimos infrà spatium centum quadraginta cannarum ædificare volentes, repelluntur, & prohibentur fabricare, quos contrà, & ipsi Patres Minimi possunt se defendere per illud met Privilegium Dominicanis primitùs concessum, & postmodùm ad instantiam Minorum moderatum, de non ædificando infrà præfatum spatium cannarum.

3. Et hoc ideò; quia Dominicanorum Privilegia, per communicationem jam dictam, effecta sunt, tam Minorum, quàm aliorum propria.

4. Quod etiam procedit de non servando interdictum in eorum Sanctorum festivitatibus, etsi foret positum ab eodem Ordine nostro, fuit primitùs olim nobis concessum Privilegium, quo possumus, non servare interdicta posita ad instantiam cæterorum Ordinum, quamvis talis inobservantia cederet in eorum damnum, & præjudicium; ex quo tale Privilegium fuit Minimis concessum, & communicatum, ut suprà, potest per eosdem contrà nos retorqueri, & in nostrum damnum practicari, prout de communi docet Anton. Corduba in addit. ad Compend. tit. Commun. Privil. in fin. Rodriquez tom. 1. QQ.RR. quæst.55 art.1. & Miranda in Manual. Prælat. tom.2. quæst.46. art.9.

5. Secùs autem dicas de Tertiariis, & Oblatis, seu Donatis, qui non sic principaliter, & independenter communicant in Mendicantium Privilegiis: hi quidem nequeunt uti illis contrà Fratres, quorum intuitu talia habent Privilegia: quia quod in Fratrum favorem principaliter concessum extat; non debet in eorundem Fratrum odium, vel dispendium retorqueri, per Juris regulam in 6. cap. quid per novale, junct. glos. de verb. signific.

6. Et ideò cessante principali, ut putà Fratrum favore, cessat accessorium, seu minùs principale, scilicet Oblatorum Privilegium; prout Panor. in cap. ex parte de foro competenti, Bald. in l. omnia, C. de Episcopis, & Cleric. & Bart. in l.1. de legat.1. & in l. Amicissimus §. Lucius, ff. de excusationibus tutorum.

7. Cujus ratio esse potest, quia non ex æquo (sicut cæteri Fratres) gaudent Religionis Privilegiis, sed per accidens, & secundariò; & sicut diversa est ratio, ita alia esse debet Juris dispositio, argumento tex. l. illud, ff. ad leg. Aquiliam, & l. à Titio, ff. de verbor. obligat. ita Portell. in dub. Regul. verb. Privil. comm. num.9. & Tambur. de Jure Abbat. tom.1. disput.179. q.4. per totam.

8. Neque his obstat communis, atque vulgata Juristarum sententia, qua dicunt, Privilegiatum contrà pariter privilegiatum, non posse uti, nec gaudere privilegio, prout expresè dicitur in l. sed & Milites ff. de excusat. tut. & in auth. quas actiones, C. de Sacrosanct. Eccl. & in auth. de Sanctiss. Episc. §. sed hoc præsenti, & in l. verum, cum legibus sequentibus, ff. de Minoribus, ubi expresè habetur, quòd Privilegium habens, non utitur eo contrà habentem idem Privilegium, quapropter Proverbium est, quòd inter personas Privilegiatas confunduntur, & conquassantur Privilegia, & quòd inter eas attendendum est jus commune; de qua re latè Afflict. in Constitutione Regni, Statuimus, & ibi pariter Tapia num.26. Vincentius de Franchis decis.188. & 553. Ursill. in addit. ad decis. Afflict. decis.56. & Ricc. in collect. decis. coll.348. & novissimè Joann. Maria Novar. in prax. de elect. & variat. for. q.61. sect.4. in ultim. edit. & in tract. Miserabil. Person. prælud.7. per totum.

9. Et hoc ideò; quia inter Pares eadem intrat Juris dispositio, cap. inter corporalia, & cap. sicut ergo, de translatione Episcop. Cardinal. Tusc. pract. conclus. lit. P. concl. 760. verb. sed conquassantur ad invicem, & Roman. cons.385.

10. Quoniam prædictum Juris Axioma, nedum cum grano; verùm etiam cum modio salis, est intelligendum; ita ut tunc sit verum, & habeat locum, quando fit mutuus concursus Privilegiorum practicè, & specificè in ea re, de qua agitur; hoc est, quando Privilegiati concurrunt in privilegiis, per oppositionem mutuam, & respectivam in ordine ad Usum ejusdem Privilegii: ut putà, si unus habeat Privilegium ad exigendum, & alius è contra habeat Privilegium ad non solvendum; aut si unus habeat Privilegium, ob causam delicti, nullatenus possit incarceri, nec torqueri; & alius habeat Privilegium, ut quilibet delinquens contrà ipsum, incarceretur, & torqueatur; & sic verissima est Doctorum sententia; quia per mutua, & contraria Privilegia, impeditur usus Privilegii: Nam, ut Philosophi ajunt, ad positionem contrariarum qualitatum, æque potentium in se, non sequitur actio; sic quidem si duo contraria Privilegia simul concurrant, cùm unum resistat alteri, non potest haberi, nec sequi Usus unius Privilegii contrà Usum alterius, & sic unus Privilegiatus contra alium pariter Privilegiatum, suo non potest gaudere Privilegio, & in tali casu confunduntur, & conquassantur Privilegia; & attendetur Jus commune; ita post multos allegatos, non minùs diffusè, quàm eruditè docet Covar. tom.1.2. par. relect. §.2. num.4. vers. quod verò diximus, & tom.2. lib. practic. quæst. cap.7. num.4. usque in fin. vers. est, & in hoc tract. elegans quæstio. Ludov. Gomes in Comment. ad Regulas Cancell. in Regul. de Impetr. benef. Vac. per obit. famil. Cardinal. q.12. num.4. ver. tamen considerandum, Rodriquez tom.1. QQ.RR. quæst.9. art. 11. Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 42. art. 7. & P. Merolla laboriosè tom. 3. privil. disp. 6. cap. 6. dub. 2. difficult. 1. à num. 17. usque ad num. 47.

11. Et additur ly, Practicè, & Specificè, ad ostendendum, quòd ad hoc, ut Regula prædicta sit vera, requiritur, ut ambo sint formaliter privilegiati, idest in actu, & respectu ejusdem causæ, quæ agitatur, & sic erit verum, Doctorum Proverbium, quòd inter Privilegiatos, conquassantur Privilegia.

12. Secùs autem, si unus Privilegiatorum sit Privilegiatus materialiter, hoc est, in potentia, seu in genere, vel respectu

respectu alterius causæ, de qua non agitur; alter verò in actu, & in specie formaliter, hoc est, in ea re, quæ controvertitur: nam in tali casu Privilegiatus in specie respectu causæ, de qua agitur, utitur Privilegio contrà alium Privilegiatum in genere, id est, contrà alium, qui si in eodem esset casu, haberet idem Privilegium.

13. Quod expressè colligitur ex § *item quæritur, l. verum, ff. de minor*, ubi minor mutuans pecuniam alteri minori, qui eam amisit, non utitur privilegio restitutionis in integrum contrà eum; quia uterque ratione minoris ætatis, & læsionis, habet privilegium restitutionis in integrum, in specie, actu, & respectu ejusdem causæ; quia minor agens, habet restitutionem adversus dationem pecuniæ, & pariter minor reus conventus adversus receptionem illius, & uterque tractat de damno evitando; Unus contrà alterum non potest uti privilegio restitutionis in integrum; sed in hoc casu confunduntur privilegia.

14. Ac item ex *l. si minor 25. annis ff. de minoribus*, ubi dicitur, quòd si minor viginti quinque annis, filiofamilias minori pecuniam credidit, qui eam consumpsit, melior est causa consumentis; nisi locupletior ex hoc inveniatur litis contestatæ tempore is, qui accepit.

15. Et iterùm in *auth. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccl.* dicitur, quòd si una Ecclesia, quæ rem aliquam possedit triginta annis, conveniatur ab alia Ecclesia, actione rei vindicationis: non potest excipere, & pro se dicere de præscriptione triginta annorum: quia Ecclesia, quæ convenitur, est tantùm privilegiata in genere, seu materialiter, & in potentia, non autem in specie, seu formaliter, & in actu, nempè in causa, de qua agitur; cùm nemo contrà ipsam præscriptionem alleget; & ideò Ecclesia Actrix potest suum privilegium allegare, quòd scilicet contrà ipsam præscribi non possit, minori spatio quadraginta annorum; & uti privilegiata in causa, de qua agitur, scilicet de præscriptione quadragenaria; poterit agere contrà Ecclesiam conventam, quæ in isto casu non est in actu privilegiata; ita *Juristæ* omnes in *d. auth. Panor. in cap. in præsentia, num. 37. de probat. Covarr. loc.* cit. cum aliis multis quos citat. *Genuensis in Practica b. Eccles. q. 415. num. 2.*

16. Et tandem in *l. fin. ff. ex quibus caus. major.* habetur quòd is, qui Reipublicæ causa abfuit, restituendus est, etiam adversus eum, qui etiam Reipublicæ causa abfuit; si aliquid damni sit passus per absentiam, quia iste, qui restitutionem postulat, est Privilegiatus in specie, actu, & formaliter propriè, id est in causa, de qua agitur, quia de facto propter absentiam fuit læsus; alter verò licèt fuerit absens: tamen nullum damnum passus est: par causa, de qua agitur, est damnum passum: & ideò, qui absens fuit læsus de facto; dicitur Privilegiatus in actu, practicè, & propriè; & ob id suo potest uti Privilegio contrà illum, qui dicitur privilegiatus in genere, seu in potentia: hoc est, si læderetur, posset restitui.

17. Quæ quidem sententia, ut suprà qualificata, & declarata: etsi verissima sit; in quibusdam tamen casibus fallit, & debet limitari, ita ut non procedat, quotiescunque unum Privilegium erit potentius altero: tunc enim licèt ex utraque parte concurrant privilegia, formaliter, & practicè, & specie, respectu scilicet ejusdem causæ.

18. Nihilominùs is, qui præpotentius privilegium habuerit, illo poterit uti contra alium simile privilegium habentem.

19. Privilegium autem multifariè, multisque modis, dicitur fortius, fitque potentius alio: Vel quia est negativum: ut illud de Decimis non solvendis; & sic præfertur affirmativo; prout notat *Bald. in l. Rufinus, ff. de testam. milit. & Decius cons. 147.*

20. Aut quia est geminatum & duplex, & sic prævalet uni simplici, & quod respicit personam, est fortius eo, quod respicit bona; idem *Bald. in l. 1. ver. tertiò quæritur, de officio procons.* Vel quia est utilius, vel minus nocens Juri Communi, & sic magis attenditur, quàm illud, quod est minus utile, vel quod nocet magis; prout docuit idem *Bald. in l. Posthumos ff. ad Syllan. & Bart. in Constit. Ad reprimendum.*

21. Aut quia est majoris indigentiæ, seu necessitatis, & miserationis: ut illud minorum respectu aliorum filiorum stantium sub patria potestate, qui Minores, ratione minoris ætatis, (quæ quantò magis ad Binatum accedit, tantò plus est favorabilis, & indiget alieno subsidio,) præferuntur aliis: ratio autem minoris ætatis magis urget, & est magis attendenda; quàm Senatusconsulti Macedoniani; ut dicitur in *l. verum, § final. ff. de minoribus.*

22. Hinc Privilegium Viduarum, & Pupillorum de variando forum, quod notatur in *l. unica, C. quando Imper. inter pupill. & viduam* prævalet Privilegio Scholarium, quod habetur in *authen. habita, C. ne fil. pro Patr.* quia cum sint debiliores; omnem parvam potentiam horrescunt, proùt probat *Bald. in d. authen.*

23. Et tandem Privilegium de damno evitando, est potentius eo, quod est de lucro captando: & hoc magis valet in reo possidente; quàm in actore prætendente; ut dicitur in *cap. fin. de sent. & re judicat. & ibi Panor.* cum cæteris *Canonistis.*

Hæc summariè placuit annotare, quorum si multa cupis exempla videre, consule allegatos *Doctores*, & præcisè *Covar. & Novar.* in præcitat. *locis*; ubi multa habes digna notatu.

TRACTATUS OCTAVUS

DE INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. An dentur aliquæ Regulæ ad interpretandum Privilegium?

1. Etenim primò notandum, quòd pro intelligentia *Legum, Canonum, & Privilegiorum*, magis est attendendum ad causam, quæ movit Legislatorem, quàm ad ipsa verba *Legis*, ut dixit *D. Hilar. lib. 4. de Trinitate*, circa *medium, & D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 6.* quia non sermoni res, sed rei sermo debet esse subjectus; & habetur expressè in *cap. intelligentia, de verb. signific.*

2. Secundò notandum, quòd nova Jura per antiqua, limitationem recipiunt, quando scilicet in aliquo per antiqua Jura specialiter fuit facta provisio; quæ quidem specialis provisio per nova Jura non corrigitur; ita probatur in *l. sciendum, ff. qui satisdare cogantur, & glos. & Doctores in authent. offeratur, C. de lit. contest.* cum aliis, quos citat *Megal. tom. 2. resolut. 155. num. 9.*

3. Tertiò advertendum, quòd verba, tam Legum, quàm Privilegiorum enunciativa, & narrativa dispositionem non inducunt, ex *cap. Papa, de Privil. in 6. & Clem. 1. de probat. Federic. de Senis cons. 39. Roman. cons. 191. nu. 4. & 5. ver. Spectabilis Domine. Bald. in l. extat ff. quod metus causa, Jason in l. 1. in 2. lect. n. 33. C. de Sacros. Eccles.* & testatur de

de communi *Apostilla ad Roman. in d. cons. 191. num. 4.* ubi dicit, Regulam esse veram, & multos citans, advertit, standum esse parti dispositivæ, quæ solet incipere, *Nos igitur, &c.*

4. Quartò notandum, quòd quamvis in dubio prævaleat illa Legis interpretatio, quæ est benignior, ut *ff. de Regulis Jur. l. semper in obscuris, & Abbas in c. 1. de Constitutionibus.*

5. Debet tamen attendi proprietas verborum, quæ uti verba juris, non crassa, (ut ajunt) Minerva, sed in proprio sensu, & secundùm ipsum Jus debent intelligi, & declarari, juxtà subjectam materiam; & pensare, an sit materia ambitiosa, & periculosa, ex qua nasci possent odia, & occasiones peccandi, aut litigandi; an verò sit materia virtuosa, & favorabilis; nam odia sunt restringenda, & favores ampliandi, ut accuratè, & latè dixit *Hostiens. lib. 5. summ. tit. de Privil. §. quòd operetur.*

6. Quintò advertendum, quòd in verbis dubiis, tam Legum, quàm Privilegiorum, ad Principem est recurrendum, isthæc omnibus est tutior via; nam dubia Juris, interpretanda sunt à Principe: illius enim est declarare, cujus est condere, ut dictum est.

7. Utrùm si periculum sit in mora, nec pateat aditus, vel non sit securus accessus, pro conscientiarum serenitate, & scrupulorum quiete, recurrendum est ad Homines Litteratos, qui dubia Legis, privata auctoritate per Regulas, & conjecturas poterint doctrinaliter declarare.

8. Qui quidem in dubiis de communi, & secundum omnes per Epicheyam tenentur Legum rigorem temperare; hoc est, in illis procedere de bono, & æquo, simpliciter, & de plano: hoc est, relictis Juris Apicibus, & Subtilitatibus; tenentur sequi Jus gentium, & lumen naturale: Æquitas enim procedit secundùm simplex jus gentium, cui additæ sunt rigor, & aliæ subtilitates, quæ sunt de jure positivo; ut in testamento ad pias causas, omissa solemnitate Juris, quòd ibi debeant septem testes intervenire, satis esse duos, vel tres adesse, & reperiri, quod est de jure Divino, & naturali; *In ore duorum, vel trium stat omne verbum, l. bona fides 31. ff. deposit.*

9. Sextò notandum, mentem Principis ex pluribus conjecturis posse indagari, & præcisè ex lectura Procemii Legum, vel Constitutionum, Procemia etenim causam finalem retinent, & disponentis animum declarant, *l. final. ff. de hered. instituendis, cap. Marcion. 1. quæst. 1. cap. sedulò, distinct. 58. & cap. in his, de verb. signif.*

10. Si tamen verba Procemii, non sufficiant, cum attentione procedas ad media, & extrema; nam unum extremum, per aliud indagatur, ut dicitur in *cap. secundò requiris 141. de appellat.* & ibi *Bald.* cum sua *glossa*, ubi *Cælestinus Papa* ait, Utriusque Juris argumenta, nos docere ea, quæ in principio, ad medium, & ad finem referuntur; quia media declarantur per extrema, & per unum extremum, declaratur aliud, & est communis propositio in utroque Jure nostro, de qua latè *Thesaur. lib. 1. quæst. forens. quæst. 1.*

11. Si verò hæc non sint satis, attendantur supplicata, nam illis solet Princeps conformari; unde in *cap. inter dilectos, §. cæterum, de fide instrumentorum* dicitur, *cùm mente supplicantis præsumitur se conformare* Concedens, ita *Fel. in d. loc. & Suar. lib. 8. de legibus, c. 28.*

12. Sed si, his omnibus non obstantibus, adhuc mens Principis ignoretur; à verosimili indagetur, ut in *l. non est verosimile, ff. de rebus dubiis:* qui enim arguit à verosimili, arguit à ratione naturali; quia verisimilitudo est Germana Naturæ, *Bal. cons. 180. n. 3. vol. 3.* & qui habet verosimile pro se, habet causam legis pro se, *Cravetta cons. 292. num. 6.* quod fallit in legibus pœnalibus; ita limitant præcitati *Doctores.*

Quæst. 2. An quilibet Doctor possit dubia, & obscura Privilegia declarare?

1. Privilegia clara non sunt declaranda, sed juxta sui seriem exequenda; quia in claris non indigemus conjecturis; ita in *cap. recipimus, & cap. Porrò, de Privil. & in l. continuus, §. cùm ita, ff. de verbor. signif.*

2. Dubium autem est quædam hæsitatio Intellectus, inter utramque partem contradictionis, post longam, & diligentem inquisitionem; qua in re sibi objecta recusat, & timet definire; ita ex *glos.* recepta in *l. de statu, ff. qui testam. facere possunt, & in rubrica, ff. de juris, & fact. ignor.* ubi ille dicitur dubitare, cujus animus ad diversa se applicat, & neutrum eligit; *Navarr. in cap. si quis autem de pœnit. dist. 7. num. 48.*

3. Declaratio autem, seu interpretatio est aperta eorum explicatio, quæ in aliqua Lege, vel Privilegio, aut Decreto, non ita apertè continentur; declaratio enim, nihil de novo inducit, sed illud, quod latens est, manifestat, *l. heredes palam, ff. de testam.*

4. Ac proinde declarationi tunc datur locus, quando res est dubia; unde si aliquid addatur, vel minuatur, non est Declaratio, sed nova Dispositio; argumento *l. Jus civile, ff. de Justitia, & Jure,* prout multis citatis ostendit *Megal. in 2. p.* sui *Promptuarii, ver. declarare.*

5. His ergò habitis, respondeo, distinguendum: vel sumus in declaratione potestativa, seu definitiva, & judiciali; Et ita secundùm omnes *Doctores,* ad eum solum spectat, qui Legem, Privilegium, vel Statutum condit; quia authoritativè ejus est Declaratio, & Interpretatio, cujus est condere, *l. ult. §. ex his, C. de legibus, cap. inter alia, de sententia excommunicationis, cap. cùm venissent, de judic. l. omni, C. de Sacros. Eccles.*

6. Et sic interpretari jus Divinum, & Canonicum pertinet ad solum Papam, *cap. Venerabilis, qui filii sint legitimi,* sicut interpretari leges civiles, pertinet ad Imperatorem vel ad Principem illum, qui est legis conditor; ita *Felin. in cap. Eccles. Sanctæ Mariæ, num. 49. de Constit. Hostiens. in summ. de verb. signif. §. à quo fieri debeat, nu. 7. Innoc. cap. cùm speciali, de appellationib. & Abbas in d. cap. cùm venissent, de Judiciis.*

7. Si verò loquamur de privata, doctrinali, vel magistrali declaratione; sic omnes Doctores, possunt Leges, Privilegia, & Canones Interpretari, quod in praxi per Judices observari videmus in Tribunalibus, & per Lectores in Academiis, ad præscriptum *Sac. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 2.* sic omnis Doctor per Epycheyam in dubiis temperat legum rigorem, juxtà Legislatoris præsumptam intentionem, ita *Cotta in memor. ver. Privileg. fol. 709. Surd. cons. 558. num. 6. Alderan. Mascard. de gen. stat. interpret. conclus. 2.* & alii multi, quos citat *Rodriquez tom. 1. QQ. RR. q. 11. artic. 5. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quæst. 44. artic. 1. Barbosa in Collect. ad d. cap. cùm venissent*

8. Quæ tamen doctrinalis Declaratio, non obligat, sicut illa Juridica; sed in causa dubitabili, donec Princeps non consulatur, scrupulos aufert, mentes serenat, & conscientiam alienat à peccatis; ita *Doctores* præcitati: quòd totum benè nota, & adverte ad interpretandum dubia orta in verbis *Sacr. Conc. Trid.*

Quæst. 3. An Dominus Papa possit Laicorum leges, Privilegia, vel Statuta declarare, non obstante regula text. cap. cùm venissent, de Iudiciis, quòd scilicet Interpretatio spectat ad Concedentem?

1. Dico, quòd sic, si tangant Clericos, vel saluti animarum præjudicent; nam Papa in ordine ad finē spiritualem habet amplissimam potestatem suprà omnes Princi-

Principes, Reges, & Imperatores; quia omnes sunt Oves, & ille est Pastor, *cap. omnes d. ist.* 22. ubi *Nicolaus Papa* ait, *Christus Beato Petro, vitæ æternæ Clavigero, terreni simul, & Cælestis Regni jura commisit*; prout latè ostendit noster *P. Victoria de potestate Eccles. tom.* 1. *propos.* 7. *num.* 10.

2. Et quamvis Potestas temporalis non dependeat à Papa; quapropter Papa non habet judicare de causis Principum, nec de juribus Ditionum, & Titulis Regnorum, prout sanxit *Innoc. III. in cap. novit.* 13. *de judic.*

3. Verùm tamen negari non potest, quin potestas civilis, ratione peccati sit aliquo modo subjecta Potestati spirituali Papæ, ad quam, veluti ad perfectiorem ordinatur; unde si civilis administratio foret in detrimentum administrationis spiritualis, vel quia tangeret Ecclesiam, vel læderet fidelium animarum salutem, esset mutanda, aut corrigenda, jussu Papæ, & Reges tenentur obedire; prout scitè, & accuratè demonstrat noster *Caietanus in Apolog. cap.* 7. *& P. Victoria ubi suprà*, & est communis sententia omnium *Doctorum*; nam quandocunque de peccato agitur, ad Ecclesiam spectat judicare.

Quæst. 4. *An Declarationes Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium sint decisivæ, & veluti leges observandæ?*

1. ET dico, quòd sic: dummodò sint latæ juxtà *Decretum* ejusdem Sacræ Congregationis, jussu *Urbani VIII.* editum sub die 11. Augusti 1631. & 1632.

2. Etenim prædictus Dominus Papa, ex quo audivit multas Declarationes, Decreta, & Decisiones, licèt falsas vel diminutas, aut alteratas; hinc inde circumferri, & allegari, & imprimi, nomine Sacræ Congregationis; absque tamen ejus authoritate, & veritate: & secundùm illas, multis in locis fuisse judicatum, & causas decidi, finiri, & terminari, non sine molestia partium litigantium, & offensione justitiæ.

3. Mandavit per eandem Sacram Congregationem tam Rituum, quàm *Concilii Tridentini* fieri, & publicari *Decretum*, tenoris sequentis.

Sacra Congregatio, ex speciali S. D. N. Urbani divina Providentia Papæ VIII. jussu, mandat, & præcipit, hujusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis, nullam fidem in judicio, vel extrà esse adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma, soluto sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium, munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli proprii Sacr. Rituum Congregationis impressione communiri, ac typis mandari jussimus. Datum Romæ die 11. *Augusti* 1632. *C. Episcopus Portuen. Card. Pius. Locus † Sigilli. Julius Rospiliosius Secret.*

4. Quod item per extensum refert *Barbos. in Collect. Bull. ver. Congregatio, n.* 2. *&* 3. *& Joan. Bapt. Lezana in sum ver. Sacr. Congr.*

5. Hinc declarationes factæ per eandem Sacram Congregationem super dubiis *Constitut. Gregor. XV. de exemptorum Privilegiis circa animarum curam*, & aliæ factæ super dubiis ortis in *Decretis* editis *de celebratione Missarum*: habent vim legis, & obligant in utroque foro; quia inter cætera requisita ad legem ferendam, sunt duo, nempè authoritas Principis, & voluntas ejusdem: quæ ambo concurrunt, & insimul reperiuntur in dictis Declarationibus; fiunt enim, & publicantur, jussu & authoritate Domini Papæ, apud quem residet totalis jurisdictio, & plenaria Potestas super totam Ecclesiam prout notat noster *Turrecrem. lib.* 2. *summ. Ecclesiæ cap.* 77. *D. Thomas in addit. ad tertiam partem, quæst.* 20. *art.* 1. *ad primum, & ibi Porrecta, Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell.* §. 1.

6. Et potest delegari, & extendi ad alios Prælatos, qua, & hi possunt authoritate ordinaria, vel delegata etiam legem ferre; prout habetur in *cap. ultim. de offic. leg. & ibi Panor.* & omnes alii *Canonistæ*.

7. Quod item extende ad omnes alias consimiles declarationes factas, & faciendas per eandem Sacram Congregationem; quia de similibus idem est judicium.

8. Dixi, & publicantur; quia promulgatio est unum de intrintrinsecè requisitis ad legem ferendam, prout D. *Thom.* communiter receptus in 1. 2. *q.* 91. *Sylvest. verb. lex, quæst.* 6. *Farinacius p.* 1. *fragment.*

9. Quod procedit etiam in Interpretatione authenticè facta, vel facienda per eandem Sacram Congregationem: quoniam interpretatio authoritativa legis, semper addit aliquid ipsi legi, cujus est interpretatio, vel supplet legis defectum: utroque modo, necesse habet publicari, *l. de quibus, ff. de legibus*, est enim talis interpretatio, quasi nova lex, & ideò, ut lex recens debet publicari.

10. Hæc autem publicatio, sivè fiat in Curia Principis, sive in una, vel pluribus Civitatibus, parum refert, satis est, quòd sit sufficienter proposita, ita *Navarr. in summ. cap.* 23. *nu.* 44. *Bonac. tom.* 2. *de legibus in genere, disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *num.* 3. *dub.* 1. *Anton. Diana par.* 1. *tract.* 10. *de legib. resol.* 29. *& par.* 5. *tract. de potest. & privil. Sanct. Rom. Eccles. Cardinal. resol.* 96. *Merolla tom.* 2. *de leg. disput.* 4. *cap.* 4. *de lege Ecclesiastica dub.* 12. *concl.* 1. *Megal. in Promptuario, ver. Cardinal. num.* 16.

11. Hinc Eminentissimi Patres, uti vigiles, & solertes imponunt, & mandant, sub certis pœnis multoties in anno, prædicta Decreta, & Declarationes legi, & publicari, prout testantur *Decreta* Sacræ Congregationis *de Apostatis, & ejectis, & de celebratione missarum*, edita anno Domini 1625.

12. Dixi, secùs aliàs facta, per illam Regulam, quòd si affirmatio est causa affirmationis, ita, & negatio, &c. volo dicere, quòd forma debet omninò attendi, quia dat esse rei, & omissio illius, vitiat actum, ut dicitur in *l.* 1. *&* 2. *C. quando provoc. non est necess. glos. in c. dilecta, ver. irritum, & ibi Panor. & Felin. de rescriptis, l. Divus, ff. de in integrum restit. l. qui hæredi, & l. Mevius ff. de condit. & demonstrat.*

13. Et formæ inobservatione invalidatur contractus, ita ut tractu temporis convalidari non possit, & corrupta forma, omnia corrumpuntur.

14. Et confirmatur ex *Constitutione Sixti Quinti* incip. *Immensa æterni Dei, &c.* edita anno Domini 1588. & habetur in *to.* 2. *Bullar. Laertii Cherubini*, quâ instituit quindecim Congregationes, de quibus singulis multa notat, & docet *Flavius Cherub. in compendio Bullarii*, à *Laertio* Patre editi in *Constitut.* 74. inter *Constitutiones* præfati *Sixti, fol.* mihi 131. & signanter, in Congregatione instituta pro Sacris Ritibus, & pro executione, & interpretatione *Concil. Trid.* & pro consultationibus Regularium, quæ est *undecima* in illo ordine, voluit, & mandavit, ut nihil posset fieri, inconsulto Pontifice Romano pro tempore, per illa verba. *Nobis tamen consultis impartimur*, per quæ datur intelligi, quòd pro forma requiratur voluntas, & scientia Papæ.

15. Benè verum est, quòd hujusmodi Decisiones, etsi non sint nobis intimatæ, nec ad præscriptam formam latæ, nec uti leges expositæ, si tamen constet, illas à Sacra Congregatione manasse, sunt, & debent esse apud omnes maximi ponderis, reverentiæ, & authoritatis, ita ut ab eis non sit recedendum, sine validis fundamentis, & urgentissimis rationibus; prout *Suarez lib.* 6. *de legibus, cap.* 1. *num.* 6. *& Lezana in summ. ver. Sacra Congregatio, nu.* 14.

16. Si tamen duæ sint authenticæ Decisiones, ad præ- scriptum

scriptum præfati *Decreti* latæ, & factæ : in casu, quòd sint contrariæ, standum est posteriori, & ceu lex posterior abrogat præcedentem sibi contrariam, ita, & una Decisio, ut suprà authentica, tollit aliam sibi contrariam.

17. Nec hoc debet pro inconvenienti haberi ; quia Declarationes Sacræ Congregationis semper intelliguntur, juxtà ea, quæ in facto proponuntur *l.1. C. de diversis rescriptis*, & ex latè traditis per *Rubeum cons.12. nu.2. Paris. cons.9. num.42. lib.2. & Rot.* apud *Cassad. decis.6. de rescript.*

18. Hinc partibus pluries auditis, & facto pleniùs justificato, solet mutare decretum, non ex parte sui, sed ex parte facti; & sic standum est ultimæ sententiæ, non autem primæ. *l. non est novum*, cum *duabus sequentibus, ff. de leg. cap. caterùm, extra de rescript. Suarez tom.4. in 3. part. disput.28. sect.6. Joan. Valer. de different. utriusque fori, verb. Absolutio, diff.1. & Sanchez tom.2. summa, lib.7. cap.5. nu.3.* & novissimis *decis. Rota*, Domino *Coccino* dicatis *decis.156. nu.3. fol.* mihi 288.

Quæst. 5. An in dubio liceat declarare Privilegium, in quo sit Clausula prohibitiva declarandi?

1. Dico, quòd Verba dubia, & ambiguitates Privilegii, authoritativè, & judicialiter declarare, ad solum Principem attinet, per illam Regulam, *Cujus est condere, illius est interpretari*: & habetur in *c. per Venerabilem, qui filii sint legitimi, & l. final. C. de legib.* quod magis validatur, si in Privilegio dicatur, *quòd nemini liceat hanc nostram paginam interpretari*, & aliter facere, esset jura contemnere.

2. Verùm doctrinaliter, & consultivè, omni, & cuivis privato Doctori fas est, legis, vel Privilegii dubietates enodare: nam per Epicheyam, idest, de æquo, & bono, infrà verborum proprietatem, prout est juri, & rationi consonum, legum rigorem debemus temperare; non obstantibus Clausulis, & Prohibitionibus, *non declarandi, nec interpretandi*; quod in praxi videmus observari; nam legum Regni interpretatio reservatur Regi, quas tamen magistraliter Jurisperiti, & pro communi utilitate in Tribunalibus Judices, & in Academiis Lectores, de præsumpta Principis voluntate dilucidant, & declarant: quoniam per prædicta Jura, Judicialem, & Potestativam tantùm declarationem, & interpretationem; non autem doctrinalem, aut consultivam præsumendum est, Principem voluisse sibi reservare ; ita per plura docet noster *Cajet. par.2. quæst.70. & 2.2. quæst.60. art.5.* & ex professo *q.120. & Sot. lib.1. de Just. q.7. art.3. & lib.3. q.4. art.5.* & sequitur *Covar. in regul. possessor 2. par. §.6. num.2. Henriquez lib.7. de Indulg. c.29. §.5. Valer. Reginal. in prax. fori pœnit. lib.20. num.53.* & est communis *Doctorum* sententia.

3. *Pius Quartus in Bulla* Confirmationis *Sacr. Conc. Trident.* quæ incipit, *Benedictus, &c.* & asservatur in *fine* præfati *Conc.* præcipit Prælatis, sub pœna interdicti, & reliquis omnibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *nè Commentaria, Glossas, Annotationes, Scholia, ullumvè genus interpretationis, super ipsius Concilii Decretis, quoquo modo edere, aut statuere audeant, etiam prætextu majoris corroborationis, aut exequutionis ipsius Conc.* hæc *ille.*

4. Sed in *Decreto 2. de Reformatione, sess.25.* ipsummet *Concilium Trid.* hortatur Doctores, & Magistros, Canones, & Decreta hujus Sanctæ Synodi integrè recipere, & ad eorum normam docere, & interpretari : ergò ex *Decreto Concilii* licet interpretari *Concilium* prædictum, & ex *Constitutione Pii Papæ* non licet interpretari: quæ nisi ad diversa referantur, contraria videntur; verùmtamen contraria non sunt, si verba *Pii* ad juridicam, & decisivam, & *Decreta Concilii* ad consultivam, & doctrinalem interpretationem referantur.

5. Ac proinde *D. August. Barbosa in Prologo Apologe-* *tico*, de Consilio Doctissimorum Virorum, qui divini, & humani Juris Peritissimi extitere, sic ait, & loquitur. *Bulla Pii Quarti prohibitionem solùm procedere in illis difficultatibus, & interpretationibus, quæ peculiari ipsiusmet Constituentis declaratione egent: non tamen, quæ ex juris regulis, & Doctorum resolutionibus decisa manent, attenta prædictæ Bullæ dispositione, probabilius judicanum est, quia aliter pro decisione cujuscunque dubii super aliquo Concilii Decreto excitati, & in ipsomet non decisi, rejecta juris dispositione, ad Sedem Apostolicam recurrendum esse diceremus, contrà mentem, & aperta verba ipsius Bullæ.*

6. & subjungit, *prædictam Bullæ prohibitionem procedere solùm in interpretatione, quæ fit ex capite, & prout unicuique libet, non tamen in interpretatione Juris*; *Perez in proœmio ad leges ordin. q.2. Bartol. in l. omnes populi, q.6. ver. tertio loco, num.62. ff. de justit. & jure*, & alii multi, quos ipse citat.

7. Capitosas interpretationes vocamus, quæ licet sint subtiles, tamen Juri, & rationi dissonant; duplex enim est subtilitas, una bona, & laudabilis, quæ scilicet ex ingenii virtute procedit: verùm à ratione, pariter, & æquitate non deviat ; & hæc laudatur in *cap. Sanct. 24. quæst.3. & l. unica, C. de profess. qui in Urb. Const. lib.12. & Probus in cap. exiit, de verbor. signif. in 6. num.1. & Peyr. tom.2. privil. Minimorum, in Constit. 10. Urbanus VII. in §.32.*

8. Altera verò Cavillosa, quæ nec juri, nec rationi adhæret, sed proprio capiti, & per ambages, & cavillos, leges claras obscurando, suam curat probare sententiam, & hæc reprobatur in *cap. dilecti filii, de jud. & cap. hinc etiam distin.49.* & perinde hæc existit odibilis, & odiosa omni Juri.

9. *Clemens VIII. in Decretis* pro reformatione Regularium, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, in *Bull. Cherub. tom.4.* quæ incipiunt, *nullus omninò prætextu, num.15. fol.271.* ait, *Superioribus autem, nè Concil. Trid. aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus.*

10. Et tamen *Doctores* de dictis *Decretis* consultivè, & doctrinaliter multa dixerunt: In *Clementina exiius, de verb. signif.* Dominus Papa reservavit sibi interpretationem Regulæ Sancti Francisci de Assisio, & tamen non desunt, qui illam interpretantur, prout fecit *P. Frater Anton. Corduben. in introduct. q.5. & 6.* & alii non minus Pii, quàm doctissimi Patres, *Rodriquez tom.1. qq. regul. q. 11. art.3.*

11. Ac etiam Patribus Minimis authoritate Apostolica sub gravibus pœnis, & cum Clausula reservativa *declarandi* prohibetur, vesci carnibus, nisi in casu infirmitatis, & hoc de licentia Medici, & in eorum Infirmariis; nihilominus sunt, qui consultivè dicant, & prædicent, Clausula non obstante, eorum Prælatos posse declarare, prædictum *Decretum* Apostolicum in certis casibus non obligare, nec procedere: quò fit, ut quis sine pœnarum metu extrà Septa possit carnes manducare, prout per plura ostendit *P. Lauren. Peyr. tom.1. de subdit. quæst.4. cap.8.*

12. Tandem *Urbanus Octavus* in sua *Bulla* edita super præservatione jurium Sedis Apostolicæ, & inferiorum Ecclesiarum, quæ incipit *Romanus Pontifex, in sacra B. Petri Sede à Domino constitutus*, anno Domini 1641. publicata, inhibuit omnibus hominibus cujuscunque Status, præfatam *Bullam* declarare, vel interpretari ; immò sustulit, & avocavit omnem potestatem aliter judicandi, declarandi, & interpretandi, ac irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, similiter interdixit, &c.

13. Nec ideò defuerunt, qui præfatæ *Bullæ* ambiguitates magistraliter, & consultivè, miro labore, & accuratè decla-

declararunt, ex traditis per *Barbos. in remiss. ad Conc. Trid. d.c.2. de Reformatione, Miranda tom.2. Manual. Prælat. q. 26 art.12. Hieron. in comp. Emanuel. Rodr. resol. 22. de Cardinal. Declarationibus*: igitur de consuetudine, jure, & practica, interpretationi magistraliter factæ, ubique gentium datur locus.

Quæst. 6. An in dubio, Privilegium sit largè, vel strictè interpretandum?

1. Dixi, in dubio; quia in claris non est opus conjecturis; quamobrem distingue, aut Privilegium dubium, & obscurum, est contrà Jus commune, aut contrà Jus tertii; & sic debet strictè interpretari, cùm omnis recessus à jure communi, sit odiosus, & jus proximi in dubio non sit lædendum, *cap. cùm dilectus, in fine, de consuetudine*: Privilegium enim contrà Jus tertii acquisitum, est quædam dispensatio, seu relaxatio Juris; dispensatio autem est stricti Juris, prout dicunt communiter *Doctores*.

2. Nec in dubio præsumitur, Principem concedere aliquid cum alterius gravi dispendio, *l. quoties, C. de precibus Imper. offer. Panor. in cap. cùm ad hæc, de Cleric. non resident.*

3. Nec tale Privilegium sustinetur, nisi fiat ex certa scientia, & motu proprio, cum causæ expressione, *l.1. C. de petit. bon. sublat. lib.* 10. nec valet propter importunitatem obtentum, ut in *d.l.1.* ibique DD.

4. Verùm tamen ista restrictio debet esse discreta, ita ut concessio non fiat inutilis, nec otiosa, sed aliquid operetur, ita in *cap. Papa, de Privil. in 6.* ut si illegitimo, promoveri ad Ordines indulgeatur, talis concessio debet restringi ad Ordines Minores tantùm; ita *Panor. in cap. si quisquam, de cohabitatione Cleric. & Mulierum, Sylv. & Armilla ver. privilegium*, quod sequitur multis citatis *P. Sanchez de Matrim. lib.3. disput.1.*

5. Si autem Privilegium sapiat naturam beneficii, ut purus favor, & non contrà Jus commune, sed præter Jus, non præjudicans juri tertii, ut illud de recitando Horas Canonicas; est largè interpretandum, etiam si sit contrà ipsum Concedentem, imò temerarium esset, Principis magnificentiam, & liberalitatem velle limitare; ita in *cap. circa, de Privil. in 6. Panor. in cap. cùm dilectus, de Consuetud. & ff. de Constit. Princip. l. beneficium*, quem multis citatis sequitur *D. Cons. Joann. Andreas Georgius alleg.6.* & est communis Regula, & sententia, quòd leges favorabiles sunt ampliandæ, *Abb. in cap. cùm in cunctis, §. cùm verò, de electione, num.6. Felin. in cap. ex parte, de rescriptis, nu.* 13. *Navarr. in summa, cap.12. num.79.* Et odiosæ restringendæ, ita in *c. fin. de Simon.*

6. Lex autem favorabilis, illa censetur, quæ principaliter intendit favorem, licet ex consequenti, & per accidens in alicujus cedat damnum; ut illa *Canonis, si quis suadente Diabolo*, dicitur favorabilis, uti concessa in gratiam, & favorem Clericorum, etsi percutientibus sit odiosa, & pœnalis; ità *Glos. in cap. scient cunctis, de electione, Navarr. lib.3. cons.32. de Regul. Covarr. in 4. decr. par.2. cap.8. §.8. nu. 6. & Rodriquez tom.1. QQ. RR. quæst. 11. art, 7.*

Quæst. 7. An Regularium Prælati possint in dubiis eorum privilegia, & Statuta in favorem Subditorum largè interpretari?

1. Regularium Prælatis multifariam, multisque modis & temporibus à diversis Pontificibus fuit data facultas declarandi, & interpretandi, tam eorum Regulæ, quàm Privilegiorum dubietates, & ambiguitates, de bono, & æquo, non minus largè, quàm benignè in favorem Subditorum.

2. *Julius II.* sua *Constitutione tertia*, anno septimo sui Pontificatus, & Dominii 1509. die verò 14. Decembris, sapientissimo illi Viro Fratri Thomæ de Vio Cajetano, tunc temporis Magistro Generali nostri Ordinis, sub tali verborum forma concessit.

Considerantes, quòd multa tibi in tanta cura accidere possunt, quæ Sanctæ Sedis auxilium, & benignitatem requirunt, illis duximus de Apostolicæ Sedis plenitudine succurrendum. Itaque volumus, & tibi concedimus, quòd si in Constitutionibus Ordinis Prædicatorumm, aut circa Privilegia, Indulta, gratiasque, & exemptiones, ab ipsa Sanctæ Sede illi concessa, aut concedenda, concessasve, aut concedendas, quæ etiam, & quas harum tenore, & ejusdem Sedis authoritate confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit, ut illam (quoad serenitatem illarum conscientiarum, quæ tibi subjectæ sunt dumtaxat) possis authoritate Apostolica declarare. hæc *ibi.*

3. Et habetur in *lib. Privilegiorum* nostri *Ordinis*, typis dato, jussu Reverendiss. Generalis Patris Fratris Stephani Ususmaris Genuensis, *fol.* mihi 173. quod iterum idem *Julius* concessit, oraculo vivæ vocis prædicto Patris Generali Fratri Stephano, & habetur in actis *Capituli*, Romæ celebrati 1553. & refert *Jo. Crux de stat. Relig. lib.2. c.2.*

4. *Innocentius Octavus* concessit Fratribus nostris Hispaniæ, ut super gratiis, & Privilegiis, tam Ordini, quàm prædictæ Congregationi indultis, pro securitate conscientiæ Fratrum eorum, Pater Vicarius Generalis prædictæ Congregationis pro tempore existens, cum aliqua persona in Dignitate constituta, & duobus aliis Viris peritis posset interpretari hujusmodi dubia, & ambiguitates, & quòd Fratres dictæ Congregationis securè possint stare declarationibus, per eosdem faciendis; prout expressè habetur in *Collect. Bullar. tom.* 1. *Rodriquez inter Oracula Leonis X. fol.* mihi 322. de quo idem *Rodriquez QQ. RR. tom.* 1. *q.*11. *art.* 5. multa dicit, & allegat.

5. Quod idem *Sixtus Quartus* concessit Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris, per *Bullam decimam* in ordine *Bullarii Romani*, quæ incipit, *Ad universos*, in cujus, §.34. hæc poterunt observari. Et Refert *Peregrinus in compendio Privilegiorum Theatinorum, & P. Marcell. Megal.* in suo *Promptuario tom.* 2. *verb. declarare*, *P. Alfonsus de Caruibios Hispanus, & P. Hieronymus Sorbo Capuccinus in compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, verb. declarare*, sic adeò, ut quivis Regularium Prælatus non solùm per communicationem Privilegiorum, sed particulari indulto, hæc, & alia majora possit agere, & declarare.

6. *Paulus Quintus* Præposito, & Deputato Congregationis Oratorii Neapolitani, concessit, ut authoritate Apostolica, dubia, tam Regulæ, quàm suorum Privilegiorum in beneficium suorum Subditorum possint declarare, & refert *Pater Merolla tom.* 3. *de Privil. disput.6. cap.6. dub.* 8. *num.* 258.

7. Ex his plura inferas; & Primò, Declarationem fieri debere cum consilio Peritorum, sic prudenter, & discretè, ut sit Juri, & rationi consona, cum proprietate verborum, in salutem, & non in damnum animarum; secus autem, disciplinam Regularem esset evertere, & in gehennam fabricare: sic quidem esset abuti, & non uti authoritate, quæ datur ad ædificandum, non autem ad perdendum; in erectionem, non autem in destructionem animarum.

8. Secundò inferas, jam dictos Prælatos, id non solùm posse doctrinaliter, & magistraliter declarare, prout possunt omnes, & singuli privati Doctores; sed etiam juridicè diffinire; nam ad doctrinaliter interpretandum, tot Pontificum facultas non foret illis necessaria, sicut nec specialis Delegatio.

9. Proindè respectu propriorum subditorum ferè, ut Eminen-

Eminentissimi Cardinales, pro negotiis Regularium deputati, possunt respectivè, authoritativè interpretari: cum hac tamen differentia, ut ubi illa Prædicatorum Regularium, tantùm subditos: Isthæc verò Eminentissimorum Cardinalium, omnes, & singulos Mendicantes obliget, & afficiat; ita *Laur. Peyr. in annot. ad Bull. Jul. 2. tom. 1. privil. de Minimis, num. 2. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 44. art. 2. conclus. 2. & Tambur. tom. 1. de Jure Abbat. disp. 16. quæst. 6. num. 7.*

10. Quam Potestatem, ut suprà declarandi, amplia, & uti favorabilem, extende ad Vicarios Conventuum loco Superioris defuncti, vel privati, vel absentis per longum tempus destinatos, ac etiam ad Vicarios locorum parvorum, qui ob reddituum tenuitatem, in Domos, seu in Prioratus erigi minimè potuerunt: hi enim omnes in favorabilibus, & gratiosis veniunt nomine Prælati, cùm habeant curam animarum, & potestatem, & jurisdictionem in utroque foro, ita *Sylv. verb. Prælatus q. 2. Sot. 4. sent. dist. 22. quæst. 2. art. 1. Rodr. qq. regul. q. 12. art. 6. Miranda tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 20. art. 1. conclus. 1. Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4. & Graff.* multis aliis citatis *tom. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 1. num. 2.*

Quæst. 8. An Pater Generalis teneatur stare Declarationi, & Interpretationi factæ per suum Prædecessorem?

1. ET quidem tenetur, si sit facta juridicè ex commissione, vel approbatione Papæ; sic enim censetur Papalis, vel ab ejus Legato indicta: etenim Romani Pontifices hujusmodi Declarationes, si non fuerint rationabiles, ac juxtà verborum proprietatem, æquo, & bono correspondentes, non consueverunt approbare.

2. Quod amplia, etiam procedere in declaratione facta secundùm omnium Doctorum consensus: hæc namque necessitatem affert, & communiter obligat in utroque foro; nam etiam à communi sententia Doctorum recedere, temerarium est; etenim impossibile est, omnes simul errare, & nullo excepto à veritate recedere.

TRACTATUS UNDECIMUS

DE CLAUSULIS PRIVILEGIORUM.

Regula referendi clausulas ad disposita.

1. CLausula posita in una parte dispositionis, sive ponatur in medio, sive in principio, vel in fine, censetur referri ad omnia in ea contenta; quando præcedentium omnium eadem est ratio, ita probatur in *cap. secundò requiris de appellat. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 181. nu. 2. Navarr. in cons. 34. de Simon.* & habetur in *l. talis scriptura, in fin. ff. de legat. 1.* & dummodò non resultet correctio Juris: nam tunc sufficit, ut possit referri ad aliquid; ita multis citatis docet *Capyc. decis. 21. num. 11. & decis. 108. num. 8.*

2. Ac proindè, posita in uno paragrapho, vel versiculo, non refertur ad alium paragraphum, nec alium versiculum; ita *Glos. in c. unic. de postulat. Prælat. in 6. & P. Sanchez tom. 2. de matr. lib. 7. disput. 108. num. 3.*

3. Verùm, posita in fine, seu in executione contractus, vel dispositionis, non ampliat gratiam; non enim mutat naturam contractus, seu rescripti: ita in *Clem. 1. de præbend. Fel. in cons. 43. num. 15. Dec. in l. non omnis, ff. si certum petatur, & Aloys. Ricc. collect. 2933.*

4. Clausula, quantumvis generalis, est intelligenda, & restringenda secundùm naturam actus, super quo imponitur, ita in *l. jubemus, C. ad Velleianum*, ideoque quando Clausula generalis sequitur specialem, restringitur ad specificata per suam specialem præcedentem Clausulam, si autem sequatur aliam Clausulam generalem, tunc non restringitur; sed unaquæque suum operatur effectum, *Rot. decis. 18. de præb. in noviss. Ricc. collect. 1165. Afflict. decis. 106.* & colligitur ex *cap. sedes, de rescriptis.*

Clausula Prima. In forma communi.

1. HÆc Clausula demonstrat, Principem concedere, vel confirmare ad Partis instantiam, & consequenter ignorare ea, quæ concedit, ceu alia omnia, quæ in facto consistunt.

2. Ac proindè, tam impetrata, quàm concessa in dicta forma communi, nullum jus alicui de novo tribuunt, ut in *cap. cùm dilecta, § nos igitur, ver. nolentes, de confirmatione utili, vel inutili, cap. quia diversitatem, de concessione prabend. in fine, & cap. ex parte tua, de privil.* & infrà dicetur in *tract. de confirmatione Privileg.*

3. Et hoc ideò, quia qui confirmat, non donat, ut constat ex *cap. inter dilectos, §. cæterùm, de fide instrumentorum*; sed tantùm jus vetus conservat, ut ex *cap. præceptis dist. 12. c. ult. 13. q. 3.* & ex *c. quia intentionis, de Privil.*

4. Vi hujus Clausulæ non derogatur Juri Tertii, ut in *cap. licèt, § 1. de offic. ordin. & in l. 2. § si quis à Principe, ff. nè quid in loco publ.* non enim inde nasci debet injuria, unde Jura oriuntur, ut in *cap. qualiter, & quando, il. 1. de accusat. & in l. meminerint, C. unde vi.*

5. Per talem Clausulam non impeditur alterius petitio, vel alicujus Judicis cognitio, & colligitur ex prædictis *cap. licèt, & cap. quia diversitas, de concess. præbend.* & argum. *cap. conquæstus 9. quæst. 3.*

6. Et ideò, hujusmodi Confirmationes parùm, aut nihil juvant; nam per prædicta omnia, Papa sine alterius præjudicio concedit; quia concessiones in forma communi, intelliguntur factæ conditionaliter, etiam si non exprimantur; ut putà, *veris existentibus narratis; si ita est, si preces veritate nitantur, ut possidetis, ita possideatis* per quæ verba Princeps nullum novum Jus alicui intendit tribuere; ita in *cap. Venerabil. de confirmat. util. vel inutil. ver. sine pravitate.*

7. Per hanc Clausulam omnis subreptio, quantumcunque modica, vitiat gratiam; quæ etiam & vitiatur ex falsa causa impulsiva, *Menoch. de arbitrar. casu 201. nu. 22. & Tiraquell. tract. cessante causa, limit. 1. nu. 1.* de qua vide *l. final. C. de diversis rescriptis, & c. 1. de rescriptis, & Menoch. consil. 103. num. 22.* & quomodò præscriptionem privilegium non interrumpat; vide infrà in *tract. de Confirmat. Privilegior.*

Clausula Secunda. Motu proprio.

1. ILlud dicitur, Motu Principis fieri, quod liberaliter fit, altero non petente; ideòque Privilegium concessum ex mero Principis arbitrio, dicitur fieri Motu proprio: quod in multis differt ab eo, quod datur ad Partis instantiam.

2. Et debet hæc Clausula expressè in litteris nominari, ad hoc, ut gratia dicatur facta, proprio Principis Motu: hæc enim nunquàm præsumitur, ut probat *tex. in cap. si motu proprio, de preben. in 6.* & aliàs facta, censetur data ad partis instantiam, ita in dicto *cap.* quia cùm Motus proprius includat necessariò unam negativam, non coarctatam, scilicet, nullum unquam super hoc, Principem supplicasse, quæ probari impossibilis est, *l. actor, C. de probat, cap. quoniam contrà, eod. tit.* non potest, nec per testes, nec aliter probari, quàm per litteras ipsius Principis, fatentis, se Motu proprio ductum, gratiam concessisse, *Bart. in l. 1. C. de petit. bon. subl. lib. 10. & Bald. l. quod favore, C. de legibus, Gram. decis. 59. nu. 55. Tuschus to. 5. lit. M. conclus. 406. Stafilaus de litteris gratia, tit. de vi, & effic. Claus. in Claus. Motu proprio, num. 14.*

3. Quod primò limita, non procedere in concessione geminata Papæ; nam geminatio rescripti, habet vim Clausulæ *Motu proprio*, ut dicitur expressè in *cap. Pastoralis, de fide instrum. & ibi Glos. & Panor. in c. porrecta, de confirm.* quod etiam multis citatis, docent *Bald. & Jason in l. nec damnosa, C. de precibus Imperat. offer. Corset. de pot. Regia 2. p. q. 16. n. 20.*

4. Secundò limita, in concessione facta per modum legis generalis, aut clausæ in corpore juris; nam hujusmodi concessio habet rationem legis, & per consequens præsumitur, motu Principis facta. *Bart. in l. 1. in fin. C. de bon. vacan. lib. 10. & in auth. quas actiones, num. 6. C. de Sacr. Eccles. Tap. in l. fin. ff. de Constit. Princip. p. 2. cap. 9. num. 29. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 13. num. 1. & 3.*

5. Tertiò limita, non procedere in concessione facta ob merita, *Tiraquell. in l. si unquam, ver. donatione largitus, num. 52. C. de revocat. donat. Menoch. loc.* cit. *num. 4.*

6. Quartò limita, in concessione facta generaliter omnibus Ecclesiis, vel omnibus Subditis: hæc enim concessio præsumitur esse ex motu proprio; nam non est verisimile, omnes supplicasse, *Bald.* in præfata *anthen. & Tap. & Menoch.* citatis *locis*, cum aliis, quos refert *præsumpt. 13. num. 7.*

7. Quæ autem emanant motu Principis, non possunt in dubium revocari: tunc enim statur assertioni Papæ, ut post *Lap.* notat *Cardinalis in Clement. 1. q. 10. de probat. Abbas in cap. dudum, col. 1. num. 3. vers. quid autem, de Privil.* & est communis opinio secundùm, *Socin. consil. 87. col. 9. num. 25. vers. confirmantur*; & maximè, quando cum Clausula *Motu proprio*, est adjecta Clausula, *Et certa scientia*; quia illa sola operatur, saltem præsumptionem veritatis narratorum, *Alex. cons. 15. col. 2. ver. præterea, vol. 5.* Imò omnis error censetur exclusus, ut notat *Bart. in l. conficiuntur, in prin. ver. etiam quando, de jure codicillorum, Dec.* multis allegatis in *cap. ad hæc, col. 2. de rescrip.*

8. Nec admittunt volentem probare, gratiam esse factam ad Partis petitionem, ubi expressè legitur, *Principem concessisse motu proprio*, quia hoc esset probare, Papam laborare vitio mendacii; & velle redarguere illum de falsitate, Rebuff. in ista *Claus. n. 23.*

9. Nec potest (ut dictum est) testibus probari; verùm si scriptura, in qua exprimebatur motus proprius, perdatur, potest testibus probari; in ea scilicet scriptura fuisse Clausulam *Motu proprio*; & sic habebit effectum Clausulæ Motus proprii, ita *Glos. in dicto cap. si motu proprio, & Rebuff.* quem multis citatis sequitur *Sanchez lib. 8. de Matrimon. disp. 1. num. 7. & disput. 22.*

10. Nullus inferior uti potest hac Clausula, *Menoch. de testatoris potentia lib. 1. § 6. n. 13.*

11. Et habet eandem vim, quam habet Clausula, *Ex certa scientia*; & Clausula, *De plenitudine potestatis, Gemin. in d. cap. si motu proprio, Aym. cons. 181. D. Marta clausul. 72.* & colligitur ex *Additione Glossæ in cap. 1. verb. dubitare, d. §. 44. Abbas in cap. ad hæc, de rescriptis, Bald. in l. eos, in princ. sp. C. de appellat. & Glos. in d. cap. ad hæc.*

12. Ac proinde, Princeps per hanc Clausulam ostendit, se concedere, & confirmare id, quod scit, & voluit, ut colligitur ex *cap. Venerabilis, de confirmat. util. vel inutil. ver. tenor, Glos. in cap. cùm accessissent, de Constit. verbo confirmat. & cap. 1. de transactionibus, ver. hac nostra authoritate.*

13. Et confirmatio tali modo facta, est firmioris authoritatis, *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. quæst. 44. art. 1.*

14. Hæc Clausula in litteris Principis apposita, supplet vitium subreptionis, ex taciturnitate veritatis, necessariò explicandæ consurgens; ita, quòd facit, concessionem valere; ut expressè in *cap. si Motu proprio, de prebend. in 6. & Clem. si Romanus, de preben.* quia habet vim specialis expressionis, ob quod si Papa de beneficio alicui provideat, motu proprio, non facta mentione de aliis beneficiis, quæ obtinet, Provisio, seu gratia valebit; quia ea gratia ex mera Principis liberalitate procedit, & præsumitur, quòd veritatis conscius æquè concederet.

15. Quod limita, non procedere, quando subreptio est in re ipsa; ita ut si D. Papa in specie interrogaretur, non esset verosimile, quòd concederet; ita *Glos. in d. cap. si motu proprio.*

16. Secundò limita, non procedere, si taceatur inhabilitas, concernens personam, ut putà si beneficium obtenturus, sit Bigamus, Irregularis, Excommunicatus, aut carens legitima ætate; quia hæc Clausula *Motu proprio*, non supplet defectus personales; ita *Panorm. in cap. ad aures, de rescriptis num. 5. Dec. cons. 47. num. 23. vol. 1. Rebuff. in concordat. tit. de forma mandati Apostolici, claus. Motu proprio, in eff. 9. Ricc. collect. 1010. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 3. cas. 201. n. 81.*

17. Tertiò, non procedit in taciturnitate Juris tertii, ut si sit beneficium Jurispatronatus Laicorum, & hoc taceatur, non potest suppleri per præsentem Clausulam; ita *Abb. in c. ad aures, de rescriptis.*

18. Quartò, fallit, quando qualitas intrinseca beneficio tacetur; tunc enim non valet gratia, non ob vitium subreptionis, sed quia non apparet de Concedentis voluntate, *Rot. p. 3. in noviss. decis. 173. Ricc. collect. 959.*

19. Quintò, non procedit in falsæ causæ expressione; nam quando tacetur veritas, ignoratur, an Papa concesserit, benè, vel malè informatus, gratiam motu proprio, & ideò dici non potest, quòd sit concessa contra ejus mentem; at cùm falsa causa exprimitur, cognoscitur animus Concedentis, ac ultrà ejus animum gratia comparatur, & ita Clausula non firmat gratiam contrà animum, & intentionem Concedentis; ita *Joan. Andr. in d. cap. si motu prop. num. 1. Rosella, Armilla, Tabiena, & Sylvest. verb. Rescriptum, quæst. 5.* Menoch. *de arbit. lib. 2. cent. 3. cas. 201.*

20. Secùs verò, si prædicta facta fuissent à Papa scienter; quia plena scientia defectus, inducit dispensationem, etiam super impedimento personali, *l. idem Ulpian. § fin. ff. de excus. tut. l. quidam consulebant*, ubi DD. id communiter docent, *ff. de re judic. Ricciul. in tract. de jure personar. lib. 4. cap. 6. num. 8.* & eò fortiùs, si præsens Clausula sit adjuncta Clausulæ, *Ex certa scientia*, nam sic inducit dispensationem super defectu personali, *Bonifac. Vital. in d. Clem. si Romanus, num. 150. Ricciul.* cum aliis, quos citat, *ubi suprà nu. 10.*

21. Hæc Clausula in quocunque Privilegio expressa, etiam si in illo non sit præinserta Partis petitio, adhuc

facit

facit, & operatur, ut tale privilegium dicatur concessum, Motu proprio & liberalitate Principis, ac proindè ostendit in tali casu, partis supplicationem non fuisse causam finalem, nec proximam concedendi privilegium; sed potiùs Principis liberalitatem : aliàs ipse Princeps, suis in verbis falleretur, aut falleret, vel citrà verborum proprietatem loqueretur; ita *Bald. in cap, nisi specialis, de officio leg. Dec. cons.* 51. quod incipit *pro tenui, num.* 2. *ver. nec obstat, si dicatur, Glos. ultim. in d. c. si mot. proprio, Suarez lib.* 8. *de legibus cap.* 12.

22. Hæc causa ampliat privilegium, & facit, ut largè interpretetur, tam ob privatum commodum, quàm ob publicam utilitatem, & colligitur ex optimo *textu cap. si pluribus, de præbendis in* 6. quia ostendit, talem dispositionem venire ab intrinseco Principis, & esse simpliciter voluntariam, & consequenter fore merè beneficium; ita *Angel. in l. fin. col.* 3. *de constit. Princ.* ubi *Jason col.* 7. *Natta cons.* 340. *vol.* 2. & habetur in *d. cap. si mot. proprio, ver. quæ de nostra liberalitate, Fel. in cap. pastoralis, num.* 13. *limit.* 6. *de rescriptis, Graff. cons. lib.* 3. *cons.* 5. *de Regularibus, & transeuntibus. &c. num.* 22.

23. Quæ autem à Principe conceduntur ad partis instantiam, sunt stricti juris, & censentur voluntaria, secundùm quid, & ob partis importunitatem extorta; *Rebuff. in concordat. de forma mandat. Apost. super ista Clausula, in* 4. *effectu, Menoch cons.* 1. *num.* 430. & perindè si occurrat, alicui gratiam concedi ad petitionem alterius de præbenda, seu beneficio vacante in aliqua Ecclesia, in qua de facto plura vacent, gratia debet referri ad magis tenue & exile; secùs in motu proprio; quod clarè habetur in *cap. si pluribus, de præben. in* 6.

24. Privilegium motu proprio concessum, etsi iniquitatem contineat; nihilominùs in caput ipsius Privilegiarii nequit retorqueri, ut dicitur in *l. si quis iniquum, ff. quod quisque juris*; secùs autem factum in forma communi : quapropter si privilegiatus ad sui petitionem obtinuit à Principe, per tot annos cogi non posse, nec teneri sua creditoribus solvere debita; cogitur & ipse pariter sua credita non posse petere, nec exigere; datur enim in tali casu locus retorquutioni; quod quisque Juris in alterum statuerit, eodem ipse jure utatur, *Hostiens. in summa de rescriptis, §. quas vires, Tuscus tom.* 6. *litt.* P. *conclus.* 553. *Tapia* multis citatis in *Rubrica, ff. de constit. Princip. cap.* 1. *nu.* 64. & fatetur, hodie sic practicari.

25. Hæc Clausula, *Motu proprio* (ut etiam *Ex certa scientia*) operatur, ut privilegium, in quo est apposita, deroget juri communi, sibi contrario, etiam si in illomet privilegio desit clausula, *Non obstantibus*; quia prædictæ Clausulæ ambæ æquipollent clausulæ derogatoriæ, ita *Glos. in cap. ex parte* 2. *de officio Delegat. Paris. cons.* 22. *num.* 10. *Dec. cons.* 198. *in fine, Bald. in l. lapilli, col.* 3. *ver. ego dico, ff. de reb. dub.* ubi dicit, quod eo ipso, quod Princeps concessionem suam vocat Privilegium, & bullatur Bulla privilegiorum, nulla alia Clausula est necessaria : quia tunc satis constat, quod ipso facto juri communi derogare voluerit, & hoc ideò, quia talis est natura privilegii, sic etiam *Felin.* cum aliis, quos refert in *cap. nonnulli, num.* 11. *de rescriptis.*

26. Benè verum est, quod prædicta Clausula non extendit dispositionem ad majus præjudicium, quàm sit expressum; nec firmat privilegium contra jus alterius, nec in re, nec ad rem, nisi cum prævia cognitione causæ, & parte citata, *Rota Roman.* impressa per *Cencium* post suum *tractatum de censibus, decis.* 72. & eadem *Rota par.* 1. *in noviss. decis.* 451. *D. Marta claus.* 72 *num.* 3. nec aufert defensiones, & exceptiones competentes de jure; *Seraphin. Rota Romanæ decis.* 280. *Vincentius de Franchis decis.* 192. *Covar. in cap. alma mater, par.* 1. *§.* 7 *num.* 2. *Navarr. de sententia excommunic. cons.* 66. *num. ultim.* nec tollit statuta particularia, nec effectus facti, sed illos tantùm, qui sunt juris, *DD.* citati, & tandem quæ operetur hæc Clausula, & ad quæ non se extendat, latè per *Cæsarem Vitellium* Capuanum, Regium Consiliarium, & *Camillum Salernum in proœmio Consuetudinum Neapolitan. verb. claus.*

Clausula Tertia. Ex certa scientia.

1. ID Princeps ex certa scientia concedit, quod scivit & voluit; prout colligitur ex *cap. Venerabilis, de confirmat. util. vel inutil. verb. tenor, & Glos. in cap. Cùm accessissent, de constit. verb. confirmare, & cap.* 1. *de transactionibus, verb. ex hac nostra authoritate.*

2. Hinc dicta, aut confirmata per Principem ex certa scientia; non possunt in dubium revocari; *Oltradus cons.* 157. *col.* 3. *Joann. de Anan. cons.* 80. *ver. viso instrumento, Dec. in l. in testamento, num.* 13. *C. de milit. testam.*

3. Quia certa scientia, viam præcludit ulteriori cognitioni, *Menoch. cons.* 36. *n.* 59.

4. Quod procedit in his, in quibus Papa præsumitur habere notitiam, prout sunt ea, quæ in jure consistunt, secùs in his, quæ præsumitur ignorare, ut sunt facta particularia, consuetudines locales, & statuta laicorum; quia in his tàm præsens Clausula, quàm Motus proprius, nihil operantur, *Bal. in l. fin. col.* 1. *ver. dicit, C. sent. rescindi non poss. Dec. in d. cap. ad hac, de rescriptis, Graff. cons.* 2. *lib.* 1.

5. Hæc Clausula æquivalet Clausulæ derogatoriæ, *non obstante, &c.* & habet vim specialis derogationis, & perindè derogat omni legi, & privilegio sibi contrario, etiam si in illo esset Clausula derogatoria, quia tollit omne juris obstaculum. ita in *l. idem Ulpianus, §. final. ff. de excusat. tutor. Bartol. cons.* 196. *num.* 2. *vol.* 1. *Dec. cons.* 191. *num.* 3. *Felin. in cap. nonnulli, §. sunt, de rescriptis, Gabr. commun. conclus. lib.* 6. *de Clausul. Menoch. de præsump. lib.* 6. *præsumpt.* 39. *num.* 7. *Tapia in Rubr. ad l. final. ff. de constit. Princ. cap.* 2. *num.* 11. & *Leo* in suo *Thes. for. Eccles. p.* 4. *cap.* 1. *nu.* 55.

6. Et posita in confirmatione privilegiorum, restituit privilegia revocata, etiamsi non dicatur, *non obstante, l. Vacuatis, C. de Decur. lib.* 10. quæ *lex* habet clausulam derogatoriam ad rescripta, & hoc ideò, quia infirmum firmat, & invalidum facit validum, ut in *cap. in primis* 2. *q.* 1. *& cap. hæc quippè, q.* 6. & supplet defectum solemnitatis omissæ in *cap.* 1. *de transact. & in cap. quoties, de post.* quia habet vim novæ concessionis, & confirmationis, ut pluries decisum refert *Rota Rom. in Noviss.* per *Joann. Bapt. Coccinum, Decis.* 166. *n.* 1.

7. Ac proindè facit, ut de privilegio sic concesso, nullus inferior Papa, possit se intromittere, quod satis colligitur ex dictis, & habetur in *l.* 1. *§. sed neque, C. de veteri jure enucleando, quibus* (ait *Imperator*) *auctoritatem nostram impartimur, ea omnia nostra facimus* : quo fit, ut nostra privilegia tali modo concessa, fiant D. Papæ, quod intellige ad examen, & judicium, quia de illis, in casu litis, solus Papa cognoscit; *Miranda* in suo *Manual. Prælat. tom.* 2. *q.* 44. *art.* 1. *Bald. in cap.* 1. *§. si quis autem, de pace constant & Gramm. decis.* 66. *n.* 40.

8. Et æquivalet geminationi rescripti, & operatur totum illud, quod facit Clausula *Motu proprio*, & Clausula, *de plenitudine potestatis, Bald. in l. Damnosa C. de precib. Imper. offer. Roman. in l. si verò, §. de viro, nu.* 56. *ff solut. matrimonio*, & indicat, Principem ea, quæ facit, facere de plenitudine potestatis, *Cotta in memorabilibus, ver. claus. pag.* 115. *& Menoch. cons.* 103. *nu.* 50.

9. Insuper, magis valet, & ad plus se extendit, quam Motus proprius; nam operatur in præjudicium tertii, & tollit jus alterius, & supplet vitium subreptionis veritatis tacitæ, necessariò exprimendæ, ob quod, esto, quod beneficium sit juris patronatus laicorum, si illud D. Papa conce-

concedat ex certa scientia, absque derogatione talis jurispatronatus, valet concessio, & sustinetur provisio; quia sic providens, videtur esse informatus de hujusmodi qualitate, quod scilicet sit jurispatronatus laicorum.

10. Et cùm Pontifex non præsumatur ignorare, quæ juris sunt, *cap. 1. de const. in 6.* ad hoc ut Clausula, *Ex certa scientia*, non sit frustratoria, debet in his aliquid operari respectu eorum, quæ consistunt in facto, cum ea, quæ sunt juris, supponantur nota Principi.

11. Et quamvis, cùm tacetur qualitas spurietatis, reddatur rescriptum subreptitium: tamen si Princeps utitur verbis generalibus, includentibus qualitates, super quas providet, censetur dispensatum, eò fortiùs, si provideat ex certa scientia, gratia non vitiatur, *Paul. de Castro*, multis citatis in *cons. 219.* incip. *super isto puncto, Gramm. decis. 10. num. 40.* quia ex vi vocis, & proprietate sermonis, cessat defectus intentionis ipsius dispensantis, & gratia non vitiatur ex omnibus tacitis, ut suprà dictum est.

12. Et tollit inhabilitatem Impetrantis, & inducit dispensationem super inhabilitate, & impedimento personali, argum. *text. in l. 2. C. de crimine sacrileg.* quæ inhabilitas non tollitur per Motum proprium, ut *Card. Tuschus to. 5. lit. M. concl. 405. & tom. 1. concl. 340. num. 17.* cum aliis, quos refert *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 21. num. 49.*

13. Quæ dicta de præjudicio tertii, intellige de levi, & modico, secùs de magno, & gravi, ità *Cardinalis Tuschus lit. C. concl. 340. num. 13. Ruin. in cons. 12. num. 14. lib. 3. Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 9. Ludovic. Gomez in Regul. Cancell. q. 1. in Regul. de non tollendo Ius quæsitum, & Iason in l. fin. ff. de constit. Princ. vers. 3. limita Abbas in cap. 2. ver. si autem privilegio, de immunit. Eccles. Ricc. in praxi var. resol. resol. 490. in fine, & Rota Rom. in noviss. decis. diver.* ab anno 1626. per *Coccinum decis. 166. per totum.*

14. Si verò Clausulæ, *Ex certa scientia*, addatur clausula, *Non obstante Iure, & præjudicio tertii*, sic etiam in magnis juribus, Jus tertii abrogat, & tollit; quia per hæc adjecta apparet, quod Princeps voluit præjudicare etiam illi, cui erat jus quæsitum; ita *Doctores*, qui suprà, cum aliis, quos refert *Barbosa in clausula 25. num. 7.*

15. Et hoc non debet mirum admodum nobis videri, cùm in beneficialibus tanta est Papæ potestas, quod pro libito voluntatis potest Episcopum de suo Episcopatu ad alium transferre, & omnia beneficia Mundi sunt Manualia, & Obedientialia respectu Papalis potestatis; ut docet *Bartol. in l. rescripta, C. de precib. Imperat. offer.* & ideò poterit gratiam revocare, & tollere Jus alteri acquisitum, si non recepit aliquid pro illo; ita idem *Bart. in l. qui se patris, C. unde liber.* & sequitur *Socin. in cons. 56.* & alii, quos refert *Gomez in dict. Regul. Cancell. de non tollendo Ius quæs. q. 1.* ubi latè de jure tertii, ejusque præjudicio.

16. Confirmatio ex certa scientiâ illa dicitur esse, quæ cum causæ cognitione, in qua est insertus tenor rei confirmatæ, vel saltem narrat ejus substantialia, aut est expedita præcedente solita discussione, cum citatione partis; ita multis citatis *Rota Roman. in noviss. decis. var. per Joann. Bapt. Coccin.* ab anno 1626. *decis. 166. num. 9. & 10.*

17. Citatio partis requiritur, quandò proceditur per viam Justitiæ, secùs autem per viam Gratiæ, ut latè *Rom. in cons. 369. num. 29. Emanuel Costa in l. Gallus, §. & quid si tantùm, nu. 158. ff. de lib. & posth. Decius cons. 498.* & eadem *Rota d. decis. num. 17. Garzias de benef. p. 3. cap. 2. num. 226. Aloys. Ricc. collect. 1592.*

18. Ut concessio censeatur facta ex Principis certa scientia, satis est, ut in litteris legatur, & addatur clausula, **Ex certa scientia. l. idem Vlpianus, ff. de excusat. tut. Bald. in l. pupilli col. 3. ver. ego dico, ff. de rebus dub.**

19. Hæc Clausula **Ex certa scientia** Principis, cùm sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur, & asserenti incumbit onus probandi, Romanum Pontificem in collatione beneficii, sibi facta per clausulam *ex certa scientia*, super sua inhabilitate dispensasse.

20. Et potest probari per testes, quia nullam negativam, sed simplicem affirmativam includit, quæ probabilis est, & de facto probatur, non solùm, quia exprimitur in literis, ibique cernitur conspicuis litteris, & legitur posita in Papæ rescriptis, ut fieri solet; sed Papæ dicenti, se concedere ex certa scientia, est credendum, aliàs semper incerti essemus de concessione, & confirmatione Privilegii, & liceret utique mussitare, an Romanus Pontifex exactè præcognoverit, vel præexaminaverit ea, quæ confirmavit privilegia, ex certa scientia, & sic esset nostra conscientia semper dubia, & scrupulosa, & præsumeretur in Papa mendacium, ergò cùm dicit, se confirmare, vel concedere ex certa scientia, credendum est ei saltem se habere voluntatem confirmandi privilegia, & gratias concedendi, prout juris est, & indigent; & hoc satis est, ità **Glos. fin. in Clem. 2. de restrip. & in cap. statutum, ver. litterarum, de rescript. in 6 & Bart. in l. impetrata, col. 1. C. sentent. rescind. non posse, Rom. cons. 216. Menoch. de arbit. Iudic. lib. 1. q. 51. num. 9.** & multis citatis sequitur **Gramm. cos. 48.** cum aliis, quos citat **Suarez lib. 8. de legib. cap. 18. num. 14. & refert P. Meroll. tom. 3. de privil. cap. 2. num. 108. ver. ex his colligitur, & Sanchez in 2. tom. sum. lib. 7. cap. 29. num. 144.**

21. Hæc quippè voluntas sic explicata, sine rei cognitione, prout est in se, sufficit ad honestandum, & fortificandum collapsa privilegia, ita **Glos. fin. in Clem. 2. de rescript. & cap. statutum eod. tit.**

22. Potest etiam probari ex tenore litterarum rescripti, seu ex facti narratione, ut constet id ex certa scientia Principis factum esse, & sufficit, ut quibusdam probabilius videtur, undecunque constet, Principem inhabilitatis fuisse conscium, quia nullus reperitur **textus**, inducens specialem probationis modum hujus scientiæ Principis ergò satis erit, qualiscunque probationis modus, quo cæteræ res specialem probandi modum jure non petentes probari solent; ita **Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 20. num. 7. Mascard. de probat. conclus. 845. num. 23. Staphil. de litt. grat. tit. de vi, & effic. claus. in claus. mot. prop.** quos multis allegatis sequitur **Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 1. num. 5.**

23. An sola Clausula, **Ex certa scientia**, posita in litteris, sufficiat, docet, **Panor. in cap. cùm in cunctis, §. inferiora, num 8. de electione, & cap. ad hæc, ad fin. de rescript. & cap. nonnulli, num. 8. eod. tit.** ubi dicit, non sufficere, si testibus certa scientia prohibetur, sed etiam ex facti narratione, & rescripti tenore est attendenda, quam multis allegatis sequitur **Felin. in cap. cùm inter, num. 2. de except. & cap. si aliquando, in fine, de sent. excommun. & Rosella ver. dispensatio, num. 2. & ibi Sylv. in fin.**

24. Ex his omnibus collige, materiam istam quoad modum probandi præsentem Clausulam, esse arbitrariam, & quamvis multifariè possit probari; verùm unus modus probandi erit melior & utilior alio.

25. Hæc Clausula, substantialia, & solemnitates omissas supplet, ut dictum est, & sanat, quod intellige, si fuerit processum, parte citata, & cum causæ cognitione, aliàs non; ita **Vantius, & Brunor. ver. Clausula, nu. 15.** & refert **Barbosa in claus. 25. nu. 9.**

26. Præsens Clausula non operatur, ubi in Principe potestas deficit, **Covarr. lib. 3. var. cap. 6. num. 9.** nec habet locum, quando Princeps concedit ad partis instantiam, ita **Seraph. de privilegiis juramenti, privil. 107. n. 38.**

27. Nec operatur, ubi constat de errore, ita idem **Seraph. de privil. jur. privil. 90 nu. 5. Donat. à Fina, to. 1. com. opin. lib. 1. tit. 10. nu. 22.**

28. Nec

28. Nec supplet erroneam, & falsam informationem, ex *Valasc. consult.* 130. *nu.* 33.

29. Nec purgat falsitatem narratorum, *Sesse decis. Aragoniæ* 113. *n.* 165.

30. Nec operatur, ut posterior dispensatio, non facta mentione prioris, minimè sit subreptitia, P. *Sanch. de Matrim. lib.* 8 *disput.* 22 *n.* 8.

31. Nec supplet dolum Partis impetrantis. *Rodriq. Q.Q. RR. q.* 8 *ar.* 15, *tom.* 1.

32. Nec tollit defectus naturales, *Barbosa* cum aliis, quos citat in *d. Claus.* 25. *n.* 25.

Clausula Quarta. De plenitudine Potestatis.

1. Nullus inferior Principe, hac Clausula uti potest; *Mench. titul. de testatoris potentia, lib.* 1. §. 6. *nu.* 11 Et debet apponi à Principe benè informato de re, & cum causæ cognitione, aliàs nihil operatur; ita *Menoch cons.* 1. *n.* 426. *Rodolphinus de absoluta Principis Potestate cap.* 6. ubi dicit, quod in dubio, ubi Princeps aliquid facit, aut concedit de plenitudine potestatis, præsumitur, actum fuisse cum causæ cognitione, & justam causam in eo præsumi; ideò si apponatur super illicito, intelligitur de potestate bona, & laudabili, ac etiam ex justa causa: quia, quæ sine justa causa fiunt de plenitudine potestatis, dicuntur per allusionem fieri de plenitudine tempestatis, *Henriquez in sum. lib.* 14. *cap.* 17. *n.* 5. *& Peregrin de jure fisci, lib* 1. *tit.* 3. *n.* 65.

2. Et præsens Clausula est tantæ efficaciæ, quod nihil potest opponi contrà Privilegium, à Principe datum de plenitudine potestatis, *Card. Tuschus to.* 1 *litt.* C. *conclus.* 341. quem multis citatis sequitur *Monet. de commutat. ultim. volunt. cap.* 7. *& Barbosa in claus.* 19. *in tract. de Dictionibus & Clausulis.*

3. Et æquivalet Clausulæ, *Ex certa scientia*, imò plus valet, quia potest totum illud, quod insimul possunt illæ duæ, *Motus proprius Principis*, scilicet, *Et ex certa scientia*; *Menoch. cons.* 1. *nu.* 386. Et proindè hæc Clausula tollit omnes defectus solemnitatis omissæ, non autem provenientes à natura, *Alex. cons.* 195. *num.* 3 *lib.* 2.

4. Ac etiam aufert obreptionem, & subreptionem. *Rodolphin. in tract. de suprema, seu absoluta Principis potestate, c.* 5. *&* 6. *D. Marta de Clauf. p.* 1. *clauf.* 195.

5. Et habet vim Clausulæ derogatoriæ ad omnem legem sibi contrariam, etiam si in illa reperiretur Clausula derogatoria; ita præcitati *Doctores, ubi suprà.*

6. Verùm, in præjudicium tertii nihil operatur, nec derogat Regulæ de jure acquisito, *Rota Rom.* apud *Marchesan. de commission. p.* 2. §. 2. *c unico, n.* 160. *Seraphin. decis.* 1082 *nu.* 8. *& Barbosa* in hac *clausula, n.* 6.

7. Nec supplet dolum partis impetrantis, *Rodrid. Q.Q. RR. tom.* 1. *q.* 8. *art.* 15.

8. Ac proindè Princeps non potest de plenitudine potestatis, absque justa causa, quemquam dominio rei suæ privare, *Vasquez controv. usu frequent. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 6. *Menoch. cons.* 1. *nu.* 424. *& cons.* 103. *nu.* 68. *& Ricc. in collect.* 928.

9. Et quando Princeps justè alicui aufert bona sua, tenetur eidem pretium solvere, *Tiraquell. de pœnis temper. in præfat. n.* 38. *D. Marta de jurisdict. p.* 4. *cent.* 2. *casu* 195. *P. Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 15. *n* 3.

10. Nec idem Princeps potest de plenitudine potestatis revocare privilegia, seu concessiones illas, quæ in naturam, & vim contractus transeunt, vel pro quibus pecunia intervenit, vel conceduntur in meritorum recompensationem; ita *Ludov. Gomes ad regulas Cancell. in regul. de jure tertio acquisito, non tollendo, q.* 1. *Ant. Gabr. tit. de jure quæsito non tollendo, conclus.* 6.

11. Quod limita, non procedere in Romano Pontifice: is namque de plenitudine potestatis, & sine causæ cognitione, potest quem privare suo beneficio: quoniam (ut suprà dictum est) omnia beneficia respectu illius sunt obedientialia, & manualia; ita *Navarr. de spoliis Clericorum,* §. *tertio, Menoch. remed.* 15. *recuper. num.* 33. *& cons.* 83. *Farin. de delictis p.* 7. *fragmentorum crimin. litt.* C. *num.* 87.

12. Immò potest Papa de plenitudine potestatis Ecclesiasticos Prælatos privare, eosque deponere, etiam non citatos, *Garzia de benef. p.* 5. *cap.* 4. *num.* 2. *Navarr. cons.* 3. *de sponsalibus, num.* 15. *in antiqu. Menoch. cons.* 1. *num.* 425.

13. Papa enim est Dominus cunctorum, & successor *Petri* Principis Apostolorum, & in beneficialibus habet liberam & plenissimam potestatem, ita multis citatis docet *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell.* §. 2. *procem. num.* 44.

14. Et est Episcopus universalis Ecclesiæ, & Episcopus Episcoporum, & Ordinarius Ordinariorum, & habet pro sua propria Diœcesi totum orbem, *Gonzal.* cit. *loco.*

15. Et præter *Deum*, in terris superiorem non agnoscit; quia sedes *Petri* omnes judicat, & à nemine judicatur; ita post multos *Flamin. de resignat. lib.* 7. *q.* 5. *nu.* 1. cum aliis multis, quos refert *Barbosa Claus.* 19. *num.* 16.

Clausula Quinta. Omni appellatione postposita, seu remota.

1. Nullus inferior supremo Principe, hac utitur clausula; nam Princeps, sic loquens in rescribendo, *omni appellatione remota*, ostendit se legibus dominari, & de illis ad sui libitum disponere, *Maranta de ordine judiciorum, p.* 6. *ver. quandoque appellatur, n.* 337.

2. Ac proindè nullus Judex inferior Papa, nec etiam Delegatus de latere, potest aliquam causam sibi commissam, cum tali clausula alteri committere, aut delegare quoad sententias diffinitivas, secùs verò quoad sententias interlocutorias, *Bald. in addit. ad Speculat. in tit. de appellationibus, verb. clausula, appellatione remota, Scaccia de appellationib. q.* 16. *limit.* 1. *num.* 106.

3. Hæc clausula in Privilegiis consuevit apponi, ad hoc, ut Delegati litterarum Apostolicarum, mandata omni appellatione postposita citiùs exequantur, quæ quidem clausula potiùs ponitur de generali stylo, quàm de speciali ministerio; nàm, ut constabit ex infrà dicendis, potiùs sonat quandam monitionem, ut ii scilicet, quibus rescriptum committitur, caveant frivolæ appellationi deferre, quàm quod in aliquo deroget juri communi, *Marcell. Vulpes in praxi judiciali fori Ecclesiastici, cap.* 25. *numer.* 11.

4. Omnis namque clausula est ita strictè intelligenda, ut in nihilo, aut in minimo jus commune lædat: quapropter, sicut illa clausula, *recusatione remota*, intelligitur de frivola; secus autem de suspicione gravi: & sicut illa, *remotis omnibus exceptionibus*, intelligitur solùm de frivolis; sic pariter ista, de qua agimus, frivolas tantùm, non autem rationabiles, nec legitimas appellationes tollit; ita multis allegatis docet *Natt. cons.* 174. *in principio, Lancelott. de attentat. p.* 2. *cap.* 6. *nu.* 33. *Fel. in cap. ex parte, il* 2. *de appellat. Alex. cons.* 95. *num.* 2. *vol.* 1.

5. Secùs autem in privilegiis Regularium, & quoad eorundem exequutionem; in his quidem præsens clausula utramque abrogat appellationem, legitimam scilicet, & frivolam: *Rodriquez tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *ar.* 13. *Abbas in cap. super eo, il.* 2. *nu.* 1. *in fine, de appellat.* quia frivolæ appellationes, ipso jure repelluntur, & ad eas reijciendum, non est nobis opus privilegio.

6. Lex canonica, & civilis ita frivolas appellationes odit, quod temerè, & calumniosè, appellantes puniat; ut *l. à Proconsulibus,* C. *de appellat. & l. ab executore,* C. *quor.*

quor. appellat. non recip. glos. in cap. ad Romanum 2. q. 6. Panorm. in cap. 2. in principio, de appellat.

7. Qui sine gravamine appellat, licet ejus appellatio tanquàm inanis, & vana, non admittatur, tamen Judicem, à quo appellat, graviter offendit, & gravat; qui quidem Judex, sic injustè infamatus, potest contrà sic appellantem, ipsemet procedere, & actione injuriarum agere; ita *gl. in l. fin. C. quando provocare non est necesse, & Geminianus in cap. cum Appellationibus, de appel. in 6. Felin. in cap. 2. eod. tit. & Glos. in cap. si quis praepropera 27. distin.* 50.

8. Etsi hæc clausula omnem appellationem tollat, magis tamen prohibet à diffinitiva appellare, quam ab interlocutoria sententia: hæc enim appellatio rejicitur ipso jure, *l. 3. C. quorum appellationes non recipiuntur, & l. 2. C. de Episc. audient. Sylvest. ver. appellatio, q. 5. & Conc. Trid. sess. 13. de reformatione, cap.* 1. ubi strictè prohibetur, appellari à sententia interlocutoria, quod multis citatis sequitur *Navarr. lib. 2. consi. tit. de appellat. consi.* 1. & 2.

9. Et quamvis appellatione pendente, nihil possit innovari, prout habetur in toto *titulo de appellat. ff. nihil innovari appellatione pendente*: nihilominùs Judex, vi, & efficacia hujus Clausulæ, quacunque appellatione non obstante, potest procedere ad suæ sententiæ executionem, & innovare; ità *Host. in cap. pastoralis, de off. deleg. & ibi Innocent. & Bald. in l. 2. C. de appellat.*

10. Ac proindè facit, ut attentata post appellationem, non possint revocari per viam attentati, *Rodriquez d. q. ar. 13. in fine*, cum aliis, quos citat *Scaccia d. q. 16. limit. 1, num.* 94.

11. Et licet, vi præfatæ Clausulæ non detur locus appellationi, datur tamen supplicationi, & petitioni partis, iustè & juridicè appellantis, adeò, ut possit Principem adire, eumque informare, ut sua dignetur audire gravamina; qui quidem Princeps tenetur audire, & admittere, dum querela justa est: Ita *Imola in l. 1. §. final. ff. à quibus appellandum*, & habetur in *cap. Pastoralis, de appellationibus, & in l. 1. C. de sent. praefect. authen. qua supplic. C. de precibus Imp. offeren.* & refert decisum *Ricc. in collect.* 135. post *medium.*

12. Nec ista clausula prohibet, quin pars possit appellare, sed facit, quod Judex non possit talem appellationem admittere; quia virtute hujus clausulæ, partis appellatio manus Judicis non ligat, nec ejus judicium suspendit, sed ad Superiores devolvit; ità refert idem *Ricc. collect.* 1081.

13. Judex, si deferret appellationi ex ignorantia Juris, vel ex propria voluntate, ejus sententia virtute hujus Clausulæ foret invalida, & suspenderetur. Quod singulare esse dicit *Cened. ad Decretal. collect.* 128. *num.* 1.

14. Nec ista clausula impedit, quominùs Judex possit recusari, nam non est præsumendum, Principem voluisse, ut quis litiget coràm Judice suspecto, arg. in *cap. cùm inter, de except.*

15. Immò ista recusatio; cùm sit de jure naturali, per Principem tolli minimè potest, ut in *can. quod suspecti, 3. q. 5. Clem. Pastoralis, de sent. & re judic. & Instit. de jure gent. & civil. §. naturalia.* Ita multis allegatis *Panor. in d. cap. cùm inter, num. 9. & in cap. cùm ad hæc, de rescript.* & quod per remotionem appellationis, sive de jure, sivè per rescriptum, non censeatur remota recusatio, docet *Glos. in cap. si autem, §. si quis in quacunque 2. q. 6.* quam probat *Panor. in cap. novit ille, num. 3. de off. legat.*

16. Hæc clausula nihil operatur in gravamine notorio, nec in sententia manifestè iniqua, & injusta, nec cùm quis appellans se offert in continenti, suam justificare appellationem, & perindè fallit Clausula ista in omnibus, in quibus appellatio est à jure concessa, *Balbus decis. 22. Caputaqu. decis. 33. Vivius decis. 69. Scaccia de appellat. d. q. 16 limit. 1. num.* 80.

17. Hæc Clausula suos facit effectus respectu partium, non autem respectu tertii comparentis, nam commissa causa cum præfata Clausula, non prohibetur tertius compatere, & appellare pro eo, quod sua interesse putaverit, *Menoch. de arbit. lib. 1. q. 9. nu. 12. & remed. 4. adipescende, nu.* 845. *Sebastian. Vant. de nullit. tit. Quis possit dicere de nullitate, Abbas in cap. super eo, de officio delegat. Bald. in addit. ad Speculat. tit. de appellat. ver. Clausula, Gratianus decis.* 228. & alias multas fallentias refert, *Ricc. collect.* 1081.

18. Hæc Clausula non impedit, quin citatus eundi ad locum, ad quem non patet tutus accessus, proposita exceptione de loco suspecto, possit appellare, si non audiretur, aut cogeretur adire, ita expressè habetur in *cap. ex parte tua, de appellat. & ibi Abbas num.* 1. nec etiam præsens Clausula nullitatem aufert, etiam in executione, *Marchesan. de commissionibus p. 1. fol. 301. num.* 56.

19. Hæc Clausula facit, ut excommunicatio lata post appellationem, teneat, *Scaccia de appellat. q. 17. limit. 22. num.* 56.

20 Hæc Clausula suos operatur effectus in omni causa, tàm principali, quàm incidenti, & habet locum in causa reconventionis; *Marchesan. & Scaccia* in citatis *locis.*

21. Hæc tandem Clausula recensita, operatur omnia, si contingat apponi in rescriptis, quæ conceduntur ex certa scientia Principis, secus autem in his, quæ aliter fiunt, *Cardinalis Put. decis. 324. lib.* 2.

Clausula Sexta. Contradictores quoslibet, & Rebelles, etiam per qualcunque Censuras, & Pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna Juris remedia, compescere.

1. HÆc Clausula æquipollet alteri, qua dicitur, non permittentes ab aliquo molestari, & consuevit apponi in parte executiva litterarum, & refertur ad Rebelles & Contradictores de facto, non autem ad Contradicentes de Jure; Ita *Glos. in c. pro illorum, de præb. ver. contradictores, Navar. in cap. contingat, de rescriptis, in septima causa nullitatis, & Panor. in cap. audita, de restitutione spoliatorum, & Felin. in cap. causam, quæ, de rescriptis*, & habetur *in l. servum, §. hæc verba, ff. de acq. hered.*

2. Et dat jurisdictionem, & potestatem judicialiter compescendi, non solùm partes molestantes, verùm etiam & extraneos, quoscunque de facto contradicentes, aut Delegati facultatem turbantes, *Glos. & Panor. in d. cap. pro illorum*, & multis citatis sequitur *Marchesan. de Commissionibus fol. 214. num.* 95.

3. Qui quidem Rebelles & Contradictores, non solùm ut inobedientes, juxtà privilegiorum tenorem possunt puniri; verùm etiam tanquàm Violatores immunitatis Ecclesiasticæ, & excommunicari, aut suspendi, & interdici: hoc enim est, affici censura Ecclesiastica, *Sylv. ver. Immunitas 2. num.* 29. ita expressè habetur in *cap. quærentis, de verborum signific. & ibi Abbas*, cum cæteris, quos citat.

4. Regulares, non obstante contradictione, quorumcunque Prælatorum, suis uti possunt Privilegiis, & nisi hi contradicere destiterint, in pœnas incurrunt appositas, & quicquid per illos in contrarium fuerit attentatum, erit inane ac nullum; & colligitur ex nostris privilegiis, quod etiam notat *Rodriq. to. 1. Q Q. RR. quæst. 8. art.* 12.

Clau-

Clausula Septima. Invocato ad hoc, si opus fuerit, Auxilio Brachii Sæcularis.

1. DE Jure communi, tàm Episcopus, quàm Delegatus, Auxilium Brachii Sæcularis possunt implorare, ut in *cap. 1. de officio ordinarii, Navarr. in cap. cùm contingat, de rescriptis, & Concil. Trident. sess. 24. de reformat. cap.* 8.

2. Et Judices Sæculares debent Judicibus Ecclesiasticis hoc auxilium præstare, ut probatur in *c. Principes, & cap. Administratores 23. q. 5.* Quia utraque potestas, Laica scilicet, & Ecclesiastica, debent se ad invicem adjuvare, ut habetur in *cap. adversum, cap. duo sunt, & cap. si Imperator, 96. distinct. & in l. 4. & 5. tit. 3. lib. 1. recompilation. legum Hispaniæ.*

3. An verò Judex Sæcularis, absque visura processus, & sine causæ cognitione, & Partis citatione, tàm in Civilibus, quàm in Criminalibus, & in causis mixti fori, debeat petitum Brachium & Auxilium, Judici Ecclesiastico præstare? videndi sunt *Riccard. in 4. sententiarum, distinct. 18. art. 4. Panormitan. in cap. Veritatis, de dolo, & contumacia, Paz in praxi, tom. 2. in proœmio, num. 1. & 2. Navarr. in d. c. cùm contingat, de rescriptis, DD. in cap. 1. de offic. ordinarii, Redin in tract. de Majest. Principis, verb. Sed & per legitimos tramites, n.* 81. *Covarr. practicar qq. cap.* 33 & alii, quos citat *Rodriquez tom. 1. Q Q. RR. q. 8. art. 14. in fine,* & novissimè Illustriss. Marchio *D. Reg. Capyc. Latro decis. 82. lib. 1. D. Reg. Sanfelic. decis. 160. & 293. lib 2. & Jo. Baptista Larrea lib. 1. decision. Granatæ, decis. 1. & lib. 2. decis.* 82.

Clausula Octava. Non obstantibus quibuscunque in contrarium.

1. CLausula, *non obstante,* id est lege contraria non obstante, quæ non possit cum hac clausula sustineri, per aliquam limitationem, vel distinctionem; quia lex posterior generalis indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, & juxtà illam intelligenda, nisi expressis verbis illi contradicat, *l. sed & posteriores ff. de legibus,* ibi *posteriores ad priores pertinent, nisi contrariæ sint, & Bart. in l. omnes populi, ff. de justit. & jure,* & de communi docet *Ludovic. Gomes. in regula de triennali. q. 16, ad Regulas Cancell.* quem post multos sequitur *P. Sanchez to. 1. de Matrim. disp. 46. lib. 2. n.* 6.

2. Nullus inferior Principe, hac utitur clausula, ut docent *Scribentes in l. nemo potest, ff. de leg. 1.* quæ ob varia *Doctorum* placita est odiosa nimis, *Suarez lib. 8. de leg. cap. 14. per totum.*

3. Cujus præcipuus effectus est, tollere omnia, quæ dispositioni, in qua est apposita, obstare possent, *Rot. Rom. p 1 recent dec. 506. n.* 5.

4. Hinc posita in aliqua Papæ dispositione, seu contractu, aut privilegio, non solùm Jus commune, verùm etiam omne illud privilegium sibi contrarium abrogat, & revocat; quod etiam si non exprimatur, intelligitur: quia genus de se debet omninò aliquam comprehendere speciem, *Dec. cons. 113. num. 4. Paris. cons. 22 num. 8. vol.* 4. nam cùm constat de Principis voluntate, mandatum ejus valet, *Salyc.* & alii per *D. Reg. Carol. Tapia* relati in *rubr. ff. de constit. Princ. cap. 4. num.* 107.

5. Verùm tamen non tollit ea, in quibus specialiter est provisum, quod scilicet revocari non possint, nisi in specie revocentur; specialis enim provisio non tollitur per verba generalia, *cap. dudùm, de præbend. in 6.* Propter quod, ubi Lex, aut Privilegium habet clausulam derogatoriam ad rescripta, non valet rescriptum, nisi de illis specialiter, vel per verba æquivalentia mentionem faciet, *Joan. Calder. cons. 1. de privileg. num. 2. Geminianus in cons. 113. num. 8. ver. & pro hoc facit,* cum aliis, quos refert *Megal. variar. resolut. tom. 2. resolut. 155. num.* 13.

6. Ac proindè hæc clausula generalis non sufficit ad derogandum, clausulis derogatoriis derogatoriarum; nisi adderentur sequentia verba, *Etiam si de illis, illorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, ac de verbo ad verbum facta fuisset; Rota Rom. decis. 87. nu. 4. par. 2. recent. Mohedan. decis. 1. de rescriptis,* & quandocunque secundum privilegium habet clausulam derogatoriam, cum illis verbis, *etiam si talia forent, de quibus mentio fieri oporteret de verbo ad verbum,* censetur per illud, primum revocatum, etiam si habeat clausulam derogatoriam derogatoriarum; aut esset in corpore juris, & habetur per *text. in l. 3. C. de silentiariis, lib. 12. Felin. in cap. nonnulli, de rescript. Laur. Peyr. tom. 1. privil. in Constit. Sixti Quarti, Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 41. num. 22. Monet. de commut. ult. vol. cap. 8. nu.* 539. quem multis allegatis sequitur *Barbosa in tract. de dict. & clausul. clausul. 43. num.* 18.

7. Nec aufert actum juratum, nec Constitutionem juratam, *Glos.* singularis in *cap. cùm non deceat, in glos. fin. de elect. in 6.* probat *tex. in cap. constitutus, de rescript. Glos. in Clem. Dudùm ver. pacta, de sepulturis, Graff. in 2. p. Decis. aur. lib. 2. cap. 9. de viribus, & virtute juramenti, num. 3. & Archid. in d. cap. cùm deceat, ver. effectus, & Panorm. in d. cap. constitutus, Affl. decis. 5. num. 3. Covarr. in rubrica de testamentis 2. p. nu.* 19.

8. Nec item supplet defectum veritatis tacitæ, quæ necessariò foret exprimenda; generaliter enim ac regulariter de sui natura non tollit vitium obreptionis, nec subreptionis, nec auget, nec ampliat gratiam; sed reddit valida, & confirmat ea tantùm, quæ fuerint expressa: quia ad limites illius apposita censetur, ob quod, si gratia, in qua est, fiat, ut sit nulla, nihil quippè operatur, *Bald. in leg. 1. nu. 11. ver. unum etiam scias, C. de furtis, & in l. eam quam, num. 36. C. de fideicommiss. Ruinus cons. 208. nu. 18. Dec. cons. 541. D. Marta de claus. p. 1. claus. 79. Tusch. lib. 1. concl. 349. lit. C.* ac proindè tacito gradu cònjunctionis, utputà affinitatis, vel consanguinitatis, gratia per istam clausulam non validatur; quia gradum non expressum, non supplet, *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 24. num.* 6. & ante eum docuit noster *Ledesma de matrim. q. 56. art. ultim. dub. 2. difficul. 3. coroll.* 5. & refert decisum *Rot. Rom. in noviss. decis. 117. libro* 1.

9. Item clausula, *non obstantibus Privilegiis,* non tollit privilegia, ad pias causas facta, prout colligitur ex *cap. si propter tua debita de rescriptis, in 6.* & probatur ex *l. liberti, §. posthumos, ff. de alimentis, & cibar. legatis,* ita *Vitalis de Cambanis pagina 11 col. 2. n.* 3.

10. Nec abrogat ea omnia, quæ commiserationis causa, vel publicæ utilitatis gratia concessa sunt, nec vivæ vocis oracula, nisi id expresse specificetur; ita *Menoch. lib. 6. de præsumpt. q. 40. num. 25. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. Gos. 36 num.* 34.

11. Nec illa privilegia, quæ transierunt in vim contractus, ità post multos docet *Gutier. in repet. l. nemo potest, ff. de legatis* 1.

12. Insuper, dispensationem non inducit, & ad futura non se extendit, *Tuschus practic. conclus. tom. 1. litt. C. conclus.* 349.

13. Nec derogat Privilegio, viduis & pupillis concesso; *Barbosa in l. 1. art. 4. num. 72. ff de judiciis*; nec tollit privilegium *Lunica, C. si Imperator inter pupillos, & viduas*; ita *Marchesan. de commission. p. 2. pag. 460. nu.* 30.

14. Nec præsens clausula præjudicat juri tertii, *D. Mart.* post multos citatos *clausul. 77. num.* 16

15. Item hæc clausula, *Non obstantibus quibuscunque legibus & constitutionibus,* non tollit statuta Civitatis, *Menoch. de præsumpt. lib. 6. q. 39. num.* 4.

16. Nec

16. Nec aufert constitutionem conciliarem, nisi de ea expressa fiat mentio. Ita *Vitalis de Cambanis in tract. clausf. pag.* 11. *col.* 1. *num.* 2. *Marius Ant. variar. resolut. lib.* 1. *resolut.* 58. *num.* 6. *Ricc. in praxi fori Ecclesf. decis.* 556. *Bonacin. de censur. disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 4. cum aliis multis, quos allegat *Barbosa in clausf.* 45. *Archid. in cap.* 1. *de constitut. in* 6. *Jo. Andreas in cap.* 1. *de excessibus Prelat. in* 6.

17. Hæc Clausula, *non obstantibus quibuscunque pactis*, non tollit pactum juratum, *Vital. de Cambanis in tract. Clausf. pag.* 477. *n.* 1.

18. Nec operatur, quando Princeps non fuit optimè informatus de partium conventionibus, & sæpè confirmatis. *D. Mart. de Clausul. p.* 1. *Clausul.* 77. *n.* 2. *Menoch. consf.* 1. *n.* 454.

19. Hæc clausula, *Non obstantibus statutis Ecclesiæ*, non aufert statuta per Papam edita, vel confirmata, ita docet *Gl. in Clem. Dudum de sepult.*

20. Nec tollit constitutionem juratam, Ita post multos docet *Barbos. in Clausf.* 47

Clausula Nona. Quorum tenores volumus hic haberi pro expressis.

1. Solent Domini Papæ, suis in rescriptis, ubi disposuerint, ita loqui, *Non obstantibus quibuscunque in contrarium, etiamsi essent talia, quorum mentio facienda esset de verbo ad verbum, quorum tenores volumus haberi pro expessis*; & hoc ideò, quia cùm privilegia ferè sint infinita, & in particulari concessa; utique foret impossibile, omnia inserere, & in individuo revocare.

2. Hinc de stylo Curiæ prædicta clausula satis est ad derogandum prædictis omnibus indultis, ac privilegiis qualificatis cum clausula resistente & derogante; quod scilicet non censeantur revocata, nisi in specie, vel de verbo ad verbum revocentur; & ita derogat, ac si totus contrariorum tenor esset expressus, & specificè in constitutione derogatoria annullatus, ita, multis citatis docet *Fel. in cap. nonnulli, num.* 6. *ver. nam id, ad quod, de rescriptis, Cassad. decis.* 10. *num.* 2. *super Regul. Cancell. & Leo in Thesaur. for. Ecclesf. p.* 1. *c.* 13. *n.* 21.

3. Et hoc ideò, quia prædicta Clausula habet vim specialis, & individuæ derogationis & expressionis, cum omnibus suis qualitatibus, ità *Menoch. consf.* 103. *nu.* 47. *Tuscus tom.* 1. *lit.* C. *conclusf.* 339. *nu.* 6. *Monet. de commut. ult. volunt. cap.* 7. *num.* 201.

4. Et perindè tollit derogatorias derogatoriarum, quod est derogare omnibus Juribus, & constitutionibus derogantibus, & etiam derogaturis privilegio, in quo est apposita, *Gregor. XV. decis.* 109. *num.* 11. *Ugol. in explic. Bullæ Cœnæ.* §. *ult.* & ibi *Duard.* & novissimè noster *Sousa.*

5. Quapropter, non solùm aufert necessitatem inserendi tenorem illarum constitutionum, quæ vel confirmantur, vel derogantur, sed etiam illarum inducit scientiam, per modum fictum, & operatur validitatem actus, & infert effectum suum, etiam si foret apposita in rescripto concesso ad partis petitionem, ita *Navarr. in cap. si quando, de rescriptis except.* 1. *num.* 1. *Rota Romana diver. decis.* 535. *lib.* 2. *Verall. par.* 1. *decis.* 72. *Ricc. collect.* 949

6. Quamobrem, si Papa alicui concedat Legato, ut procurationem, vel collectam possit exigere à quibuscunque personis, etiam exemptis, quamvis talia obtinerent privilegia, quod de eis de verbo ad verbum mentio facienda esset, quæ voluit in Legati litteris haberi pro expressis; per hanc Legati concessionem, tali Clausula roboratam, dubio procul derogatam fore nostris qualificatis privilegiis; & consequenter, nos ad taxam, seu collectam teneri, ac astringi posse, prout latè de communi per plura probat *Collector privil. Mendic. in compend. ver. privilegia Fratrum*, §. 23. *Rodriquez tom.* 1. *Q. Q. RR. quæst.* 9. *artic.* 6. *& tom.* 2. *q.* 77. *artic.* 8. *Miranda tom.* 2. *Manual. Prælat. q.* 45. *ar.* 6. *conclusf. unic. Bonac. de legibus, disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 3. *num.* 11. *ver addo privilegium, & Tambur. tom.* 1. *de Jure Abbat. disp.* 16. *q.* 8.

7. Ac proindè, falluntur quidam Regulares, putantes, eorum privilegia, aut Papæ ligare manus, aut esse immortalia, & irrevocabila; *Fel. in cap. nonnulli, de rescriptis.*

8. Verùm prædicta Clausula non operatur in præjudicium tertii, de quo Princeps non intellexit, sed potiùs in præjudicium ipsius Concedentis. Nec tollit intentionis defectum; nec operatur in iis, quæ consistunt in facto ignorato; nec abrogat defectus, per quos, aut gratia est nulla, aut subreptitia censetur, ita *Cardin. Tuschus practic. conclusf. tom.* 1. *litt. C. conclusf.* 329. *num.* 13. *Ricc. collect.* 949. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Glosf.* 36. *num.* 83. *Barbosa Clausf.* 69. *&* 70.

Clausula Decima. Supplentes omnes & singulos defectus, ac Juris & facti solemnitatem.

1. Juris defectus, alii sunt substantiales, ut si rescriptum impetrans, sit excommunicatus, vel irregularis, vel si sit impetrans per subreptionem, quod est tacere verum; vel per obreptionem, quod est exprimere falsum, aut per involucrum verborum, & ita intricatè, ut Papa veritatem nequeat percipere, *cap.* 1. *de rescriptis, in* 6. *Anton. Gabr. tit. de Clausf. conclusf.* 2. *num.* 44. *Graff. p.* 1. *decisf. aur. lib.* 4. *c.* 18. *nu.* 83. *& Laurent. Peyr. tom.* 1. *privil Minim. in Const. Pyrri, nu.* 8.

2. Alii sunt defectus accidentales, ceu sunt illi, qui pertinent ad Juris positivi solemnitatem, ut puta, si electio fiat, non cantata Missa Spiritus Sancti, vel si contractus stipuletur in die festo.

3. Alii sunt naturales, ut partis citatio, seu defensio, vel si sit impetrans mente captus, furiosus, aut lunaticus

4. Alii sunt defectus à natura descendentes, ut esse Spurius, Bigamus, Scyta, vel Hebræus; Hæc etenim vitia per Principis indultum haud tolluntur.

5. Ista Clausula, si poni contingat in *Bullis & Privilegiis*, sub communi forma expeditis, defectus supplet accidentales: in litteris verò, motu proprio, & ex certa scientia factis, ac de plenitudine potestatis concessis; nedum accidentales; verùm etiam & substantiales defectus tollit: quia Princeps, sub tali forma concedens, vult, ut ille actus valeat, qui aliàs de potestate ordinaria non valeret. Ita docet *Hostiensf. in cap.* 1. *de transactionibus*; *Speculator in tit. de legat.* §. *nunc ostendendum, ver.* 14. *Parisf. consf.* 5. *nu.* 16. *D. Marta clausf.* 161. *n.* 10. *Joan. Francisc. Leo in thesaur. for. Ecclesf. p.* 4. *cap.* 1. *num.* 64.

6. Quod intellige, si Papa habuit notitiam de defectu substantiali, & hoc non obstante, tali modo specifico concessit, *supplentes omnem defectum, tam accidentalem, quàm substantialem.* Per hæc enim verba censetur dispensare. Secùs aliàs; ita *Felin. in cap. ex parte il primo de rescriptis, n.* 42.

7. Nihilominùs hæc Clausula non aufert defectus naturales, nec illos, qui à natura descendunt, *Clem.* 1. §. *cæterum, de judic.* etiam si adjungatur clausulæ *de plenitudine potestatis*, hinc non supplet defectum citationis partis, nec consequenter aliorum, quæ sunt de jure naturali, ità *Monet de commut. ult. volunt. cap.* 7. *num* 158. *Vivian. in praxi Jurispatronatus lib.* 13. *cap.* 8. *n.* 158. *Tuschus tom.* 1. *litt. C, conclusf.* 343. *Menoch consf.* 21.

8. Nec tollit defectus concernentes personam supplicantis, vel contrahentis, *Seraphin. de privil. Juram. privil.* 83. *num.* 18. cum cæteris, quos notat *D. Augustin. Barbosa in tract. de clausul. in clausul.* 104. *nu.* 4

9 Nec

9. Nec supplet defectus animi impetrantis; ut putà malitiæ, doli, & fraudis; nam dolosa impetratiò, rescriptum reddit nullum, & impetrata mortificat, *Cardin. Tusch. ubi sup.*

10. Quod excipe in nostris Mendicantibus; hi quidem ex *Leonis X. privilegio*, quod refertur in *Supplemento Minorum Ordinis, fol. 91.* utique suis possunt tutè, & securè frui, & uti privilegiis, etiamsi forent indebitè impetrata, absque legitima causa, malitiosè, mendaciter, & dolosè, aut quovis alio modo indebito: Quæ quidem Leonina concessio, uti est magna, ita valde notanda; quia aut rarò, aut nunquam consuevit fieri; ità *Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 8. art. 15.* cum aliis, quos citat *Miranda in Manual. Prælat. Regul. tom. 2. quæst. 45. art. 5. in fine.*

11. Et tandem, præsens clausula ad ignorata non se extendit, & in præjudicium tertii nihil operatur; ità *D. Marta in dict. clausf. 161. num. 9. & Cardin. Tusch. in d. conclus. 343. n. 13.*

Clausula undecima. Sublata, &c.

1. PRo validitate Constitutionum Apostolicarum, & ad tollendum interpretationes, & declarationes, quæ earundem effectum solent impedire, Romanus Pontifex consuevit præsentem Clausulam apponere, scilicet, *sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultate, & authoritate.*

2. Cujus quidem Clausulæ præcipuus, & proprius effectus est, claudere os Judici, & illi tollere facultatem, aliter judicandi, ità ut pars, quæ venit contrà litteralem sensum Privilegii, audiri non valeat, nisi priùs obtenta in gratiæ signatura, ab ipsomet Pontifice, oris apertione, ità *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 66. num. 3. Nicol. Garz. de benef. p. 6. cap. 3. num. 98.*

3. Propter quod, nisi os aperiatur, tollit audientiam; *Marchesan. part. 2. de commissionibus, pag. 441. num. 3.* immò si Judex contrarium faciat, ulteriùs procedendo, processus exinde factus, est ipso jure nullus, *Card. Tusch. tom. 1. lit. C. conclus. 345. Vivian. cap. 3. prax. Juris Patronatus num. 247.*

4. Verùm, non impedit, quò minus Judex possit videre, an allegata Privilegia habeant locum; ità *Farinac. p. 2. decis. 569. Puteus decis. 48. num. 6.*

5. Et ideo, quia prædicta Clausula tunc operatur præfatum effectum, cùm fuerit cognitum, dispositionem intrare, & habere locum in casu, de quo agitur, *Rot. Rom. decis. 423. num. 5. p. 2. recent.* quia aliàs nihil operatur; ita *Ant. Gabr. lib. 6. comm. conclus. tit. de Claus. conclus. 3. num. 8.*

6. Est tantæ efficaciæ, & tam parti præjudicialis, ut non se extendat ultrà limites principalis dispositionis, nec comprehendat majora expressis; *Gonzal. & Garz. ubi suprà.*

7. Verùm, non tollit Privilegium de jure speciali competens, *Seraph. Rot. Roman. decis. 1293. num. 9.*

Clausula Duodecima. Decreti Irritantis.

1. IN Rescriptis, & Papæ Constitutionibus hæc clausula consuevit apponi, integrè, & per extensum, ut si dicatur, *decernentes irritum, & inane si secus à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari:* aliquando verò diminutè, ut cùm dicitur, *decernentes irritum, & inane:* quæ quidem, quomodocunque inseratur, eundem producit effectum; *Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gl. 67.*

2. Immò, non expressa, semper intelligitur conjuncta, cum illis duobus adverbiis, *scienter, vel ignoranter*, & habetur in *cap. 1. verb. adjiciebatur, de concess. prabend. in 6.*

3. Quæ duo adverbia ponuntur potiùs ad omnem dubitationem tollendam, quàm ad necessitatem; *Ant. Gabr. tit. de clausul. conclus. 3. num. 7. Moneta de commut. ult. volunt. cap. 7. num. 230.* quia omnis lex, cùm aliquid simpliciter prohibet, intelligitur tacitè apponere Clausulam annullativam, si contra fiat, prout clarè habetur in *l. non dubium, C. de legibus, & in c. exhibita de rescriptis, Tiraquell. in l. si unquam, verbo revertatur num. 58. C. de revocand. donat.*

4. Et solet apponi in fine Legum, & Constitutionum; aut in aliquo earum articulo, prout in multis videtur, quæ uti odiosa, & juris communis correctiva, debet restringi, & limitari, ità ut non referatur ad omne, quod in lege dicitur, sed ad consultò, & principaliter intentum: non enim respicit accessorium, nec id, quod incidenter, vel secundariò tractatur; ità *Bart. in l. fin. §. Titia, ff. de liber. legata, Felin. in cap. causam, quæ de rescriptis, num. 4. Panorm. in cap. secundò requiris, de appellat. num. 10.* & habetur in *c. quia propter, 24. de elect. & in cap. Ecclesiæ vestra, eod. tit. in 6.*

5. Et ad hoc, ut referatur ad omnia præcedentia, debet esse uniformis ratio de omnibus; si autem ratio sit diversa, oportet, ut referatur magis ad unum, quàm ad aliud, ad illud scilicet, ad quod major ratio dictat, ut referatur. Ità *Bart. in l. prætor, la seconda, §. eritque, & in l. talis scriptura, ff. de legat. 1. Felin. ubi suprà*, cum aliis, quos citat *Rodriquez tom. 3. qq. Regul. quæst. 54. art. 5. verb. & confirmatur, & verb. probatur.*

6. Hæc Clausula plures habet effectus, quos omnes narrare, criminosum esset; sufficiat principaliore indicere, & primò, posita in Privilegio, vel alibi, ea omnia irritat, & annullat, quæ sibi sunt contraria, ut dicitur in *cap. si eo tempore, de elect. in 6. Rot. Rom. divers. decis. 24. num. 5. p. 2. Menoch. de recuperand. remed. 15. num. 444. Gonzal. regul. 8. Cancell. gloss. 67. num. 12.*

7. Et annullata vigore decreti irritantis, non possunt sustineri de consensu partium; prout docet *Menoch. consil. 348. num. 28. D. Marta clausf. 191. num. 10.*

8. Verùm, à principio de partium consensu potest huic clausulæ renunciari; ut dicitur in *cap. dilecto, 25. de prabend.*

9. Et sic adeò præsens Clausula est annullativa contrariorum, ut titulum, & possessionem inficiat, quando intrat constitutio, cui adhæret; ità *Rot. Rom. decis. 652. num. 3. p. 1. Recent. & decis. 341. num. 3. in d. p. 1.*

10. Quod intellige non solùm de titulo, & possessione, quæ prætenditur capta, sed etiam de immemorabili, & quomodocunque præscripta; ita per plura docet *Gomes. de annali regula 14. num. 5. Bisignettus decis. 1. num. 6. Caputaqu. decis. 17. num. 1. & decis. 134. p. 3.* cum aliis, quos refert *Aloys. Ricc. 3. p. Decis. Curiæ Archiep. Neap. decis. 75. num. 4.*

11. Ac proinde, spoliatus non est restituendus. Idem *Ricc. in collect. 787.* & hoc ideo, quia præsens clausula formam inducit, & sic dat esse contractui, ut illa non servata, actus ipso jure sit nullus, & corruat, etiam parte non opponente, ita *Rot. decis. 225. num. 5. p. 2. recent.* ac proinde tollit præscriptionem, nedum in præteritum, verùm etiam, & in futurum; *Doctores qui suprà.*

12. Secundò, posita in dispositione, vel constitutione Papæ, afficit ignorantes, quod intellige, quoad nullitatem actus, non autem quoad pœnam, *Rota divers. decis. 578. num. 3. p. 1. Puteus decis. 278. lib. 1.*

13. Tertiò, posita in confirmatione statutorum, facit, ut Statuta non possint tolli, nec interpretari; ità *Boer. decis. 119.*

14. Quartò, ubi est prædicta clausula, non potest adimplere

impleri per æquipollens, quod excipe in distinctione ista, *nullo modo*; hæc enim operatur idem, quod præsens clausula. *Rota* prædicta *decis.* 215. *num.* 1. *p.* 1. *& Stephan. Grat. decis.* 51. *num.* 18.

15. Quintò, facit, ut gratiæ, vel dispositioni, in qua reperitur, non derogetur, nisi per derogationem specialem.

16. Et tandem, (quod admirabile est,) posita in aliqua lege, vel generali constitutione, ligat, & afficit ipsummet Dominum Papam, ut patet in *octava Regula Cancellariæ de Mensibus, & alternativa*, ubi ligat præfatum Papam, quoad provisiones contingentes in mensibus Ordinarii; *Rot. Rom. divers. decis.* 106. *p.* 1. *Cardin. Puteus decis.* 492. *lib.* 2. cum aliis, quos refert *Aloÿs. Ricc. collect.* 1302.

17. Ex his collige in summa hæc de irritamenti decreto, quòd per Decretum irritans non potest alligari non usus, neque usus contrarius, *Cassador. decis.* 2. *& decis.* 11. *num.* 5. *super Regul. Cancell. Puteus decis.* 50. *num.* 5. *p.* 1. *Verall. decis.* 134. *num.* 4. *p.* 3.

18. Item, omne concessum, etiamsi millies concederetur contra decretum irritans, actus tanquam nullus, ipso jure, non potest sustineri, *Gloss. in l. à Divo Pio, ff. de ritu nuptiarum; Bald. in l. non est dubium, C. de legib. Felin. cap. cæterùm, num.* 19. *de rescript. Menoch. consil.* 83. *volum.* 1. *& cons.* 348. *num.* 48. ubi latè habes, quòd decretum irritans, annullat factum contra illud, ipso jure, *Crot. cons.* 220. *colum.* 2. *volum.* 2.

19. Item derogat consuetudinibus, tam præteritis, quàm futuris, ut dictum est, & probat *Caual. comm. contra commun. q.* 704. *per totam.*

20. Item inficit possessionem, & titulum, *Rota decis.* 2. *de restitut. spoliat. & dec.* 99. *p.* 3. *& Puteus decis.* 99. *part.* 1.

21. Unde dicitur, quòd Decretum irritans habet oculos retrò, & operatur nullitatem ab initio, docet *Puteus decis.* 48. *num.* 3. *& ultimo, & decis.* 386. *lib.* 1. *in novis.*

22. Item inficit petitorium, & possessorium cujusque alterius provisi, *Clem. cùm ei, quem, § secùs, de concess. præbend.* ubi *gloss. in verb. ex nunc, prout ex tunc*, & *DD.* communiter. *Ferrett. cons.* 5. *num.* 3. *vol.* 1.

23. Quando ergo ponitur in lege clausula irritans, non potest adduci aliqua consuetudo; quia, ut dictum est, tollit omnem consuetudinem in contrarium, *c. quod super his, in fin. de consang. & affinit. cap. super eo, in princ. de cognat. spiritual. Covar.* 4. *part. cap.* 6. *§.* 10. *num.* 35. *Decius in cap. novit, de judic. num.* 84. *& Suarez de legib. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 13. *in fin. Driedon. de libert. Ecclesiastica, lib.* 1. *cap.* 16. *verb. & hic jam considerando.*

24. Item Decretum irritans facit personam incapacem, quando circa illam versatur, & consuetudo non potest tollere incapacitatem, *Dec. in d. cap. novit. de judic. num.* 84.

25. Quapropter, virtute hujus clausulæ, & decretorum irritantium, contentorum in tot Constitutionibus Papalibus, procurantes gradus per extraneos, fiunt incapaces, & inhabiles; ita ut in favorem eorundem non possit allegari usus, vel non usus; neque usus contrarius, neque possessorium, sed est in libertate Prælatorum, declarare collationem gradus nullam, & invalidam, prout notat noster *P. Fr. Remigius Seroph. Venetus in quæst. moral. quæst.* 32. *art.* 2. *num.* 9.

Clausula Decimatertia. Teque absolventes ab omnibus censuris.

1. AD evitandum pericula, & nullitates, quæ frequenter, tam in impetrationibus, quàm in assecutione gratiarum, & beneficiorum solent opponi, propter inhabilitatem ex capite censurarum, uti est excommunicatio, suspensio, & interdictum. Hæ quidem censuræ obstant impetrationi, & beneficiorum consecutionem impediunt: Romana Curia introduxit, ut in cujusque rescripti impetratione, sive procedat per viam gratiæ, sive per viam Justitiæ, semper detur impetranti absolutio *à quacunque excommunicatione, suspensione, & interdicto, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum. Navar. cons. lib.* 5. *de sent. excomm. cons.* 18. *Sayrus lib.* 2. *de censuris, cap.* 4. *& Rebuff. in prax. benef. p.* 1. *in declaratione Bullæ novæ provisionis, §. teque absolventes, & tit. de forma mandati.*

2. Quæ quidem absolutio, facta sub tali forma, gratias reddit efficaces, & validas; non obstante exceptione excommunicationis; ità *Dec. in cap. Apostolicæ, num.* 6. *de except. & ibi Felin. & Covarr. in cap. alma mater, p.* 1. *§.* 7.

3. Et est ita solita, & consueta in Gratiis, & Rescriptis Apostolicis, ut si omittatur, censeatur adjecta, tanquam solita apponi, vel saltem debent litteræ reformari, & in illis inseri; ità *Rebuff. in praxi, in cit. loc. & Navarr. de sent. excommun. cons.* 28. *num.* 5.

4. Et per istam clausulam, sic latè factam, Romanus Pontifex ostendit, se velle de facto auferre omnes, & singulas censuras, & pœnas, quæ impedire possint gratiam, quam facit; ejus namque verba sunt intelligenda, non secundùm quod sonant, sed secundùm mentem proferentis, *cap. intelligentia, de verbor. signif.*

5. Verùm, hac clausula utentes Legati, Nuncii, cæterique Prælati inferiores Papa, absolvunt à quibus possunt; nam in iis, quæ non possunt, vel quia sunt reservata Papæ, absolutionis beneficium nequeunt inferre. *Navar. in cap. ita quorundam, not.* 11. de qua re vide plura, quæ eruditè docet *Ricciull. in tract. de jure personarum, lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 9.

Clausula Decimaquarta. In foro conscientiæ.

1. HÆc clausula operatur in salutem animarum, & facit; absolutionem valere coram Deo, secus coram Ecclesia, etsi hæc absolutio fiat coram aliquibus, non ideo desinit esse in foro conscientiæ; fit namque sine figura, & strepitu Judicii, & sine præjudicio tertii, seu Fisci, *Rodriquez tom.* 1. *qq. Regul. q.* 61. *art.* 10. *Peyrinus tom.* 1. *privil. Minim. in Constit. Pyrrhi, num.* 43.

2. Absolutus per talem absolutionem potest licitè celebrare coram Deo, absque eo, quòd incurrat aliquam irregularitatem coram ipso Deo, & omnes actus, ab ipso exerciti, sunt validi coram ipso Deo, quoad naturam, & substantiam, licèt in foro exteriori aliter judicabuntur: ità *Doctores* de communi.

Clausula Decimaquinta. Sine præjudicio Parochi.

1. ISTud præjudicium intelligitur, & refertur ad impedimentum, & interesse decimarum, & primitiarum, Clericis à Laicis debitarum, & aliorum Jurium, quæ de jure conveniunt Parocho, prout declaravit *Sixtus Quartus*, & refert *Rodriquez tom.* 2. *qq. regul. q.* 75. *art.* 2. & noster *Joannes la Crux, lib.* 2. *de statu relig. cap.* 5. *dub.* 7. *conclus.* 2. & sequitur *Laur. Peyr. tom.* 1. *privil. Minim. in Const. Pyrrhi, num.* 32.

Clausula

Clausula Decimasexta. Indignationem Omnipotentis Dei.

1. HÆc clausula non infert excommunicationem, *Sayrus lib.1. de censur. cap.11. num. 16.* Verùm, contrafacientes peccant mortaliter, quia virtualiter hæc clausula includit præceptum obedientiæ in virtute Spiritus Sancti.

2. Et contradicentes Constitutionibus datis cum ista clausula, possunt privari beneficiis Ecclesiasticis, prout dixit *Felin.in cap.veniens,de rescriptis,n.1. & Tuschus verb. indignationis pœna, conclus. 91.*

3. Idem currit, si Papa dicat, *indignationem Petri, & Pauli,* quod dictum de beneficiorum privatione, intellige, in rebus magni momenti, secùs in parvis, ubi pœna est arbitraria; ità post multos refert *Laurent. Peyr. tom.1. privil.in 3. Constit. Sixti Quarti, §.4. num.7. & 8.*

Clausula Decimaseptima. Tuo Judicio, Prudentiæ, vel Conscientiæ committimus; vel, ut tibi videbitur expedire.

1. IUdicium, & conscientia idem sunt; cùm utrumque sit mentis dictamen, prout latè docuit *D. Thom. in 1.p.q.79.art.13. ad primum.*

2. Et quoties aliquid committitur conscientiæ, & prudentiæ alicujus, non est necessaria probatio judicialis, ut constat ex *textu*, juncta *gloss.cap.statutum, § Assessorem, de rescriptis, in 6.* nec petit partium citationem: sufficit enim, probationem soli Judici concludere, cui satis est, ut constet, sine strepitu, & figura Judicii; ità *gloss. in d. cap.* ubi *Franch. num.6. & Joan. Andr. in cap.2. de juramento calumn. verb. potest Judex, Lapus allegat.61. verb. quoties cessat strepitus Judicii.*

3. Quia, quod est commissum ad conscientiam, dicitur esse commissum ad veritatem, & satis est, esse munitum Jure gentium, ut *l.certum, C. unde legitimi,* ac proinde, Pontifice mandante, alicujus Dignitatem examinari, neminem esse citandum, sed sufficere, probationem concludere soli Examinatori, quia ista cognitio est potiùs conscientialis, quàm judicialis, prout, multis allegatis ostendit *Sanchez tom. 1. de Matrim. lib. 3. disp. 8. num. 4.*

4. Hæc autem Curiæ cognitio conscientialis non postulat, testes juratos examinari; ità *Innocent. in cap. cùm in tua, in fine, de sponsal.* quem, multis citatis sequitur *Mascardus de probat. conclus.1368. num. 14.* tunc enim testes non recipiuntur in forma Judicii, cùm quando nec citantur, nec cum juramento examinantur.

5. Quod limita, non procedere in his, quæ sunt acquisita tertio; quia Jus quæsitum tertio, causæ cognitionem postulat; ità per plura refert decisum *Cavalc. decis. 22.*

Clausula Decimaoctava. Prorsus eximimus, & totaliter liberamus.

1. HÆc clausula, propter suam generalitatem, non solùm derogat Privilegiis, privatæ personæ concessis, sed etiam Universitati in specie, vel in genere, sub quibuscunque tenoribus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, vel de plenitudine potestatis, aut per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, *Gloss.* cum cæteris *Doctoribus, in l. Balista, ff. ad Trebell. verb. etiam fructus.*

2. Item sic geminata, omnem excludit interpretationem in contrarium, sic enim natura illius dictionis, *Prorsus,* postulat, excludere omnia, & singula, quæ in contrarium excogitari possunt, ità in *cap. statutum, § provisurus,* de rescriptis, in 6. *Henriquez in summ. lib. 7. de indulgent. cap.27. num.4. Peyr. tom.1. Privil.in 2. Constit. Sixti Quarti, n. 5.*

Clausula Decimanona. Amoto quolibet illicito detentore, seu possessore, vel vocatis vocandis.

1. HÆ clausulæ in rescriptis Apostolicis solent apponi, & faciunt Commissarium mixtum, non autem merum Exequutorem, ut quidam malè dixerunt; quia per prædictas clausulas committitur causæ cognitio unà simul cum exequutione, *Abbas in cap. Pastoralis, §. quia verò, de off. deleg.*

2. Secùs in mero Exequutore, quia nullam habet causæ cognitionem, sed tantùm debet exequi; *gloss. in cap. novit, in verb. ab Exequutoribus, de appellat.*

3. A quo mero, & puro Exequutore non datur appellatio, ut in *d. cap. Pastoral. § quia verò, l. Exequutorem, C. de exequut. rei judicat. cap. novit, de appellat.*

4. Judex autem datus cum prædictis clausulis, cùm habeat causæ cognitionem, potest videre, & cognoscere, si possessor sit legitimus, vel non; & ab ejus sententia appellari potest: & sicut Judex ordinarius, lata sententia per ipsum, à qua cùm fuerit appellatum, nihil potest innovare, pendente appellatione.

5. Ita Exequutor mixtus cum aliqua prædictarum clausularum, tenetur appellationi deferre, *Marches. de commiss. appellat. p.2. c.3. num.2. Joan. Franc. Leo in thesaur. for. Eccles. cap.16. num.13.* & fuit decisum in una Panormitana Archidiaconatus die 15. Junii, 1590. coram *Pegna,* & refert *Aloys. Ricc. collect. 1746. & Marcell. Vulpet* in sua *praxi jud. c.21. n.33.*

6. Verùm, si alicui committatur possessio beneficii, à Papa impetrati sine dicta clausula, *vocatis vocandis,* intelligitur apposita, etiamsi non exprimatur, quando alius reperitur in possessione beneficii: quia possessor non debet removeri à sua possessione, vel quasi, sine causæ cognitione, & ipso inaudito, *text.* clarus est in *cap. licèt Episc. & ibi gloss. in verb. se non vocato, de præbend. in 6. Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib.11. q.10. num.33. Abb. consil.34. num.7. p.2. Innoc. in cap. cùm olim, il. 2. de privileg.* & sic est vocandus possessor, *Prax. Cur. Archiep. Neap. c.85. n.4. & Vulp. ubi sup.*

7. Clausula, *Amoto,* habet vim expressionis coloratæ possessionis, de qua facienda est mentio, aliàs gratia esset subreptitia, ità in *cap. cùm nostris, de concess. præbendæ.*

8. Ac proinde, præsens clausula præservat gratiam à subreptione, prout in propriis terminis decidit *Rot. Roman. decis. 38. de rescript. in antiq.* & ità fuit resolutum in una Colon. Canonicatus 20. Maji, 1602. coram *Pamphil.* & refert *Aloys. Ricc. collect. 826.*

9. Quod limita, non procedere, nisi sit hæc Clausula in litteris principalibus gratiæ, licèt sit in litteris exequutivis, vel privatis. Eadem *Rot. in antiq. decis. 69. de rescriptis.*

10. Si Dominus Papa dicat, *amoto detentore, absque vitio spolii,* intelligitur de detentore facti, non autem Juris, in propriis terminis *Put. 1. p. decis. 17.*

11. Si Papa dicat, *amotis quibuscunque,* non tamen *authoritate Apostolica,* provisio non comprehendit provisos ab Ordinario vigore indulti, prout fuit resolutum in causa Toletana beneficiorum 5. Aprilis, 1593. coram *Orano, Cassad. decis. 3. de præbend.*

12. Et nota, quòd dicta clausula debet intelligi de illicito possessore, etiamsi non exprimeretur, sed indefinitè dicatur, *amoto quolibet detentore,* ut refert decisum *Aloys. Ricc. in d. Collect.*

13. Si verò Papa dicat, *amotis quibuscunque detentoribus,*

ribus, præterquam à nobis provisiones habentes, excludit tantùm provisiones Inferiorum, *Farinac. in decis.* 393. ubi pluries decisum refert.

Clausula vigesima. Dummodo aliam in eadem Ecclesia non concessimus.

1. PRæsens clausula solet apponi in concessionibus Indulgentiarum, & intelligitur de alia Indulgentia simili, expressa in eadem concessione, ob dictionem, *aliam*, quæ est repetitiva ejusdem qualitatis, quæ priùs, seu immediatè fuerit expressa; ità *Naldus in summa, verb. Clausula*, § *dummodo, fol.* 146. *Gavantus in Manual. Episc. verb. Indulgentia, Lezana tom.* 3. *summa, verb. Clausul. num.* 25. *fol.* 283.

TRACTATUS DECIMUS,

DE DICTIONIBUS PRIVILEGIORUM.

Dictio Prima. Accumulativè cum Superiore.

POsita in aliqua Constitutione, demonstrat, quòd Inferior potest uti authoritate sibi tradita, ad instar Superioris, & inter eos datur locus præventioni.

Dictio Secunda. Aut aliàs.

COpulæ adjuncta, *aut*, vel, *&*, semper novos modos addit, & auget, ultrà expressos, *Tusch. tom.* 2. *lit. D. conclus.* 241. *Rota* apud *Cæsar. de Graff. decis.* 12. aliàs *prima, de elect. num.* 4. unde res de se, suaque natura fructifera, vel, *aliàs*; hoc est, alio modo, pariat fructus, ut pecunia.

Dictio Tertia. Dicta, vel dictis.

REfertur ad omnia præcedentia proxima, & immediata, cum qualitatibus suis, *Barbos. dict.* 87. *D. Episcopus Marant. part.* 3. *respons.* 74. *num.* 47. *&* 63.

Dictio Quarta. Dummodo.

COnditionem importat, & operatur, ut semper adimplendum sit illud, quod sub ea disponitur, aliàs actus erit nullus, & invalidus.

Dictio Quinta. Dumtaxat.

ESt taxativa, & omnia alia excludit.

Dictio Sexta. Et.

COmmuniter est conjunctiva, secundùm Grammaticos: Verùm sæpè ponitur pro *seu*, quæ est disjunctiva, *Tuschus in verbo Dictio, conclus.* 254. *num.* 3. & in disjunctivis, seu alternativis sufficit, alterum verificari, *Tusch. ubi sup. conclus.* 268. aliquando etiam sumitur expositivè, *D. Episc. Marant. p.* 3. *resp.* 33. *n.* 25.

Dictio Septima. Etiam.

ESt implicativa, & ampliativa, *l. etiam ff. de minoribus, Clementin. Religiosus, de Procuratoribus*, qua dictione Legislator concedit aliam ampliorem facultatem, à jam concessa, *Navarr. in cap. si quando, de rescript. except.* 2.

Dictio Octava. Ex nunc, pro tunc.

SUspendit effectum, usque ad tempus præmeditati casus, *Gloss. in Clementin.* 1. *de præbend. in* 1. *opposit. Barbos. diction.* 117. Unde nihil operatur concessio, sub tali forma facta, donec conditio fuerit adimpleta.

Dictio Nona. Fortè.

DUbietatem notat, factumque, cui adjicitur, dubium reddit.

Dictio Decima. Ideo.

CAusalis est, & significat, ob causam fieri id, quod fit.

Dictio Undecima. Insuper.

IMportat diversitatem, unde posita, in fine, vel in principio unius articuli, non refertur ad sequentia, idem *Tusch. in verb. dictio, conclus.* 295.

Dictio Duodecima. In tali casu.

DIspositionem restringit.

Dictio Decimatertia. Legitimè.

SIgnificat, quòd debet observari Juris ordo, & forma rescripti, *Joann. Andr. in c.* 1. *de rescriptis.*

Dictio Decimaquarta. Nec non.

REsolvitur quandoque in copulam, estque præcedentium repetitiva.

Dictio Decimaquinta. Non aliter, Nec alio modo.

ESt restrictiva, & inducit formam, contra quam, quicquid fit, erit nullum; & habet præcisam naturam, sicut pariter omnes aliæ dictiones negativæ, & prohibitivæ, *D. Episcopus Marant. p.* 3. *respons.* 32. *n.* 34.

Dictio Decimasexta. Nullatenus.

IMportat universalitatem, & excludit quemcunque casum, *Tusch. in verb. dictio, conclus.* 315. & reddit nullum actum in contrarium.

Dictio Decimaseptima. Omnimodè, & Plenè.

SIgnificat, authoritatem concedi omnibus modis, quia is, cui plenè facta est commissio, non solùm delinquentes potest monere, sed etiam corrigere, incarcerando, & puniendo, *Gloss. in Clement. unica, de foro competenti, in verbo omnimodam, Panormitan. in cap. conquestus, de foro competenti.*

Dictio Decimaoctava. Postquam.

OMnne rejicit anterius tempus, & solùm posterius respicit, & conditionem dispositioni indicit, præsertim si verbo futuri temporis juncta fuerit.

Dictio Decimanona. Privativè.

OStendit, quòd Superior non possit se intromittere in tali causa: unde Papa cùm dixit, *privativè quoad Regulares*, vult, quòd in negotio commisso, Regulares non se intromittant, *Covarr. in cap. Alma Mater, part.* 1. §. 12. *num.* 3.

Dictio

Dictio Vigesima. Propterea.

EST illativa præcedentium, & dispositiones conjungit.

Dictio Vigesimaprima. Quia, vel Quando.

CAusalis est, & indicat causam finalem.

Dictio Vigesimasecunda. Quandocunque.

COnjecturæ locum præbet, & amplectitur omne tempus, & omnia tempora distribuit; est enim universalis, ita ut nullum tempus excludat.

Dictio Vigesimatertia. Saltem.

EST subsidiaria, & exposcit, ut ad minus fiat minimum, quod petitur, & desideratur, *Barbosa dictione* 355.

Dictio Vigesimaquarta. Signanter.

EST restrictiva de sui natura.

Dictio Vigesimaquinta. Si quem.

DIstributivè inter plures se habet, omnesque comprehendit.

Dictio Vigesimasexta. Tamen.

OPeratur restrictionem, & compresionem ad omnia præcedentia, *Bald. consil.* 195. *num.* 1. *vers.* 3. *lib.* 2. *Rota* apud *Coccin. decis.* 406. *num.* 3. unde conditio, quæ per dictionem, *Tamen*, infertur, suspendit interim actum, cui adjicitur. *l. non omnis,* 19. *ff. si cert. petatur l. cedere diem;* 213. § *sub conditione ff. de verb. significat.*

Dictio Vigesimaseptima. Tantùm.

TAxativa est, comprimit proinde dicta, secundùm sui naturam.

Dictio Vigesimaoctava. Unà cum.

DE sui natura est conjunctiva, magis quàm dictio, *Et*, & conjunctionem majorem operatur, & inducit invaliditatem actus, si secus fiat.

TRACTATUS UNDECIMUS
DE CONFIRMATIONE, INNOVATIONE, ET USU PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. *Quid, & quotuplex sit Confirmatio?*

1. COnfirmatio, (ut à Diffinitione incipiam,) est Juris quæsiti corroboratio, ut post *Hostiens.* & alios antiquiores explicat *Dec. in rubrica de Confirmatione utili, vel inutili, & Cardinal. Tuschius tom. 2. litt. G. conclus.* 705. *Mascard. de probat. conclus.* 404. & *Suar. de legibus lib.* 8. *cap.* 18. *per totum.*

2. Nam, Confirmatio præsupponit, Jus competere, & esse acquisitum, prout de communi docet *Gutier. pract. lib.* 3. *q.* 17. *num.* 48. & consuevit dupliciter fieri, vel in forma communi, vel ex certa scientia.

3. Illa dicitur esse in forma communi, quando Princeps confirmat contractum, seu privilegium, prout jacet, & prout in propriis terminis reperitur tempore confirmationis, ut colligitur ex *cap. quia diversitatem, verb. non obstante, de concess. prabend.* ibi *sub forma communi, quæ confirmat beneficium, & prabendas, sicut justè & pacificè possidentur,* & in *cap. examinata de confirm. util. vel inutil.* ibi, *confirmaverat illud, sicut providè.*

4. Tunc autem fit ex certa scientia, cùm Princeps confirmat, cum perfecta notitia totius negotii, & omnium ejus circumstantiarum, ut ex infrà dicendis apparet, & notant *DD. in cap. postulasti, de rescriptis,* quos refert *Sanchez lib.* 7. *summ. cap.* 29. *num.* 144. *Tambur. tom.* 1. *de Jur. Abbat. disput.* 18. *q.* 1. *Hier. Rodriq. in comp. resolut.* 116. *Portellus tom.* 1. *de dubiis Regul. verb. Privil. confirmatio,* & novissimè *P. Merolla tom.* 3. *de Privil. disp.* 6. *c.* 5. *de confirm. dub.* 1.

Quæst. 2. *An Confirmatio, seu Innovatio Privilegii, novum tribuat Ius, vel tantùm Ius antiquum conservet?*

1. PRætermissis hinc inde *DD.* placitis, cùm distinctione respondeo; aut privilegium sumitur materialiter, hoc est, pro charta, vel papyro, in qua Principis privilegium, seu beneficium continetur, & sic innovatio solius chartæ, seu instrumenti, quod fit, ad hoc, ut conservetur, vel, ut clariùs legatur, cùm sit ferè vetustate consumptum, vel deperditum, nullum Jus, nullamque actionem de novo tribuit, ut clarè constat ex *cap. cùm dilecta,* 4. *de confirmat.* ubi expressè habes, quòd per innovationem jus novum non acquiritur, sed conservatur antiquum, & in *cap. ex parte, & cap. quia intentionis, de privilegiis* expressè dicitur, *cùm innovationem, jus novum non conferat, nec tollat vetus,* & in *cap. cùm olim,* 12. *de privil.* Nam isthæc innovatio fit solùm, ad faciliorem probationem ejus, quod in privilegio continetur, nihil omninò addito, vel detracto.

2. Ac proinde, Innovatio Principis, ex quo permittit, aut mandat, hanc instrumenti innovationem fieri, novum robur non adjicit, sed solùm tenorem ejus, quod antea erat concessum, patitur, in scripturam redigere, ad tutiorem (ut diximus) conservationem, & faciliorem probationem, juxtà *l. contrahitur, ff. de pignoribus,* & habetur in dictis *Capitulis,* & præcisè in *d. cap. quia intentionis.*

3. Aut sumitur formaliter, id est, pro ipsamet gratia, & concessione, quæ in charta legitur, & continetur: contentum, & continens, uti locus, & locatum distinguuntur, juxta *text. in l. non figura, ff. de actionibus.*

4. Et sic iterum oportet subdistinguere; nam aut loquimur de concessione facta in forma communi, & sic, ut dictum extat in *tract. de clausulis,* nullum jus novum tribuit, sed solùm antiquum conservat, ut dicitur in dicto *c. ex parte* 13. & in *c. quia intentionis,* 29. *de privil. & cap. preceptis.* ibi, *non novum aliquid,* 12. *distinct. & cap. inter dilectos, verb. caterùm, de fide instrum.* & ità *Abbas* concorditer cum omnibus *Canonistis* in dicto *c. cum dilecta.*

5. Ac proinde, confirmatio facta in forma communi, non potest dici nova concessio, sed pura roboratio, ut colligitur ex *d. cap. quia diversitatem, de concess. prabend. & cap. dudum, in fine, de decimis & ibi Imol. Innoc.* & omnes *DD.* concorditer.

6. Et hoc ideo, quia confirmare non est de novo facere, sed roborare factum, ut patet ex ejus jam recensita definitione, ità *Rodriq. qq. regul. tom.* 1. *q.* 8. *art.* 2. *Menoch. consil.*

*consil.*191. *Rot. Rom.* apud *Farinac. decis.* 123. *p.* 1. *recent.* cum aliis multis, quos refert *Suar. de legib. lib.* 8. *cap.* 20. *per totum.*

7. Nec ob id dicas, hanc confirmationem esse perperàm, & otiosam; nam etsi hæc nihil de novo concedat: tamen semel concessum, per novam aliam confirmationem factam in forma communi magis certificatur, & assecuratur, ita ut possessor rei confirmatæ, tutior, & securior fiat; prout dixit *Bald. consil.* 232. incip. *Fratres Prædicatores, verb. Solutio.*

8. Secus autem dicendum, si confirmatio, vel innovatio privilegii fiat ex certa scientia, ut diximus in *tract. de Clausulis*, & probatur per *textum in cap.* 1. *de transact. in fin. & ibi Gloss. Panorm. Felin. Dec.* & alii omnes, & habetur in *d. cap. quia intentionis*, 29. *de privil.* & *cap.* 1. & *cap. veniens, de transact.* & *cap.* 2. *de pact.*

9. Tum, quia confirmatio ex certa scientia habet vim novæ concessionis; etenim firmat id, quod invalidum est, ut explicat *Rot. Rom.* apud *Farinac. decis.* 513. *num.* 6. *p.* 2. *recent.* tum etiam, quia non dicitur simplex confirmatio, seu innovatio, sed ampliatio, & nova concessio, ut dicitur in *cap. si Apostolica, & ibi gloss. verb. Confirmamus de præbend. in* 6. & *in d. cap. quia diversitatem, de concess. præbend.*

10. Hinc, si Dominus Papa confirmaret Regularium Privilegia ex certa scientia, absque alio superaddito, & sine ulla limitatione, reviviscerent, atque revalidarentur omnia alia privilegia, tam per generalia Concilia, quàm per suos Prædecessores revocata, & annullata, & præcisè; quia clausula, *Ex certa scientia,* æquivalet clausulæ derogatoriæ, *non obstante, &c.* ut notat *Panorm. in cap. fin. num.* 4. *ut lit. pendent.* & *Ricc. collect.* 3099.

11. Quapropter, hodierni Pontifices, nostra confirmantes Privilegia ex certa scientia, providè, ac cautè solent aliquid addere, per quod restringunt, & limitant confirmationem, quam faciunt ex certa scientia, & consueverunt in illa apponere, *si sint in usu*, vel, *dummodò non sint contraria Conc. Trid.* vel, *dummodò non fuerint aliàs revocata*, vel, quid simile: quo addito fit, ut talis concessio ex certa scientia, non possit dici nova concessio Privilegii, si in eo non sit purificata, & adimpleta conditio; ità *Barbos. in collect. Doct. ad cap. cùm dilecta, de confirmat.* & *P. Merolla de privil. tom.* 3. *disput.* 6. *cap.* 5. *de confirmat. num.* 14. *verb. advertendum, fol.* 113.

Quæst. 3. *An Confirmatio, vel Innovatio Privilegii, interrumpat præscriptionem inceptam contra Privilegia?*

1. IN hac parte supponimus, de communi sententia *DD.* Regularium Privilegia spatio quadraginta, vel sexaginta annorum præscribi: esto, quòd spatio viginti, aut triginta annorum, nostra Privilegia non fuerint in usu, & quòd post tale elapsum spatium, confirmentur; quæro modò, an hujusmodi confirmatio interrumpat præscriptionem inceptam, ita ut ad præscribendum, tempus incipiat iterum, & de novo, à die novæ confirmationis, seu innovationis Privilegii?

2. Dixi, Confirmatio, seu Innovatio: quia hæ dictiones æquivalent, & idem omnino significant: sic adeò, ut Papa per illa verba, *Innovamus*, quæ post confirmationem privilegii in forma communi, solet ponere, nihil de novo concedit, prout notat, & post multos explicat *Suar. lib.* 8. *de legib. cap.* 20. *num.* 2.

3. Ad quod dubium affirmativè respondeo, si loquamur de confirmatione, seu innovatione ex certa scientia; quia hæc confirmatio (ut sæpè dictum est,) dat novum Jus, & valorem exhibet exuncto privilegio; ut colligitur ex dicto *cap. quia diversitatem, de concess. præbend.* & *cap. examinata, de confirmat.*

4. Secus verò, si loquamur de confirmatione, seu innovatione, habita in forma communi, prout bene demonstrat *August. Barbos.* in *Collect. ad c. cum dilecta, n.* 23. *de confirm.* contrà *Rodriq. in* 1. *tom. qq. regul. quæst.* 8. *art.* 2. *in fin.* & contra *P. Meroll. tom.* 3. *de Privil. disput.* 6. *cap.* 5. *de confirm. dub.* 4. *num.* 81. *verb. quæres*, & justificatur hæc sententia, ex differentia notissima, & receptissima ab omnibus *Doctoribus*, inter confirmationem ex certa scientia, & in forma communi; quia ubi illa actum nullum sanat, eique novum robur addit, isthæc non reddit actum validum, sed illum confirmat, & relinquit, prout priùs erat; sic adeò, ut actus innovatus, seu confirmatus, tali simplici, & communi confirmatione, sit, & remaneat in eodem statu, & robore, in quo priùs erat, ut dicitur in dicto *cap.* & decisum refert *Rot. Rom. decis.* 111. 2. *p. recent.*

Quæst. 4. *An Confirmatio, seu Innovatio revalidet, & sanet privilegia amissa per non usum, vel per contrarium usum?*

1. IN præsentiarum suppono, Regularium privilegia per non usum posse amitti, ceu de facto amittuntur, si contingat, Regulares, ipsis non uti infrà spatium quadraginta, vel sexaginta annorum; etenim minori tempore, Mendicantium Privilegia non præscribuntur, ut dicitur in *cap. accedenti, de privil.*

2. Ac item, possunt deperdi, ut infrà dicemus, per contrarium usum, quando Regulares, nedum suis non utuntur privilegiis, toto illo jam præscripto tempore; verùm etiam contra illa veniunt, & operantur infrà prælibata temporis spatia: & sic bifariè abrogantur Privilegia, ut putà, per non usum, & per contrarium usum: quamobrem benè quæritur; an privilegia amissa, hoc, vel illo modo, per Principis confirmationem, vel innovationem valeant, & reviviscant, nec ne?

3. Affirmativè respondeo, si loquamur de confirmatione facta ex certa scientia; secus verò, si fiat in forma communi; nam clausula, *Ex certa scientia*, de sui natura (ut omnes affirmant) habet vim novæ concessionis, prout notat *gloss. in cap. quia diversitatem, de concess. præbend.* & *cap. veniens, de transact.* & *cap.* 2. *de pactis*, quod de communi docet *Natta cons.* 636. *num.* 171. *verb. non obstat. Tusch. verb. Confirmatio ex certa scientia.*

4. Et hoc ideò, quia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de invalido validum, & validare id, quod priùs erat nullum, idem est, quod de novo concedere, prout de communi docent *Panorm. Felin.* & *Dec. in d. cap. cùm dilecta, de confirm.* & *Guido Papa cons.* 134. *num.* 4. *verb. valet dicta unio*, & *Merolla in cit. loc. tom.* 3. *de privil. disput.* 6. *cap.* 5. *de confirmatione, num.* 80.

5. Quod meliùs, & efficaciùs operatur, si reverà à Principe confirmante præcesserit cognitio defectus, seu nullitatis prioris Privilegii, quod confirmat, ità ut aliunde constet, Principem scire, vel scivisse, illa privilegia, quæ confirmat, fuisse amissa, vel revocata; ità *Alex. cons.* 123. incip. *scripsit, num.* 20. *verb. præmitto, Vital. de claus. in tract. clausul. in claus. ex certa scientia,* & *Tusch. tom.* 2. *lit. C. concl.* 341. *n.* 20.

6. Dixi, meliùs, & efficaciùs; nam ad hoc operandum, & inferendum in beneficium privilegiati, satis est, quòd clausula, *Ex certa scientia,* addatur, & contineatur in privilegio, quòd expeditur, absque eo, quòd aliundè, constet de prævia scientia Principis, quoad ea, quæ confirmat ex certa scientia.

7. Alias, omnes Principis concessiones ex certa scientia, essent incertæ, & præcisè privilegiorum confirmationes; quis enim scire potest, an Princeps, vel Papa præsciverit, & exactè examinaverit valorem privilegiorum Regularium, quæ confirmare intendit? & an præcognoverit illorum nullitatem, & defectus?

8. Tum

8. Tum, quia non licet stare in faciem Principis, eique dicere, *Mentiris, nam loquela tua rei non correspondet*; prout est in se: ex quo res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa; etenim sermo verus, correspondet rei, prout in se est.

9. Quapropter, etsi fortè Pontifex non habeat exactam notitiam eorum privilegiorum, quæ confirmat, censetur, & præsumitur, habere efficacem voluntatem confirmandi privilegia amissa, vel revocata, sicut opus est, & indigent: & hæc voluntas haberi potest sine cognitione rei, ut est in se, & sufficit ad validandum Privilegia, si quæ fortè in se sint nulla, & revocata, etiamsi eorum nullitas, & revocatio Domino Papæ sit ignota.

10. Quemadmodum, Religiosus dubitans de valore suæ professionis, illam ratificat per novum consensum, & dicitur ratificare ex certa scientia; non quia cognoscat, illam esse nullam, sed quia non cognoscit, fuisse validam, & nihilominus absolutè vult, nunc illam de novo facere, & validare, si necesse sit.

11. Item, sic etiam practicatur in absolutione censurarum, in collatione beneficii, & dignitatis; nam absolvuntur Beneficiati, & Personati ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si fortè reperiantur, quoquo modo innodati, ad effectum duntaxat illorum consequendum, prout est videre in eorum *Bullis*.

12. Sic item, in magnis Festivitatibus, Regularium Superiores, suos absolvunt subditos, & cum illis dispensant super irregularitatibus, si quam, vel si quas contraxerunt, juxta facultatem ipsis traditam per eorum privilegia, & specialiter, & tamen hi Superiores, Subditorum impedimenta, ut in se sunt, hîc & nunc haud cognoscunt; quare, scientiâ non obstante, Superiorum absolutio, seu habilitatio valet, & tenet: ità *gloss. in cap. statutum, verb. litterarum, de rescriptis in 6. & Clem. 2. eod. tit. Bald. in l. impetrata, col. 1. C. sent. rescindi non posse, Suar. lib. 8. de legib. cap. 18. num. 14. Sanchez tom. 1. summ. lib. 7. cap. 29.* cum aliis multis, quos refert *Metolla in d. tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 2. num. 114. fol. 65.* ubi ad partes disputat, & bene resolvit, quòd satis sit resoluta voluntas Principis ad confirmandum, & confirmata valent, absque eo, quòd constet, de præscientia Principis, prout censuit *Rot.* anno Domini 1614. coram bon. Mem. *Buratto* die 27. Januarii, apud *Farinac. decis. 513. num. 6. in 2. p. recen.*

Quæst. 5. An possit dari aliqua certa Regula, ad cognoscendum, hujusmodi Confirmationem esse in forma communi, vel ex certa scientia?

1. ET profectò, dari potest; nam si Dominus Papa nostra confirmat privilegia, tam à se concessa, quàm à suis Prædecessoribus elargita, absque prævio examine; & sine notitia confirmandorum, censetur, diciturque confirmare in forma communi, prout habetur in *cap. quia diversitatem de concess. prabend. verb. non obstante, & ibi* omnes *DD.*

2. Vice versâ, si Papa dicat, se habere claram notitiam Privilegiorum, quæ confirmat; censetur confirmare ex certa scientia.

3. Sic item, si mandet, apponi in *Bulla* totum Privilegii tenorem, vel ejus saltem substantialia, ut dicitur in *cap. Venerabiles, de confirmat. verb. ad majorem evidentiam,* & docet *Rot. Rom.* apud *Farinac. decis. 17. p. 1. recent.*

4. Item, si dicat, se confirmare ex certa scientia; tunc, etsi tenor instrumenti non inseratur, confirmatio erit ex certa scientia; creditur enim Principi in his, quæ à sua voluntate dependent; ita *Gloss. in Clem. 2. de rescriptis, & cap. statutum, verb. litterarum, de rescript. in 6.*

5. Item, si dicat, se confirmare, vel innovare de plenitudine potestatis.

6. Item, si geminet rescripta, etenim secunda jussio, seu rescripti geminatio, habet vim clausulæ. *Ex certa scientia*, prout dicunt *Joan. Andr. Hostiens. & Panorm. in d. cap. porrecta, de confirmat.*

7. Item, si Princeps utatur clausulis æquivalentibus, ut diximus in *tract. de clausulis*, in clausula *tertia*.

8. Item, si dicat, *non obstantibus quavis Lege, Statuto, Consuetudine, & Privilegio, quorum tenores, &c.* ut notatur in *cap. unic. de excess. Prælat.* Et tandem, quoties ex verbis, & rescripti narratis potest percipi, & comprehendi, Principem concedere ex certa scientia, talem concessionem, seu confirmationem, vel innovationem, existimandum est, fieri, & esse ex Principis certa scientia; ità *Fel. Dec. & Panorm. in d. cap. porrecta.*

Quæst. 6. An in dubio Confirmatio censeatur facta in forma commum, vel ex certa scientia?

1. RESpondeo, dicendum, quòd nisi constet per Regulas supra assignatas, confirmationem Privilegiorum fuisse factam ex certa scientia, cogimur fateri, esse in forma communi, quia certa scientia non præsumitur, cùm sit quid facti, nisi probetur, & asserenti incumbit probatio, ut diximus in dicta clausula *tertia*, ubi habes multa digna notatu; ità *Nicol. Garz. de benef. p. 3. cap. 2. num. 225. Rodriquez tom. 1. Q. Q. RR. q. 8. art. 2. Gonzal. ad reg. 8.* Cancell. *Gloss. 25. §. 1. Aloys. Ricc. in collect. 1592. & August. Barbos. in dicto cap. cùm dilecta, & in tract. de dict. & clausul. claus. 25. n. 5.*

Quæst. 7. An Confirmatio Privilegii, ex certa scientia facta, absque ulla limitatione, restituat Privilegia, tam à Iure communi, quàm ab homine revocata?

1. UBi Princeps confirmat ex certa scientia, dubio procul censetur confirmare ea præcisè Privilegia, quæ per Jus commune fuerunt abrogata: Princeps enim non præsumitur ignorare Jus commune, prout dicitur in *cap. 1. de constit. in 6.* & aliàs faceret actum suum frustratorium, quod dicendum non est; tum, quia confirmatio ex certa scientia, ut sæpè dictum est, æquivalet clausulæ derogatoriæ, item novæ concessioni, item restituit Privilegia amissa per non usum, ut suprà diximus; ergo etiam, & privilegia revocata; eò magis, si Princeps in confirmatione hujusmodi addat illud verbum, *& de novo concedimus*; ità *Anna allegat. 47. Lanar. cons. 21. num. 4. Paschal. de vir. pat. potest. part. 1. cap. 1. num. 61. & Panorm. in cap. fin. de decimis,* cum aliis, quos citat *Ricc. in collect. 3099.* & antè eum *Rodriq. tom. 1. Q. Q. RR. q. 8. art. 3. & Suar. de leg. lib. 8. cap. 19. num. 5.*

2. Dixi, præcisè, nam per hanc confirmationem suprà positam, ea etiam censetur confirmare Privilegia, quæ ab homine sunt revocata, cùm prædictæ rationes militent in utroque casu; eò fortiùs, si notes, quòd cùm Pontifices voluerunt confirmare Privilegia, à suis Prædecessoribus, vel à se revocata, post confirmationem factam ex certa scientia, solent addere illa verba, *dummodò sub nullis revocationibus sint comprehensa*, quæ verba essent superflua, si confirmatio ex certa scientia, non haberet vim restituendi privilegia, saltem ab homine revocata.

3. Quos quidem effectus usque modò recensitos, causat confirmatio ex certa scientia, quoquo modo sit habita, & declarata implicitè, vel explicitè: quippe, quæ satis est, ad hoc, ut id præstet, quòd in re sit talis, & cognoscatur esse talis, ex prænarratis, & contentis in privilegio

gio confirmationis; nam taciti, & expressi eadem est virtus; & Principis animus multifariàm, multisque modis declaratur; aliter in cassum forent assignatæ tot Regulæ, ad cognoscendum, confirmationem esse ex certa scientia, de quibus suprà diximus, ubi assignavimus plures modos æquivalentes clausulæ, *Ex certa scientia*; & præcipuè, quando tenor privilegii insertus est in confirmatione; ita in *cap. per Venerabilem, de confir.* & ibi *Gloss. & Panorm.* ità *Ferdin. à Castro, tom. 1. operum moral. tract. 3. disput. 4. punct. 2. §. 10. Portell. in dub. regul. verb. privil. confirm. n. 33. Megal. resol. 199. num. 8. tom. 2. P. Merell. tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 5. dub. 2. num. 60.* ubi contra *Suarez* tenet cum *Castro*, & solvit ejus argumenta, in contrarium facta.

4. Nec recedas ab his, propter responsum *Julii II.* ad instantiam Fratrum Ordinis Minorum, exhibitum super Concessione *Sixti IV.* per quod declaravit, Confirmationem Privilegiorum dicti Ordinis, per *Sixtum IV.* jam dictum amplè factam, non vivificare Privilegia semel extincta, nec revocata sanare, sed quæ in usu erant, ratificasse.

5. Quamvis illa Confirmatio fuisset facta ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis, & cum illa clausula, *De novo concedimus*, & post confirmationem fuisset superadditum, *non obstantibus revocationibus Apostolicis*, ut plenè constat ex ejus *Bulla Aurea*, quam *Joan. Baptista Confect.* refert in *Collect. Privil.* post *Bullam Maris Magni, fol. 57.* quæ incip. *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines.*

6. Nam, prædicta declaratio fuit sic generaliter facta, ob defectum relationis, & interrogationis, imperfectè præpositæ; quia nunquam fuit Papæ relatum, quòd *Sixtus IV.* concesserat ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, & quòd usus fuerat illo verbo, *de novo concedimus*; & quòd adjecerat clausulas derogatorias, *non obstantibus revocat. Apost.* nam si fuisset de his plenè informatus, secus, & aliter declarasset; ità sentiunt *DD. Salmaticenses*, prout refert *Rodriq. tom. 1. Q. Q. RR. q. 8. artic. 2.* & ante eum *Corduba in addit. ad comp. privileg. & Panorm. in cap. cùm super, de caus. poss. & propr. Rosella in sum. verb. absolutio, 1. num. 122.* & post multos *Suar. de leg. lib. 8. cap. 18. num. 12. & Merolla tom. 3. de privil. disp. 6. cap. 5. dub. 4. num. 80. fol. 121.*

7. Nec placet responsio *Barbosæ*, quam explicat in *Collect. Doct. ad cap. cum dilecta num. 28. de confirm.* ubi contendit, confirmationem *Sixti IV.* debere referri, non ad privilegia revocata, & extincta; sed ad illa tantùm, quæ tunc temporis erant in usu, & quòd sic amplè confirmaverit, cùm plenè de singulis non esset informatus, & quòd defectus intentionis potest præsumi, respectu eorum, quæ vel injusta sunt, vel per non usum sublata, quem defectum intentionis clausula illa, *Ex certa scientia*, non tollit; juxta ea, quæ ad hoc propositum tradunt *Menoch. consil. 1. num. 432. Sanchez de Matrim. lib. 8. disput. 4. num. 6. Rodolph. in de supremâ, & absolutâ Princip. potest. cap. 6. n. 5.* & sequitur *Tambur. de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 18. q. 5. per tot. fol. 302.*

8. Tum, quia confirmatio ex certa scientia, ut inferat, & operetur effectus sæpe recensitos, non exposcit necessariò, nec absolutè petit in Principe confirmante exactam singulorum notitiam, quæ confirmet; nam sufficit (ut dictum est) ad hoc, ut confirmata valeant, quòd Papa efficacem habeat voluntatem confirmandi privilegia, prout opus est, & indigent, ut in quæstione suprà diximus.

9. Tum etiam, quia instrumentum ritè factum, dicitur verum, solenne, & actio probata.

10. Item, Intentio Papæ per tot repetita verba, benè manet expressa, & declarata, aliàs cogeremur fateri, Principem mentiri, vel loqui contra vim, & proprietatem verborum, & præcipuè illorum, *De novo concedimus*, & ejus verba, nedum essent impropria, sed otiosa, cùm in isto casu nihil operentur, quod non est dicendum; item periret differentia, communiter recepta, & assignata inter hunc, & illum modum confirmandi: essent enim omnes confirmationes unius modi, omnesque æquales, ut putà factæ in forma communi; quod non est dicendum.

11. Nec obstat, quòd clausula, *Ex certa scientia*, non auferat defectum intentionis; quia iste defectus non potest præsumi in Papa, nisi in casu, quòd concessa, & confirmata, vel essent injusta, vel nimis præjudicialia juri tertii: nec etiam præsumitur defectus intentionis, quando tenor instrumenti confirmati, per extensum, vel summatim quoad substantialia reperitur in confirmatione, nec cùm concessio geminatur; ità *Rot. Rom.* apud *Garz. de benef. cap. 2. & Gutierr. consil. 11. num. 17.*

12. Nec, prælibatis obstat *Decretum* Sacræ Congregationis, quod *Urbanus Octavus* vidit, laudavit, & jussit inviolabiliter observari die 17. Novembris, 1628. tenoris sequentis:

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita censuit, per confirmationes Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia, prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si qua habebant, absolvendi à casibus Ordinario loci reservatis, quemadmodum nec indulta absolvendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consuevit, ut putà, sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisivisse ex subsequentibus privilegiorum confirmationibus; ac proinde, Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Privilegiorum, aut Confirmationum ejusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quenquam absolvere ab eisdem casibus, in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci reservatis: ac si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore. Ab aliis verò casibus & censuris Sedi Apostolicæ reservatis; si quidem Regulares habent à Sede Apostolica facultatem absolvendi, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse iisdem Sacræ Congregationis decretis, hac de re editis, jussu San. Mem. Clementis VIII. ità habetur in libello intitulato *Bullæ, & Decreta recentiora. fol. 199.*

13. Tum, quia hoc *Decretum* debet intelligi de confirmatione simplici, seu in forma communi, non autem de illa, quæ fit ex certa scientia; ita *Merolla in cit. loc. tom. 3. de privilegiis cap. 5. de confirmat. num. 61.*

14. Tum etiam, quia prædictum *Decretum* limitat privilegia quoad casus Episcopales, & contentos in *Bulla Cœnæ*; secus autem quoad alia, & extrà Italiam, ut in eo legitur. Et adde, nos loqui de confirmatione ex certa scientia, amplè facta, & sine ulla limitatione concessa, quia aliàs per Papam limitata, semper, & in omni casu (ut infrà dicemus) intelliguntur excepta.

Quæst. 8. An Regularium Privilegia fuerint aliquando per Papam confirmata?

1. Adeo certa est affirmativa sententia, ut de ea nullatenùs liceat dubitare, prout laboriosè demonstrat *Rodr. tom. 1. qq. regul. quæst. 8. art. 1. & Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 42. art. 1. & Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disput. 18. q. 3. & Novar. in lucer. regul. verb. privil.* & plenè testantur *Monumenta Ordinis Minorum*, ac *Privilegia Ordinis Fratrum Prædicatorum*, jussu Reverendissimi nostri Generalis Fratris Stephani Ultimaris Genuens.

Genuensi in unum authenticè collecta, & per Dominum Auditorem Apostolicæ Cameræ approbata, anno Domini 1556. & cujusvis alterius Ordinis Privilegia, quippe, quæ hodie sunt omnibus communia, Mendicantibus, & non Mendicantibus, ob mutuam, & eorum reciprocam communicationem.

2. Quæ sedulò compilavit idem *Rodriquez* sua nova *collect. & compilat.* cum approbatione, & obtestatione Reverendissimi Vicarii Generalis Civitatis Salmanticæ, & ante eum Fr. *Gaspar Passarellus*, Ordinis Minimorum, *Alfonsus de Casarubios Hispan. Hier. à Sorbo Capuccin. Anton. Corduba, & Stephanus Quaranta in summa Bullar. Joan. Baptista Confect. D. Alexander Peregrinus Theatin. & Fr. Laur. de Peyrinis,* Ordinis Sancti Francisci de Paula, & alii plures, quos consultò omitto.

3. Verumtamen, litteræ confirmatoriæ debent attentè legi, & maturè considerari; quia Romani Pontifices, non uno, & eodem modo nostra consueverunt confirmare Privilegia: solent namque multa excipere, & hoc modo limitare, *dummodò sint in usu, vel sacris Canonibus, & Concil. Trid. Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non sint repugnantia:* sic indulta Ordini Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum fuerunt à SS. Domino nostro *Urbano Octavo* confirmata, anno Domini 1628. *Const.* incip. *Ex Clementi.*

4. Qui modus, sic limitatè confirmandi ab hinc paucis annis fuit in more, & practicatus: nam ante *Paulum Quintum*, & *Clementem Octavum* plusquam septem Papæ (quos sigillatim nominat *Portell. p. 1. dub. regul. verb. privil. confir. num. 30.*) nostra confirmarunt Privilegia ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis, absque illa clausula, *quatenus sunt in usu.*

5. *Clemens* autem *Octavus*, sub infrascripta forma, nostra confirmavit Privilegia.

In nomine Sanctissimæ Trinitatis, & individuæ Unitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Noverint Universi, & singuli, hoc præsens publicum transumpti instrumentum visuri, lecturi, pariter & audituri, quòd Nos Marcellus Lantes, Protbonotarius Apostolicus, utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini Nostri Papæ Referendarius, nec non Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Iudex ordinarius, sententiarum quoque, causarum, & pœnarum in eadem Romana Curia latarum, ac litterarum Apostolicarum quarumcunque universalis, & merus exequutor, ab eodem Sanctissimo specialiter deputatus. Pro parte, & ad instantiam Reverendissimi Patris Fratris Hieronymi Xauierre, Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, & Adm. Reverend. Patris Magistri Marci de Marcianisio, Procuratoris Generalis ejusdem Ordinis principalium; ac Illustris, & Adm. Excellentissimi D. Pauli Ghislerii, Roman. V. I. D. Procuratoris substituti à dicto Rev. P. F Marco de Marcianisio, omnes, & quoscunque sua communiter, vel divisim quomodolibet interesse putantes, eorumque Procuratores, si qui tunc erant in Romana Curia pro eisdem, ad dicendum, & excipiendum, quicquid verbo, vel in scriptis dicere, seu excipere voluerint contra litteras Apostolicas Fal. recor. Clementis divina providentia Papæ Octavi, sub annulo Piscatoris, ut moris est, expeditas sub dat. Tusculi die 5. Octobris, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus sui anno decimo tertio; illasque transumi, & exemplari, ac in publicam transumpti formam redigi mandari, nostramq;, & nostri officii authoritatem pariter, & decretũ interponi per audientiam contradictarum litterarum Sanctissimi Domini Nostri Papæ, ut moris est, citari mandavimus, & fecimus, quibus audientibus, accusata eorundem citatorum contumacia, easdem litteras Apostolicas sanas, integras, & illæsas, omni prorsus suspicione carentes, per eorundem RR. PP. Principalium partem requisiti, eas transumi, & exemplari, ac in publicam transumpti formam redigi fecimus, & mandavimus, decernentes, & statuentes, quòd huic nostro transumpto publico, talis, & tanta fides adhibeatur, qualis, & quanta eisdem originalibus litteris daretur, & adhiberetur, si in medium essent exhibitæ, vel ostensæ, quarum quidem litterarum Apostolicarum tenor sequitur, ut infrà, videlicet.

Clemens Octavus. Ad perpetuam rei memoriam Injuncti Nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum Religionum in militanti Ecclesia, suaves in Domino fructus assiduè præstantium, paternam curam gerentes, privilegia, gratias, & indulta illis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, Apostolicæ confirmationis robore libenter communicamus. Volentes igitur, universum Ordinem Fratrum Prædicatorum, ex quo uberrimi in eadem Dei Ecclesia fructus, ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, & Christiana Republica spirituale commodum, & utilitatem, ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, & indies prodibunt, ac dilectos filios Hieronymum Xauierre, Generalem Magistrum, & Marcum de Marcianisio, Procuratorem Generalem ejusdem Ordinis, nec non Fratres universos, spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi, & eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentiũ dumtaxat consequendum, harum serie absolvẽtes, & absolutos fore censentes. Motu proprio, non ad Magistri Generalis, seu Procuratoris, vel Fratrum Prædicatorum instantiam, sed ex nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula privilegia, immunitates, & exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, aliaque Privilegia, & Indulgentias, spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis, & extensionis inter se, & cum aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, eidem Ordini Prædicatorum, ac Generali Magistro, Procuratori, cæterisque Superioribus, & Fratribus singularibus, & Sororibus, eorumque Domibus, Monasteriis, Ecclesiis, Oratoriis, & Locis quibuscunque, per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem, sub quacunque verborum forma, & expressione, in genere, & in specie, & per solam signaturam, & vivæ vocis oraculo, atque aliàs quomodolibet concessa, ac semel, seu pluries confirmata, cum omnibus, & singulis in eis cõtentis clausulis, decretis, & declarationibus, ac singulas litteras, tam sub plumbo, quàm sub forma Brevis, aut aliàs desuper confectas, quarum tenores, & formas datas, effectus, decreta, & alia in aliis contenta, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, quatenus Sac. Concil. Trident. decretis, nec non Regularibus statutis dicti Ordinis non adversentur, ac revocata non sint, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa; Apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quàm facti, & solemnitatum, etiam de jure necessariarum, aut aliàs quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, & alios defectus, si qui intervenerint, in eisdem supplemus, illasque, & illa Ordini prædicto, illiusque Generali Magistro, Procuratori, aliisque Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, Oblatis, singularibusque Personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, Oratoriis, & Locis prædictis, etiam per modum communicationis, & extensionis hujusmodi suffragari, eosque universos, & singulos illis frui, & uti, & gaudere, ubi, quando, & quoties opus fuerit, posse, & debere in omnibus, & per omnia. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, quavis authoritate fungentes, ac causarum Palatii Apostolici

stolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, quidquid secùs super his à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, ac nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis, & Nunciis, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant, authoritate nostra præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacificè frui, & gaudere non permittentes, quemquam desuper contra præsentium tenorem per quoscunque quomodolibet indebitè molestari; contradictores quoslibet, & rebelles, etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, & alia opportuna juris, & facti remedia, appellatione quacunque postposita, compescendo; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; non obstantibus præmissis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas aliquis, authoritate præsentium ad judicium non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Lateranensi, & aliis Conciliis Generalibus editis, ejusdemque Ordinis, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris eidem Ordini, illiusque Magistro, seu Procuratori, Generalibus, aliisque Superioribus, & Fratribus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritationibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insertos habentes, illis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus conjunctim, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, sigilloque personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides. Datum Tusculi sub annulo Piscatoris die 5. Octobris, 1604. Pontificatus nostri anno 13. M. Vestrius Babianus.

Super quibus omnibus & singulis, tanquam ritè, rectè, & legitimè gestis, & factis, nostram, & nostri officii auctoritatem pariter, & decretum interponendum duximus, & interposuimus; prout interponimus per præsentes. In quorum omnium, & singulorum fidem, has præsentes fieri, & per Notarium nostrum publicum infrascriptum subscribi, sigillique Reverend. Cameræ Apostolicæ, quo in similibus utimur, jussimus, & fecimus appensione muniri. Datum Romæ ex Ædibus nostris, anno à Nativitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo, sexcentesimo quinto, Indictione tertia, die verò vigesimo tertio Maji, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patr. & D.N.D. Pauli, divina providentia Papæ V. anno ejus primo. Præsentibus Magnificis DD. Hieronymo Fabrio de Triuio, & Laureto Persio Spoletano Connotariis, testibus ad prædicta omnia, & singula vocatis, & specialiter rogatis. A. Guicciardinus Locumtenens. Ego Mercurius Accursius causarum Cameræ Apostolicæ Notarius de præmissis rogatus, ideò hoc instrumentum transumpsi, subscripsi, & publicavi, requisitus in fidem loco † signi. Omisso sigillo incluso in capsula auricalchæ, impresso in cera rubea, & appenso cum cordulis rubeis, ut moris est, &c.

6. Ex his benè vides, omnes ferè Religiones, & maximè Mendicantes, esse æquales inter se, & earum singulas habere Privilegiorum confirmationem, & Mare Magnum, quod est quoddam Volumen, in quo mixtim, atque confusè continetur compilatio multorum Privilegiorum, à priscis, ac diversis Summis Pontificibus concessorum, de quo latè *Miranda d. 2. tom. Manual. Prælat. quæst. 49. art. 2. conclus. 1. fol. 412.*

7. Insuper, ea omnia Regularium Privilegia, quæ *Decretis Sacr. Conc. Trid. & Constitutionibus Apostolicis* non contradicunt, per idem *Concilium* approbantur, & confirmantur in *sess. 25. de reformat. cap. 20.* Ubi dicitur, *in cæteris præfatorum Ordinum Privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa,* quod est menti tenendum, & dignum notatu.

Quæst. 9. An confirmatis, ex certa scientia unius Religionis Privilegiis, censeantur pariter confirmata Privilegia aliarum Religionum, quæ communicant cum illa?

1. IN facti contingentia fuit dubitatum, an Privilegiorum confirmatio, per *Clem. Octavum* nobis facta, transeat, & extendatur ad Patres Theatinos, quibus longè diu antè dictum *Clementem* fuerunt nostra, & aliorum omnium Mendicantium communicata Privilegia.

Et pro resolutione distinguo; aut prædictis Patribus per Papam fuit indultum, quòd possint uti, & frui privilegiis, quæ tunc temporis cæteris Mendicantibus reperiebantur concessa; nullâ tamen factâ mentione de concedendis in futurum: & sic negativè respondeo ad quæsitum; quia sicut sublato, & revocato exemplari, non intelligitur revocatum, nec destructum Privilegium ad instar; & sicut aucto, vel diminuto exemplari, non censetur auctum vel diminutum privilegium ad instar; cùm utrumque stet per se, & mutuam excludat dependentiam, ut suprà diximus in hoc *tract. q. 3.* ita confirmato exemplari, non intelligitur confirmatum illud privilegium, quod ad illius æqualitatem, & similitudinem factum est, cùm utrobique eadem militet ratio.

2. Item, nostra Privilegia non confirmantur à *Clem. VIII.* ob id, quòd sint exemplaria, vel Ideæ Privilegiorum Theatinorum; accidit enim, nostris Privilegiis esse cæterorum Exemplar & Idæa, & quod est per accidens, non venit in consideratione Principis confirmantis. Etenim de formali ratione confirmationis est, tantùm ratificare, vel corroborare Jus aliquando possessum, vel acquisitum per eos, quorum Privilegia confirmantur, ut patet ex diffinitione confirmationis, suprà posita.

3. Item, Privilegium ad instar per se sumptum, non habet respicere statum venturum, nec referri ad futurum privilegium, sed ad illud, quod erat præexistens exemplar, & quod antecesserat: ac proinde, vice versa, confirmato privilegio ad instar, non censetur confirmatum illud, quod fuit exemplar: quod procedit in omni confirmatione, sive sit ex certa scientia, sive in forma communi; quia ratio æquè in utraque confirmatione bene convincit: Et sic patet, quòd nomine concessi Privilegii, non veniunt futura concedenda.

4. Aut prædictis Patribus fuit facta communicatio, nedum concessorum, sed etiam concedendorum in futurum, sicut de facto omnibus Mendicantibus, & non Mendi-

Mendicantibus per Dominum Papam concessum extat; nam ferè omnes Religiones hodie, & præcipuè Mendicantes absolutè, & tutè possunt frui, & uti omnium Mendicantium, & non Mendicantium Privilegiis, tam tunc temporis concessis, quàm in futurum quomodolibet concedendis, & sic confirmatio privilegiorum unius Religionis Mendicantium, facta ex certa scientia, extenditur, & redundat in omnes alias, habentes supradictam communicationem privilegiorum: hæc enim confirmatio æquivalet novæ concessioni privilegii, imò dicitur nova gratia, novumque privilegium, sed per illam primævam communicationem, factam Theatinis, etiam futura omnia, (ut supponitur) & concedenda communicantur, ergo, & hæc confirmatio nostra per *Clem. VIII.* & hoc intellige, quoad usum, & fructum eorum privilegiorum, quæ confirmantur: ità *Horat. Mandos. in tract. de priv. ad instar, q.7. Rodriq. tom.1. Q.Q. RR.q.8. art.2. Miranda in Manual. Prælat. tom.2. quæst.42. art.5. concl.2. & Portell. in dub. regul. verb. Privil. confirm. n.34. fol.759.*

5. Quod procedit, etiam de confirmatione facta in forma communi; dummodò sit facta amplè de concessis, & concedendis, prout tuetur *Suarez. de leg. lib.8. cap.19. num.10. Meroll. tom.3. de privil. cap.5. de confirm. disput.6. dub.3. num.65. fol.119. & Tambur. tom.1. de jur. Abbat. disput.18. q.4.*

6. Et hoc ideò, quia confirmatio facta in forma communi, est etiam quædam gratia, favor, & beneficium, & cùm omnis gratia, & beneficium Principis, sit privilegium, saltem latè sumptum.

7. Quod maximè procedit in Mendicantibus, quorum, nedum ad invicem privilegia communicantur, verùm etiam favores, indulta, gratiæ, & beneficia, quorum nomine, (ut jam diximus,) venit etiam confirmatio, licèt sit facta in forma communi.

Quæst. 10. *An confirmatis, ex certa scientia, nostris individuis, propriis, ac specificis Privilegiis; intelligantur etiam confirmata propria, & particularia privilegia cæterarum Religionum, quæ nobiscum communicant?*

1. Quicquid alii dicant, negativè respondeo; etenim, sicut in generali communicatione omnium privilegiorum Mendicantium, non veniunt Privilegia particularia, ob plura, quæ diximus in *tract. de communic. Privilegiorum, q.14.* ità est dicendum de confirmatione, cæteris paribus, tum, quia Privilegiorum confirmatio non se extendit ad non intenta, nec expressa per Principem; nisi velis dicere, quòd Papa plura confirmet, quàm intendat, quod est falsum; præsumitur enim, Papam ignorare particularia, & specifica Statuta Religionum: particularium quidem non est scientia, neque voluntas; & ob id prohibebat Plato, ad particularia descendere: ergò quando Papa confirmat Dominicanorum Privilegia, ut putà, posse habere possessiones, non censetur confirmare propria, & particularia Capuccinorum, & maximè diversa, & dissimilia; ità *Suar. d. lib. 8. de leg. cap.19. num.12. & Portell. cit. loc. n.35. & Merolla ubi suprà num.68.*

2. Nec his satisfacies, si dicas, ex quo Papa communicavit Privilegia concessa, & concedenda, dum postea confirmat propria alicujus Religionis, quòd saltem virtualiter censeatur habere intentionem confirmandi propria alterius, cui facta est illa ampla communicatio, & sic ista extensio, seu redundatio, habetur ex intentione primæva, & efficacia prioris Papæ, qui communicationem concesit, etiam de futuris gratiis, & privilegiis, & sic Privilegium datum uni Religioni, intelligitur communicatum alteri, cum debita proportione, aliàs Religiones non essent æquales inter se: nam quando Papa nostra confirmat privilegia, censetur confirmare formaliter tantùm, non autem virtualiter, ceu cùm quando nobis communicavit non Mendicantium Privilegia: volo dicere, quòd sicut per communicationem, privilegia communicata efficiuntur propria illi, cui communicantur, ità, & per confirmationem; nam confirmatio fit formalis, id est, versatur tantùm circa propria, & supponendo, quòd confirmatio sit nova concessio, novumque Privilegium; efficitur tamen proprium, & specificum illi Religioni, cui fit confirmatio, & sic, sicut privilegia communicata nobis Dominicanis; ità sunt nobis effecta propria, & particularia, ut non dicantur Minorum, ita nobis confirmata, in vim nostræ confirmationis, efficiuntur ita propria, & nostra, ut non sint alterius, & iste effectus, uti primarius, integer, & perfectus, sufficit, & satis est Principi confirmanti; nec alium ad sui validitatem petit effectum.

3. Et ad hoc, ut reliquæ Religiones sint æquales, sufficit; quòd sicut Privilegia nostra propria non manent confirmata ex vi confirmationis datæ Capuccinis; ita nec, vice versâ, Capuccinorum propria manent confirmata ex vi nostræ confirmationis, ut bene ostendunt præcitati *Doctores.*

4. Secus autem esset dicendum, si Dominus Papa in *Bulla* confirmationis privilegiorum, fateretur, se confirmare; nedum communia, communicata ad invicem, sed propria, & singularia uniuscujusque Religionis: etenim verba Principis non debent esse otiosa; sed aliquid operari, ut sæpè dictum est.

Quæst. 11. *An Confirmatio ex certa scientia, confirmet actum in præjudicium tertii?*

1. Ex anteà dictis in *tract. de Clausulis*, jam liquet, Clausulam, *Ex certa scientia*, in re levi, & modica operari in præjudicium tertii, & tollere jus alterius; secus autem in re magna, & gravi: quod procedit de æquitate, quæ dictat, nemini inferendum esse præjudicium, ut dicitur in *cap. super eo*, cum sexcentis concord. *ibi* annotatis per *Modernos de off. deleg.*

2. Et hæc æquitatis ratio habet locum in gratiis impetratis ante, & post litem motam, & etiam lite pendente, ut per plura ostendit *Ludov. Gomes. in Comment. in Regul. Cancellar. in regul. de non tollendo jus quæsitum*, ubi idem plenè omnia disputat, quæ pro jure quæsito, & quærendo desiderari possunt.

3. Quod etiam procedit de jure communi, ubi expeditum est, nemini debere jus quæsitum tolli, *cap. quamvis, de rescriptis, in 6.* & vulg. *l.2. § meritò. cum sequenti, ff. ne quid in loco publico, cap. ex tuarum, de author. & usu Pall.* & sequitur post multos *Felin. in cap. super litteris, in 8. col. de rescriptis:* & talis præsumitur intentio Principis, qualis legis, ut dicunt *DD. in l.1. de vulg. & pup. subst. & Socin. in cons.7.* posito inter *cons. Alberti Bruni.*

4. Et confirmatur, argum. *text. in cap. ult. de confirmat.* ubi de jure nunquam præsumitur, Principem velle juri tertii derogare, ubi docent *DD.* debere impropriari verba privilegii, ad hoc, ne inferant præjudicium tertio, *l. si quis à Principe, 3. ff. ne quis in loco publ.* ità *Panorm. in cap. cùm in nostris, de concess. prabend. Paris. cons.1. num.82. vol.1. & Cancer. tom.1. variar. cap.3. n.194.*

5. Dixi, de æquitate; nam de rigore, & absoluta potestate, supremus Princeps, si vult, potest unius Jus tollere, & alteri dare, quod tunc censetur facere, cùm in rescriptis dixerit, *se confirmare, vel concedere hoc,* vel

vel illud beneficium ex certa scientia, de plenitudine potestatis, non obstante jure, & præjudicio tertii: per hæc enim adjecta verba intelligitur præjudicare tertio, etiam in magnis juribus, ut notat *Tusch. litt. C. conclus.* 340. *num.* 13. *Menoch. de præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 9. cum aliis, quos allegat *Barbosa in clausul.* 25. *num.* 7. & *Nald. in sum. verb. Clausula*, §. *ex certa scientia*.

6. Ac proinde, omnia beneficia mundi dicuntur manualia, & obedientialia, respectu Rom. Pontif. quippe, qui & potest etiam Episcopum à sua Cathedrali deponere, absque eo, quòd possit ei dicere, *Cur ita facis?* Rom. enim Pontif. in terris Superiorem non habet, omnesque judicat, & à nemine judicatur.

7. Quod maximè procedit in his, quæ à Principe, fiunt favore Reipublicæ, cujus ob causam, à juris regulis receditur, & jus tertii aufertur, & violatur, ut dicit *Rom. in consf.* 31. & *Angel. in consf.* 351. incip. *generosius, in* 1. *col.* & sic Papa ob bonum publicum potest jus quæsitum tollere, & derogare juri communi, cujus scientiam præsumitur habere, ut benè probat *Lud. Gomes. in comment. in Regul. de non toll. jus quæs. quæst.* 19.

8. Idipsum censetur Principem facere tunc, quando aliquam concedit gratiam, quam scit, non posse verificari, nec suum habere effectum, nisi cum præjudicio juris tertii, prout pluries decisum refert *Aloys. Ricc. in collect.* 1752. per *Rot. Rom.* in causa Burgens. quindemiorum 5. Decembris, 1601. coram *D. Seraphino*, & in causa Oscen. indulti 10. Decembris 1599. coram *D. Mellino*, & sequitur *Merolla tom.* 3. *de privil. disp.* 6. *cap.* 5. *de confirm. n.* 32.

9. Et hoc ideò, quia omnia, & quæcunque verba in privilegiis, & in *Bullis* apposita, debent aliquid operari, aliàs essent otiosa, vel superflua, vel impertinenter apposita, *cap. si Papa in fin. de privil. in* 6. *Gonzalez ad regul.* 8. *Cancell.* §. 7. *proœmial. num.* 63. & *Tamburr. de jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 18. *q.* 6. *num.* 63. minùs enim malum erit, jus tertii violari, quàm præfata inconvenientia sequi.

10. Verùm, ad annullandam gratiam, seu privilegium, per quod tollitur Jus quæsitum, vel læditur jus tertii: de jure communi multa prodita sunt remedia, quorum primum est illud, quod datur per viam actionis, ex *l.* 2. §. *si quid à Principe, ff. ne quid in loco publ.* quo petitur, gratiam datam annullari ex defectu intentionis Papæ, per plures conjecturas, quas *DD.* ponunt in *cap. super litteris, de rescript.* & *Dec. consf.* 541.

11. Secundum remedium datur per viam exceptionis, quæ agenti obstat, & semper defectus intentionis Principis, debet esse fundamentum agentis, vel excipientis, quia ubi aliàs intentio Papæ esset clara ad præjudicandum in his beneficialibus, cessarent omnia remedia, & sic esset rogandus, ut per aliam gratiam, illam præjudicialem gratiam tolleret, vel illam declararet, fuisse concessam ad partis instantiam, de qua re vide *Ludov. Gomes. in regul. de non tollendo Jus quæsitum*, ubi latè omnia tangit.

Quæst. 12. *An Confirmatio Privilegii aliquid operetur, si Privilegium, quod confirmatur, non appareat?*

1. SI Princeps confirmans Privilegium, simpliciter dicat, *Confirmo Privilegium tibi factum à tali Papa*, non valet confirmatio, nisi constet de privilegio, ad quod refertur: quia scriptura referens, non probat, nisi relata producantur, prout docet *Ludov. Rom. consf.* 305. *num.* 5. & *consf.* 336. *num.* 2. & *Cravett. consf.* 112. *num.* 15. & *Maranta in speculo, p.* 6. *tit. actorum editio fieri solet*, ubi dicunt, quòd non solùm tenetur quis instrumentum, quo se juvat, exhibere, sed etiam alia instrumenta, in eo relata, aliàs non juvatur.

2. Et ita, cùm per jam dicta verba, posita in *Bulla* Confirmationis, Papa pristinum instrumentum non probet, sed solam confirmationem inducat, arg. *cap. si scripturam, de fide instrumentorum*, nisi appareat relatum, otiosa erit confirmatio.

3. Si autem Pontifex, confirmando privilegium, in ea confirmatione mentionem faciat in particulari de eo, quod confirmat, referendo se ad aliud privilegium, dicens, *sicut*, vel *prout*, vel *secundùm quod jam tibi per aliud privilegium concessum fuit à tali Pontifice*, sic valet confirmatio facta, etsi privilegium relatum, & confirmatum non appareat, quia illa verba relativa, *sicut, prout*, & similia, non sunt conditionalia, sed demonstrativa: quapropter, non existente privilegio confirmato, ad quod fit relatio, valet privilegium confirmantis, quia voluntas concedentis confirmationem, in tali casu, non est conditionata, sed absoluta, & dispositiva: non enim dependet ab alio privilegio, ad quod fit relatio; ita in propriis terminis decidit *Rot. Rom. in noviss. decis.* 36. *p.* 2. *num.* 3. ubi ampliat, sive substantia, sive tenor privilegii confirmati, narretur à Principe. Quod priùs docuit *Jason. in authent. si quis aliquo documento, num.* 8. *C. de edend. Dec. in consf.* 152. *in fin. Vulpell. de significat. adverb. super. dictio. secundùm, Gramm.* 59. *num.* 22. cum aliis, quos allegat *Merolla tom.* 3. *de privil. disp.* 6. *cap.* 5. *de confir. dub.* 5. *num.* 86.

Quæst. 13. *An Clausula, dummodò sint in usu in privilegii confirmatione adjecta, aliquid novi operetur?*

1. ET quidem, justis de causis Regularium Privilegia in multis, & præcipuè in his omnibus, in quibus *Decretis Sacr. Conc. Trid.* contrariantur, fuerunt abrogata, ut patet in *sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 20. & *cap.* 22.

2. Quæ, etsi postmodum sint per alios Successores confirmata; non tamen ita absolutè, & amplè, sicut & priùs fuerunt concessa, sed cum quibusdam clausulis, & limitationibus moderata, ut putà, *dummodò sint in usu, dummodò non sint comprehensa sub aliquibus revocationibus*, vel, *dummodò Sacris Canonibus, & Decretis Concil. Trid. non adversentur*; ita confirmavit *Greg. XIII.* sua *Bulla*, quæ incip. *Ex benigna Sedis Apostolicæ provisione*, anno Domini 1575. quem, & alii ferè omnes posteri sunt sequuti, ut in eorum *Bullis* est videre.

3. Præsens ergo clausula, *quatenus sunt in usu*, solet apponi in confirmatione privilegii, & ostendit, Pontificem, ea solùm confirmare Privilegia, quæ sunt in viridi observantia, & quæ actu valent, non autem quæ invalida sunt per non usum, vel per contrarium usum.

5. Secus autem, si sint in usu, licèt invalida per quamcunque aliam causam, tunc enim cùm confirmat ex certa scientia, ea revalidat, & innovat, si sint in usu, ut dixit *Rodriquez tom.* 1. *qq. regul. q.* 8. *art.* 3. ubi ostendit, quid novi operetur ista clausula, & quando possit præscriptionem tollere, etiamsi sit facta in forma communi, *Suarez de leg. lib.* 8. *cap.* 18. *num.* 16. & *Joan. Crux lib.* 2. *de statu Relig. cap.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 6. & *Portell. p.* 1. *dub. Regul. verbo Privil. concessio, num.* 63. *fol.* 781.

5. Quonam modo per non usum; contrarium usum; & per abusum deperdantur Privilegia: infrà dicemus *in tract. de amissione, cessatione, & præscriptione Privilegii.*

Quæst. 14.

Quæst. 14. *Clausula in Confirmatione Privilegiorum apposita, Dummodò Sacris Canonibus, & Decretis Conc. Trident, non sint contraria; an excipiat, & à confirmatione excludat privilegia, quæ, nedum contrariantur Decretis Conc. Trid. verùm etiam, & Decretis totius Iuris Canonici?*

1. Verba præfatæ Clausulæ, in confirmatione privilegiorum apposita, re vera supponunt, & stant pro Sacris *Canonibus & Decretis Conc. Trid.* non autem pro Sacris *Canonibus* Summorum Pontificum, in *Decretis, & Decretalibus* contentis, cùm clarè pateat, ipsum *Concil. Trid.* sicut, & omne aliud, & *Canonibus & Decretis* constare.

2. *Canon* enim largè sumptus, idem est, quod Statutum, seu Regula, vel Dispositio: hinc *Decreta* per *Gratianum* collecta, consueverunt *Canones* appellari; & sic *Canonū Statuta* ab omnibus custodiri mandatur in *cap.* 1. *de constit.* & contra Clericum verberantes, stat pœna *Canonis*, hoc est, percutientibus Clericos imminet pœna excommunicationis, à *Canone* seu à Jure lata, & præscripta per *Concil. Later.* in *cap. si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4. & *in decret. distin.* 5. *de consecratione, cap.* 34. quod incipit, *In omnibus Canonici canonicè vivant*; hoc est, secundùm Regulam, & eorum Statuta; id item habetur in *Decret. dist.* 9. *cap.* 3. quod incipit *Noli meis litteris*.

3. Et sic illud, *Et*, copula est, conjungens illa verba, *Sacris Canonibus*, cum illis *Decretis Concil. Trid.* prout etiam conjungit in reservatione casuum, per *Clementem Octavum* præscripta, ibi *nocturna, & furtiva egressio à Monasterio*, ubi ly, *Et*, etiam stat copulativè, non autem divisivè.

4. Si autem illa verba comprehenderent generaliter omnes Sacros *Canones* indifferenter: nulla quidem, & otiosa esset privilegiorum Confirmatio, cùm privilegium de se, & per se (ut ex ejus diffinitione constat) nihil aliud sit, quàm privatum Jus, seu Indultum concessum à Principe contra Jus commune, & ferè omnia privilegia in totum, vel in parte sunt contrà Sacros *Canones*, item, si secùs prædicta verba essent intelligenda; declarassent utique Romani Pontifices, essentque ità loquuti *Confirmamus Regularium Privilegia, quatenùs sunt in usu, & sacris Canonibus Summorum Pontificum, & Decretis Sacr. Conc. Trid. non adversentur*; ità eruditè docet *Hier. à Sorbo Capucc. in compend. privil. Mend. verb. privil. Fratrum, fol.* mihi 487. *ver. est etiam advertendum,* & sequitur *Rodriquez tom.* 1. *qq. regul. quæst.* 8. *ar.* 8. *fol.* 41. & *Miranda in* 2. *tom. Manual. Prælat. quæst.* 42. *ar.* 3. *in respons.* ad argum desumptum ex *Bulla Greg. XIII. verb. ad illud verò fol.* 415.

5. Quæ quidem theorica, sine scrupulo hodiè practicatur: nam ad tollendum omne dubium, *Sixtus Quintus* abstulit illa verba, *Sacris Canonibus*, prout est videre in Confirmatione privilegiorum Ordinis Minorum, per ipsum habita. Id ipsum fecit *Gregor. XIV.* dum Cisterciensium confirmaverit privilegia. Id ipsum fecit in confirmatione privilegiorum Societatis Jesu, prout in *Compend. d. Societ. tit. Concil. bullar.* ut penè notat *Hier. Rodriq. in compend. resolut.* 116. *de privil. num.* 16. *ver. quartum resolvo, fol.* 537. & *Antonius Naldus in summ. verb. clausula, dummodò, fol.* 146. & *Anton. Diana in* 3. *p. resolut. moral. tract.* 2. *de dub. regul. resol.* 59. *in fine, ver. notandum, fol.* 40. *col.* 2.

6. Et sic, Clausula, de qua agitur, in confirmatione privilegii adjecta, intelligitur complexivè, seu copulativè, non autem divisivè; ita *Portell. p.* 1. *dub. regul. verb. privil. cessat, num* 65. *fol.* 783. cum aliis multis, quos citat *Tamburr. de Iur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 18. *q.* 6. *clausul. quatenùs sunt in usu, num.* 2. *fol.* 304. aliàs otiosa forent verba ejusdem *Concil. Trid.* posita in *cap.* 20. *sess.* 25. *de Regul.* ubi exceptis iis, quæ *Decretis Concilii* contradicunt, Regularium Privilegia amplè confirmantur, ac proindè hodiè dicuntur esse inserta in corpore Juris novi. Novum quippè Jus, *Tridentinum* appellatur.

Quæst. 15. *An Clausula, dummodò Concilio Tridentino non sint contraria, apposita in Confirmatione privilegiorum, debeat intelligi de privilegiis expressè revocatis à Conc. Trid. an verò de omnibus quomodocunque contrariis Concilio Tridentino.*

1. De jure novo, hoc est, ad præscriptum *Conc. Trident.* Regularium privilegia vivunt, ut sancitur in *cap.* 20. *sess.* 25. *de Regul. Dummodò contraria non sint Decretis, & Canonibus ejusdem Sac. Conc. Trid. In cæteris verò omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa, ibidem in fin.*

2. Verùm, quia aliud est, Privilegia esse contraria *Conc. Trid.* & aliud, esse revocata per *Concil. Triden.* Non enim omnia, quæ sunt illi contraria, censentur per illud revocata, sed illa tantùm, quæ expressè revocantur à *Concilio*, per illam Clausulam, *non obstantibus privilegiis:* Et ob id, isthæc Clausula interdum additur, & aliquandò dimittitur, ut patet in *sess.* 26 *cap.* 8 *de refor.* & in aliis multis *Capitulis* ejusdem *Concilii*, ut latè probant *Rodriquez & Miranda in locis* infrà citandis.

3. Quidam probabiliter tenent, præfatam Clausulam & limitationem adjectam, *dummodò Concilio Tridentino non sint contraria,* debere tantùm intelligi, de privilegiis expressè, non autem tacitè revocatis à *Concilio*: quia ubi *Concilium* expressè non revocat, tacitè admittit, & privilegia, quæ non sunt revocata per *Decreta Concilii*, non dicuntur simpliciter illis contraria, aut adversantia: etenim *Capitula Concilii Tridentini* debent attentè legi, & diligenter considerari, nam interdùm expressè, & formaliter abrogant Regularium Privilegia, interdùm verò non; Quod assertum, ut probabilem opinionem, variis modis nititur probare *Rodriq. tom.* 1. *Q Q. RR. q.* 8. *ar.* 6. ejusque Nepos *Hier. Rodr. in compend. resolut.* 116. *nu.* 14. *Miranda tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst.* 42. *ar.* 3. *ver. sed alii,* ubi disputat ad partes, & sequitur *Suar. lib.* 8. *de leg. c.* 18. *in fin.* cum aliis, quos citat *Portell.* 1. *par. dub. Regul. ver privil. confir. n.* 31. & *Tamburr. de Iur. Abbat. to.* 1. *disput.* 18. *q.* 6 *clausula* 1. *n.* 3. & *Lezana tom.* 3. *in sum. Ver. clausul. n.* 77. *fol.* 284.

4. Attamen contraria sententia, hoc est, quod jam dicta clausula debeat intelligi de privilegiis omnibus, quomodocunque contrariis *Concilio Trident.* est magis tuta, usu recepta, & sine scrupulo practicatur; tum quia, in eod. *Concil. Trident. cap.* 22. *de regul. sess.* 25. hæc verba leguntur: *hæc omnia, & singula superioribus decretis contenta, observari Sancta Synodus præcipit in omnibus Collegiis, & Monasteriis, &c.* cum clausula derogatoria, utpotà, *non obstantibus eorum omnium, & singulorum Privilegiis, sub quibuscunque formis, & verborum conceptis.*

5. Tùm etiam, quia *Pius Quartus in Bulla, in fine* ejusdem *Concilii* posita quæ incipit, *In Principis Apostolorum &c.* Confirmando prædictum *Concilium*, revocat motu proprio, & ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis omnia, & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatorias, indulta, confessionalia, Marè Magnum, & alias gratias, in his, omnibus, & singulis, in quibus illa Statutis, & Decretis ejusmodi *Concilii* contrariantur, ac ipso jure revocata, cassata, & annullata, ad ipsius *Concilii* terminos, atque limites redacta sint, & censeantur, neque quid-

quam adversus ipsa Decreta, & statuta, quòminus ubique & apud omnes observentur, in alio suffragari posse, sed ea proindè haberi & reputari debere, ac si nunquàm emanassent, ita authoritate Apostolica statuit, declaravit, & ordinavit.

6. Quæ verba cum proprietate verborum debent referri, & de facto referuntur, & redundant in totum *Concilium*, & ad singula ejus membra insimul & Decreta; non autem ad Decreta unius singularis sessionis tantùm; ut quidam malè putant.

7. Ac proindè, hodiè nullus Regularium, potest uti suis privilegiis, in his, quæ *Sacro Concilio* adversantur, & eorum Mare Magnum exsiccatum jacet, prout sæpè censuit Sacra Congregatio, & refert *D. Cardinal. Bellarmin. in d. cap. 22. de Regul.* & docuit *Navarr. de Privil. cons. 7. n. 5. & 15.*

8. Et ad tollendum omne dubium, *Clem. VIII.* confirmat ex certa scientia privilegia Sancti Benedicti Vallisoleti, cum ista clausula, *dummodò non sint revocata à Concilio, ac Concilio Trid. non sint contraria:* & idem fecit confirmando Privilegia Præmonstratensium.

9. Per quæ verba ostendit Papa, se non solùm non velle confirmare privilegia expresse revocata à *Tridentino*; sed neque alia quocunque modo illi adversentur; & sic repellit à confirmatione, & validitate privilegia, revocata, & contraria, quia diversa sunt hæc duo, utputà, revocata, & contraria, & à diversis non potest fieri interpretatio unius pro alio.

10. Ac proindè, alii id clariùs expresserunt, dum confirmant, sub hac clausula & forma *quatenùs Concilio Tridentino non repugnent, vel non adversentur:* sic fecit *Gregorius XIV.* in confirmatione Privilegiorum Sancti Bernardi Hispaniæ, & *Gregorius XV.* anno Domini 1622. sua *Constit. 15.* quæ incip. *Ad uberes fructus* concessit Ordini, & Congregationi Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum omnia Regularium privilegia, *dummodò sint in usu, & non sint revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, aut Constitutionibus Apostolicis non repugnent*, & habetur *in 4. tom. Bullar. Cherub.*

11. Per quæ verba clarè constat, Romanos Pontifices velle conservare illæsum, & illibatum totum *Concil. Trid.* usque ad Jota unum; nam cùm simus in materia odiosa, & Privilegium contrarium *Concilio Tridentino* censeatur odiosum; sicut dispensatio dicitur odiosa, quia est contra Jus; illa verba, quæ repugnant huic odio, ex parte *Conc. Trid.* quatenus Jus commune facit, & conservat, sunt amplianda contra privilegia, & debent conservari quantum possunt, cum omni rigorosa proprietate, ita ut in nihilo, aut in minimo lædantur; ita *Laur. de Peyr. in declarat. privil. suæ Relig. to. 2. in constit. 1. Gregor. XIII. num. 3. in fin. & Miranda in cit. loc. in fin. art. & Lezana tom. 2. summ. cap. 1. de juribus, & privil. num 58. in fine, & in 3. tom. summ. verb. clausula, num. 26. & P. Merolla tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 5. de confirmatione, dub. 1. §. alia quæstio num. 20. & 29.*

12. Nec ab his recedas, sub prætextu, quod *Pius Quintus* anno Domini 1567. 15. Kal. Junii, Pontif. sui anno 2. *Const.* incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, Mendicantium privilegia confirmaverit, ac firmiter observari præceperit, etiam in multis, quæ sunt contra *Decreta Concil. Trid.*

13. Nam, ut infrà dicemus, *Gregor. XIII.* ejus successor per *Bullam*, quæ incipit *In tanta rerum & negotiorum mole*, Romæ datam anno Domini 1572. Pontif. sui anno 1. omnia prædicta revocavit, & ad terminos *Conc. Trid.* reduxit, sic adeò, ut vix in foro conscientiæ, eis possimus uti; ut infrà dicemus.

Quæst. 16. An Regularium Privilegia pluries sint expressè, vel tacitè à Conc. Trid. extincta & revocata?

1. Cum taciti, & expressi eadem sit virtus, necessariò duximus, hic breviter *Sac. Conc. Trid.* loca notare, per quæ tacitè nostra restringuntur Privilegia, aut expressè revocantur; ad hoc, ut par est, Regulares sciant, quid facere, & exequi teneantur; etenim ex præcepto ejusdem *Concilii sess. 25. cap. 22. de Regul.* tenemur procurare, ut omnes, & singuli *Canones*, qui de Regularibus præscribunt, usque ad unum Jota, exequutioni mandentur.

De Impressione librorum. sess. 4. in Decret. de usu & edit. sacr. libr.

1. *Quod non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarii, & licentia suorum Superiorum.*

De Lectione Sacræ Scripturæ. sess. 5. cap. 1. de Reform.

2. *Quod in Conventibus, in quibus studia commodè vigere possunt, sacra scriptura lectio habeatur, quæ lectio à Capitulis Generalibus, vel Provincialibus assignetur dignioribus Lectoribus.*

De Licentia Prædicatorum. sess. 5. cap. 2. de Refor. & sess. 24. cap. 4.

3. *Quod Prædicatores sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarii, in Ecclesiis ejusdem Ordinis prædicare non possint:* in Ecclesiis autem aliis à nostris, ultrà licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur.

De Prædicatoribus malè prædicantibus. sess. 5. de Reform. cap. 11.

4. *Quod si aliquis Prædicator (quod absit) errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat, quod si hæreses prædicaverit, contra eum, secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedet, etiam si Prædicator ipse generaliter, vel specialiter, exemptum se esse prætenderet, &c.* Et in hoc revocat expressè privilegia.

De Regularibus delinquentibus. sess. 6. de Reform. cap. 3.

5. *Quod Regulares extra Monasterium degentes, etiam sui Ordinis, privilegii prætextu, ab Ordinario loci, si deliquerint, puniri possunt. Et qui intrà claustra Monasterii degunt, & extrà ea, ità notoriè deliquerint, ut populo scandalum sint, termino ab Episcopo præfigendo, à suo Superiore omninò puniantur, sin minùs Superior à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Et hic etiam expressè revocat Privilegia, ut in *sess. ult. de Regul. cap. 14.*

De Visitatione Ecclesiarum. sess. 7. de Reform. cap. 8.

6. *Quod Locorum Ordinarii Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, authoritate Apostolica singulis annis visitare possint.* Non autem ipsa Monasteria; quoad correctionem Fratrum, *sess. ult. de Reform. cap. 20.*

De

De Regularibus translatis. sess. 25. de Regul. cap. 19.

7. *Quod Regulares translati de uno Ordine ad alium, sub sui Superioris obedientia perpetuò maneant. Et quod nemo Regularis, cujuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem. Nec detur licentia cuiquam Regulari, occultè ferendi habitum suæ Religionis.*

De Ordinibus suscipiendis. sess. 14. cap. 2. de Reformat.

8. *Quod nullus ordinetur quovis Ordine, etiam Minori, absque expresso consensu & literis dimissoriis sui Prælati, aliàs manet suspensus ab exequutione ordinis suscepti, ad arbitrium Prælati.*

De Missarum eleemosynis. sess. 22. in decret. de observand. & evitand. in celebrat. Missæ.

9. *Quod cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis novis celebrandis datur, atque illiberales eleemosynarum exactiones, potiusquàm postulationes, aliaque hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè turpi quæstu non longè absunt, omninò prohibeantur, &c.* Quo in *loco*, etsi non exprimat Regulares: comprehendit tamen, quia generaliter loquitur.

De Vagis & Ignotis Sacerdotibus. ead. sess. & decret.

10. *Quod Episcopi in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti, Missas celebrare liceat.* Ideò sint cauti Fratres, litteras dimissorias ab Episcopo ordinante, seu à proprio Prælato (cùm alicubi se transferre ex merito obedientiæ contigerit) habere, & in hoc comprehendit Regulares, propter eandem rationem.

De Loco celebrandi Missas. ead. sess. & decreto.

11. *Quod Episcopi non permittant, etiam Regulares, dicere Missam, ubique, & in Domibus privatis, & Oratoriis, non ordinatis ab Episcopo;* Quo in *loco* non revocantur Privilegia sed *Concilium* dat facultatem Episcopis, illa revocandi. Quod procedit, etiam quoad tempus celebrandi, etenim Sacerdotes non debent celebrare, nisi in horis debitis.

De Cæremoniis Missarum. eadem sess. & decreto.

12. *Sacerdotes etiam Regulares debent celebrare juxtà ritum, & cæremonias approbatas à Sancta Sede, & consuetum morem in modo candelarum servare, ad præscriptum, & usum Romanæ Ecclesiæ.*

De Voce habenda in Capitulo. sess. 22. cap. 4. de Reformat.

13. Prohibet, *ne vocem habeat in Capitulo is, qui non fuerit Subdiaconus*: Verùm hodie in Ordine nostro debet esse Sacerdos, ex *Decreto Pauli Quinti.*

De Ordinibus ab aliis, quàm ab Episcopis non suscipiendis. sess. 23. cap. 10. de Reformat.

14. *Quod Abbatibus, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in posterùm intrà fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, aut minores ordines conferre.* Et in hoc revocat Privilegia.

De Promotione in minoribus Ordinibus. ead. sess. cap. 11.

15. *Quod Ordines minores non conferantur, nisi scientibus saltem linguam latinam, & servatis interstitiis, ità ut inter hos, & Subdiaconatum intersit annus*: Hic non exprimuntur Regulares, sed comprehenduntur; eò, quod *Concilium* generaliter loquitur: verùm non revocat Privilegia, neque consuetudinem; ideoque subsistente necessitate Ministrorum, Prælati Regularium poterint rogare Illustriss. & Reverendiss. Episcopum, Loci Ordinarium, ut super interstitiis temporum dispensare dignetur.

De Ætate Ordinandorum. ead. sess. cap. 12.

16. *Concilium* assignat ætatem, in qua etiam Regulares debent suscipere Subdiaconatum, ac cæteros Ordines, & ad hoc penitùs & omninò revocat Privilegia Mendicantium, & Regularium.

Quod amplia quoad examen; etenim Regulares, ad hoc, ut ordinentur debent examinari ab Episcopo, privilegiis non obstantibus.

Et in *cap. 13. quod duo Ordines sacri, eodem die, neque Regularibus conferantur. Et* revocat in hoc omninò privilegia.

Et *cap. 15. quod non possit Regularis audire confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, absque examine Episcopi. Et* revocat Privilegia & Consuetudines.

De Ministerio Ordinum, non nisi ab Ordinatis exercendo. sess. 23. cap. 17.

17. *Quod sacri Altaris ministeria, non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur*: Proindè Fratres nostri Prædicatores in Generali Capitulo, Bononiæ celebrato anno Domini 1564. ordinarunt, quod in nostris Conventibus, in quibus Fratrum sufficiens est multitudo; sacri Altaris ministeria, etiam minima, ab ordinatis Ministris, quoad fieri possit, exerceantur; nullusque deinceps, sacris vestibus indutus solemniter Epistolam canere permittatur, qui ad eum ordinem non fuerit promotus; & in hoc non revocat Privilegia: neque ad hoc (meo videri) fuit datum privilegium: immò, si carens Ordine Subdiaconatus, exerceat tale officium cum solemnitate, incurrit pœnas, de quibus DD. communiter agentes de sacramento Ordinis, multa dicunt, & docent.

De Communione frequentanda à Ministris Altaris. sess. 23. cap. 13.

18. *Quod Subdiaconi, & Diaconi sciant maximè decere, si saltem omnibus Dominicis, & solemnibus cum alteri ministraverint, sacram Communionem perceperint.*

De Promotis per saltum. ead. sess. cap. 14. in fin.

19. Dat facultatem Episcopis, dispensandi cum promoto per saltum, si non ministraverit, innuitque, non posse, si ministraverit: quid verò possit in hoc Prælatus cum suo Regulari promoto per saltum, si res fuerit omninò occulta? habes in *tract. de potestate dispensandi in lege par. 3.*

De illis, qui tenentur interesse Synodo Diœcesanæ. sess. 24 de Reform. cap. 2.

20. Jubet, ut aliqui exempti accedant ad Concilia Provincialia, saltem ii, qui obligantur ratione Parochialium, aut aliarum Ecclesiarum annexarum.

De Examinatoribus Eligendorum ad beneficia. ead. sess. 24. de Refor. cap. 18.

21. *QVod Regulares possunt esse Examinatores, recepto prius juramento, & quod nihil ab Examinatis accipiant, aliàs labem Simoniæ non evadent.*

De Observatione Regulæ, & Communitate sectanda. sess. ult. cap. 1.

22. *QVod omnes Regulares, tàm Viri, quàm Mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant: & quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinent, fideliter observent, omnisque cura & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis Provincialibus, & Generalibus, quam in eorum Visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur.*

De Proprietate extirpanda. sess. 25. de Regul. cap. 2.

23. *QVod nemini Regularium, tàm Virorum, quàm Mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquàm propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

De Bonis, quæ potest Superior concedere, & quæ non. sess. ult. de Regul. cap. 2.

24. *QVod non liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere; etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, vel commendam: Mobilium verò usum ita permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium eis, denegetur. Quod si quis aliter quicquàm tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio, activa, & passiva voce privatus sit, atque etiam juxtà suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

De Numero Regularium, in Monasterio constituendo. sess. ultim. de Regul. cap. 3.

25. *QVod in Monasteriis & Domibus, tàm Virorum, quàm Mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus; is tantum numerus constituatur, ac in posterùm conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari.*

De Conventibus novis, quomodo accipiendis. sess. ultim. de Regul. cap. 3.

26. *QVod nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus Diœcesi construenda sunt, licentia priùs obtenta.*

De Fratribus, quod sine Superioris licentia, alterius obsequio non se subjiciant. sess. ult. de Regul. cap. 4.

27. *QVod nullus Regularis, sine sui Superioris licentia prædicationis, lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu, subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Vniversitatis, vel Communitatis; quod si contra fecerit, tanquàm inobediens, arbitrio Superioris puniatur.*

De Fratribus, sine licentia à Conventibus discedentibus. sess. ultim. de Regul. cap. 4.

28. *QVod non liceat Regularibus, à suis Conventibus recedere, etiam prætextu, ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint, aliàs, quod ab Ordinariis locorum puniantur.*

De Fratribus, qui mittuntur ad Vniversitates studiorum. sess. ult. de Regul cap. 4.

29. *QVod illi, qui studiorum causa ad Vniversitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.*

De Oblatis, seu Donatis, extra septa Monasterii degentibus. sess. 24. cap. 11. de Reform.

30. *OBlati, seu Addicti cuicunque Monasterio plenè in omnibus subjecti existunt Ordinariis locorum.* Et in hoc revocat omnia Privilegia; secùs autem, viventes intrà septa: an cumulativè, vel privativè, quoad Regulares, vide, quæ dico suprà *de Oblatis tract. 7. q. 21. & in 4. par. eod. tit.*

De Clausura Monialium. sess. ult. de Regul. cap. 5.

31. *QVod universi Episcopi in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria. In aliis verò, Sedis Apostolicæ Authoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent.* Et in hoc revocat Privilegia.

De Monialibus, è Monasterio non exeundis. ead. sess. & cap.

32. *QVod nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda.*

De prohibitione ingressus ad Monasteria Monialium. sess. ult. de Regul. cap. 5.

33. *QVod ingredi intrà septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta; sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.*

De Monasteriis Monialium, intrà Vrbes reducendis. sess. ult. de Regul. cap. 5.

34. *QVod Monasteria Sanctimonialium extrà mœnia Vrbis, vel Oppidi, curent Episcopi, & alii Superiores (si ita vidibitur expedire) ut ad nova, vel antiqua Monasteria intrà urbes reducantur.*

De Confessione, & Communione Sanctimonialium. sess. ult. de Regul. cap. 10.

35. *QVod attendant diligenter Episcopi, & alii Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut saltem semel singulis mensibus, Confessionem peccatorum faciant, & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant.*

De Confessore extraordinario, Monialibus offerendo. sess. ult. de Regul. cap. 10

36. *QVod præter Ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.*

De

De Loco servanda Eucharistia in Monasteriis Monialium, sess. ultim. de Regul. cap. 10.

37. *Quod Sanctissimum Christi Corpus intra Chorum, aut septa Monasterii Monialium, & non in publica Ecclesia conservetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocunque indulto aut privilegio. Debent tamen Superiores dictorum Monasteriorum, ut quantum fieri potest; is locus conservanda Eucharistia, in Ecclesia publica intelligatur, qui, existentibus intra Chorum Monialibus, conspicuus sit.* Ita Frattres Prædicatores in Capitulo, Bononiæ celebrato 1564. ordinarunt.

De Modo secreto in electione servando. sess. ult. de Regul. cap. 6.

38. *Quod Electio Superiorum quorumcunque, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, fiat per vota secreta, ita ut singulorum Eligentium nomina nunquam publicentur.*

De Vocibus non supplendis. sess. ultim. de Regul. cap. 6.

39. *Quod in posterum non liceat Provinciales, aut Abbates, Priores, aut alios quoscunque Titulares, ad effectum electionis faciendæ, constituere. Aut voces, & suffragia absentium supplere.*

De Ætate eligendi in Priorissam Monialium. sess. ultim. de Regul. cap. 7.

40. *Quod Abbatissa & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis, post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit.*

Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente, eligatur.

De Loco accipiendi vota Monialium, tempore electionis faciendæ. sess. ultim. de Regul. cap. 7.

41 *Quod is, qui electioni præest Episcopus sivè alius Superior, claustra Monasterii non ingrediatur; sed ante cancellorum fenestrellam, vota singularum audiat, seu accipiat.*

De Gubernatione Monialium. sess. ultim. de Regul. cap. 9.

42. *Quod Monasteria Sanctimonialium, Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, ab Episcopis gubernentur. Quæ verò à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.*

De Monasteriis quæ parochiam continent. sess. ult. de Regul. cap. 11.

43. *Quod in Monasteriis, seu Domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet cura animarum personarum sæcularium; præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia; personæ, tàm Regulares, quàm Sæculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita.*

De Interdictis, & Censuris à Regularibus observandis. sess. ult. de Regul. cap. 12.

44. *Quod censuræ & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur.*

De Festis à Regularibus servandis. sess. ult. de Regul. cap. 12.

45. *Quod dies festi quos in Diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab Exemptis omnibus; etiam Regularibus serventur.*

De Controversia in præcedentiis sedanda ab Episcopis. sess. ult. de Regul. cap. 13.

46. *Quod controversias omnes de præcedentia, quæ persæpè cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tàm Sæculares, quàm Regulares, Episcopus, amota omni appellatione, componat.*

De Exitu ad publicas Processiones. sess. 25. cap. 13.

47. *Quod omnes exempti, tàm Clerici Sæculares, quàm Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur: iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura perpetuò vivunt.*

De delictis Regularium. ead. sess. cap. 14.

48. *Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea, ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, secùs autem, Superior officio privetur, & delinquens ab Episcopo potest puniri.*

De Tempore professionis. ead. sess. cap. 15.

49. *In quacunque Religione, tàm Virorum, quàm Mulierum, Professio non fiat antè decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur: secùs Professio erit nulla, & nullam inducet obligationem.*

De Donationibus faciendis, in anno Novitiatus. eadem sess. cap. 16.

50. *Quod nulla renunciatio fiat, sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, intrà duos menses proximos ante Professionem; ac non aliàs intelligatur, effectum suum sortiri, nisi secuta professione.*

De non differendo tempore Professionis. eod. Decret. & sessione.

51. *Quod finito tempore Novitiatus, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos ejiciant.*

Quod procedit in illis Novitiis, quos Superiores, lapso tempore Novitiatus, habiles invenerint; non in his, quos inhabiles invenerint; ut sunt illi, qui non benè adhuc didicerunt quia quoad istos inhabiles *Pius V.* declaravit, Superiores Regulares posse prolongare illorũ Professionem per alios sex menses, dum habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles; ità *Passarello* Minimorum Generali consulenti fuit responsum per Eminentiss. Cardinales *Concil. Trid.* Interpretes, die 8. Novembris 1569. & testatur *ipse in Compendio Privileg. Fratrum Minimorum ad Canones Conc. Trid. fol.* mihi 131. *in Canone* 52.

De Bonis Novitiorum, infrà tempus Novitiatus non recipiendis. sess. 25. cap. 16.

51. QVod ante Professionem nihil recipiatur, excepto victu, & vestitu; ne hac occasione discedere nequeat; & hoc præcipitur, sub pœna anathematis dantibus, & recipientibus, & ut abeuntibus Novitiis ante professionem, omnia restituantur, quæ sua erant.

De Tempore suscipiendi habitum à puellis, Deo dicandis. sess. 25. c. 17.

53. DEcernit, & statuit, quod Puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat.

De puellis examinandis ante professionem ab Ordinariis Locorum. sess. ead. cap. 17.

54. QVod nec posteà ipsa, vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, an coacta, vel subducta sit, an sciat, quid agat?

De Priorissis non denunciantibus tempus professionis Monialium. ead. sess. & cap.

55. QVod Professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterii, eum ante mensem certiorem facere: aliàs quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

De non cogendis, vel impediendis Mulieribus ad Religionem. sess. ult. de Regul. cap. 18.

56. QVod eos, qui cogunt Mulieres ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel emittendam professionem. Et qui Sanctam Virginum, vel aliarum Mulierum voluntatem Veli accipiendi, vel voti emittendi, sine justa causa impedierint, Sancta Synodus anathemati subjicit.

De Remedio illius, qui prætendit, suam professionem non tenere. sess. ult. de Regul. cap. 19.

57. QVod quicunque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum Religionem, aut ante ætatem professum fuisse, aut quid simile non audiatur, nisi intrà quinquennium tantùm, à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario. Quod si antè spontè habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, & tanquam Apostata puniatur.

Verùm, hodie debet attendi, & practicari *Constitutio Vrbani VIII. incip. Ad occurrendum motibus*, edita anno Domini 1636. sub die 5. Januarii, quam per extensum transfert *Ioan. Mar. Novar. in Lucerna Regularium, in fin. & Peyr. 3. p. Privil. Minim. cap. 12. Const. 7.* aliàs *17. Vrb. VIII.* qua cavetur, ut infrà quinquennium Regularis, dicens de nullitate suæ professionis, teneatur exprimere causas coram Sacra Congregatione, privativè quoad alios Prælatos, ut *ibi* est videre; quam *Egomet* pono in *tract. de Novit. & eorum Professione, in 4. p.*

De Sententia Excommunicationis, cum summa maturitate ferenda. sess. ultim. de Regul. cap. 3. de Reform.

58. QVod quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parare, quàm salutem.

Proindè, nostri Fratres Prædicatores in Capitulo Generali, celebrato Bononiæ, sub anno Domini 1564. statuerunt, ut Superiores nostræ Familiæ, non nisi pro gravioribus causis, quæ præsentaneum exigunt remedium, censuris utrerentur; & hoc, ut quàm rarissimè, & cum matura deliberatione; & qui in hoc faciles inventi fuerint, à suis Superioribus corrigantur.

De Reductione Missarum ad certum numerum. sess. 25. de Refor. cap. 4.

59. QVod in Ecclesiis, ubi magnus Missarum numerus reperitur, possint Generales Ordinum in suis Capitulis Generalibus statuere circa hoc, quicquid magis expedire videbitur.

Verùm hæc facultas reducendi Missas ad certum numerum hic data Episcopis, & Generalibus Ordinum, intelligitur tantùm de onere Missarum, ante *Concilium* imposito, prout declaravit Sacra Congregatio *Concil. Trident.* & refert *Passarellus in Can. 60. fol.* mihi 232. hodie verò per novissima decreta hoc est prohibitum, nisi habita licentia sacræ Congregationis.

De Locationibus bonorum Ecclesiæ, anticipatis solutionibus non faciendis. sess. 25. de Reform. cap. 11.

60. QVod Locationes rerum Ecclesiasticarum, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenùs in præjudicium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut privilegio non obstante.

De Quarta funeralium. sess. 25. de Refor. cap. 13.

61. QVod quibuscunque in locis, jam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac posteà fuerit, ex quocunque privilegio, Monasteriis concessa, posthac integro jure, & eadem portione persolvatur.

De Arctioribus Statutis, ultrà Concilium etiam servandis. sess. ultim. de Regul. cap. 12.

62. QVod si qui Regulares, tàm Viri, quàm Mulieres sint, qui sub arctiori Regula, vel Statutis vivunt (excepta facultate habendi bona immobilia in communi) eos ab eorum instituto, & observantia Sancta Synodus amovere non intendit.

Hinc *Concil. Trid.* nedùm non aufert, sed confirmat arctiora Statuta, si quæ in Regularibus sint, & vult, ut in suo robore persistant.

Hæc sunt præcipua, quæ in *Tridentino* injunguntur Regularibus, & in quibus eorum Privilegia tacitè, vel expressè revocantur.

Cætera, si quæ sunt, minora sunt: casus autem, in quibus *Tridentinum* subjicit Regulares Episcopis locorum, vide in *tract. de Exemptione Mendicantium in 2. par.*

Quæst. 17. An Regulares, saltem in foro conscientiæ possint uti privilegiis, à Concilio Tridentino revocatis.

1. SI Fidelium nullus; eò magis, & Mendicantium nemo absolvitur ab observantia *Concil. Trid.* quod quidem velut lex, & regula nobis omnibus proponitur *sess. 25. cap. 22.* quod incip. *hæc omnia & singula.*

2. Transgrediens autem legis præceptum; sine dubio peccat, & in re gravi, mortaliter; quo ergò jure quis poterit sine peccati periculo in spretum *Concilii*, privilegiis uti? peccatum per legem cognoscimus (teste *Apostolo*) peccatum enim est legis transgressio.

3. Sta-

3. Statuta *Sacri Concil. Trid.* vel in se retinent interiores actus virtutum, ceu sunt, Dei Charitas, & Proximi, patientia, humilitas, mansuetudo, justitia, & similia; sine quibus finis Regulæ haberi non potest: & hæc de per se obligant transgressores, eosque absolutè in culpa constituunt, Divina lege sic dictante; quia non solùm Religiosi, sed etiam Laici ad illa, jure Divino tenentur,

4. Sic item retinent vota substantialia, quæ non quia sunt in *Concilio* annotata, non quia sunt in Regula posita, sed ratione voti, & ordinationis Ecclesiæ obligant, & constituunt in culpa transgressores.

5. Vel item, retinent, quæ aliàs lege Divina, vel humana prohibita sunt, sicut Deum, aut Sanctos, vel Beatam Virginem blasphemare, vel jurare, maledicere, vel maledicta verba, aut inordinata, vel irreligiosa malitiosè proferre, mentiri, verberare, & similia, quæ lege vetantur: & hæc, non quia sunt in *Concilio* vetita, sed ratione sui, quia sunt lege Divina prohibita, obligant ad culpam.

6. Vel item, retinent, quæ nec in se mala sunt, nec aliqua lege prohibita. Etenim quædam mala, quia prohibita; quædam verò ideò prohibita, quia mala, & quoad hæc attentè ac diligenter debet legi *Concilium*, ejusque verba considerari, circa materiam, quam versantur, & ratione finis, quem respiciunt, debetque attendi insuper & modus loquendi; quia interdum *Concilium* utitur his verbis; *Mandat, Præcipit, Jubet*; interdum verò, *Hortatur, & Monet*; & inter hunc, & illum modum loquendi, multum interest, prout uterque *Thomas* docet *2.2.q.186. art.9. & quodl.1. ar.20.*

7. Et tandem præfatum *Concilium* nunc antiqua jura renovat, in quibusdam verò jus antiquum corrigit, & novum indicit, & pro eorundem exequutione, rigorosè præcipit *Episcopis, Abbatibus, Generalibus, & aliis Superioribus omnium Ordinum, ut statim prædicta exequantur, & si quid exequutioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia Provincialia suppleant, & coerceant. Regularium verò Capitula Provincialia, & Generalia, & in defectum Capitulorum Generalium, Concilia Provincialia per deputationem aliquorum ejusdem Ordinis provideant.*

8. Hortatur etiam *Sancta Synodus* omnes *Reges, Principes, Respublicas, & Magistratus, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut velint prædictis Episcopis, Abbatibus, ac Generalibus, & cæteris Præfectis in superiùs contenta reformationis exequutione suum auxilium, & authoritatem interponere, quoties fuerint requisiti, ut sine ullo impedimento præmissa rectè exequantur ad laudem Dei Omnipotentis.*

9. Ecce verba *Concilii*, expendantur, & notentur, qua methodo, & anxietate explicent, & declarent Patrum animum obligandi; legant, quæso, Regulares totum præcitatum *Capitulum 22. sess.25. de Regul.* nec non, & post *Decretum de indulg. de delectu ciborum, Jejuniis, & diebus festivis*, ejusdem *sessionis*, post *cap.21.* & videant, si quæ sint, vel remanserint nostra Privilegia? ubinam Mare Magnum? omnia quippè contraria, vel repugnantia, aut adversantia *Concilio Trid.* sublata sunt, & ad terminos *Concilii* redacta per *Pium Quartum in Constit.* edita anno 6. Pontific. sui, in *fine* ejusdem *Concil.* annotata.

10. Verùm, pro foro conscientiæ debes diligenter advertere, quòd *Pius V.* ex Ordine nostro assumptus, sub anno Domini 1567. sua *Constit.* incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, & alia incip. *Ad Uberes* 14. inter *Bull. Cherub. in to.2. fol.* 944. nedum nos liberavit à quadraginta gravaminibus, nobis illatis per Parochos, & Episcopos; Verùm etiam multa nobis concessit, quæ *Decretis Concil. Trident.* adversantur.

11. Et quòd idem *Pius* in anno 1566. 13. mensis Martii *Oraculo Vivæ Vocis* confirmasset Privilegia Minorum Ordinis pro foro conscientiæ, etiam illa, quæ sunt contrà *Concil. Trid.* cujus copia authentica est (ut fertur) in Archyvio Conventus Sancti Joannis Regum, Ordinis prædictorum, prout in *Compendio Societatis Jesu, tit. de Conc. Trid. §.3. & Rodriq. tom.1. qq. regul. q.8. art.8.* & habetur in *tom.2. collect. Bull. Rodriq. in fine Oraculorum Pii V. fol.428. num.15.*

12. Et quòd multò priùs *Leo X.* etiam *Vivæ Vocis Oraculo* concessisset Minoritis, ut in foro conscientiæ possint uti omnibus concessis à Sede Apostolica, & Romanis Pontificibus, sive per *Bullas*, sive per *Brevia*, vel *Oracula Vivæ Vocis*, prout in Libris Ordinum reperiuntur, ac si omnia specificè exprimerentur, & quòd hujusmodi *Oracula* non sint minoris efficaciæ, & valoris, quàm si per *Bullam*, aut *Breve*, ad perpetuam rei memoriam essent concessa: prout testatur *Laurentius Presbyter Cardinalis tituli Quatuor Coronatorum, & Protector dicti Ordinis Minorum:* & habetur in 1. *tom. collect. Bull. Rodr. in fine Bull. Leon. X. fol.* mihi 317. & in *supplemen.* ejusdem *Ordinis concess.361. fol.18.* de quo idem *Rodr. tom.1. qq. regul. q.7. art.5. & tom.3. q.22. art.1. & 2.*

13. Quæ omnia ad cæteros Religiosos extenduntur, ob eorum mutuam communicationem Privilegiorum, indultorum, & Gratiarum.

14. Hæc, etsi non obstare, quidam affirment; quia *Greg. XIII.* Pii *V.* immediatè successor, anno Domini 1572. sua *Constit.38.* incip. *In tanta rerum, & negotiorum mole, &c.* omnia nobis à dicto *Pio V.* concessa contrà *Concil.* revocavit, & ad terminos ejusdem *Concil. Trident.* reduxit, *ibique* statuit, Regulas teneri, stare *Decretis Conc. Trid.* Et Juri veteri, ac si dictæ litteræ nunquam emanassent; prout habetur *in 2. tom. Bull. Cherub. Constitution. 15. fol.* 1208. quam posui suprà pro majori commoditate.

15. Nec item putant, valere recensita *Oracula*, vel quia non sunt authentica, aut quia revocata censentur; saltem in prædicta revocatoria *Gregor. XIII.* per illa verba, *Etiam abrogamus omnia irritantia, & alia decreta, & quæcunque alia nostris Statuto, & Ordini, & Reductioni contraria.* Per quæ verba, satis intelliguntur revocata Privilegia, & Indulta, & Oracula, quandolibet contraria prædictis litteris: prout post multos fatetur noster *Joan. Crux in lib.2. de stat. Relig. cap.3. de cessatione privil. dub.6. concl.3. fol.150.*

16. Attamen, alii *Doctores*, non pauci, nec contemnendæ authoritatis, probabiliter existimant, prædicta adhuc vigere, nec tolli, aut abrogari, quoad forum animæ; & hoc propter multa. Tum quia, *Constitutio Greg. XIII.* ceu pœnalis, non debet extendi ad non expressa, & uti odiosa debet restringi, ne minùs lædat, juxtà Juris Regulam in *cap. odia, de regul. jur. in 6. & in l. benefic. ff. de Const. Principum. Oracula* autem in dicta Revocatoria nullatenus nominantur.

17. Quæ quidem, revocatis privilegiis, non intelliguntur revocata, nisi in specie revocentur; prout docent *Innoc. in cap. constitutus. num.2. de rescriptis, Fel. in cons.6. num.1. Henriquez lib.7. de Indulgent. cap.24. num.8.* & alii multi, quos *Egomet* cito *in tract. de Oracul. q.5. & 6.*

18. Tum etiam, quia *Navarr. in summ. lat. cap.27. in fine* asserit, quòd prædicta revocatoria non fuit publicata. Sed hoc dictum *Navarr.* mihi non placet; quandoquidem fuit publicata, ut juris, & moris est, anno Domini 1573. Inditione prima, Die verò 23. mensis Martii affixa ad Valvas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sancti Joannis Lateran. de Urbe, & in acie Campi Floræ per Joa. & Marcum Antonium Brutum Cursores ejusdem Domini Papæ, & fuit registrata per Cæsarem Secretarium, & fuit apposita inter alias *Bull. Cameræ Apostolicæ*, & habetur in calce præfatæ revocatoriæ *tom.2. Bullar. Cherub. fol.1208.*

19. Item, quia per dictam revocationem; revocantur tantùm Litteræ, & Constitutiones, concessæ nobis contrà dispositionem *Concil. Trident.* ex quibus perturbatio inter Episcopos, & Mendicantes solet oriri; quandoquidem

dem sic legitur in *Proœmio d. Constitutionis*, ubi causa finalis exprimitur; *Demùm animadverso, quòd ea omnia multis dubitationibus involuta, magnisque difficultatibus obstructa, multas, magnasque dissentiones, altercationes, & lites inter prædictos Locorum Ordinarios, & Fratrum ipsorum Ordines, non sine gravi Divini cultus, & animarum detrimento, ac populorum scandalo concitaverant*; Usus autem Privilegiorum Mendicantium, in foro conscientiæ exercitus, nec magnam, nec parvam litem inter prædictos poterit excitare, quod est mente valdè tenendum: quia causa finalis est illa, quæ restringit, aut ampliat privilegia, ut dicitur in *cap. cùm cessante, de appellat.* & *Nos* latè monstravimus alibi, & colligitur ex *l. cùm pater*, §. *dulcissimis, ff. de legat.* 2.

20. Item, quòd *Oraculum Leonis X.* prout est videre in dicto *loc.* fuit per jam dictum *Cardinalem Quatuor Coronatorum* manu firmatum, & publicatum, & sic intelligitur exceptuatum in Revocatoria *Gregorii XV. Oracula* enim hujus generis, sine difficultate hodiè vivunt; sic item illa, quæ sunt sortita effectum, quale censetur esse illud *Pii V.* quod etiam habetur in *2. tom. Rodr. in fine* Bull. Pii, *fol.* 428. *n.* 15. prout ipsemet dico *de Orac. q.* 1.

21. Item, pro foro conscientiæ *Urb. VIII.* omnia *Oracula* revalidavit absolutè, sine ulla Clausula, sub anno Domini 1624. die verò 29. Aprilis; prout testatur *Laur. Portell. par.* 3. *respons. cas.* 42. *fol.* 909.

22. Nec obstat Revocatoria ejusdem Domini *Urbani* Papæ *Octavi*, habita sub anno 1632. quia (quibusdam exceptis) revocantur omnia *Oracula*, tam à se concessa, quàm à suis Prædecessoribus: quia dicta Revocatoria, uti odiosa non extenditur ad non expressa; ibi namque nulla fit mentio de *Oraculis*, quoad forum conscientiæ, & præcipuè respectu Religiosorum, quòminus, pro quiete conscientiarum eorundem Fratrum, illis liberè uti non possint; prout multi advertunt apud *Peyr. tom.* 3. *Privil. Minim. ad Const. Urb. VIII. c.* 1. 2. *n.* 1. *in fin.* & iterum ipse dico *de Oraculis q.* 8.

23. Nec propter ista dicas, licere Regularibus, antè ætatem, à *Sacr. Conc. Trid.* præscriptam in *sess.* 23. *c.* 12. saltem in foro conscientiæ, sumere Ordines; ex quo eis antè *Conc. Trid.* indultum fuisset: quia hoc in specie fuit, extatque nobis prohibitum à *Sixto V.* sub anno 1558. sua *Constit.* 91. incip. *Sanctum, & salutare, fol.* 651. *Bull.* ubi pœnæ multæ contrà malè promotos, antè legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis sui Ordinarii, præfiguntur.

24. Quod item ratificavit *Clem. VIII.* anno Domini 1595. contra Clericos Simoniacos, & malè promotos, de quare vide *Flav. Cherub. in compend. Bull. in Bull. Sixti V. fol.* 138. *Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. quæst.* 36. *artic.* 1. *in fin. fol.* 163. cum multis, quos citat *Portell. in dub. Regul. ver. Privil. cessat. nu.* 64. *Dian.* 3. *p. resolut. Moral. tract.* 2. *resolut.* 59. *& Merolla* 3. *p. de Privil. disp.* 6. *cap.* 5. *de confirmat. dub.* 1. *num.* 35. sed vide, quæ infrà dico in *tract. de revocat. Oraculor.*

Quæst. 18. *An Regulares suis possint uti Privilegiis, contrà alios omnes inferiores Papa?*

1. Affirmativè respondent communiter *Doctores*, & docet *Rodriquez tom.* 1. *QQ. RR. q.* 9. *art.* 8. & hodiè jussu Rom. Pont. ex Declaratione Sacræ Congregationis, omnes Prælati, Papa inferiores, nostra tenentur defensare Privilegia.

2. Qui quidem, si se opponant, & contradicant, excommunicationis pœnam incurrunt, cum privatione Dignitatum, & Beneficiorum, & quicquid in contrarium facient, erit irritum & inane, ita concessit *Jul. II.* Congregationi Montis Oliveti, *Privil.* 32. *fol.* 97. & *Leo X.* Augustinianis. Prout habetur in *Compend. Societatis Jesu.* §. 10. cujus verba refert idem *Rodriquez ubi suprà.*

3. In praxi tamen benè nota, quòd si aliqui nos de facto impediant, nè liberè nostris possimus uti privilegiis, per D. Episcopum Loci Ordinarium poterunt declarari, incidisse in excommunicationem.

4. Si verò sint Ecclesiastici, nedum erunt excommunicati declarandi, prout suprà, verùm etiam, dignitatibus, & beneficiis, ad præscriptum prædictorum Pontificum privandi, juxtà tenorem Privilegii.

5. Nihilominùs, contradictores hujusmodi, ac inobedientes, uti violatores libertatis Ecclesiasticæ, haud posse declarari: quia infringentes Privilegia concernentia Regulares, non violant libertatem Ecclesiasticam; quandoquidem libertas Ecclesiastica tunc violatur, quando violatur, ac infringitur Privilegium super generalem libertatem Ecclesiæ, utputà quoad omnes Ecclesiasticos, prout doctè ostendit noster *Sylv. verb. Immunitas* 2. *nu.* 2. & sequitur *Rodriq. ubi suprà, & Caietanus in summa.*

TRACTATUS DUODECIMUS,

DE AMISSIONE, ET CESSATIONE PRIVILEGIORUM.

Quæst. 1. *An Privilegium amittatur lapsu temporis, vel deficiente conditione, in Privilegio apposita?*

1. Cum privilegium essentialiter dependeat à voluntate Concedentis; ut sæpè dictum est; & mens concedentis illa sit, ut privilegium dependentiam habeat ab illa conditione apposita, & tempore præfixo: procul dubio, conditione non adimpleta, vel elapso tempore, deperditur Privilegium; Concedens enim non vult privilegium à se datum durare ultrà terminum præfixum, vel conditionem appositam, ut dicitur in *l. Quoties, C. de precibus Imperatori offerendis.*

2. Et constat ex Concessione Indulgentiarum, quæ regulariter, sub conditione conceduntur, *ut fiat tale, vel tale opus*, ad consequutionem earundem; si enim non fiet illud, quod jubetur, respectu omittentis illud facere, cessant Indulgentiæ, *Covar. lib.* 1. *var. cap.* 15.

3. Ac proinde, privilegium datum ad unum actum, tali actu finito, cessat. Secus autem, si sit simpliciter, sine ulla conditione, & indeterminata concessum; erit perpetuum. Quamobrem, facultas simpliciter, & indeterminatè concessa alicui Sacerdoti, ad confessiones audiendum, erit perpetua, ita *Suarez lib.* 8. *de leg. cap.* 5. *num.* 29. *Portell. in p.* 1. *dub. Regul. verb. privil. cessatio, num.* 49. cum aliis, quos citat, *Bonac. tom.* 2. *de leg. in gener. disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 8. §. 2. *fol.* 107. *Rodr. tom.* 1. *qq. regul. q.* 9. *ar.* 4.

4. Conditio autem, sub qua Privilegium conceditur, solet esse duplex; una, quæ apponitur, quoad fieri; altera verò, quoad conservationem Privilegii, ut si Papa concedat alicui Monasterio privilegium, non solvendi decimas, dummodò Episcopus, consentiat; si Episcopus semel consenserit; acquiritur privilegium; nec ampliùs erit in

potestate

potestate ejus, illud revocare; quia illa conditio fuit adjecta, quoad fieri; non autem, quoad conservationem privilegii. Secùs autem si in privilegio dicatur, *quandiu Episcopus consenserit*, vel si ponatur conditio ex parte actus, ut si diceretur, *concedimus tibi, ut possis, non solvere decimas, non resistente Episcopo*; vel *ut possis concionari, consentiente Episcopo*; in tali casu cessaret Privilegium, quoad usum, cessante conditione legis; etsi secundùm se remaneat, prout communiter *Doctores*; hæc enim conditio debet perpetuò adimpleri, ad hoc, ut actuale Privilegii exercitium perseveret.

Quæst. 2. An Privilegium, morte illius, cui fuit concessum, amittatur?

1. ET amittitur, si privilegium sit personale, hoc enim censetur inhærere personæ, qua corrupta, corrumpitur, juxtà illud, *accessorium sequitur naturam principalis*.

2. Secùs autem, si sit reale; hoc etenim sequitur rem ipsam, & successivè transmittitur ad illos, qui rem ipsam acquirent: quemadmodùm privilegium concessum Dignitati, vel officio, transit ad eos, qui talem dignitatem, vel officium successivè obtinebunt; quia officium, seu dignitas non extinguitur. Regulas autem cognoscendi hoc, vel illud; vide suprà in *tract. de natura Privilegiorum*, ita de communi docent Doctores, & præcipuè *Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 27. Layman tract. 4. lib. 1. sum. cap. 23. de privil. num. 17. & Bonac.* cit. *loc. tom. 2. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 1.*

Quæst. 3. An per Rebellionem privilegiarii, amittatur privilegium ejusdem?

1. AFfirmativè respondet *Baldus* in propriis terminis, in *tit. de pace constantia, in vers. nos Romanorum in verb. Privilegio.* Quandoquidem Rebellis, ob sui rebellionem amittit feudum, si habeat, & omne privilegium, redditur infamis, diciturque committere felloniam, & juxtà *Regni Pragmaticas*, cum prævia confiscatione bonorum, potest vita privari, *Affl. decis. 14. num. 6.*

Quæst. 4. An Privilegia per renunciationem privilegii, possint amitti?

1. ET respondeo, quòd amittuntur, si privilegia in ejus solius favorem concessa sint; nam, ut dicitur in *cap. de terra, de privil.* liberum unicuique est, suo juri renunciare: quæ quidem renunciatio debet esse voluntaria, & à Principe acceptata: Privilegium enim vim habet à voluntate Concedentis: si ergo Superior non acceptet, Privilegium semper vivet, & sic Privilegiarius potest, mutata voluntate, illo uti privilegio, cui priùs renunciavit: noster *Nugnus in addit. ad tertiam par. D. Thom. q. 25. art. 4. dub. penult. fol. 482. & Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 32. & Bonac. tom. 2. de leg. disput. 1. q. 3. punct. 8. §. 4. propos. unic. fol. 111.*

2. Secùs autem, si Privilegia sint concessa in favorem Ecclesiæ, Universitatum, Collegii, vel alteriùs tertiæ personæ, aut si Privilegiatus potestatem non habeat renunciandi, prout colligitur ex *cap. cùm super, de off. delegat.* ubi ad renunciandum, duæ qualitates exprimuntur necessariæ; & quòd renuncians habeat potestatem renunciandi, & quòd liberè renunciet, aliàs renunciatio foret nulla.

3. Ac proindè, privilegiis, quæ principaliter concernunt favorem Ecclesiæ, vel alicujus Universitatis, nec juramento quidem renunciare possumus: & sic Clerici non possunt renunciare privilegio *Canonis: si quis suadente Diabolo*, juxtà *c. contingit, de sent. excomm. in 6.* nec privilegio fori, secundum *cap. si diligenti, de foro comp.* nec Vasalli in præjudicium Dominorum suorum, nec filiifamilias in damnum Parentum, nec Religiosus in damnum suæ Religionis.

4. Et hoc, tam ex defectu potestatis, quàm ex eo, quia hujusmodi Privilegia concernunt favorem Communitatis, vel Jus tertii, & factum alienum, *Bonac. de leg. tom. 2. disp. 1. q. 3. pun. 8. §. 6. num. 7. versic. quaras.*

5. Immò, nec Capitulum, nec Conventus potest renunciare Juri acquisito per consuetudinem, Statutum, aut Privilegium; si tale Jus, Ecclesiæ sit utile, aut honorificum, & contrà totum Capitulum, si faciat oppositum, unus solus potest se opponere.

6. Et hoc ideò, quia Prælatus non potest renunciare Juribus Ecclesiæ, neque Dignitati suæ, ex *glos.* recepta in *cap. ultim. 16. q. 6.*

7. Et aliter faciens, ultrà quod actus est ipso jure nullus; potest puniri; quia Juri acquisito cedere, vel renunciare, est species alienationis, quæ causam justam, & Capituli, & Papæ consensum requirit, & præstolatur, ut in *cap. 1. de reb. Eccles. non alien. lib. 6. & Sylv. in summ. ver. alienatio, nu. 18. & Abbas in cap. 1. de for. compet. num. 4. & in cap. cùm accessissent, nu. 2. de constit. & Innoc. in cap. accedentibus, de Privil. & ibid. Alex. de Nevo in add. ad Abbat. lit.* C. & sequitur de communi *Suarez to. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 20. n. 3. & Paulus Layman. lib. 1. de leg. tract. 4. cap. 23. in quæst. de Privil. nu. 20. § 3. de renunc. fol. 91. & Bonac.* cit. *loc. punct. 8. §. 6. ver. si quæras.*

8. Et sic adeò fixa sunt Jura Ecclesiæ, & Universitatum, ut illis scientia, & tolerantia renunciationis, vel non usus aliquorum ex Universitate, vel Capitulo, obstare minimè possit: quia requiritur, quòd omnes sciant, vel major pars populi sciverit, dum ipse Populus esset collegialiter congregatus in Consilio solemniter. Aliàs enim dicerentur singuli de Universitate scivisse, non autem Universitas ipsa, vel Collegium ipsum; quia aliud est Universitas, & aliud singuli de Universitate. Nec Universitas dicitur aliquid facere, nisi id faciat legitimè congregata, etiam si singuli separatim fecerint; prout *Bart. in l. omnes Populi 3. q. secundæ quæst. principalis, ff. de justitia, & jure:* quia, ut per plura *ibidem* testatur, in his, quæ spectant pluribus, ut universis, requiritur simultaneus consensus, nec satis est, quòd separatim adhibeatur, *l. 2. C. de Decur. lib. 12. & cap. in Genesi, de elect.*

9. Et hoc etiam procedit, ubi negotium pertinet ad omnes, & singulos; dummodò tale sit, in quo major pars possit præjudicare minori, & habetur in *l. juris gentium, §. fin. ff. quod cujusque univers. nomine*, ita *Abbas in cap. cùm omnes num. 7. ver. ad ultimum, extr. de constit.* cum aliis, quos allegat *Alfons. Villagut in tract. de reb. Eccles. malè alienatis, lib. 1. par. 1. cap. 123. n. 42. fol.* 340. cum aliis multis, quos citat, & allegat *Tambur. tom. 1. de jure Abbat. disp. 16. q. 15. fol. 252.* ubi habes, quomodò Ecclesiarum Prælati tacendo, & patiendo, ut præscriptio currat contrà eorum Ecclesias, saltem tacitè illis præjudicent.

10. Ex his benè vides, quàm benè provisum sit Fratribus nostris, qui jure Constitutionum, sub pœna gravioris culpæ prohibentur renunciare cuicunque Privilegio Ordinis, & secùs, factum totum erit irritum, & inane, prout definitur in *distinct. 2. nostri Ordinis, cap. 2. sext. 10. lit. E, fol. 2. col. 1. & 2.*

11. A qua pœna gravioris culpæ non possunt dispensari, nisi per Magistrum Ordinis, & Priorem Provincialem, vel per Generale, vel Provinciale Capitulum, *ibidem.*

12. Et quomodò privilegio, miserationis gratia alicui concesso sit in specie renunciandum, consule *Vinc. de Franchis decis. 181. n. 8.*

Quæst.

Quæst. 5. An Privilegium ritè obtentum, amittatur morte Concedentis?

1. CUm Privilegium sit favor, & gratia quædam, à Principe alicui concessa; eadem metietur mensura, qua, & gratia, seu commissio.

2. Quoad gratiam concordissimè respondent cum distinctione *Doctores*; aut sumus in gratia facta absolutè, & absque aliqua limitatione concessa: & sic non expirat, morte Concedentis, etiam re integra.

3. Aut sumus in gratia facienda, & sic expirat, obitu Concedentis, re tamen integra; secùs si res foret cæpta; ita expresè habetur in *cap. si cui nulla, de præbend. in 6. & ibi glos.* & omnes *Canonistæ*.

4. Verùm, discordes sunt in declarando, quando gratia dicatur facta, quando verò facienda; & quomodò res dicatur integra; quomodò verò non.

5. Tu autem brevitati studens, dicas, quòd illa res dicitur esse integra, quæ stat, & conservatur in suo pristino statu; & restitui in integrum nihil aliud est, quàm reduci ad pristinum statum: quando ergò à primo statu transit ad alium statum, tunc desinit esse integra.

6. Et, quòd in rescriptis Justitiæ, hoc est, in mandatis, seu commissionibus, quæ à Sancta Sede ad lites emanant, tunc res desinit esse integra; cùm in foro civili Partes citantur; & sic citatio partium à Potestate facta, minuit, & interrumpit rei judicandæ integritatem, prout colligitur ex *cap. gratum de off. deleg. ibi cùm citatione facta; negotium sit quasi cœptum*: sic adeò, ut non sufficiat ingressus rei præambulæ ad actum, nisi detur ingressus ad aliquod ex substantialibus judicii, de quorum numero est citatio, & *cap. quoniam contrà, de probat.* tunc Judex dicitur incœpisse uti jurisdictione, cùm quando citat partes. Nec dicitur mandatum susceptum, nisi per citationem.

7. In rescriptis autem gratiæ, quæ fiunt à Sancta Sede, ceu sunt commissiones ad dispensandum, primus actus judicialis, qui expediri solet post rescripti præsentationem, facit, ut res desinat esse integra, vel si Judex vocet personam, cum qua intendit dispensare, vel si jubeat, fieri informationes precum: isti actus æquipollent citationi, ita post multos allegatos docet *Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 28. quæst. 1. num. 10.* ubi multa habes hujus generis dubia.

8. Ac subjunge, quòd gratia facta est duplex: una absolutè, & omninò perfecta, quæ excepto eo, à quo, & cui fit, nullatenus dependet ab alio, ceu illa facultas, à Papa Petro concessa, comedendi carnes, & lacticinia tempore vetito, vel lucrandi indulgentias per visitationem Altarium, vel legendi libros prohibitos, vel si Dominus Papa immediatè dispenset cum eodem met Petro in juramento, vel voto, & similia, quæ respiciunt gratiam alicui à Superiore directè, & immediatè factam, non expirant obitu concedentis, prout omnes communiter ajunt; etiam re integra.

9. Altera verò incompletè, seu relativè dicitur gratia facta, quæ pro sui complemento indiget eo Exequutore, cui committitur; cujus quidem exequutio, sive sit pura, & mera ministerialis, sive sit cum causæ cognitione; etsi superficietenus videatur gratia facienda; tamen prout est accessoria ad gratiam factam, & terminus completivus illius, dicitur gratia facta, quæ nec item expirat morte Concedentis; etiam si res sit integra, prout expresè definitur in *cap. si super gratia, de off. deleg. in 6.* de potestate Exequutori data ad exequendam gratiam à Sede Apostolica concessam, *ibique* redditur ratio, quia sicut gratia facta non perit morte Concedentis; re etiam integra; ita nec & potestas Exequutoris, quæ est accessoria, & principalis gratiæ sequitur naturam.

10. Hinc, privilegia contenta in *Bulla Cruciata*, quæ sumentibus illam dant facultatem, ut saltem semel in vita possint à reservatis absolvi, & eorum vota commutare facere, non expirant morte Papæ; etiam si res sit integra: quia etsi prædicta facultas absolvendi à casibus, & commutandi vota, dependeat ab exequutione Confessarii; tamen ista exequutio est accessoria ad gratiam factam in pœnitentium, seu *Bullam* sumentium favorem, prout per plura *Sanchez cit. loc. num. 93.* cum aliis, quos citat *Diana p. 1. resolut. moral. in tract. de Bull. Cruciatæ, resol. 44. & P. Merolla to. 2. disp. 6. cap. 6. de dispensat. nu. 519. fol.* mihi 514.

11. Sic item, litteræ dimissoriales, seu facultas ab Ordinario Episcopo facta Clerico suscipiendi Ordines in aliena Diœcesi, non expirat morte Episcopi, etiam re integra; quia est gratia facta ex parte Episcopi defuncti, licet exequutio restet fienda per alium Episcopum.

12. Sic item, licentia ab Episcopo concessa Petro de eligendo sibi Confessarium, nec obitu perit Concedentis, re etiam integra, quia est gratia facta Petro immediatè, & per quandam consequentiam, seu indirectè extenditur ad Confessarium, qui in exequutionem gratiæ factæ requiritur, ac desideratur.

13. Sic item dicas de facultate celebrandi in Oratorio privato, residendi extrà Diœcesim, ob aliquam rationabilem causam, vel audiendi confessiones omnium Sæcularium, quorum confessiones sacramentales, quamvis cæptæ non sint, & consequenter res sit integra: hæc tamen potestas audiendi, & absolvendi, licèt sit delegata, & jurisdictionalis, non tamen perit, re integra, obitu Concedentis; prout doctè *Navarr. in summa lat. de irregularitate, cap. 27. num. 252. ver. nonò dico, fol. 336. & in tom. 2. tract. de reddit. Eccles. q. 3. monito octavo, fol. 587. tom. 3. in cap. placuit, de pœnitentia 6. dist. ver. occurrit hic quæstio, fol. 419. & eod. to. 3. in comment. de Jubil. & Indulg. 7. illat.* ubi concludit, per mortem Concedentis non revocari indulgentias concessas, *fol.* mihi 556. & idem *lib. 5. Consil. tit. de privil.* in 1. edit. *Cons. 2.* & in 2. edit. *Cons. 3. & Sayr. in thes. casuum. tom. 1. lib. 7. cap. 14. num. 6. fol. 620. & Jacob. Graff. in p. 1. decis. aur. lib. 1. cap. 13. num. 49. Suarez de pœnitent. disputat. 26. sect. 3. nu. 5. & Paul. Layman lib. 1. de leg. tract. 23. in quæst. de privil. ver. sed ut ad propositum revertar, fol. 91. & Bonac. tom. 2. de leg. in genere, disput. 1. q. 3. punct. 8. §. 1. num. 19. in 2. propos. fol. 105.*

Et ante istos *Armilla, Tabiena, Rosella, Sylv. verbo gratia, & Covarr. lib. 3. variar. cap. 15. num. 5.*

14. Quod ampliatur, procedere, etiam si gratia facta, nondum tempore mortis Concedentis, fuisset acceptata ab eo, cui facta est; non enim perit gratia, nec Executoris potestas, tum quia, aliàs hujusmodi facultates, & gratiæ factæ, redderentur inutiles, vel otiosæ, quod dedecet fateri: tum etiam, quia istæ prænarratæ facultates, seu jurisdictiones, à legitimo Superiore concessæ, ita radicantur in persona, cui per se primò, directè, & immediatè conceduntur, ut re etiam integra, permaneant post mortem Concedentis.

15. **Imò, nec possint deperdi sine nostra voluntate, nisi à Superioribus legitimè revocentur; quia juxtà *regul. Jur. ff. de Regul. jur. quod nostrum est, sine nostro velle non potest auferri: Rodr. tom. 1. qq. regul. q. 9. art. 1.***

17. Nec inficias eas, eo prætextu, quòd mandatum, & commissio semper expirant, mortuo mandante, vel committente, ut definitur in *l. mandatum, C. mandat, & l. & quia, de jurisdict. omnium Jud.* etiam si sit judiciale *cap. relatum, & ibi glos. ver. contestata, de off. judic. deleg.*

17. Quoniam prædicta jura decidentia, potestatem jurisdictionis, vel commissionis delegatæ perire morte Concedentis, vel Committentis, re integra; agunt de potestate contentiosa, odiosa, & litigiosa: hæc autem, de qua suprà, non est contentiosa, sed gratiosa; illa computatur inter litteras justitiæ, hæc autem inter gratias; ita præcit. DD. & præcisè *Tabiena verb. gratia, & Sylv. eod. tit. q. 2.* & colligitur ex *d. cap. si cui, de præbend.*

18. Ex

18. Ex his apertè collegi responsum, quod nuper consultus, exhibui super dubio mihi proposito; an illud privilegium Baccalaureatus, seu Magisterii, à P.Generali concessum P.N.Ordinis nostri expiraret suspensione ejusdem P. Generalis: quippè qui per D. Papam fuit ab omni jurisdictione, officio, & beneficio remotus, duplex autem fuit occasio dubitandi; una; quia res erat integra; altera verò; quia examen talis Patris Graduati extabat commissum RR. PP. Moderatoribus Conventus Sancti Dominici Neap. sicquè existimabatur gratia facienda, & non facta; & consequenter perire re integra, morte Concedentis, & quòd essentialiter dependeret à præfatorum examine.

19. Verùm dixi ob multa, non expirare morte, vel amotione Concedentis; Primò, quia est gratia facta perfectè ex parte P.Generalis, & petita, & acceptata per eundem P.Graduatum, cui, & in cujus favorem fuit immediatè, & directè concessa; illud examen est accessorium, & proinde sequitur illius naturam, ut dicitur in *cap. si super gratia, de off. delegat. in 6.*

20. Secundò; quia concessio hujus gradus, & privilegii, est ex causa onerosa, scilicet ob labores passos; concessio autem remuneratoria in præmium tot laborum, merces reputatur, quæ nullatenus potest mori morte Concedentis, etiam re integra.

21. Tertiò, Studium præfatum quoad examen jam dictum, reputatur Minister, & Executor necessarius, non autem voluntarius, & ob id tanquam Judex delegatus virtute privilegii tenetur exequi mandatum, sibi præstitum, & concedere postulanti omnia illa, quæ Privilegium indulget, & mandat: Judex enim, vel Executor necessarius non impeditur, nec retardatur morte Concedentis, ita *Sayr. in clau. Reg. lib. 6. cap. 2. num.* 18. *Arag. 2. 2. q.* 88. *art.* 12. *ante ver. si quis autem quærat.*

22. Gratia autem facienda (ut ad primum redeam divisionis membrum) est illa, quæ essentialiter, & principaliter dependet ab aliquo, cui facienda committitur à Principe; ut si Papa obnixè petatur à Cajo, ut secum dispensare dignetur in voto, vel juramento, & nollet Dominus Papa immediatè, nec directè ipsemet dispensare cum Cajo; sed dat potestatem Episcopo, ut cum prædicto dispenset; hujusmodi gratia expirat, re integra, morte Concedentis, prout definitur in dicto *cap. cui nulla, de prabend. in 6. & ibi glos.*

23. Secus autem, si res non esset integra, sed cæpta; ita cit. *DD. & Sylv. ver. gratia. q.* 2. quod procedit, etiam si Papa concederet ex motu proprio; quia in tali casu gratia facienda, re tamen integra, expirat ipso jure.

24. Verum, isthæc doctrina habet duas fallentias; Primò enim fallit, quando potestas delegata est accessoria, & exequutiva gratiæ factæ, ut in *dict. cap. si super gratia.*

25. Secundò fallit; quando gratia esset concessa nomine dignitatis perpetuæ, ut cùm conceditur ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, sic enim gratia facienda, etiam si res sit integra, non tamen expirat morte Concedentis; quia Sedes nunquam moritur, ut expresè deciditur in *cap. si gratiosè, de rescriptis.*

26. Et tandem, ut breviter multa complectaris, observare oportet DD. Regulas; quarum prima, leges, & Constitutiones, quæ dantur per modum legis, etiam re integra, morte Concedentis non expirant. Lex enim suaptè natura est perpetua, & nunquàm moritur, *l. cùm eorum, C. de sent. & interlocut.*

27. Secunda; litteræ datæ per modum contractus à Sancta Sede; non expirant morte Concedentis, ut in *cap. 1. de probat.*

28. Tertia, Jurisdictio ordinaria non expirat morte Concedentis, etiam re integra, ut dicitur in *l. & quia 7. ff. de jurisdictione omnium Judic.* & in *cap. si delegatus, de officio deleg. in 6.* ubi dicitur, jurisdictionem Delegati non expirare morte Pontificis, re etiam integra, eo, quòd sit ordinaria.

29. Quod limita, non procedere de potestate Judicum Conservatorum, quæ, re integra, morte Concedentis expirat, ut dicitur in *cap. final. de offic. deleg.*

30. Nec habet locum in potestate Vicarii Generalis Episcopi, quia Episcopo mortuo, excommunicato, vel suspento, perit (etiam si res esset cæpta) jurisdictio, & potestas Vicarii, tam quoad actum primum, idest, quoad jurisdictionem, quàm quoad actum secundum, scilicet ad exercitium potestatis; quia Episcopi, & Vicarii una, & eadem est jurisdictio, idemque Tribunal. ita in *c. Romana, de appell. in 6.*

31. Quarta, Suspensio, Excommunicatio, Remotio ab officio, & Mors naturalis, adinvicem æquiparantur, & quoad prædicta æquipollent, ita *Bart. in tract. de jurisdict. num.* 17. *Ugol. de cens. tab. 1. c. 4. §. 4. Sayr. de cens. lib. 1. cap. 6. num. 28. & Suarez. de cens. tom. 5. disp. 2. sect. 4. nu. 3. & Naldus in summ. verb. delegatus, num. 6.*

32. Quinta, Præcepta omnium Superiorum, quæ sine jurisdictione conceduntur, vel fiunt ad aliquid faciendum, quomodocunque obligantia, semper expirant morte Mandantis, etiam re cæpta, & non integra: quia cùm hæc præcepta non sint Constitutiones, sed ab homine præcipiente hic, & nunc, ad hujus, vel illius Loci, vel Personæ regimen emanata, de per se, & ex sua natura non possunt esse perpetua, nec perpetuò obligare; & ob id, extincta Præcipientis jurisdictione, per ejus obitum, excommunicationem, remotionem ab officio, vel suspensionem, desinunt esse, & extinguntur, quæ ab illa dimanant.

33. Ac proinde, excommunicatio lata ab homine, seu suspensio, vel quævis alia pœna, morte authoris cessat, & expirat, *Sylv. ver. delegat. q. 3. & Menoch. de arbitrar. lib. 1. q. 69. num. 4.* cum aliis, quos citat *Corduba in Regula D. Francisci, c. 10. q. 3. punct. 1. partic. 3.*

34. Sexta Gratia concessa ad beneplacitum personæ Concedentis, tam in favorabilibus, quàm in odiosis, & ambitiosis, expirat obitu Concedentis, etiam si res sit cæpta, & non integra, ita expresè habetur in *d. cap. si gratiosè,* ibi, *per obitum, per quem ipsius beneficium omninò extinguitur, & glos. in cap. si delegatus, de off. judic. deleg. in 6. ver. morte, & Covarr. lib. 3. variar. cap. 15. nu. 4.*

35. Et hoc ideo; quia voluntas personæ, morte extinguitur: secùs autem si Concedens dixerit, *donec revocavero, vel aliter ordinavero,* quia gratia sic concessa semper vivit, donec à Concedente, vel ejus legitimo successore revocetur.

36. Septima Gratia concessa nomine Dignitatis perpetuæ, ceu illa, quæ datur nomine Sedis Apostolicæ, erit perpetua, donec revocetur, ita in *cap. gratiosè, de rescriptis, in 6.* quia Sedes nunquam moritur.

37. Octava Facultas, seu Potestas data alicui ad dispensandum, vel conferendum beneficia personis incertis, inexpressis, & indeterminatis, non perit morte Concedentis, re etiam integra; censetur enim gratia facta; ita *Glos. in d. cap. si cui, de prabend. in 6.*

38. Nona, Facultas autem data alicui dispensandi cum expressa, & nominata persona, moritur morte dantis, si res sit integra, secùs autem si sit cæpta: ita expresè in *d. cap. si cui nulla, de prabend. in 6.* quia sic data, censetur gratia facienda.

39. Decima Facultas, seu Potestas jurisdictionis contentiosæ, delegata scilicet ad lites, perit, re integra, morte Concedentis. Secùs si sit jurisdictionis gratiosæ, & voluntariæ in foro conscientiæ; ita expresè in *cap. gratum, & cap. relatum, & cap. licet undique, de off. deleg.*

Quæst. 6.

Quæst. 6. An per non Usum amittatur quodcunque Privilegium?

1. PRæsupposito, hic nos loqui de Privilegiis affirmativis, seu positivis, per quæ nobis licet verè, & realiter aliquid operari, quod aliàs sine periculo non liceret, ceu est illud celebrandi in Loco interdicto, & utendi lacticiniis in diebus prohibitis, & similia, quibus opponitur Privilegiorum non usus, sicut omissio peccaminosa, præcepto opponitur affirmativo, & negatio affirmationi sibi oppositæ.

2. Cùm distinctione respondeo, aut se obtulit occasio, & opportunitas prædicandi Privilegium, & tamen Privilegiarius scitè, & voluntariè omisit uti, & sic de communi sententia DD. amittitur Privilegium, prout dicitur in *cap. cùm super, de off. deleg.*

3. Quia, iste non usus privativus, quatenus est carentia actus debiti ex privilegio in tempore habili, & opportuno cum scientia, & tolerantia Privilegiati, arguit intentionem, & est morale indicium renunciandi illi privilegio, quod datum est pro illo casu, qui supponitur occurrere; ita colligitur ex *l. ejus est nolle, ff. de regul. Jur. & l. falso, C. de diver. rescriptis, & l. 1. ff. de nundinis*, ubi habetur, privilegium Nundinarum amitti per non usum decennalem, & *ibi omnes Jurista, & Canonista in cap. cùm accessissent de constitution.* ubi *Felin. Panor. & Innoc.* & sequuntur *Paul. Galler. de renunciat. lib. 5. cap. 14. Caputaq. decis.* 376. *& Aloys. Ricc. collect.* 274.

4. Aut defuit occasio, ut putà, quia nunquam factus est casus utendi privilegio, & hic non usus, quem *Doctores* merè negativum appellant, quantocunq; tempore continuetur, etiam per mille annos, non nocet privilegio, ut habetur in *l. Actilicinius. ff. de servit. rust. præd.* cum similibus.

5. Vel abfuit opportunitas; quia scilicet privilegiarius est infirmus, absens, vel cogitur non uti privilegio, & sic non amittitur privilegium, quia iste non usus nec est liber, nec voluntarius, & consequenter non potest Privilegiato præjudicare, nec esse morale signum renunciandi illi, ut docet *gloss. in cap. ut privilegia, verbo semel in anno, de privil. & Bald. in Margarita, verbo statum, 9. 6.* & ita refert pluries decisum *Joann. Vinc. Anna singul.* 400. *& Ricc. collect.* 681.

6. Dixi, scitè, quia cùm quis ignoret, se habere privilegium, & inde non utatur in tempore opportuno, & in occasione sibi oblata, non amittitur privilegium per istum non usum, argum. *l. his qui usum fructum*, ubi *Bald. & Alberic. ff. quibus modis ususfructus amitt. Innoc. in cap. accedentibus in principio de privil. & Afflict. in cap. Imperialem, §. præterea ducatus, num.* 77. *de prohib. feud. alien.*

7. Quod procedit de ignorantia facti, ut suprà diximus, cùm quando scilicet quis in occurrentia ignorat, se habere privilegium, secùs autem de ignorantia Juris, ut si quis ignoret, per non usum amitti privilegium; prout post multos citatos docet *P. Merolla tom. 1. disput. 1. cap. 2. num.* 104. *& tom. 3. de Privileg. disput. 6. cap. 7. num.* 15. 16. *& 17.* ubi excludit ignorantiam crassam, & supinam; hæc enim non excusat.

Quæst. 7. An non usus Privilegii, de se possit, & sufficiat ad tollendum Privilegia: an verò hoc faciat ex vi, & efficacia alicujus Iuris positivi?

1. NOn usus Privilegii, sive sumatur formaliter, & per se, hoc est, de sui natura, & quatenus est carentia actus debiti, juxtà tenorem privilegii; non habet aliquid operari; cùm privatio de suo conceptu formali, nihil aliud dicat, & significet, quàm absentiam actus, seu formæ debitæ aptæ natæ reperiri in subjecto; quemadmodum cæcitas dicit, absentiam visus apti nati reperiri in oculo, prout benè constat ex differentia, quam *Logici* inferunt inter negationem, & privationem, quarum altera negat actum, altera verò actum, & aptitudinem.

2. Sivè consideretur per accidens, id est respectu juris positivi, vel temporis præscripti ab ipso jure, neque ob id habet efficaciam tollendi privilegia; quia nulla lex, nullumvè Jus reperitur in toto Jure Canonico, & Civili, quod det talem efficaciam huic non usui, vel quòd determinet tempus fundatum in ipsomet non usu, ad amittendum privilegia ex parte ipsius privilegiarii.

3. Benè verum est, quòd multa reperiuntur Jura, quibus tertia persona præscribit infrà legitima tempora contrà ipsum Privilegiatum, & sic tempus in jure determinatum, ad amittendum Privilegium ex non usu, respicit tertium præscribentem contrà hunc, vel illum privilegiatum; non autem ipsum non usum Privilegiati, prout latè docent DD. infrà citandi.

4. Tum quia *Canones* hic non dicunt, nec (ut suprà dictum est) reperitur jus, quo assignetur aliqua generalis Regula, definiens tempus fundatum in ipsomet solo non usu, ad amittendum privilegia, & cùm simus in materia odiosa, non licet leges extendere, sed potiùs restringere, juxtà *Regulam, Odia, &c.*

5. Ac proinde, Privilegia præjudicialia tertio, ceu sunt illa transeundi per alienum prædium, imponendi gabellas, exigendi tributum, & similia, quæ cæteris servitutem inferunt, & gravamen, amitti possunt, & de facto amittuntur per non usum privativum, ratione præscriptionis in jure repertæ; hoc est, quatenus alii contrà ipsum non utentem privilegio in tempore habili, & opportuno, possunt præscribere, & de facto præscribunt, ut se eximant à tali onere, & gravamine.

6. Quod patet exemplo Jurium incorporalium, prout sunt servitutes, & actiones, quæ per non usum amittuntur; nam jus servitutis, quod quis habet in alieno prædio, amittitur per non usum certi temporis, ut habetur in *l. hac autem. ff. de servit. & l. pen. C. de servit. & l. 3. de præscript.* quatenus Dominus prædii præscribit libertatem, & exemptionem rei suæ; illa enim erat obligata, & obnoxia, ut alteri serviret.

7. Et hoc ideò; quia hujusmodi Privilegia redundant in servitutem, & obligationem aliorum; quapropter Jura, quæ disponunt de amissione servitutum per non usum, in similibus locum habent, quatenus in beneficium tertii impedimentum servitutis auferunt; quo sublato, Dominus prædii sine impedimento alicujus, re sua liberè utitur, & potitur, ut benè *Suarez lib. 8. de leg. cap. 34. nu. 16. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 4. nu. 3. & Bonac. de leg. disp. 1. q. 3. punct. 8. §. 5. n. 5. fol.* 112.

8. Et vice versa, privilegia, quibus datur facultas faciendi aliquid, absque aliorum præjudicio, & gravamine, non possunt amitti per non usum; quod procedit tam in foro fori, quàm in foro poli, dummodò data sint sine temporis determinatione; ita *Padilla in l. falso, C. de divers. rescriptis, Monet. de commut. ult. vol. cap. 8. num.* 964. *& Tuschus tom. 6. litt. P. conclus.* 755. cum aliis, quos allegat *Merolla tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 7. de cessat. difficult. 2. num. 34. & Layman lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 20. de privil.*

9. Quia, cùm Privilegia hujusmodi per non usum ex duplici capite tantùm amitti possunt: ratione scilicet præscriptionis, & tacitæ renunciationis; non enim alius modus excogitari potest.

10. Hi namque sunt duo modi amittendi præfata Privilegia, & inter se maximè differunt, nam cùm res præscriptione amittitur, non censetur amitti libera voluntate amittentis, sed ex vi, & efficacia alicujus legis, & invito priori Domino, & possessore præscribentis.

11. Secùs autem, si per renunciationem amittatur: hæc quippè

quippè amissio intelligitur esse, & fieri de voluntate possidentis; ita *gloss. in cap. ult. 16. quæst. 4.* ubi ait, longius tempus requiri ad præscriptionem, quàm ad tacitam renunciationem.

12. Sed neutro modo amitti possunt jam dicta privilegia: non quidem per præscriptionem, quia cùm ipsa neminii gravamen inferant, & præscriptio de jure sit adinventa, & concessa ad tollendum servitutem, & gravamen, ut ex dictis clarè patet.

13. Nec etiam per tacitam renunciationem, hæc enim deducitur ex quadam Juris interpretatione, quippè, quæ locum non habet, nisi in casibus à jure expressis, ita *Flam. Parisius de resignat. benef. lib. 1. q. 1.* tum quia quisque habet liberam facultatem privilegio utendi, vel non utendi; ita *Abbas in c. Joannes, de Cler. Conjugat. in fin.* cùm Lex non existit, ut ipsamet agar, sed solùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non usum, hoc enim privilegium dat liberum usum.

14. Verùm tamen, nullibi reperitur generaliter expressum in jure, quòd per usum amittantur hujusmodi privilegia, & sic deducta servitute, ac tertii sublato damno, vel gravamine, ex non usu, præcisè sumpto non potest induci tacita renunciatio.

15. Hinc, Privilegia comedendi carnes, vel lacticinia in tempore prohibito, vel recitandi officium ante horam debitam, aut audiendi divina tempore interdicti, aut audiendi Confessiones, vel absolvendi à casibus reservatis, vel eligendi Confessores, quæ etsi prima facie videantur in præjudicium Episcopi Ordinarii, hoc tamen præjudicium non est considerabile, quin potiùs sint in Episcoporum adjutorium, & levamen, prout docet *D. Thomas 4. sent. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 5.* ubi ait, quòd in his consideratur favor animarum, & ob id, si sint concessa sine temporis determinatione, nullius temporis præscriptione amittuntur, nec per non usum possunt amitti.

16. Nec recedas ab his, eo, quòd in *cap. si de terra, & accedentibus, de privil.* dicatur amitti privilegium per spatium triginta, vel quadraginta annorum; quia in his tractatur de amissione privilegii per contrarium usum: qui quidem differt à non usu; & aliud est, privilegium amitti per non usum, & aliud (ut infrà dicemus) per contrarium usum.

17. Nec obstat, quòd in *l. 1. de nundinis* habeatur, privilegium Nundinarum amitti per non usum decennii; nam ista lex non loquitur generaliter de omnibus privilegiis, sed in casu speciali, de privilegio scilicet Nundinarum, in specie, & expressè declarato; & ab uno speciali non potest colligi regula generalis; tùm quia hoc privilegium de Nundinis est onerosum, & redundat in gravamen aliorum, quorum jus, vel jurisdictio læditur, vel astringitur, & consequenter hujus naturæ regula non extenditur ad alia Privilegia, quæ nulli nocent, nec præjudicium inferunt.

18. Ex his benè colliges, Privilegia affirmativa Regularium, quæ aliis onerosa sunt, per non usum amitti, spatio à lege præscripto, ut infrà dicetur; ceu sunt illa exemptionis à Decimis, & à Jurisdictione Ordinarii.

19. Reliqua verò privilegia, quæ absolutè gratiæ sunt, in nullius gravamen concessa, ut illa de celebrando, absolvendo, dispensando, &c. per merum non usum nunquam amitti, ea prædicta ratione, qua suprà; non enim amittuntur via præscriptionis, cùm nemo sit, qui contrà hujusmodi Privilegia non onerosa præscribere possit.

20. Tum quia hæc Præscriptio respectu Regularium, etsi de jure sit quadragenaria, ex privilegio tamen, ut infrà dicam, debet esse Centenaria; & hæc nunquam accidit in nostris privilegiis habere locum; cùm ferè quotidiè per quemvis Papam confirmentur, & Privilegiis confirmatis unius Religionis, & aliarum omnia censentur confirmata, ut habes in decisis suprà *in tract. de Confirmatione*, & sic interrumpitur præscriptio.

21. Tum item; quia dato, & non concesso, quòd Regularium privilegia per non usum possint abrogari: hæc tamen abrogatio non potest probari, nec certè sciri; tum quia, tam absolutiones, quàm dispensationes regulariter fiunt in secreto sigillo Confessionis, non autem in foro, vel in plateis, ut benè *Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 8. art. 4. in fin.*

22. Tum item; quia si ego non sim usus hoc, vel illo Privilegio, facile erit, quòd alii ejusdem, vel alterius Religionis usi sint, & mei non usus non potest alteri præjudicare.

23. Nec etiam possunt amitti ratione tacitæ, vel expressæ renunciationis; tum quia, ex mero non usu non habetur expressa, nec tacita pullulat renunciatio; nam, & lex, quæ dat facultatem ad agendum, non necessitat uti privilegio; sed dat liberum usum, ut scilicet utatur, cùm voluerit; tum etiam, quia Regulares non habent velle, nec nolle, nec possunt (ut diximus,) in Superiorum præjudicium privilegiis abrenunciare.

Quæst. 8. ***An non usus unius partis Privilegii, annullet totum privilegium? An vero illam tantùm partem, pro qua, in occasione sibi oblata, omisit Privilegiatus uti Privilegio?***

1. IN facti contingentia, cùm nostrum Monasterium Sancti Dominici Civitatis Cosentiæ ab Invictissimo, & Gloriosissimo Imperatore Carolo Quinto, æternæ memoriæ semper Augusto obtinuisset privilegium retinendi generale Studium, ac ibidem creandi Doctores, cum facultate pro ejusdem Studii lectura exigendi à Regia Camera annuos ducatos centum quinquanginta: cumque post dictum privilegium Patres officiales præfati Studii, semper fuerint in actu legendi, ac docendi; nunquam tamen fuerunt in usu, laicos doctorandi.

2. Quapropter quæsitum est, an in totum, vel in partem amiserunt hujusmodi privilegium, ob prædictum non usum.

Quidam probabiliter tenent, privilegium plura continens non amitti per non usum, si Privilegiarius sit eo usus in aliqua re; nam utens privilegio in parte aliqua, censetur retinere totum, etiam quoad reliqua contenta in privilegio, ita *Seraph. dec. 104. n. 43.* ubi multa.

3. Tu veriùs dicas, privilegium per non usum, cum proportione amitti, vel ampliari, vel restringi, est enim eadem ratio de non usu partis, quoad amissionem illius partis, quæ est in toto; & de non usu totius privilegii, quoad amissionem totius: prout ferè omnes docent; ita *Bart. in l. usum aquæ, C. de aqua duct. lib. 11. Ruin. consf. 93. num. 4. lib. 4. Panorm. in cap. ut privil. nu. 4. de privil. Cancer. lib. 3. var. resolut. cap. 3. nu. 271.* cum aliis, quos citat *Cutell. Sicul. decis. 10. n. 13. & decis. 20. num. 82.*

4. Quod fallit, quando non evenit casus utendi Privilegio, ut notat *Jason in l. fin. n. 56. ff. de Constit. Princip. & l. falso, C. de divers. rescript. & ibi Padilla num. 5.*

5. Et sic, nisi constet, evenisse casum doctorandi, & quòd in occasione oblata noluit uti Privilegio, vivit, & stat dictum privilegium Cosentinum: quia occasione non data, quantumcùnque Privilegio mille annis eo non utatur, non ob id amittitur Privilegium, ex Regul. *text. in l. Affilicinus, ff. de servit. rustic. præd.* de qua suprà diximus: quibus adde, quòd si Officiales prædicti Studii propter ignorantiam Privilegii usu non sunt, neque perditur Privilegium, ita *Rodriq. tom. 1. QQ. RR. q. 8. art. 4. & Bonac. tom. 2. de legib.*

Quæſt. 9. *An Agens contrà Privilegiatum, teneatur probare, quòd occurrerit caſus utendi Privilegio, & quòd ipſemet Privilegiarius, cùm poſſet, noluit uti?*

1. COmmuniter docent *Doctores*, opponentem teneri probare, quòd evenerit caſus Privilegii, & quòd tunc Privilegiarius non ſit eo uſus; quia agenti, & aſſerenti incumbit onus probandi; ita *Greg. Lopez l.* 42. *tit.*18.*par.*3.*Illuſtr. Marchio D. Reg. Tapia in Comment. ad l.fin.ff. de conſt.Princ.p.*2.*n.*21.*& Rot.Roman.deciſ.*382.*p.*2. quam refert *Verall.deciſ.*379. & apud *Creſcent.dec.*4. alias 79.*de privil.nu.*2.

Quæſt. 10. *An Præſcriptio ſequens ad non uſum Privilegiarii, debeat eſſe unius modi, & determinati temporis?*

1. PRæſcriptio, communiter ſumpta ſecundùm *Juriſtas*, eſt acquiſitio dominii per continuationem poſſeſſionis, per ſpatium temporis à lege diffiniti, *l.*3.*ff.de uſucapion.*

2. Eſt autem duplex, una ſcilicet longi temporis, ut putà decem annorum: altera verò longiſſimi, ſcilicet triginta, vel quadraginta, ut dicitur *in* 16.*q.*3.*c.jubemus*, *& DD.in l.fin.C. de præſcriptione longi temporis*, de qua multa dicit noſter *Sylv. in ſumm. ver. præſcriptio*, *& Covarr. in Regula poſſeſſor* 2.*p.§.*5.*nu.*7.

3. Tempus autem hujus præſcriptionis non eſt uniforme; nam ad præſcribendum contrà Laicos, ac privatas perſonas ſufficit, quòd ſit decem annorum, & præcisè in præjudicialibus, prout omnes *Juriſtæ in l.*1.*ff. de Nundinis*, *& Canoniſtæ in cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitutionibus.*

4. Ad præſcribendum verò contrà Communitates, Univerſitates, Eccleſias, & Collegia, debet eſſe triginta annorum, prout decidit *Alexand.*3. *in cap.ſi de terra*, *de privil.*

5. Sed meliùs, ſecundùm hodiernam praxim requiritur, ut ſit quadraginta, prout decrevit *Innoc.*3.*in cap. accedentibus, de privil.*

6. Ad præſcribendum contrà Mendicantes, tempus debet eſſe omninò ſexaginta annorum, & hoc ex privilegio *Eugenii IV.* conceſſo anno Domini 1434.7.Kal.Martii, Pontificatus ſui anno 4. Fratribus Ordinis Sancti Benedicti Valliſoletani, quod refertur in *lib. Privil.* ejuſdem *Ordinis*, ubi habetur, quòd contrà privilegia dictæ Congregationis non currat præſcriptio, niſi poſt lapſum ſexaginta annorum, cum ſcientia, & tolerantia.

7. Sic adeò, ut tres conditiones ſint neceſſariæ, ad hoc, ut Regulares amittant Privilegia, quarum prima eſt, præſcriptio centenaria, ut infrà; ſecunda, ſcientia privilegii; & tertia, voluntas non utendi, *Rodriq.tom.*1. *QQ. RR.q.*61. *art.*3.*§. at Urbanus, Portell.p.*1.*dub.Regul.ver. Privil, declaratio, in additione, fol.*790.

8. Quod ob communicationem privilegiorum extenditur ad omnes Regulares, prout *Rodr.tom.*1. *QQ. RR.q.*8.*art.*4.*Miranda tom.*2.*Manual.Prælat.q.*42.*art.*4. *concl.*2.

Imò, ut infrà, debet hæc præſcriptio eſſe centenaria.

9. Ad præſcribendum verò contrà Eccleſiam Romanam requiritur tempus centum annorum, prout dicitur in 16.*q.*3.*cap. nemo*: quod intellige in ſpectantibus principaliter, non autem ſecundariò ad illam; ita *Gloſſ. in c. ad audientiam, de præſcript.* Quamobrem omnia pertinentia immediatè ad diſpoſitionem Papæ, ut Eccleſia Lateranenſis, ejuſque res, & exemptio, gaudent iſto Privilegio, ut notat *Joann.Andr.Regula ſcienti lib.*6. cum aliis multis, quos allegat *Sylv.q.*7.

10. Quod amplia, & extende ad Mendicantes, tum quia Mendicantes immediatè ſubſunt diſpoſitioni Papæ: tum etiam, quia ex eodem *Eugen. IV.* ita extat conceſſum Monaſterio Sancti Pauli extrà Muros, & ex *Pio IV.* anno Domini 1507. pridiè nonas Junii, Pontificatus ſui anno 4. Congregationi Montis Oliveti, ubi dicitur, quòd ſicut contrà Romanam Eccleſiam, non niſi centenaria currit præſcriptio, ſecundùm Conſtitutiones Canonicas, & legitimas Sanctiones; ita quoque prædicto Monaſterio, minoris temporis præſcriptio non obſiſtat; prout eſt videre in *lib.privil.Sancti Benedicti*, Romæ impreſſo, anno Domini 1589.*pag.*802.

11. Et teſtatur *Rodriquez tom.*3. *QQ.RR.q.*35.*art.*2. *fol.*109. ubi etiam quærit, an præſcriptione completa, liceat petere reſtitutionem in integrum *art.*3. & quomodò requiratur etiam bona fides, & titulus; ſine quibus tantùm tempus continuatum non nocet; eò fortiùs; quia Privilegia non contraria *Decretis, Conc.Trid.* (ut ſunt hæc) per idem *Concilium* confirmantur: inſuper; & dicuntur eſſe de novo jure communi, cui præſcriptio, ſine titulo, & bona fide nocere minimè poteſt, ita idem *Rodriq. in* 1.*tom. QQ.RR.q.*36 *art.*3.*in ultima col.fol.*218. *& Tamburr. de Jur. Abbat.tom.*1.*diſp.*16.*quæſt.*14.*& Portell.in Dub.Regul. ver.privil.in addit.*

Quæſt. 11. *An Tempus ad præſcribendum, ſit computandum à die conceſſionis Privilegii; an verò ab ejus primo non uſu?*

1. DIco breviter, computandum eſſe à primo non uſu, ſeu ab ultimo tempore, in quo quis uſus eſt privilegio: hinc ſi quis in principio conceſſionis fuerit uſus privilegio per multum temporis, & poſtmodum liberè ceſſet, & deſinat, illo uti per tempus à lege diffinitum; indubiè amittitur Privilegium; & colligitur ex d. *l.*1.*de nund.* ubi abſolutè habetur, quòd Nundinis impetratis à Principe, non utendo decennii tempore, uſum amittit, *Sylv.*cit.*loc.q.*7.*& Suarez* cit.*loc.de legib.*

2. Verùm, tempus præſcriptionis debet eſſe continuum, ſine aliqua interruptione, cum poſſeſſione ejus, in cujus favorem currere incipit præſcriptio; ſecùs autem, non juvaret.

Quæſt. 12. *An Privilegium amittatur per contrarium uſum?*

1. SUnt, qui in occaſione ſibi oblata, & in tempore opportuno, nedùm omittunt uti Privilegio eis conceſſo, pro illo caſu occurrente; verùm etiam, faciunt actum contrarium; ceu Privilegiarius ad non ſolvendum decimas, ſolvit; Et Exemptus à juriſdictione Epiſcopi Ordinarii, coram eodem conventus reſpondet.

2. Hinc quæritur, an per hujuſmodi actus poſitivos, abrogentur eorum privilegia negativa? his profectò opponitur, & directè contradicit actio, quæ fit contrà id quod privilegio conceditur; prout liquet exemplis.

3. Una voce reſpondent affirmativè DD. quia ſicut lex ceſſat per contrarios actus, ita & privilegium: cùm ſit privatorum lex. Unumquodque enim à ſuo contrario corrumpitur.

4. Item, ex quo Privilegiatus in occaſione ſibi oblata, & tempore opportuno, non ſolùm omiſit uti Privilegio, verùm etiam fecit actum illi contrarium; cenſetur, & de jure præſumitur, ſuo abrenunciare Privilegio, ut expreſsè dicitur in *cap.cùm acceſſiſſent, de conſtit. & cap. accedentibus, de Privil.cap.porrò, c. recepimus, eod. tit. de privil. & Gloſſ.in c.gratum, de off.deleg.ver.receſſum, & Gloſſ. in cap. ex ore, de his, quæ fiunt à maior.par. Cap. ver. renunciaſſe, & Sylv. in ſumm. ver. Privil.q.*10. *& Canoniſta in cap. ſi de*

de terra, de privil. & Jurist. in l. fin. ff. de Constit. Princip. cum aliis, quos citat *Bonac. tom. 2. de privileg. disput. 1. q. 3. punct. 8. §. 6. num. 2.*

5. Verum, ad hoc, ut iste actus contrarius præjudicet, & privilegia tollat, debet esse voluntarius, in tempore debito, efficax, & proprius illius, cujus est Privilegium; aliàs secùs.

6. Ac proinde, defectu primæ circumstantiæ, si Privilegiatus cogatur agere contrà Privilegium, non amittit privilegium, sic item, si ignoret, vel non advertat, se habere privilegium; quia ad renunciandum, & præjudicandum propriis privilegiis, requiritur, ut actus contrarius sit sponte, liberè, & scitè factus. Secùs autem, non foret actus voluntarius; quia de ratione voluntatis est, ut liberè operetur, & tendat in præcognitum, ut benè notat *Bart. in l. 1. C. de his, qui sponte, Menoch. cons. 919. tom. 10. Panor. in d. cap. 2. cum accessissent, de const. & ibi Felin. nu. 3.*

7. Quod item amplia, procedere, cùm quis prævia protestatione facit actum contrarium; nam protestatio excludit voluntatem renunciandi privilegio, cùm in tali casu non fiat à Privilegiario, ad finem cedendi privilegio, vel subjiciendi se obligationi, quæ ablata fuerat per privilegium: ita post multos *Suar. lib. 8. de leg. cap. 35. num. 3. & 24. & Salas disput. 17. sect. 13. num. 66. eod. tract. de legibus.*

8. Ob secundam conditionem, non officit, si quis habeat privilegium, non solvendi collectam in quadragesima, & solvat alio tempore, antè, vel post illam: sic solvens non amittit privilegium, quia actus contrarius privilegio, ut verè, propriè, & formaliter sit illi contrarius, & præjudicativus: debet esse, & fieri à Privilegiato in illo tempore; pro quo datum est Privilegium: habent namque Privilegia, determinata tempora.

9. Ob verò ultimatas circumstantias, si actus contrarius factus ab aliquo particulari homine, qui impotens est ad renunciandum, non poterit, sibi opposito præjudicare privilegio, qui enim est impotens est ad renunciandum Privilegio, eò magis erit debilis, & impotens ad destruendum illud per actus contrarios.

10. Quapropter Clericus permittens, se à Sæculari Judice judicari, vel ab alio percuti, non propter hoc amittit Privilegium fori, & Canonis; hæc enim Privilegia sunt Ecclesiæ, vel Ordinis; non autem propria Clericorum.

11. Et Prior alterius Monasterii non obligatus ire ad Processiones, si nihilominùs vadat bis, & sæpè; per hunc contrarium usum non perditur privilegium Ordinis, nec illius Conventus, in quo Prior sic faciens administrat; & hoc ideò; quia iste contrarius actus non est factus à Religione, vel Ecclesia, cujus est privilegium.

12. Et ob id Successor tenetur reclamare, & obtinebit, antequam currat præscriptio contrà jam dictum Monasterium: Etenim nullum præjudicium inferri potest privilegiis Ecclesiæ, nisi per consensum illius, cujus est: dummodò sit collegialiter factus à toto Capitulo, vel à majori parte, ut dictum est; ita *Rodriq. tom. 3. q. 36. art. 3.* cum aliis, quos allegat *Portellus in dub. Regul. verbo privil. cessatio, n. 60.*

Quæst. 13. An per unum singularem actum contrarium amittatur privilegium?

1. IN hac quæstione, quot capita, tot sententiæ. Tu verò cum distinctione dicas; Aut privilegium habet actum momentaneum, seu effectum irreiterabilem, ceu est illud, quod unico, & singulari actu respicit præsens, non autem futurum: & sic per unicum actum contrarium, seu per unicam contraventionem in totum amittitur privilegium simpliciter, & omninò; cùm enim Privilegium respiciat unum tantùm actum, non autem plures sibi invicem succedentes: ex quo Privilegiatus facit opposi-

tum illius, per talem contraventionem censetur tacitè in totum renunciare privilegio, cui talis actus est formaliter contrarius; quia privilegium datum ad unum actum, pariter per unum actum contrarium, totum evacuatur; ita de communi docet *Bart. in l. 1. C. de jure dom. impet.* ubi ait, quòd si creditor impetraverit à Principe privilegium possidendi pignus jure dominii, si posteà à debitore exigat usuras, per illum actum contrarium intelligitur renunciare dicto privilegio, & *Jurist. in l. falso, C. de diver. rescript. & Bald. in cap. plerumque, nu. 19. de rescript.* cum aliis multis, quos citat *Sylvest. in summ. verbo privilegium, q. 11. Suarez lib. 8. de leg. cap. 35. num. 17. Merolla tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 7. de cessatione, in prima difficult. num. 50. & Tambur. de Jur. Abbat. tom. 1. disp. 16. quæst. 14.*

2. Proinde, si quis habeat ex privilegio rem in burgensaticum, & patiatur describi in registro pro feudatario, sibi præjudicat; ita *Vinc. Anna allegat. 1. nu. 17. & Reg. Tapia in comment. ad legem final. de constit. princip. p. 2. cap. 2. n. 7.*

3. Sic item; si Civitas habeat privilegium Domanii; si tamen juret fidelitatem; & patiatur Dominum ingredi in possessionem, censetur tacitè renunciare dicto privilegio, ita *Iser. in cap. Imperial. §. præterea Ducatus, num. 48. de prohib. feud. alienat.*

4. Item, exemptus à jurisdictione N. si coram illo liberè patiatur conveniri; & spontè respondeat; amittit privilegium; quia per talem actum intelligitur tacitè renunciare dicto privilegio.

5. Quæ quidem communis responsio fallit; quando hujusmodi actus esset talis naturæ, & speciei, quòd in eo possit cadere alia præsumptio, quàm renunciationis privilegii, ut si possit præsumi fieri vi, metu; inadvertentia, vel ignorantia, vel ex aliquo alio, quod possit nocere libertati. Hæc etenim privilegii amissio non fundatur in præscriptione, sed in tacita renunciatione, quæ, ad hoc, ut valeat, & sit perpetua, debet esse liberè, spontè, & scitè facta, concurrentibus circumstantiis, & conditionibus suprà positis in quæstione.

6. Item fallit, quando actus contrarius non habuit effectum, etsi fuerit spontè factus; nam in tali casu non perditur privilegium; ita *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 41. num. 12.*

7. Aut privilegium habet tractum successivum, hoc est actum reitarabilem, & usum repetibilem in futurum; & sic (præcisa legitima præscriptione) per unum actum contrarium amittitur quidem privilegium, secundùm quid, non autem simpliciter; hoc est amittitur fructus privilegii pro illa vice, & quoad illum actum, & causam, de qua in illo contingente tractatur. Verùm tamen, remanet facultas, & substantia privilegii quoad tempus futurum, qua Privilegiatus omni futuro tempore, & novo casu, licitè poterit uti.

8. Ut colligitur ex *l. voluntariæ, C. de excusation. tutorum,* ubi dicitur, quòd voluntariæ tutelæ munera, privilegiis nihil obstant; hoc est quoad futura munera, non voluntaria; subjungit *Glossa*, ut si quis habeat privilegium non suscipiendi officia Reipublicæ; si spontè unum suscipiat, non propter hoc potest compelli ad suscipiendum alia.

9. Et hoc ideò; quia Privilegiatus, in his, quæ habent actum successivum, & reiterabilem, per unum, vel plures actus non censetur renunciare privilegio quoad totam ejus facultatem, sed tantùm pro illa vice, & quoad illos actus tantùm, qui in illo tunc fiunt contrà privilegium; salva tamen remanente substantia privilegii quoad futurum.

10. Quod clarè patet, si advertas, hanc privilegii amissionem fundari in tacita renunciatione, quæ per unum, vel alterum actum contraventionis non habet, ut possit ampliari, & extendi ad actus futuros; nam quando in uno

actu, contrario privilegio, potest cadere aliqua alia præsumptio, quàm renunciationis toti privilegio; non est talis renunciatio præsumenda: tùm quia, in dubio non censetur, renunciatum esse privilegio; ut benè docet *Fel. in cap. cùm accessissent, de constit. num. 29. & ibi Dec. ver. hoc comprobatur, Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 41. & Verall. decis. 377.*

11. Tum etiam; quia talis præsumptio est odiosa, & consequenter restringenda: & additur, quòd nemo præsumitur, velle sibi in aliquo præjudicare, & casu, quòd præjudicandum esset, cùm aliter nequeat præjudicium subterfugere, præsumendum fore, se sibi velle, aut in nihilo, aut in levi, & in minimo præjudicare.

12. Proinde, si Monasterium habeat privilegium non solvendi decimas; si illas solvat bis, semel, & iterùm: etiam ex communi consensu Capituli, non ob id amittet privilegium quoad totam ejus substantiam; quia hoc præsumitur esse factum ad evitandum litem, non autem animo renunciandi privilegio; & licet valeat actus quoad illam solutionem factam; nihilominùs quoad futurum non præjudicat; ita *Innoc. in c. cùm accessissent, de privil. & Panor. cap. pro illorum, de præbend. Cardinal. Tuschus tom. 6. litt. P. conclus. 756. & Horat. Mandos. de privil. ad instar, gloss. 15 num. 22.*

13. Et Privilegiatus ad non jejunandum in Quadragesima, & ad non recitandum officium, vel ad non solvendum tributa; si jejunet, recitet officium, vel semel solvat tributa; non propter hanc contraventionem amittet privilegium omninò; sed tantùm pro illa vice, prout benè probat *Merolla cit. loc. contrà Bonacinam num. 85.* Hæc namque privilegia habent tractum successivum, & consequenter per unum actum contrarium quoad totam facultatem privilegii, haud possunt deperdi; tum quia, privilegium non jejunandi, in re non est privilegium negativum, quod possit amitti per unum actum contrarium, seu contrarium usum; sed est affirmativum; habet enim pro sui objecto aliquid positivum, utputà dat facultatem ad faciendum aliquid, scilicet ad pluries in die comedendum.

14. Et vice versa, præceptum Jejunii non est affirmativum, sed omninò negativum: non enim præcipit aliquem actum positivum, sed negationem, seu omissionem actus positivi; est enim abstinentia, seu carentia cibi, & potus: privilegia autem affirmativa, quæ exercentur sine gravamine, & aliorum præjudicio, (ut suprà diximus) per non usum cujuscunque temporis minimè deperduntur: non quidem per tacitam renunciationem; quia hoc nullo jure probatur, neque per modum præscriptionis; quia cùm non sint in aliorum gravamen, nemo quippè potest contrà illa præscribere, ut dictum est.

15. Dixi, præcisa legitima præscriptione, quæ quidem coalescit ex multis, & præcipuè petit, quòd minimè sit interrupta à die contraventionis, sed continuata per tempus à lege præfixum; quia si hæc plenè interveniat; certum est, privilegium amitti simpliciter, & omninò, etiam si habeat tractum successivum, & hoc, nedum ob præsumptam renunciationem privilegii; sed propter alterius præscriptionem, quod fortiùs est, ut infrà dicemus, & notat *Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 61. art. 3. §. at Urbanus, & Portell tom. 1 dub. Regul. verbo privileg. declarat. in addit. ad addit. & Tamburr. tom. 1. de Jur. Abbat. disput. 16. quæst. 14.*

Quæst. 14. An Privilegia amittantur per Abusum?

1. VNanimiter respondent affirmativè *Doctores*, & probant authoritate *Simplicii* Papæ, *Epistola 2. ad Episcopatum Ravennat.* & refert *dist. 74. c. ubi ista didicisti, & cap. privilegium 11. q. 3. ibi, privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, & Innocent. 3. in cap. licet de Regular. & cap. tuarum, & cap. ut privileg. de privileg. Panor. in dict. cap. licet, & Sylv. in summa. verb. privil. quæst. 10.*

2. Quæ jura extenduntur ad omnem privilegii abusum, qualiscunque sit ille, propriè, vel impropriè dictus; quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere, nec limitare debemus: propositio enim indefinita, in moralibus æquipollet universali; & quivis quomodolibet abutens privilegiis, redditur culpabilis, & consequenter punibilis.

3. Quapropter, si Episcopus cogat subditum, ut ordinetur, excedit limites suæ potestatis, quam, ob id meretur amittere, ut definitur in *d. Canon, ubi est dist. 74.*

4. Sic item, si Prælatus legitimè petenti licentiam transeundi ad strictiorem Religionem neget, abutitur potestate, ut dicitur *d. cap. licet, de Regularib.*

5. Item, si quis privilegii occasione, utputà colore prædicandi, prætendat evadere pœnas justè sibi debitas; debet utique privari tali privilegio, ut dicitur in *cap. contingit, il secondo, de sent. excomm.* Sic item, si quis occasione privilegii immunitatis Ecclesiæ, in ea delinquat, ejus immunitate non gaudet, ut dicitur in *cap. ultim. de immun. Eccles.* ubi expressè habetur, quod delinquens in Ecclesia privatur immunitate.

6. Item, si Canonicus, prætextu Studiorum, dum abest, recipit suæ Ecclesiæ fructus, & postmodum neglecto Studio, vanitatibus vacet, non facit fructus suos; & tenetur restituere, ut colligitur ex *cap. recolentes, de Stat. Monac.* quia fructus in absentia dantur ratione studii, cessante autem causa finali, cessat privilegium, *cap. cùm cessante, de appellat. Suarez lib. 8. de leg. cap. 36. num. 3.* quem sequitur *Laymann. lib. 1. suæ summa. tract. 4. cap. 23. de leg. quæst. de privil. num. 24. §. 7.*

7. Sic item, fretus *Jubilæi*, vel *Bullæ Cruciatæ* potestate, si liberè peccet, & dolo incurrat in casus Episcopales, illius *Bullæ* potestate non juvatur; quia, (ut suprà dictum est) qui concessa sibi auctoritate abutitur, privilegium meretur amittere, secundùm aliquos *Doctores*.

8. Verùm, abutens privilegio, an ipso jure, reique natura censeatur privilegio privatus, vel potiùs ex juris dispositione, & per Judicis sententiam sit privandus? quæstio est. Solviturque ex lectura violati privilegii, cujus verba sunt attentè notanda; ad hoc, ut pœna, quæ Abusum sequitur, possit discerni, si sit lata, vel inferenda.

9. Nam, si in privilegio, vel lege dicatur, ipso facto privationem incurrere, vel noverit se privatum, illico post abusum privilegii, privilegiatus privationem incurrit ipso jure; nihilominùs ipse abutens, antè Judicis sententiam, saltem criminis declaratoriam, non tenetur se privare privilegio; prout colligitur ex *l. ejus, qui delatorem, & ibi Bartol.* notat, *ff. de jure fisci, & Afflict. in Constit. Regni, incipient. Usurariorum, num. 16. & Fel. in cap. Rodulfus, num. 35. de rescript.* quem sequitur *Suarez in d. lib. 8. de leg. cap. 36. num. 8.*

10. Idem dic, si privilegium sit concessum, sub conditione amittendi illud, ipso facto, quòd Privilegiarius illo fuerit abusus: Item si in privilegio, vel in lege reperiantur verba inducentia ipso facto privationem in aliquo casu particulari, ob delictum, vel abusum; prout est in Clerico, exercente sodomiam, ob quam, clericale amittit privilegium; prout post multos ostendit *Bonac. de matrim. q. 4. punct. 11. num. 2.*

11. Si verò, in lege, vel privilegio dicatur, *privetur, auferatur*, vel *mereatur amittere*, vel *careat privilegio*: pœna sic comminata delinquentem non afficit, ipso jure; sed petit, expectatque Superioris sententiam; prout idem, *Bonac. tom. 2. de leg. disputat. 2. quæst. 1. punct. 1. §. 7. num. 1. & 3.*

12. Benè verum est, quòd quoties Privilegiatus suo utitur privilegio, ultrà ejus limites, & cancellos; ipso jure amittit

amittit privilegium, quoad effectum, quem facit; nam talis abusus tollit fundamentum privilegii, & actus hujusmodi censetur irritus, & nullus, utpurà factus sine potestate, quod intellige quoad id, in quo excedit potestatem; ita *Sylvest. verbo privil. q.* 10. quem sequitur *Salas de legibus disput.* 17 *sect.* 13 *num.* 68.

13. Quæ quidem privilegii amissio propter abusum potest esse duplex, altera omnimoda, & totalis, ut quando Privilegiatus suum perdit privilegium propter abusum, quoad omnem, & totalem ejus facultatem; ita ut ei ab illo tunc abusu, usque in perpetuum non liceat uti dicto privilegio; prout notatur in *Can. privilegium* 11. *q.* 3.

14. Altera verò potest esse partialis, ut quando Privilegiatus propter abusum sui privilegii privatur potestate, non in perpetuum, sed pro aliquo tempore, vel loco, ut cùm quis abutitur potestate electiva, privatur illa vice potestate eligendi, ut dicitur in *cap. cùm in cunctis,* § *ult. de elect.*

15. Interdùm, Prælatus ob abusum sui privilegii, suspenditur ab illius exercitio per mensem, ut si excommunicationem fulminet sine scriptura, & causa; & sic in parte amittitur privilegium; ut est videre in *Canon. denuntiamus,* 25. *quæst.* 2.

16. Interdum, cassatur actus, seu effectus privilegii ob excessum illius, & cassatio hujusmodi propter abusum, pœna extat, quæ correspondet culpæ, & sicut abusus & culpa non est una, & eadem in omnibus; sic pariter pœna non erit omnibus uniformis; sed juxtà mensuram delicti, ad præscriptum sacrorum Canonum erit plagarum modus; prout *Tamburr. tom.* 1. *de jure Abbat. disp.* 16. *q.* 14. *num.* 10. & eruditè *Merolla tom.* 3. *de privileg. cap.* 7. *dub.* 3. *num.* 112.

Quæst. 15. *An per abusum Regulæ, amittantur Regularium privilegia?*

1. NOn omnes de Collegio regulariter vivunt, mundi sunt, sed non omnes; etenim sunt, qui vivant sic effrenatè, ac dissolutè, ut superficietenus, & nominaliter Religiosi dicantur, faxit Deus, ut cum causa sint in Monasterio.

2. Nihilominùs, hi, sicut & cæteri, in foro Cæsaris gaudent in omnibus, & per omnia Religionis privilegiis; tum quia Ecclesia non judicat de occultis; tum etiam quia privilegia primò, & per se, directè sunt Religioni in communi, seu ejus Communitati concessa; & secundariò redundant in Fratres particulares, quatenus reperiuntur in illo Religionis statu. Malitia autem particularium, non potest Communitati præjudicare.

3. Et quamvis, generalis Regula sit, quòd cessat effectus, & privilegium similiter, cessante causa ejusdem privilegii, hoc tamen procedit; & locum habet, quando cessat causa in communi; secùs autem, si cesset ex aliquo accidenti, vel in casu particulari: ut colligitur ex *l. nam ad ea, ff. de leg.* & *l. si à fratre, C. qui testam. facere possunt,* prout eruditè noster *Sot. lib.* 4. *de Just.* & *Jur. q.* 5. *ar.* 3. & *Covar. in cap. cùm esset, de testament.*

4. Hinc, privilegia Mulieribus concessa propter liberos, habent etiam locum in ea, quæ ex aliquo accidenti filios non habuerit, non obstante, quòd respectu ejus videatur causa cessare: nam non cessat legis dispositio, ob id, quòd legis ratio cesset in aliquo individuo.

5. In foro tamen conscientiæ, Fratres irregulariter viventes per abusum Regulæ amittunt privilegia; quod constat ex superiùs decisis, & expressè habetur in *cap. cùm cessante, de appellat.* & docet *Bartol. in l. semper, ff. de jure immunitatis,* & *gloss. in cap. generaliter,* §. *non divagantes* 16. *quæst.* 1. & testatur Papa *Eugen. in Bulla,* qua concessit fructus beneficii in absentia, causa Studii Scholaribus Universitatis Salmanticensis, *Sylv. verbo privilegium, quæst.* 10. *Miranda in* 2. *tom. Manual. Prælat. quæst.* 43. *art.* 3. *fol.* 442. & *Rodriquez tom.* 1. *qq. regul. q.* 9. *art.* 10. *fol.* 50.

Quæst. 16. *An cessante omninò, & totaliter causa finali, ob quam fuerunt concessa privilegia, cessent, & amittantur privilegia?*

1. ABsque ullo dubio, Princeps regulariter non potest aliquem à legis obligatione eximere, nec ei facultatem concedere agendi contrà legem, multòque minus Jus alterius occupandi, sine justa, & legitima causa: & aliter faciens, concessio erit injusta, plus, & minùs, secundùm materiæ gravitatem.

2. Sicut ergò, cessante causa, seu ratione legis in totum, vel in partem; cessat etiam legis obligatio; an ita, cessante tota causa finali privilegii, cesset pariter & ipsum privilegium?

3. Et dico, quod sic, secùs autem, si cesset ejus causa impulsiva, vel pars causæ finalis, ut cum privilegium non est perfectè, nec ultimatè exequutioni mandatum; prout expressè habetur in *cap. cùm cessante, de appellat.* & probatur, nam non est verosimile, nec credibile, quòd Princeps velit conservare privilegium contra legem concessum (de hoc enim nos loquimur,) ita ut Privilegiatus possit communem legem violare, & jus alterius lædere, cessante omninò illa causa principali, ob quam ei privilegium concessit; hoc enim est contrà dictamen rationis, qua naturali lumine cognoscimus, quòd partes debeant correspondere toti, & illi se debere uniformare; & sicut impium est, sine causa legem auferre, vel jus tertii abrogare: ita iniquum, cessante totaliter principali causa privilegii, velle privilegium conservare; ad hoc, ut sine causa duret, & effectum suum habeat contrà Jus tertii, vel legem communem: etenim, paria sunt, à principio non habuisse causam, & causam jam finitam esse, prout colligitur ex *l. nihil interest, ff. de nautico fœnore.*

4. Ac proinde, privilegium vescendi carnibus tempore Quadragesimæ, ob talem infirmitatem concessum, cessante infirmitate, cessat privilegium; Sic item, si Episcopus recipiat mandatum ad dispensandum super irregularitate Francisci, ut possit ordines suscipere propter Parentum paupertatem: si homo acquirat divitias antè susceptionem ordinum, Franciscus non poterit licitè, & validè, tali dispensatione uti: quia hæ facultates censentur factæ sub illa causa & conditione, qua subsistente stant; & sublata, auferuntur.

5. Nec te moveat, quòd effectus consumatus non cesset, cessante causa; ut benè per plura ostendit *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 189. *num.* 197. & quòd effectus semel extinctus, non possit naturaliter reproduci; quia hæc procedunt, & locum habent, in effectibus ultimatè, & perfectè completis, & exequutis; effectus etenim omninò consumatus, non expirat, sublata ejus causa; secùs si nondum sit ultimatè perfectus, & completus: ita obligatio legis per dispensationem, & privilegium, non intelligitur ultimatè, & perfectè extincta, nisi sub illa tali conditione & causa, scilicet, si causa subsistat, antequam dispensatio exequutioni mandetur: ita *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disputat.* 3. *num.* 14. & *Tiraquell. in tract. cessant. cau. limit.* 23. & *Bonac.* post multos allegatos *tom.* 2. *de leg. disput.* 1. *q.* 2. *de dispensatione,* §. 1. *num.* 5. *fol.* 86.

***

Quaest.17. An Privilegia, ob magnam, & extremam necessitatem amittantur?

1. ET quidem amittuntur: nam ex communi proverbio, necessitas legem non habet: quapropter Juris praecepta summa necessitate franguntur; prout expresse habetur in *cap. Discipulos, dist.5.* & docet *Romanus in l. si verò, § de viro, fall.54. num.9. ff. solut. matrim. & Azeuedus lib.1. nova compilat. tit.3. lib.11. pag.54. col.21.*

2. Et ob id, stante necessitate, si laicorum vires non suppetunt, tenentur Regulares consulto tamen D. Papa oneribus laicorum subsidium praestare, & hoc, quomodo faciendum sit consule *Rodr. tom.1. qq. regul. q.9. art.8. in fin. fol.50. & Genuen. in practicab. Eccles. q.249. num. 5. fol. 293.* & habetur in *cap. adversus, de immunitat. Eccles. in 6.* ubi dispositum habes, quòd stante necessitate, & Universitatum utilitate, id liceat, consulto tamen Rom. Pontifice, *Navarr. cons.5. num.2. de immunitate Ecclesiastica*, ubi multa de Jure communi, & hodiè vide etiam *Bullam Cœnæ Domini: & ibi DD.*

3. Sed an Clerici propria sponte solventes Universitatum gabellas, incidant in pœnam *Bullæ Cœnæ*? consule *Bonac. tom.3. de censur. Bullæ Cœnæ, disput.1. q.19. punct.1. num.30.* ubi latè discurrit, & *Marcell. Vulpes in praxi judiciali fori Ecclesiastici cap.17. num. 20. ver. tertiò quaero, fol. 194.* ubi docet per plura, quòd dempta coactione, extorsione, & impositione, si spontè solvant, non incurrunt, sed alii tenent contrarium.

Quaest.18. Per subsequens Privilegium, an tollatur praecedens antiquum?

1. DE Jure, in his, quae revocari possunt, semper posterior dispositio specialis, priorem dispositionem revocat specialem, sibi contrariam; eò magis, si in se contineat clausulas derogatorias, sufficienter qualificatas.

2. Proinde, lex nova emanata à Principe, tollit praecedens privilegium, sibi contrarium; si in nova lege fiat mentio de praeexistente privilegio, vel illi saltem deroget per clausulas generales, prout notat *Rodr. tom.2. qq. regul. quaest.46. art.1. concl.1. & 2. & de Franch. decis.125. num.6.*

3. Secùs autem, si lex nova, nec in specie, nec in genere deroget privilegiis, sibi contrariis; quia specialia Privilegia per sequentem legem generalem non tolluntur; ut dicitur in *cap.1. de rescript. & ibi gloss. & DD.* communiter: Nos autem de modo abrogandi, & tollendi Jus, Privilegia, Constitutiones, & Conc. exactè infra dicemus in *sequenti tract.* & latè diximus de virtute Clausularum in *tractatu de Clausulis*, ubi multa reperies, scitu digna.

TRACTATUS DECIMUS TERTIUS,

DE REVOCATIONE PRIVILEGIORUM.

Quaest.1. An Princeps validè, & licitè possit suorum subditorum revocare Privilegia, à se concessa, vel à suis Praedecessoribus indulta?

1. EX justa, honesta, & legitima causa, de communi *Doctorum* sententia, Princeps utique potest validè, ac licitè hujusmodi gratiosa revocare privilegia, à se, vel à suis Praedecessoribus, subditis concessa: etiam si ex tali revocatione laesio illis fieret enormis; prout expresse definitur in *cap. suggestum, de decim.* ubi quoddam privilegium revocatur, ex eo, quòd post concessionem in praxi incipiebat esse nocivum.

2. Hinc, si Privilegiatus, aliorum Concivium privilegia non servet, sui met privilegii fructum non recipiet; ut dicitur in *cap. dilect. de privil.* ubi *Gloss.* ait, quòd non ei jura servanda, qui aliorum Jus violare non metuit; & *cap. esto subjectus 95. dist. & cap. omnes, de Constit.* ubi habetur, quod quisque Juris in alterum statuit, ipse debeat eo uti, & *cap. novit, de judic.* & *ibi* omnes *Canonistae.*

3. Multae autem sunt causae ad abrogandum privilegia, quas inter potiores judicantur causae publicae utilitatis, favoris animarum, Dei honoris, & cultus fidei, hae sanè dicuntur magnae causae, ob quas magna revocantur privilegia, etiam cum praejudicio tertii: ut dicitur in *l. si quis in gravi, ver. is quoque ad Syllanianum*, & colligitur ex *l. Judicium ff. de Judic.* & docet noster *Sylv. in summ. verbo Privil. q.10. dicto septimo, & Felin. in cap. quae in Ecclesiarum de constitut.*

4. Proinde, videmus, Reges ratione publicae utilitatis revocare privilegia; etiam Civitatibus, vel aliis concessa per se, aut per suos Praedecessores, ita *Carrerius in praxi crim. casu 7. nu.60.* cum aliis, quos citat *Rodriq. tom.2. qq. regul. q.72. ar.2. in medio.*

5. Quod maximè procedit in privilegiis, ad Principis beneplacitum concessis, vel quae ejusdem Principis jurisdictionem concernunt; quia jurisdictiones principaliter sunt apud Principem, tanquam apud fontem, à quo fluunt, & refluunt, sicut flumina ad mare; prout ostendit *Innoc. in cap. cùm M. Ferrariensis, extrà de constit. & Bald. in c.1. § ad haec, de pace juram. firm. & Abbas in cap. novit, extrà de judic.*

6. Verùm, haec sine causa revocare non licet; prout dicitur in *cap. decet, de regul. jur. in 6.* ubi dicitur, quòd concessum à Principe beneficium, decet esse permansurum; nam omnium inconstantia, & praecipuè Principum, damnatur, quibus quod semel placuit, ampliùs displicere non debet, ut dicitur in *regul.*

7. Et aliter faciens, etsi de jure ejus revocatio subsistat, argum. *text. in l. qui fundos, C. de omni agro deser. lib.11.* quem citat *Bald. in l. nuptae, in principio, ff. de Senat. & in l. qui se patris C. unde liber.* & decisum refert *Gramm. dec. 46. & Afflict. dec.128. & ibi Ursil. & Abb. in dicto cap. novit, & Capyc. decis.166.*

8. Nihilominùs, per accidens peccat secundùm materiae gravitatem, ut ratione odii, scandali praestiti, & damni illati; quia Princeps sine justa causa non potest suo solo arbitrio, & voluntate, rem à subdito tollere, & alteri dare, cujus rei dominium, aut Jus, vel possessio penes subditum reperitur: Princeps enim unicuique tenetur justitiam facere, & cujusvis Jura defendere, non autem auferre, invito Domino, & sine causa legitima; ita omnes *Canonistae in cap. novit, extrà de Judiciis, & Paul. de Castro in l. digna vox, num. 5. C. de legib.* quem multis citatis sequitur *Suarez lib.8. de legib. cap.37. num. 10. Merolla tom. 3. disput.6. de privilegiis, cap.7. dub.7. num.140. & seqq.*

9. Nec recurras ad plenitudinem, & absolutam Principum

cipum potestatem; quia proverbium est, ea, quæ fiunt de plenitudine potestatis in præjudicium tertii, sine legitima causa, fieri de plenitudine tempestatis.

Quæst. 2. An Princeps ex causa revocans Subditorum privilegia, gratiosè concessa, teneatur recompensare illorum damnum, quod ob talem revocationem sunt passi?

1. NEgativè respondeo; Princeps enim in tali casu licitè & validè revocat: immò, ex debito Justitiæ, pro communi bono tenetur revocare; qua ergò de causâ sic faciens, erit restitutioni obnoxius? tum quia, hoc interest inter revocationem privilegii gratiosi, & onerosi concessi; quia ex revocatione privilegii onerosi remanet obligatio restituendi pecuniam, ob quam privilegium conceditur, vel compensandi in alio servitia præstita, quorum intuitu fuit datum privilegium: ex revocatione tamen privilegii gratis concessi, non restat obligatio recompensandi: in gratuitis namque nihil adest, quod possit obligare donantem, nisi propria voluntas donatoris. Princeps quandoquidem cùm alicui donet Castrum, vel Feudum, non est verisimile, quod eo animo donet, & ea voluntate concedat, ut donata ex justa causâ non possit revocare, vel quod revocans ex causa teneatur recompensare; quia si in principio hoc in prospectu ejus mentis occurrisset, nunquam sanè donasset; & sicut liberalis donatio in casu evictionis rei datæ non obligat donantem restituere, & recompensare; ita pariter, gratiosa privilegii concessio, prout post multos allegatos docet *Suarez lib. 8. de leg. cap. 37 nu. 10. & Capyc. decis. 116 num. 7.*

Quæst. 3. An Privilegium, non subdito gratis concessum, & ab eodem acceptatum, possit Princeps revocare?

1. ET dico, quod non; tùm quia, si sine causâ Princeps non potest subditum suis privare juribus, ab eomet legitimè acquisitis; quantò magis, & sibi non subditum? tùm etiam; quia Privilegium non subdito concessum, non potest sustineri per modum legis particularis, seu privatæ: lex enim non potest versari circa non subditum, ergò oportet, ut transeat in naturam contractus, seu donationis inter vivos, quæ intrinsecè, & per se est irrevocabilis; ita *Panor. in cap. novit. de Judic. num. 13. & ibi Felin. num. 8. & Dec. num. 86. & Tusch. tom. 6. lit. P. conclus. 351.*

2. Quod etiam procedit, si Princeps sibi non subdito jurisdictionem concedat; ita *Ludov. Gomes.* & alii, quos citat *D. Reg. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princip. cap. 9 num. 57.* & noster *Ant. Sousa in Bulla Cœnæ, cap. 19. disput. 84. num. 9.*

Quæstio 4. An privilegia à Principibus sæcularibus concessa Ecclesiæ, vel Ecclesiasticis personis, possint ab eisdem revocari?

1. COnsueverunt Imperatores Ecclesiæ multa concedere, & feuda, & jurisdictionem, ut ex *Constantino* liquet: nec non & Privilegia elargiri; quibus Clerici non minùs liberè, quàm licitè laicorum bona, domos, territoria, & similia, aut titulo donationis, vel emptionis recipiunt, & possident; quæ ubi pervenerint in posse Ecclesiæ, non remaneant oneribus obnoxia, de his, & similibus in præsentiarum quæritur.

2. Ad quod, ob multa negativè respondeo: & primò, quia (ut diximus) privilegia non subdito gratis concessa, sunt irrevocabilia. *Lapus allegat. 100. num. 4. Paul. de Castro cons. 156. Afflict. decis. 361. num. 9. Capyc. decis. 166.* cum aliis, quos citat *Sanchez de matrim. lib. 8 disput 33. & Suarez de leg. lib. 8. cap. 37, num. 2. & Aloys. Ricc. in collect. 1126.* Ecclesia autem non est subdita, ergò.

3. Item hæc privilegia Ecclesiæ, concessa sunt à Principibus Christianis, ob remuneranda beneficia spiritualia, quæ eorum Regna recipiunt ab Ecclesia, & Ecclesiasticis personis; sed ita est, quod privilegium in remunerationem meritorum concessum, revocari non potest, ergò.

4. Item tota Respublica Christiana, à qua Reges jurisdictionem acceperunt, in hæc privilegia consentit, ergò non est in potestate ipsorum Regum, illa revocare; quia quod semel consensu Regni est alienatum, non potest repeti; prout *Victoria relect. 1. de potest. Eccles. sect. 7. propos. 7. & Bellarm. tom. 1. p. 2. disputat. de exemption. Cleric. cap. 21 col. 3.*

5. Item Regum & Imperatorum privilegia, in favorem Clericorum concessa, à Summis Pontificibus sunt approbata, & confirmata; ergò non possunt per alium revocari; prout concorditer *Doctores* ajunt, & præcisè *Archid. in Canon. quicunque 11. quæst. 1. Panor. in cap. inter alia, de Immunit. Ecclesiastica Felin. in cap. ad Apostolicam, nu. 2. de Simon. & in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num. 7. de constit.* ita etiam *Jason in l. non ampliùs, §. 1. num. 14. de leg. 1.* & *ibi Aret. ver. extrà glossam, Ripa resp. 12. num. 8. de divers. rescript.* cum aliis multis, quos allegat *Fab. Anna cons. 86. vol. 1. num. 14. & Tapia in Comment ad leg. final. de constit. Princ. p. 2. c. 9.* & noster *P. Ant. Sousa in Bulla Cœnæ, cap. 16. disput 84. num. 9. & P. Merolla tom. 3. de privil. cap. 7. num. 153.*

Quæst. 5. An privilegium subreptitiè obtentum, rectè possit à Principe revocari?

1. ET profectò potest revocari, ut habetur in *cap. litteris, & cap. rescripta 25. q. 2.* ubi dicitur, quod mendax precator debet carere impetratis, & quod in quolibet privilegio subintelligi debet hæc conditio, etiamsi non exprimatur: *si preces veritate nitantur*; ita definitur in *cap. 2. de rescriptis, & ibi gloss. ver. conditio*, ubi multa referuntur jura, quibus ostenditur nullum & invalidum esse privilegium, ex eo, quod impetrans suggessit falsam causam, ob quam, ut veram, hujusmodi fuit concessum privilegium. Ità *Sylv. in summ. ver. privil. q. 10. & Mirand. to. 2. Manual. Prælat q. 43. ar. 2. conclus. 1.*

Quæst. 6. An privilegium, Lex, vel Statuta ab Inferioribus condita, & à Superiori confirmata, possint ab Inferioribus revocari, sine consensu Superioris?

1. PRo *Doctorum* concordia distinctione utor; aut Statuta, Lex, & privilegium ab Inferioribus condita, & à Superiori confirmata, concernunt privatum favorem, & solam utilitatem Statuentium; & sic affirmativè respondent *Doctores*, & habetur in *cap. cùm accessissent, de constit. & cap. dilect. de præbend. & in l. omnium, C. de testam.* ubi habes, testamentum ab Imperatore confirmatum, posse à Conditore revocari.

2. Secùs autem, si confirmata concernant commune bonum, vel aliorum favorem; quia etsi unusquisque possit suo privato favori renunciare; nequit tamen publico, vel aliorum utilitati derogare: ita *Sylv. in summ. ver. statutum, qu. 15. Covarr. de pactis 2. p. §. 2. nu. 5. vers. ego verò, Sanchez lib. 3. summ. cap. 15. num. 6.* & novissimè *Megal. tom. 2. resolut. 104. n. 3.*

3. Alii verò sic distingunt; aut Statuta Inferioris confirmantur à Superiori in forma communi; & sic utique ab In-

ab Inferiori revocari possunt, non obstante Superioris confirmatione: quia per simplicem confirmationem factam in forma communi, Princeps non intendit rei confirmatæ naturam variare, ita ut Statutum ad nutum Statuentium revocabile, vellet per hujusmodi confirmationem reddere irrevocabile; etenim confirmatio in forma communi nihil novi tribuit, ut diximus in *tract. de clausulis*.

4. Secùs autem, si sint confirmata ex certa scientia: hæc enim clausula, ubi suprà, habet vim novæ concessionis; quapropter Princeps confirmans ex certa scientia Inferiorum Statuta, censetur ipse idemmet statuere, illaque sic confirmata sua facere, argum. *cap. 1. de confirmatione util. vel. inutil. & cap. si Apostolica, de preb. in 6.* & expressè *ibi glos. Marta de Jurisdictione 4. p. cent. 1. casu 99. & Rodr. qq. regul. tom. 1. q. 68 ar. 5 fol. 404.*

5. Proindè excommunicatio lata ab Episcopo, & confirmata à Papa ex certa scientia, non potest per eundē Episcopum, & Papa inferiorem revocari; ità docent *Joan. Andr. in cap. ex frequentibus, de instit. in fine, & ibid. Panorm. num. 12. Tabiena ver. absolutio, num. 12. verb. quæritur octavò, & Navar. in summ. cap. 27 num. 40.*

6. Verumtamen hæc secunda distinctio fallit in multis; nam si fiat statutum ab Inferioribus contra jus commune, illudque à Superiore confirmetur ex certa scientia; potest ab Inferioribus revocari, & Statuentes poterunt ad jus commune redire, hac prædicta confirmatione non obstante; prout docet *Bartol. in l. omnes populi, ff. de just. & jure, & Covar. in libro 3. var. cap. 6 num. 4.*

7. Sic item cùm Statuta respiciunt solum & privatum favorem Statuentium, etsi sint confirmata à Superiore cum clausula *ex certa scientia*, nihilominùs possunt per Inferiores revocari, prout expressè habetur in *d. cap. cum accessissent, & ibi gloss.* in propriis terminis, quod novissimè post multos advertit, *P. Merolla tom. 2. cap. 7. de legib. & constitutionibus, disp. 4 dub. 3. num. 19. in fine, fol.* mihi 557. quapropter à prima responsione non recedas.

Quæst. 7. An privilegium ab Inferiore concessum, possit à Superiori absque justa causa validè revocari?

1. ET potest, si revocatio fiat à Supremo Principe, Superiorem non habente, utputà à Papa, Imperatore, vel Rege: Ab his enim omnis Jurisdictio redundat in alios.

2. Secùs autem si fieret à Principe, vel Prælato inferiori, Superiorem recognoscente; quia Princeps vel Prælatus, ex quo alteri subjicitur, potestatis plenitudinem non habet.

3. Quapropter Baro suæ Baroniæ Capitaneum à se per annum destinatum, ad hoc, ut suis subditis jus administret & justitiam faciat, non poterit infrà annum prædictæ delegationis, sua ordinaria jurisdictione, ad sui libitum sine justa causa privare; quem, si de facto privet, erit privatio inanis & vacua. Baro enim suam ordinariam non debet jurisdictionem excedere, qua sibi subditum proprio jure, vel acquisito munere, sine justa causa privare non licet. *Franchis decis.* 409.

4. Hujusmodi namque privatio, nedum est Subditis injuriosa, verùmetiam & damnosa; ità *Suarez de leg. lib. 8. cap. 37. num. ultim. & tom. 4. 3. par. disput. 26. sect. 3. nu. 3.* cum aliis, quos citat *Sanchez lib. 8. de matrim. disputat. 33. num. 7.*

Quæst. 8. Privilegium per modum contractus, vel ex causa onerosa concessum; an possit Princeps validè revocare?

1. SIne justa causa non posse, communiter fatentur *Doctores*: Princeps etenim suo astringitur contractu, & tenetur servare pacta, etiam cum subditis inita; cùm hæc obligatio ex naturali nascatur justitia, quæ etiam Principem afficit & obligat; ita de communi *Gramm. dec. 65. num. 26. Jul. Clar. §. Feudum, q. 59.* cum aliis multis, quos allegat *Afflict. in Constu. Ea, quæ ad specialē decus.*

2. Secus autem, ex justa causa, & propter commune bonum: nam quemadmodum potest Princeps in tali casu privare subditum propriis suis bonis; sic pariter, imò fortiùs potest, & revocare privilegium, non obstante contractu, arg. *l. quod semel, ff. de decret. ab ordin. fac.* ubi *glos. & Doctores* rationem assignant; quia propria Subditorum bona, cùm sint acquisita propria industria & labore, magis urgent & premunt, quàm eorundem privilegia, illis à Principe concessa, *Fran. Marc. dec. 158. p. 1.*

3. Hæc autem justa causa secundùm aliquos non præsumitur in Principe, nec ejus assertioni statur; sed de ea constare debet, prout colligitur ex *Clem. pastoralis, de sent. & re judic.* & docet *Bald. in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 14. de constit. & Panor. lib. 2. cons. 3. col. pen. q. 28.* aliàs semper esset in potestate Principis, contrà omnes Juris regulas, conventiones factas violare. *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. num. 52. & Boss. tit. de Princ. num. 189.* Sed alii magis probabiliter tenent, justam causam in Principe præsumi, & ejus assertioni esse standum regulariter, ita multis relatis *D. Reg. Sanfelic. in discept. unic. de donativo tempore belli, num. 4. cum seqq.* quæ est posita post *primum tomum decisionum.*

4. Constito ergò de justa causa, & communi utilitate, hujusmodi revocatio est potiùs declaratio, quàm privilegii revocatio, prout post multos ostendit *Suar. lib. 8. de leg. cap. 37. num. 5.* hæc enim conditio, etsi non exprimatur, intelligitur tamen semper inclusa in privilegio, ut suprà concesso; quia sicut alia Subditorum bona intelliguntur esse hoc modo, & pro talibus casibus subjecta dispositioni Principis; ita & eorum privilegia, quovis modo illis concessa.

5. Verùm, in tali casu debet Princeps suo subdito de ablato privilegio recompensationem facere, dummodò commodè possit: arg. *text. in l. si quis Sepulchrum, ff. de Relig. & sumpt. fun. & l. 2. C. in quibus casibus serv. pro præ. lib. accip.* & docent *Afflict. in prælud. Constit. quæst. 4. num. 6. & decis. 321. num. 17. Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 28. de constit. & Menoch. de arbit. lib. 1. q. 48.*

6. Quod est valdè notandum à timoratis Principibus, qui, etsi ob publicam necessitatem, vel commune bonum possint suorum Subditorum infringere contractum; nihilominùs tenentur recompensare; quia Princeps non est absolutus Dominus rerum Subditi; nec recompensatio contrariatur communi bono, quod potiùs adjuvat & fovet, nec Subditus tenetur gratis suo juri cedere, *Sanchez lib. 8. de matrim. disputat 33. num. 9. & Natta consil. 160. lib. 1.*

7. Quæ quidem recompensatio à Principe facienda Subdito, sive fiat antè, sivè post abrogationem privilegii, parùm refert; satis est, quod fiat; securiùs tamen erit, si fiat antequam privilegium auferatur, prout decisum in Collat. Consil. facto verbo per Regiam Cameram Summariæ, refert *Thor. p. 1. Compend. decis. verb. Princeps, sive Vicerex.*

Quæst. 9. An privilegium concessum, meritorum intuitu, rectè possit revocari?

1. REsolutivè dicam, omissis hinc indè aliorum placitis: aut merita, ob quæ Princeps privilegium conces-

concessit, dederunt ipsi privilegiario jus agendi, & actionem implorandi officium Judicis, pro eorundem meritorum satisfactione, ceu sunt obsequia, & servitia per Milites, ipsi Regi in bello liberè præstita, quorum intuitu Rex illis elargitur privilegia remuneratoria, ex debito justitiæ, ut illorum scilicet servitiis, liberaliter exhibitis satisfaciat, prout tenetur; & sic hujusmodi privilegia non minùs, quàm illa, quæ sapiunt naturam contractus onerosi, sunt irrevocabilia; ita *Arius Pinell in l.1.3.p.num. 60. & 62. illat. 7. C. de rescind. vend. D. Reg. Tapia in l. ult. ff. de constit. Princip. p. 2. cap. 9. num. 6. Gramm. decis. 45. nu. 28. & Capyc. decis. 121. nu. 16,* cum aliis multis, quos citat *Sanchez de matrim. lib. 8 disput. 33. num. 4.*

2. Hæc autem privilegia sic concessa, ita sunt valida, ut nec in casu necessitatis possint à Principe revocari, nisi ex causa justa & cognita; ut diximus cum recompensatione competenti, & expressa mentione abrogati privilegii: Quod habet locum, nedum in ipso concedente, verùm etiam & in successore; quia successor tenetur servare pacta, & contractus suorum prædecessorum; aliàs nulla pacta cum Principibus supremis possent esse firma & perpetua, quod est contra jus gentium, & contrà rationem gubernandi: ita *Paul. de Castro in l. digna vox, C. de legibus, Afflict. decis. 2. & 128. & Boer. decis. 204.*

3. Aut obsequia & servitia, ob quæ fit donatio, vel privilegium, non fuerunt liberaliter exhibita, sed aliunde debita; quorum causa, etsi Rex concedat privilegium; concessio tamen non potest in rigore dici remuneratoria, ex debito justitiæ; sed potiùs ex lege gratitudinis, benevolentiæ, & charitatis: quia in actibus necessariis, ac debitis nemo dicitur liberalis existere, ut in *l. rem legatam, ff. de adimend. legat. l. si verò ff. de hæred. instit. l. proximè, ff. de ritu nupt.* & docent *Ripa in l. si unquam, q. 14. num. 3. ver. secundo, C. de revoc. donat. & ibi Tiraquell. verb. donat. largitus, num. 106.* cum aliis, quos citat *Sanchez cit. loc. disput. 6. num. 4.*

4. Proindè privilegia data ex debito commutativæ justitiæ, sunt cæteris fortiora, quibus & præferuntur, ita ut si in casu necessitatis duo concurrerent privilegia, quorum unum sit ex justitia commutativa, alterum verò ex Principis gratitudine, & benevolentia: Et ob instantem necessitatem unum esset omninò violandum; debet in tali casu illud conservari, quod est ex debito justitiæ; quia fortius est, & violari, quod est ex benevolentia. Et ob hujus abrogationem, recompensatio ex justitia non debetur, sed tantum ex benevolentia: sicut enim fuit prior remuneratio ex gratitudine, ita erit & recompensatio; hæc namque debet illi correspondere, prout latè *Suarez lib. 8. de leg. cap. 27. num. 6.*

Quæst. 10. An Merita debeant esse expressa in privilegio; ad hoc, ut verè remuneratorium dicatur?

1. SI Merita in donatione, aut privilegio exprimantur, cessat omninò lis omnis, & litigium; si tamen non sint expressa; ad hoc ut donatio censeatur remuneratoria, satis est, quòd probetur, merita præcessisse, prout colligitur ex *l. si verò, §. idem Papinianus ff. mandati, & ibi gloss.* & clariùs in *l. si donatione, ver. postulas, C. de collat.* sequitur *Sylv. in sum. ver. donatio 2. q. 7. nu. 13. Tiraq. in l. si unquam, C. de revoc. donat. largitus,* & alii Doctores, quos allegat *Mascard. de probat. conclus. 560.*

2. Quæ meritorum probatio maximè desideratur in foro Cæsaris. Secùs autem in foro Dei, prout docet *Navarr. in summ. cap. 27. nu. 146. & Sanchez lib. 6. de matrimon. disputat. 6. num. 15.*

Quæst. 11. An Merita debeant omninò æquipollere Privilegio, ad hoc, ut verè remuneratorium dicatur?

1. REgulariter Princeps gratitudinis lege, plus reddit, quàm acceperit, teste *D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 6. & Arist. 5. ethyc. c. 5.*

2. Dixi lege gratitudinis & benevolentiæ; quia istud plus ex eo, quod excedit quantitatem accepti beneficii, ex debito justitiæ non debetur: satisfactio enim de rigore justitiæ postulat, ut reddatur æquivalens pro æquivalente; ergò cùm Rex plus dat, quàm accipiat, illud plus, gratis censetur dare, & spontè impendere.

3. Proindè quæsitum est, an istud plus, suprà quantitatem meritorum, à Rege concessum, obstet, quin Privilegium remuneratorium, revera dici possit?

Ad hoc quidam respondendo probabiliter dixerunt, Merita, & obsequia tunc dici æquivalentia, quando concessio in modico excedit meritorum valorem; nempè in quarta parte: utputà, si obsequia & merita quindecim valeant, & Princeps reddat, vel concedat viginti; in tali casu tota donatio censebitur remuneratoria; secùs si excessus sit nimius, quia tunc erit liberalis donatio; quod colligitur ex *l. si verò, §. idem Papinianus ff. mandat.* ita docent *Navarr. de redd. q. 1. num. 91. & in Apolog.* ad eum librum, in prima edit *q. 1. monit. 82. num. 6. & Barbosa in l. quæ dotis, ff. sol. matrim. num. 6.*

4. Tamen probabiliùs erit, cùm de hac æquipollentia certa regula dari minimè possit, hoc totum Viri prudentis arbitrio committere, ità *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 6. num. 9. Tiraq. ubi suprà, Jul. Clar. lib. 4. recept. sent. § donatio, q. 8. § sed pone.*

Quæst. 12. An privilegia remuneratoria, possint ex justa causa revocari?

1. IAm diximus posse; dummodò revocatio fiat ex justa & subsistente causa; ita *Bald. in l. donationes, C. de donat. inter vir. & uxor. & Tiraqell. in tractat. de pœn. temp. in præfat. num. 21.*

2. Quæ quidem causa debet esse nova, vel antiqua, non prævisa tempore concessionis, quæ si fuisset cognita, aut prævisa, Princeps non contraxisset; prout multis citatis docet *Pregr. de Jur. fisc. lib. 1. tit. 3. num. 67.*

3. Quæ item principaliter debet respicere publicam utilitatem, non autem secundariò, *Menoch. cons. 156. num. 48. & Suar. de leg. lib. 8. cap. 37. num. 9.*

4. Proindè tempore communis necessitatis, ut imminentis pestis, aut belli, omnis immunitas revocatur, *l. 1. C. de Navibus non excus. lib. 10. & l. 2. C. de quibus muner. nem. se excus.* ita *Ripa in tract. de peste, tit. de remed. pest, n. 184.* Quod intellige de immunitate concessa ab homine, secùs à Jure, *Roland. cons. 86 num. 1. vol. 3.*

5. Quæ tandem debet esse probata, & non præsumpta, sed conjuncta cum debita recompensatione; ut suprà dictum fuit.

Quæst. 13. An privilegia Bullæ Cruciatæ suspendantur in anno Iubilæi, quod in vigesimo quinto quoque anno, Romæ conceditur, & per totum Orbem publicatur?

1. EX hucusque decisis facilè erit præsens quæsitum negativè decidere: Privilegia enim *Bullæ Cruciatæ* per modum contractus conceduntur; hoc est, mediante pecunia, pro fidei defensione impendenda; prout constat ex illis verbis, *è perche Voi N havete dato due Aquile d'argento.*

2. Hujus generis privilegia nequeunt revocari, nisi ex justa

7. Ex vi namque hujus Clausulæ, *tantùm*, ea excluduntur Privilegia, quæ immediatè & principaliter laicorum respiciunt favorem, licèt secundariò cedant in honorem Religionum, prout est illa Indulgentia plenaria, concessa visitantibus Ecclesias nostras in die Sancti Dominici Patris nostri, quæ quidem suspenditur pro Sæcularibus in illis Regnis, ubi *Bulla* prædicatur, sic adeò, ut sine dicta *Bulla* nequeant Sæculares jam dictas indulgentias plenarias consequi, etsi Ecclesias nostras visitent in præscripto die. Secus autem Fratres, qui illam lucrantur, etiamsi dictam *Bullam Cruciatæ* non habeant; Et hoc ideò, quia illa exceptio suspensionis gratiarum & privilegiorum, non est exceptio gratiarum concernentium totam Religionem primò & secundariò laicos; sed versa vice; concernentium laicos primariò, & secundariò Ecclesias Regularium; prout latè *Rodrid. Joann. & Ludov. à Cruce in* præcit. *loc.*

8. Hinc patet, Sæculares deferentes habitum nostrum, vel aliarum Religionum ex devotione, vel Cordam Divi Francisci, vel Corrigiam Sancti Augustini, grana benedicta & similia, sine *Bulla*, minimè posse indulgentias lucrari: quia hæc privilegia uti concessa singularibus personis, personalia sunt, & per *Bullam* jam dictam suspenduntur.

9. Quod item procedit de laicis, qui virtute concessionis *Nicolai Quinti*, absque *Bulla* prædicta nullatenùs tempore universalis, vel specialis interdicti possunt tradi sepulturæ, nec interesse divinis officiis, quæ in Conventibus, & Monasteriis Fratrum Benedictinorum celebrantur: quia prædictum privilegium, respectu sæcularium est personale ut per plura benè ostendit *Rodr.* in eodem *tom. 1. qq. regul. q. 61. art. 14. verbo tertio insertur, & Joann. à Cruce in eod. cap. 7. conclus. 3. dub. 3.*

Quæst. 16. *Anno Iubilæo Regularium privilegia an sint suspensa; tum respectu Religiosorum, quàm laicorum.*

1. IN decisis habemus, anno Jubilæo quinque præcipuè suspendi & Regularibus prohiberi: omnis scilicet indulgentia plenaria, authoritas vota commutandi, facultas dispensandi, vel commutandi malè ablata incerta, & potestas Confessarios instituendi, cum potestate absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis, prout habetur in *extrav. Sixti Quarti, in cap. quemadmodum, de pænitem. & remiss.*

Ubi Papa, nè minuatur celebritas Jubilæi, aut fideles ipsi tanti muneris reddantur expertes, sic loquitur: *omnes & singulas plenarias, etiam ad instar Jubilæi Indulgentias, ac etiam commutandi Vota, aut super eis, & malè ablatis incertis, aut per usurariam pravitatem, vel alium illicitum modum extortis, dispensandi, & componendi, aut illa sub certis modo, & forma remittendi, & deputandi Confessores, cum potestate absolvendi, etiam in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, facultates, concessiones & indulta, à nobis & eadem Sede, vel illius authoritate quibuscunque Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & piis locis, Universitatibus, Fraternitatibus quibuslibet, tàm in perpetuum, quàm ad certum tempus in vita, seu mortis articulo, quovis modo, aut quavis causa quomodolibet concessas, & concessa, & in posterùm forsitan concedendas, vel concedenda, authoritate Apostolica tenore præsentium de Apostolicæ potestatis plenitudine suspendimus, & suspensas esse volumus*, hæc ibi, & in *subsequenti cap.* quod incip. *etsi dominici*, Idem Papa restringit Mendicantium Privilegia, & contra transgressores pœnas apposuit, quas tu consule & vide.

2. Hinc collige quoad prædicta quinque, currente, & Jubilæo durante, Regulares virtute suorum privilegiorum, nec indulgentiam plenariam posse consequi, nec vota commutare, nec dispensare, nec à casibus Sedi Apostolicæ reservatis absolvere; quia prædicta quinque, Jubilæi tempore tàm quoad Fratres, quàm quoad sæculares sunt vetita, & suspensa.

3. Secùs autem dicendum de Indulgentiis non plenariis, de facultate componendi, de rebus incertis obtentis, absque ulla culpa. Sic item de authoritate eligendi Confessarium pro absolutione in foro conscientiæ, ab iis, quæ Prælatis, Papa inferioribus reservantur; quia constitutio odiosa non debet extendi, nisi ad expressa; ita *Navarr. de Indulgent. §. in levit. notab. 28. num. 13. & notab. 30. nu. 51. & Rodr. in expos. bull. Cruc. §. 12. nu. 13.*

4. Verùm, quia non uno & eodem modo, sed cum amplissima, vel limitata potestate Romani Pontifices solent indulgentias concedere, & Jubilæa indicere, non erit inutile, *Bullas* attentè legere, & præcipuè *Bullam* Indictionis Jubilæi, ejusque singula quoque verba diligenter notare: sunt etenim *dict. Bullæ* omninò observandæ, juxtà illarum seriem, continentiam, & tenorem. ita *Sanch. in sum. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 62.* cum aliis multis, quos citat *Pater Ant. Dian. p. 1. tract. 11. de bulla cruciata, resol.* 100.

Quæst. 17. *An per Bullam Cœnæ Domini, quæ Romæ die sancta Iovis quotannis publicatur; Mendicantium revocentur privilegia?*

1. DE hac re, Deo duce, infrà latè dicemus; pro nunc autem, omissis *Doctorum* disputationibus, si loquamur quoad occulta Religiosorum peccata, eorumque conscientiæ forum, resolvo negativè quæsitum; secùs verò censeo dicendum, quoad forum contentiosum, & ubi delicta sunt publica: occultum autem in hoc casu illud dicitur esse, quòd non est jure notorium, prout satis explicat *Navar. cap. 27. nu. 250.*

2. Verumtamen, respectu laicorum quoad casus dictæ *Bullæ Cœnæ*, & alia, ut infrà dicemus, quovis foro, sivè sint publica, sivè occulta eorum delicta, per annuam dictæ *Bullæ* publicationem; sic adeò revocantur privilegia, ut nullatenùs possint illis suffragari sine nova confirmatione, vel speciali licentia Domini Papæ; ita docent quamplurimi *Doctores*, quos citat & sequitur *Rodr. tom. 1. qq. regul. q. 20. ar. 9. D. Mart. Alfons. Vivaldus p. 1. sui candel. aur. de absolutione Sacram. num. 13. ver. pro quo nota; & in explanat. bull. cœn. dub. 5. n. 141.*

3. Quod nedum tot *Doctorum* authoritate fulcitur, verùm etiam & ratione fundatur, &

Primò, quia multa extant Regularium Privilegia, quibus eorum Prælatis datur facultas absolvendi subditos à casibus Papæ reservatis & contentis in *Bulla Cœnæ Domini*: exceptis tamen quibusdam, prout est videre in nostro *Mari Magno*, à *Sixto Quarto* concesso anno Domini 1479. 7. kal. Augusti sui Pontif. 8. quod incipit *Regimini Universalis Ecclesiæ*, & habetur in nostris *Privileg.* collectis per *P. Fr. Stephanum Ususmaris Genuens.* olim Magistrum Generalem nostri Ordinis, *fol. 149. & Iacobum de Voragine* Archiepisc. Januens. ex Ordine nostro assumptum, *fol. 2. in med. d. bull.* & propè *finem*, cum derogatoriis derogatoriarum, & omnium Constitutionum Apostolicarum, &c.

4. Ubi & alias multas *Constitutiones* reperies per eundem *Sixtum Quartum* nobis concessas, quarum illam non pigeat legere, quæ incipit, *Noverint universi*; quam transfert *Rodr.* & notat in suo *Bull. bull. 33. §. 14.* de quibus latè noster *Petrus Martir Festus p. 2. sum. Constit. Ordinis Prædic. c. 65. & Miranda tom. 1. Manual. q. 7. ar. 3. & q. 33. ar. 7.*

5. Idipsum leges in *Bulla Pii Quinti* concessa anno 1571. Pontif. sui 6. quà concessit Patribus Cassinensibus, ut possint absolvere omnes suos Fratres, tàm professos, quàm novitios (in Religione tamen perseverantes) à quibus-

quibuscunque peccatis, censuris & pœnis, per eos, tàm antè, quàm post ingressum in dictam Congregationem, seu professionem incursis, & in futurum incurrendis: etiam si fuerint de casibus Apostolicæ Sedi reservatis, vel de comprehensis in *Bulla Cœnæ Domini*, singulis annis legi consueta. Et hoc tótiès, quotiès opus fuerit, adjuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari. Et refert *Alex. Peregr. in compend. privil.* sui *Ordinis p. 2. tit. absolut. §. 2.*

6. Et in *Bulla Greg. XIII.* anno 1584. die 18. Martii, qua concessit P. Generali Jesuitarum, ut posset absolvere suos subditos, etiam ab hæresi, & à relapsu in hæresim, & habetur in *comp. privileg.* dictæ *Societ. tit. absolutio, §. 7.* & docet *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. cap. 21. nu. 2.* & alia similia privilegia refert *Casarub. in comp. privil. Mendic. ver. absolut. & ibi Capuccinus à Sorbo.*

7. Quæ quidem Privilegia, nedum virtualiter & tacitè; sed etiam expresse dant Prælatis facultatem absolvendi Subditos, & dispensandi in omnibus casibus Papalibus, etiam contentis in *Bulla Cœna*; exceptis tamen illis quinque, & conspiratione in Rom. Pontif.

8. Ac proindè, per *Bullam Cœna Domini*, quæ singulis annis publicatur, minimè revocantur; prout expressè declaravit *Jul. 2.* anno Domini 1510. die 27. Febr. sui Pontif. septimo, ad instantiam illius Sapientissimi viri P. Fratris Thomæ de Vio Cajetani, tunc temporis meritissimi nostri Ordinis Magistri Generalis, & postmodùm Eminentissimi Sancti *Sixti* Cardinalis; sua *Constitutione*, quæ incipit; *Exponi nobis fecisti*, ubi declarat; in quibus casibus ad Sanctam Sedem recurrendum esset pro absolutione, & dispensatione censurarum, & irregularitatum à personis Ordinis nostri; & quod Mendicantium privilegia, quæ expressè facultatem faciunt absolvendi, vel dispensandi, etiam in casibus *Bulla Cœna*, per annualem ejusdem *Bulla* publicationem perempta non sunt.

9. Quod etiam declaravit *Paul. IV.* pro Congregatione Clericorum Regularium: & notat *Peregr. ubi suprà 2. p. compend. ver. bull. Cœn. §. 1. & Peyr. in Privil. Minim. in const. 4. Sixti IV. tom. 1. fol.* mihi 150. *num. 5. in fin. & Duard. in d. Comm. bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 53. num. 10.*

10. Quod item magis solidatur, si advertas in *Bullis Cœna Sixti V. & Clementis VIII.* reperiri hæc verba (*nisi in eis privilegiis*) *etiam casus, præsentibus literis expressi comprehendantur*; sed ita est, quod de facto comprehenduntur, ut in illis apparet; ergò per *Bullam Cœna* non censentur revocata.

11. Et quamvis dicta Clausula in aliis *Bullis Cœna* subsequentium Pontificum non habeatur, semper tamen debet intelligi, quia sicut in concessione generali casuum, ad summum Pontificem spectantium, non veniunt casus *Bulla Cœna*, prout communiter docent *Doctores*; sed requiritur, quod in specie concedantur: ita in revocatione generali privilegiorum absolvendi à casibus Papæ reservatis non comprehenduntur ea, quæ expressè absolutionem casuum dictæ *Bulla* concedunt, sed requiritur, quod de iis fiat expressa mentio, hoc pacto, videlicèt: *non obstante quocunque Privilegio, quo Fratres possint absolvi à casibus Bulla Cœna, etiam si in eis auctoritas ad eorundem Fratrum absolutionem in foro conscientiæ concedatur*, quod hucusque factum non videmus, prout docet *Roc. Morgon.* quem sequitur *Rodr. & Peyr. ubi suprà.*

12. Et hoc totum Jure cavetur; lex enim posterior, generaliter & indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat; prout habetur in *l. sed & posteriores; ff. de legibus*, posteriores enim leges, ad priores pertinent, si contrariæ non sint, sed Clausula *Bulla Cœna*, quæ est lex posterior, reservans eorum casuum absolutionem, revocansque facultates absolvendi priùs concessas, potest intelligi per aliquam limitationem referri ad facultates, quæ concernunt absolutionem eorum casuum, qui sunt publici, vel per laicos commissi; ergò licitum est nobis, subditos Fratres absolvere, virtute privilegiorum à casibus *Bulla Cœna* in foro Dei, & quando eorum delicta sunt occulta, prout *Navarr. in summ. in d. cap. 27. num. 260. & lib. 5. consil. tit. de privil. tom. 2. consil. 11 q. 1. num. 1.* & noster *Bannes in 2. 2. quæst. 11. ar. 4. dub. 2. ver. nisi obpciat*, post *2. conclus. argum. 30.* cum aliis multis, quos ipsi citant.

13. Et confirmatur: nam *Bulla Cœna*, non obstante sua rigorosa revocatione, non tollit, quominùs valeant privilegia *Bulla Cruciata* ad absolvendum à casibus *bulla Cœna*, exceptis illis, qui exprimuntur in dicta *bulla Cruciata*, prout omnes docent; secùs autem fideles deciperentur in illius receptione, quod non est dicendum; ergò nec poterit tollere Religiosorum privilegia; quæ validiora sunt, saltem quoad forum animæ, & cùm delicta sunt occulta: hæc enim nulli præjudicium inferunt, & pro quiete animarum Fratrum, & ad tollendum eorum discursum fuerunt concessa, aliàs mens Papæ defraudaretur, & Statui Religiosorum non esset benè provisum: essent enim in continuo motu, non sine scandalo & dispendio; prout docent noster *P. Antonius Sousa* Consultor Sancti Officii *in relect. bulla Cœna, disput. 100. num. 2. & Portell. in dub. Regul. verbo Abbas, num. 10.* & alii, quos allegat P. *Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regular. resolut. 10.*

14. Secundò, patet ex lectura *textus* ejusdem *bulla*, ibi etenim prohibetur absolvere, vel dispensare sub prætextu, non autem absolutè, & ratione privilegiorum, quæ de facto, verè & realiter dant facultatem absolvendi, vel dispensandi, etiam in casibus Bullæ Cœnæ: Prætextus enim est velamen, quo se moverì quis simulat ad aliquid agendum; prout habetur in *l. prætextu 1. & 2. C. de transaction.* & sic prætextus, illud non excludit, quod fit vera, & legitima facultate, prout est in casu nostro; sed illud, quod exercetur sub aliquo colore, velamine, ne dicam simulatione. ita *Sousa ubi suprà, Gonzalez in regul. 8. Cancell. glos. 57. num. 2. Villalob. in summ. tom. 1. tract. 9. difficultat. 61. num. 5. & Suarez tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 21.*

15. Tertiò, Prælati Regulares possunt cum suis subditis, quicquid potest Episcopus cum suis; & hoc, nedum virtute *Privilegii Pii V.* quod incipit, *Romani Pontificis*, & refert *Confect. pag. 227.* Verum etiam jure *Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. liceat.* Quod quippe *Capitulum* extenditur ad Prælatos Regulares; prout docent *Rodr. tom. 1. qq. regul. q. 61. ar. 9. Sanchez lib. 8. disput. 2. num. 12. Bossius sect. 1. de Jubil. casu 10. nu. 220. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 11. num. 83. in fine*, cum aliis multis, quos citat P. *Frater Franciscus Bordonus to. 1. var. resolut. resolut. 2. de potestate Prælatorum, quæst. 10.* Et hoc ideò, quia licet Prælati Regulares non sint in se Episcopi; sunt tamen æquipollenter, & quoad potestatem Jurisdictionis & Prælatorum nostrorum Diœcesis, & territoria sunt Monasteria, ut docet *Coriol.* in *loc.* infrà cit.

16. Immò, Prælati Regulares majores, uti sunt Generales & Provinciales, ad absolvendum, & dispensandum cum suis Subditis majorem habent potestatem, quàm Episcopi: prout docent *Navar. consil. 23. de privileg. Rodr. in summ. p. 1. cap. 29. Suar. tom. 4. disp. 55. & P. Franciscus Longus* Coriolan. *Capuccinus in tract. de casibus reservat. par. 1. sect. 1. ar. 2.* & docet *Glos. verb. Regularis, in cap. ne pro defectu 41. de elect.* per *cap. si quis deinceps 16. quæst. fin.*

17. Episcopi autem, prædicto Jure *Concil. Trid.* possunt absol-

absolvere, & dispensare cum suis subditis, non obstante rigorosa *Bullæ Cœnæ* revocatione; prout docet multis citatis *Vivaldus* in cit. *loc.* sui *Candelabri*, quod jus absolvendi, & dispensandi datum Episcopis per *Conc. Trid. in d. sess. 14. de reform. c. liceat*, non est Jus novum omninò, sed renovatis antiquum. Et habetur in *Decretis, dist. 50. cap. 21.* quod incipit, *Contumaces, & subsequenti cap. si quis Presbyter, cap. 110.* quod incip. *erga Simoniacos, caus. 1. q. 1.* & in *Decretalib. tit. de Judic. cap. 4. at si Clerici, & in 6. de sent. excommunicationis, cap. 29.* quod incipit, *Nuper à vobis, & cap. sacrosanct. de sent. excommunic.* quæ loca oculatim legere non pigeat, ad hoc, ut cognoscas, prædictam potestatem dari Episcopis ex antiquo, & novo Jure *Conc. Trid.* & quoad hæc Episcopos procedere authoritate ordinaria, non autem jure Legati, nec ex speciali commissione, prout voluit *Lezana in p. 1. summ. qq. regul. cap. 18. num. 31. & 38.* & in sua 3. *p. verb. Bulla Cœnæ, num. 54.* ubi gratis asserit in præcitato *loco Conc. Trid.* dictis Episcopis tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ prælibatam impartiri facultatem, quod *ibi* nullatenus exprimitur, prout Sancta Synodus exprimere solet, cùm ad aliquid speciale peragendum delegat Episcopos, prout in multis *Capitulis* præcit. *Concil. Trident.* est videre, & patet.

18. Hujusmodi ergò facultas competit Episcopis authoritate ordinaria, & jure suo, sive sit novum, vel antiquum, prout docet *Joan. à Cruce, de statu Religionis lib. 1. de vot. obed. cap. 6. dub. 14. fol.* mihi 79. *& Coriol. in dict. tract. de casibus reservat. p. 1. sect. 1. art. 25. num. 4.* ubi loquens de hoc, dicit: *maximè, quia hoc Decretum Concil. non censetur Jus novum exorbitans ab antiquo, sed potius reducens jus ad suam antiquitatem, & naturalem statum, quem habebat.*

19. Proinde, comprehendere Prælatos Regularium, qui jurisdictionem habent in suos subditos, & Diœcesim, & territorium independenter ab Episcopis; quia Provincialium Monasteria, sunt eorundem Prælatorum, quasi distincta Diœcesis; prout *Coriolanus ubi suprà, & Bordon. p. 1. cit. loc. resolut. 2. q. 9. & q. 10.*

20. Quibus addas, speciale Privilegium Patribus Minimis, vivæ vocis oraculo concessum à *Leone X.* die ultima mensis Martii, anno Domini 1515. & sui Pontific. anno 3. ad instantiam Laurentii Cardinalis Sanctorum quatuor, & Protectoris dicti Ordinis; quo tam Patres Minimi, quàm omnes alii Prælati Regulares, ob communicationem Privilegiorum, possunt suos Fratres subditos absolvere à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, etiamsi tales forent, propter quas Apostolica Sedes meritò esset consulenda, etiam de contentis in *Bulla Cœnæ Domini*, exceptis tantummodo illis quatuor, quæ *Sixtus IV. in Mari Magno* excipere voluit, item ut possint dispensare super quacunque irregularitate cum suis Fratribus, quomodolibet contracta, & hoc in foro conscientiæ tantùm; prout clariùs licet videre in dicto *Privil.* quod per extensum refert *Laur. Peyr. in tom. 3. Privileg. Minimorum, in addit. ad Constitutionem Sixti IV. num. 35. fol.* mihi 52.

21. Nec officit dicere, hodie Oracula non vivere; quia hujus generis Oracula plus hodie, quàm unquam maximè vigent; prout Dominus Papa *Urbanus* anno 1636. sua *Constit.* quæ incipit, *Aliàs felicis, &c.* declaravit, Constitutiones revocatorias vivæ vocis Oraculorum non comprehendere illos Officiales Sanctitatis suæ, quibus ratione munerum suorum, antea de Summi Pontificis Oraculo fides haberi solebat.

22. Protectores autem Ordinum propriè dicuntur Officiales Papæ, & tanquam Papæ Ministri, jurisdictionem in Religiosos sibi commissos exercent; prout idem *Peyr. in suo formul. lit. Z. cap. 3. fol. ult. de formul. num. 2.* & sic standum est testimonio præfati Cardinalis, d. Ord. Protectoris, ad præscriptum præfatæ *Urban. Constitutionis.*

23. Et ultimò, pro confirmatione nostræ conclusionis non pigeat notare absurda, vel inconvenientia, quæ ex contraria opinione nascuntur, notata per *Rodr. in d. 1. tom. qq. regul. q. 20. art. 9.* & adde, quòd Rom. Pontifices, cùm nostra confirmant privilegia, solent quasdam *Clausulas* apponere; *Dummodò non sint contraria Decretis Conc. Trid.* & similia. Vel solent in specie declarare, quòd virtute privilegiorum non liceat absolvere à casibus, loci Ordinario reservatis, & à quibusdam aliis, prout fecit *Clem. VIII.* Exceptio firmat regulam in contrarium; cùm ergo in confirmatione privilegiorum nulla fiat in specie reservatio casuum *Bullæ Cœnæ*, demptis exceptis, reliqua censentur concessa: eò magis, quia agitur de quiete Religiosorum, & salute animarum: favores enim ampliandi; juxta *regulam Jur.* & docent communiter *Doctores.*

24. Nec ab his recedas, ex eo, quòd Sacra Congregatio Regularium sæpè secùs declaravit; & quòd hodie præcipuè jussu *Urb. VIII.* sub die 17. Novembris, 1628. testatur, Regulares in vim privilegiorum absolvere non posse à casibus *Bullæ Cœnæ*, & aliis, prout habetur in *d. Decreto*, quod per extensum habes in *libro* attitulato *Bullæ, & Decreta recentiora, fol.* 189. & 190. & quòd ita fiat de stylo Curiæ, eò maximè, quia stylus interpretativus, vel certus Curiæ est attendendus, ex quo facit jus quoad omnes, *cap. si eo tempore, de rescriptis, in 6.*

25. Quandoquidem, tam prædictum novissimum *Decretum Urb. VIII.* quàm consimiles aliæ Declarationes præfatæ Congregationis, debent intelligi respectu Sæcularium, & quando delicta sunt publica: non autem in ordine ad Regulares; prout docent *Molfes. p. 1. summ. tract. 7. cap. 21. num. 19. & 20. Vega p. 1. summ. cap. 29. casu 1. Portell. verbo Abbas, & Sousa cit. loc. Naldus in summ. verbo reservatio, vers. & cùm de hac*, ubi expressè hoc fatetur, *Grat. discept. for. tom. 5. cap. 893. num. 57.* ubi per multa hoc probat; & *Peyr.* post multos citatos, tam in 1. *tom. privil. cit. loc.* quàm in 3. *tom. Privil. in addit. ad Const. Sixti IV. num. 37. & num. 30.* ubi per extensum habes prædictum *Decretum.* Et hoc ideo, quia odia sunt restringenda, & in odiosis non comprehenduntur Regulares, nisi in specie exprimantur, prout docent *Doctores.*

26. Et prædictus Stylus Curiæ, etsi respectu Religiosorum, etiam quoad forum animæ contrarium videatur observare, censeo, hoc potiùs fieri, ad majorem cautelam conscientiarum, & partis instantiam, quàm de necessitate; quia pro salute animarum tutior via est eligenda.

Hinc, Amice Lector, ad te præcavendum ab omni errore, vide *d. cap. de rescriptis*, item *d. Urban. Constitutionem* declaratoriam *Oraculorum vivæ vocis*, quam habes per extensum hîc infrà *tract. de revocat. Oracul.* insuper tenorem *Decreti* apponi soliti in *Bulla Cœnæ Domini*, nec non *d. Decreta Sac. Congregat.* quæ per extensum habentur in *4. p. tract. de potestate absol. & dispen. Prælatorum, & Epistolam* super id editam, jussu Emin. ac Reverendiss. Cardin. Philamarini, & est tenoris sequentis:

Ascanio per la di Dio Misericordia del Titolo di Santa Maria Aracœli della S. R. Chiesa Prete Cardinale Filamarino Arcivescovo di Napoli, & Delegato Apostolico. Havendo la Sacra Congregatione sopra i negotii di Vescovi, e Regolari drizzata à Noi lettera del

tenor sequente v3. A foris all' Eminentiss. & Reverendiss. Signor mio Observandissimo, il Signor Cardinale Filamarino Arciuescouo di Napoli. Locus † Sigilli. Intus verò Eminentiss. & Reverendissimo Signor mio Observandissimo. Questa Sacra Congregatione hà più volte dechiarato, con ordini espressi di Clemente Ottauo, di Gennaro, e Nouembre 1602. di Paolo Quinto di Gennaro 1617. & di Vrbano Ottauo, Santa Memoria, di Nouemb 1628. Che tutte le facoltà d' assoluere da Casi reservati, ò reseruandi da gli Ordinarij, ò vero compresi, ò da comprendersi nella Bolla in Cœna Domini implicitè, vel explicitè, & altri reseruati solamente alla Santa Sede nel medesimo Decreto di Nouembre 1602. concessa à Secolari, ò Regolari, Congregationi, ò Confraternità di qualunque prerogatiua, ò spetialità, etiam necessariò exprimenda, sono state annullate, & estinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle sudette Constitutioni E che in vigore delle confermationi, estensioni, ò communicationi, ottenute dopò, ò da ottenersi per l' auenire sotto qualsiuogliano amplissime clausule, non s' intenda mai renouata la sudetta facoltà, riseruando solo gl' indulti concessi spetialmente fuori d' Italia, ò dentro Roma, quanto alli Casi riseruati alla Santa Sede, non compresi nella sodetta Bolla; onde venendo rappresentato alla Santità di N. Signore da V. Emin con sua lettera de 4. d' Agosto precedente, che in cotesta Città, e sua Diocese alcuni Confessori secolari, & Regolari, senza giustificare, con quali facoltà assoluono de fatto dalle Censure, e casi sudetti. Et inoltre disseminando opinioni erronee, asseriscono, che per poter assoluere validamente dalli casi riseruati all' Ordinario, basti hauer domandato al medesimo là facoltà, ancorche ricusi di concederla. Questi Eminentissimi miei Signori, di commissione espressa di Sua Beatitudine, me hãno imposto di scriuerle, che coll' auttorità, ch' à tal' effetto se le comunica, in virtù delle presenti, e sotto le pene, che giudicherà espedienti faccia intendere à tutti, e Confessori di costì, siano quantosiuogliano priuilegiati, & esenti, che onninamente si conformino con i sudetti decreti, & non ardiscano di contrauenire sotto qualsiuoglia pretesto, ò caso, etiam di precisa necessità, fuorche in articulo mortis, con reincidenza, si conualuerint. Dichiari similmente annullati tutti gl' Oracoli, & Indulti Apostolici, ottenuti in voce da detto tempo in quà, & à gl' altri che pretendono hauerne Breue ò Bolla in forma specifica dopò l' ultima Constitutione d' Vrbano prefigga vn termine perentorio di trè mesi, ad esibirle à questa Sacra Congregatione, altrimente vuole, e dechiara N. Signore, che s' intendano decaduti, e priuati di essi, eò ipso senz' altra intimatione. Et finalmente, che dopò hauer fatto notificar costì, doue, e come stimarà esser di bisogno, che quelli, che dimandano all' Ordinario la facoltà d' assoluere, e non l' ottengono, non possono valersene Ella dichiari incorrere nella sospensione dall' vdir le Confessioni sacramentali, quelli, che publicamente defenderanno la dottrina sodetta, ò pure presumeranno temerariamente di assoluere, ancorche loro sia stata denegata, ò non concessa la facoltà da gl' Ordinarii. Così V. Emin. resti seruita di fare, che pontualmente si esseguisca, con dar quà distinto auiso dell' operato. Et io le bacio humilmente le mani. Di Roma 7. Decembre 1646. Di V. E. Humilissimo, & affettionatissimo seruitore M. Cardinale Ginetti. G. Arciuescouo di Patrasso Secretario. Napoli Sign. Cardinale Arciuescouo sopra li Confessori. Per l' auttorità à Noi concessa à tal' effetto in virtù di detta lettera ordiniamo, e comandiamo à tutti i Confessori Regolari, Secolari, omnibusque in exequutione præsentium nominan. & cognominan. di questa nostra Città, e Diocese, siano quanto si vogliano privilegiati, & essenti, sotto pena della reuocatione della facoltà d' vdir le Confessioni Sacramentali eò ipsò che contraueneranno, carceri formali, & altre à nostro arbitrio, che onninamente debbiano ad vnguem osservare il contenuto in detta preinserta lettera, prefiggendo à gl' altri, che pretendono hauerne Breue, ò Bolla in forma specifica, dopò l' ultima Constitutione della Fel. Mem. d' Vrbano Ottauo per termine peremtorio trè mesi dal dì della notificatione della presente, ad esibirle alla medesima Sacra Congregatione. Dechiarãdomo incorrere nella sospensione dall' vdir le Confessioni Sacramentali, quelli che publicamente defenderanno la dottrina sudetta, ò vero presumeranno temerariamente d' assoluere, ancorche loro sia stata denegata, ò non concessa da Noi la facoltà. Et acciò da nessuno se possi allegar causa d' ignoranza. Ordinamo, che la Copia della presente sia personalmente intimata alli Superiori delli Regolari, quali debbiano frà duè giorni quella notificare in publico Capitolo à detti suoi Regolari. Volẽdomo, che dopò detta notificatione astringa tutti, come se fosse stata à ciascheduno personalmente intimata. Dat. dal nostro Palazzo Arciuescouale il dì 26. Febraro, 1647. Ascanio Cardinal Filamarino Arciuescouo di Napoli, & Delegato Apostolico. D. Bartolomaus de Neap. Actorum Mag. Sancti Officii.

Quæst. 18. An Privilegia Regularium fuerint aliquando limitata?

1. IUgi ferè limitatione fuerunt Mendicantium Privilegia limitata; & primò per *Concilium Lateranense* sub *Leone X. Constitut.* quæ incipit, *Dum intra mentis arcana,* & infrà *Sacro approbante Concilio*, & habetur in *Bullar. fol.* 218. quam transfert *Stephanus Quaranta in summ. Bull. verbo Privilegia Regul.*

2. Secundò, fuerunt limitata per *Sacrum Concilium Tridentinum*; prout liquet in ejus multis *Decretis*, & *Capitulis*; sic item per *Pium Quartum* suâ *octava Constit.* incip. *In Principis Apostolorum Sede*, quæ in fine ejusdem *Conc. Trid.* solet apponi: & per *Greg. XIII.* sua 26. *Const.* quæ incipit, *In tanta rerum, & negotiorum mole,* qua *Constitutiones Pii Quinti* pro Mendicantibus, & aliis Regularibus contra locorum Ordinarios editas, reducit ad terminos Juris, & *Concilii Tridentini.*

3. Et per Sacram Regularium Congregationem jussu *Clementis* VIII. & *Urbani* VIII. nuperrima limitatione censentur revocata, prout meliùs, & clariùs est videre in *libro* attitulato *Bulla, & Decreta recentiora fol.* 190. & 199. ubi multa hujus generis habes, & constat ex supradicta *Epistola.*

Quæst. 19. An per Dominum Papam Regularium Privilegia possint validè & licitè revocari?

1. QUod jugiter fit, nefas est, vertere in Utrum. Verùm cùm non desint, qui crebrò dicant (licèt temerè) Privilegia Mendicantium, nec per Dominum Papam posse licitè revocari; quorum, etsi quamplurimæ sint congruentiæ, unus tamen extat Achilles.

2. Supponunt etenim, nostra Privilegia esse concessa, vel ex causa onerosa, vel per modum contractus, aut ex causa meritorum, quæ, (ut pauló antè diximus) æquipollent, & sine justa, & rationabili causa, ac prævia compensatione non possunt revocari, prout docent *Felin. in cap. nouit, num.*12. *de Judic. Panor. consil.* 3. *vers. fin. q.* 19. *Capyc. dec.* 121. *num.* 16. *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disput.* 33. *num.* 4. & post multos citatos *D. Reg. Tapia in l. ultim. de constit. princip. p.* 2. *cap.* 9. *num.* 6.

3. Quod & probant multorum Pontificum testimonio, & præsertim *Sixti Quarti, in Bulla,* incip. *Sacri Prædicatorum, &c.* anno Domini publicata 1579. 7. Kalendas Augusti, Pontificatus sui anno 8. in cujus *Bullæ* exordio narratur causa tot privilegiorum per eundem *Sixtum* con-

concessorum, ibique illa dicitur esse, *quia Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines instar duorum primorum fluminum à cælestium voluptatum, & amœnitatum Paradiso egredientium, Sacrosanctæ universalis Ecclesiæ terram, ne mundanarum cupiditatum, & vitiorum calore arescat: præclara doctrina, virtuosorumque operum, ac multiplicium meritorum imbribus irrigantes, magis, ac magis illam in dies fructuosam efficiunt; hi sunt duo Seraphin, qui in sublime contemplationis, & Seraphici amoris alis elevati, terrenisque rebus abstracti, assiduo divinarum laudum clamore, & immensorum beneficiorum, humano generi à Summo Opifice Deo exhibitorum declaratione, Ferventissimis prædicationibus populos instruendo, & ad cæleste iter dirigendo insistentes, multiplicata talenta eis credita, Domino Deo mundæ segetis, animarum scilicet, Redemptoris nostri Iesu Christi pretiosi sanguinis effusione redemptarum: copiosos in horrea Sanctæ Ecclesiæ manipulos referunt: ii sunt duæ Tubæ, per quas Dominus præcepit ad pabulum sacri Evangelii universum populum assiduis prædicationibus advocare, ut in omnem terram exiret sonus eorum, & redderet sibi populum acceptabilem, & bonorum operum sectatorem.* hæc ibi.

4. Idipsum fatentur plures alii Romani Pontifices, quos idem *Sixtus* nominat in *Bulla*, quæ dicitur *Mare Magnum*; hoc est, Collectio multarum Bullarum, & infinitarum gratiarum, quos inter *Eugenius* dicebat, *se illa nobis privilegia* concedere, *ex eo, quòd prædicti duo Ordines, mundanis abjectis illecebris, sub sacro Religionis jugo, Altissimo vota redderent, & circa fidelium animarum salutem, & hæreticorum, & aliorum infidelium quorumlibet debitam conversionem, prædicationibus, & doctrina, continuè laborarent*; ergò intuitu tot laborum, & ex causa meritorum sunt Mendicantibus privilegia concessa: Et pecuniæ, & merita æquiparantur, *Isern. in cap. 1. num. 3. de feud. & D. Reg. Constant. in comment. ad lib. 12. Cod. de filiis Officialium.*

5. Nihilominus, toto errant cœlo; quia Regularium Privilegia potiùs censentur nobis concessa de benignitate Apostolica, quàm aliunde; hinc dicuntur Principis beneficia, prout crebrò legitur in eisdem *Papalibus Constitutionibus*, ubi expressè ponitur, *de benignitate Apostolica.* Quæ quippe Privilegia sine controversia, tam à concedente, quàm ab ejus successoribus, ex justa causa, moraliter cognita, possunt validè, & licitè revocari; & quod magis notandum, absque onere recompensandi: prout docet per multa jura *Gloss.* communiter recepta in *cap. decet, de regul. Jur. in 6. & Gramm. decis. 46. num. 5.*

6. Cùm Princeps gratis donat Privilegium, vel Castrum, non se obligat ad non revocandum ex legitima causa, sine recompensatione: quia si talis causa à principio extitisset, non donasset, & in concedendo, non se, nec posteros privat authoritate abrogandi; *Suar. lib. 8. de leg. cap. 37. num. 9.* post multos citatos, & *Merolla tom. 3. cap. 8. num. 474.*

7. Secundò, privilegia subditorum possunt sine justa causa revocari, prout docet *Ricc. collect. 1126. & Capyc. decis. 166.* & eò fortiùs, si loquamur de iis privilegiis, quæ concedentis jurisdictionem concernunt; quia in concessione Jurisdictionis, semper intelligitur excepta Superioris authoritas, ut dicitur in *cap. venientes, de jure jur.* Nos autem sumus immediatè subditi Romano Pontifici, ejusque auctoritatem nostra privilegia respiciunt, ergo: legantur *Afflict. decis. 361. num. 9. Tusch. tom. 6. litt. P. concl. 351. num. 7. Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 33. num. 5.* & alii.

8. Et hoc magis urget, & procedit in privilegio concesso à Principe, non recognoscente Superiorem, ceu est Dominus Papa; & hoc ideo, quia privilegia concessa subditis à Supremo Principe, non transeunt in dominium subditorum, sed semper pendent à voluntate concedentis. Per easdem causas, per quas res fit, potest resolvi, ut docent *Imola in cap. quæ in Ecclesiarum, de Constit. D. Reg. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princip. p. 2. cap. 9. num. 89. & P. Merolla tom. 3. de privil. cap. 7. disp. 6. n. 161.*

9. Tertiò, Regularium merita præstita pro salute animarum, & fidei propagatione, non dant nobis actionem, nec Jus agendi (quod est valde notandum) contra Romanum Pontificem, ita ut possimus contra eum implorare officium Judicis, eumque cogere ad remunerandum: tum, quia Pontifex non habet Superiorem in terris, à quo possit recognosci; nec ei dicere possumus, *Cur ita facis?* Cathedra enim Petri judicat omnes, & à nemine judicatur: tum etiam, quia hæc recensita, & alia, quæ præstamus, sunt aliunde debita, & tenemur præstare ex juramento, & pacto, quo Fundatores Religionum se, & posteros obligaverunt invigilare, ac tendere nervos, & arctus pro tuitione Ecclesiæ: nostra enim Religio Prædicatorum fuit præcisè instituta pro animarum salute, quæ fit, & exequitur, prædicatione, & doctrina: quoniam (ut suprà dictum est) in actibus necessariis, & debitis nemo dicitur liberalis existere, *l. rem legatam, ff. de adimend. legat. l. si servo. ff. de hæred. instit. l. proximè, ff. de ritu nupt.* & docent *Ripa in l. si unquam, q. 14. num. 3. verb. secund. C. de revoc. donat. & ibi Tiraquell. verb. donatione largitus.*

Et quamvis Papa dicat, se nostra merita remunerare; hoc dicit, & facit, non ex obligatione justitiæ; sed antidotali, seu ex gratitudine, & liberalitate.

10. Quartò, jam diximus, quòd etiam privilegia remuneratoria ex justa subsistente causa possunt annullari, quarum una sit illa, quam *Conc. Trid.* assignat in *sess. 24. cap. 11.* ubi ait: *Quoniam Privilegia, & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictionem excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ prabere dignoscuntur*; Item optima causa est, jus commune illibatum servare, & in casu violationis ad illud redire. Item jura, & Canones sunt res propriæ Romanorum Pontificum. Et ideò cùm Papa dispensat nobiscum in lege sua; id est, in jure communi, nullà compositione factà, sed gratis, & amore, potest à nobis validè dispensationem revocare, absque aliqua causa: dispensatio enim est relaxatio legis; & dispensare, est à lege eximere; & sicut potuit gratis subditum à sua lege eximere; ità potest illum, & denuò suæ legi submittere: ità communiter *Doctores*, & docet *Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 33. num. 11.*

11. Cùm igitur nostra bona servitia fiant ex debito, & obligatione Regulæ, haud poterint nobis dare jus agendi, nec implorandi officium Judicis pro satisfactione ex rigore Justitiæ.

12. Proinde, Privilegia intuitu prædictorum meritorum Regularibus concessa, censentur esse, & fieri de benignitate Apostolica, non autem ex debito Justitiæ, quæ etiamsi sic essent, nihilominus ob causas supradictas, & præcipuè pro observantia communis Juris, & pro custodia *Sacrorum Canonum*, & pro communi pace, & salute; hoc est, ne ipsis Privilegiatis, vel Episcopis de cætero sint nociva, possunt, reverà tutè, & validè revocari: ità post multos *Joan. Baptista Confect. in collect. Privileg. Sanctorum Ordinum Mendic. in summar. mater. verb. notab. de privil. revocatione c. 2. f. 291.*

13. Quapropter, Magnus Rex noster Philippus Quartus, tanquam Piissimus, ac Religiosissimus, procuravit in Hispania cassari per Pontificem omnia Religiosorum Privilegia, quibus aliquo modo Religiosi Regulares eximuntur ab obedientia suorum Superiorum; quod in ejus gratiam libenter fecit *Urban. VIII.* prout patet ex *Bulla*, quæ incipit, *Pastoralis officii*, edita anno Domini 1626. & habetur *tom. 4. Bullar. Cherub. Bull.*

37. Vide quæ dico in *tractatu de Dominio, & Potestate Prælat. Regul. q. 32. p. 4.*

Quæst. 20. ***An usus Privilegiorum possit tolli, vel restringi per Generales Ordinum, Capitula Generalia, vel Provincialia, sic adeo, ut tam Prioribus, quàm aliis Fratribus possit præcipi, ne concessis utantur Privilegiis?***

1. CUm distinctione respondeo, aut Regularium Prælati, eorumque Capitula Generalia, & Provincialia habent Privilegium, seu specialem authoritatem Apostolicam limitandi, & tollendi Ordinum privilegia: & sic sine lite possunt suis subditis præcipere, ne concessis utantur, ut infrà dicemus.

2. Aut carent tali facultate, & sic oportet subdistinguere diligenter. Nam, aut Privilegium concernunt jus commune; vel favorem Ordinum, sive Ecclesiarum, Universitatum, sive Collegiorum; sic adeo, ut dictis Ordinibus, & Communitatibus sint necessaria, vel utilia, vel honorabilia; & in tali casu, nec Capitulum, nec Conventus, nec Prælati, collegialiter uniti, possunt cedere hujus generis Privilegiis, ut dictum est in *quæst. 4. tract. de amissione privileg.* quia Juribus Ecclesiæ acquisitis nequaquam possumus renunciare, nec ejus Dignitati, inconsulto Rom. Pontifice, prout colligitur ex *gloss.* recepta in *cap. ult. 16. q. 16.* hæc enim renunciatio est species alienationis, quæ fieri nequit, absque Papæ beneplacito, ut in *cap. 1. de reb. Eccles. non alienandis,* & post multos ostendit *Layman. lib. 1. de leg. in q. 9. de Privil. num. 20. fol. 91.*

3. Proinde, nunquam valemus renunciare privilegiis fori, & Canonis, nec exemptionis à Jurisdictione Episcopi loci Ordinarii, nec item exemptionis à solutione decimarum; hæc enim concernunt, aut Jura Ordinum, vel totius Religionis, vel Jus tertii, ut putà Domini Papæ, cui non possumus præjudicare.

4. Aut Privilegia nobis concessa sunt contra Jus commune, & sic possunt per Capitulum tolli, & abrogari, cæterisque mandari, ne illis utantur, ut per eorum non usum renunciata videantur: quod amplia in privilegiis, quæ incipiunt esse nociva, quia quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, juxta *regulam 16. in 6.*

5. Quod procedit, & habet locum, etiamsi essent confirmata ex certa scientia, ut dictum est suprà *q. 7.* quia ad jus commune redire benè possumus, etiam inconsulto Romano Pontifice, *Covarr. lib. 3. var. cap. 6. num. 4.*

6. Idipsum dicas de privilegiis, & statutis, etiamsi sint per Papam confirmata; dummodò concernant privatam commoditatem, solumque favorem ipsorum statuentium; prout sunt illa celebrandi Festa Sanctorum cum octava simplici, vel solemni, in propria, vel aliena die, & habetur expressè in dicto *cap. accessissent.* Nam per juris regulam Privilegium non confertur in invitum; tum, quia quilibet est suæ rei moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandat.* Tum item, quia volenti non fit injuria, *l. 1. ff. de injuriis.* Tum, quia liberum unicuique est, suo juri renunciare, ut habetur in *cap. si de terra, de privil.*

7. Quod iterùm extenditur ad Constitutiones Ordinum, factas pro communi bono, & majori observantia Regulari, quemadmodum sunt illa, quæ respiciunt simplicem Fratrum administrationem, pacta, & conventiones; ut putà, quòd non liceat recipere ad habitum ultrà determinatum numerum, & quòd noster P. Syndicus ultrà præfixum tempus non possit officium Syndicatus exercere; & similia, à quibus conventionibus, pactis, & statutis, absque ullo scrupulo possumus recedere, etiamsi essent jurata, juramento firmata, & per Dominum Papam confirmata; accedente tamen consensu majoris partis Capituli, prout expressè habetur in *d. cap. cùm accessissent, de constit.* & argum. *l. omnium, C. de testam.*

8. Et hoc ideo, quia in Capitulis Provincialibus, vel Generalibus continetur saltem interpretativè voluntas totius Provinciæ, vel Ordinis; nam hujusmodi statuentes canonicè fuerunt electi à tota, vel à majori parte Provinciæ, cum facultate hæc faciendi, & similia; & per eos statuta, rata habere, & debere observare; Res autem, per quas causa nascitur, per easdem dissolvitur; cùm ergò hæc sint facta de voluntate Fratrum, ex eadem Fratrum voluntate possunt resolvi, ut dicebatur in *d. c. cùm accessissent.*

9. Nec his obstat confirmatio Domini Papæ, nec Fratrum juramentum: hæc enim censentur accessoria, & sequuntur naturam principalis; etenim fuerunt confirmata ad partis instantiam, & ut per partes statuta majorem habeant firmitatem, prout per plura benè ostendit *Rodr. tom. 1. qq. regul. q. 10. art. 4. & q. 68. art. 5.* ubi latè, & *Megal. tom. 2. resolut. 104. num. 3.*

10. Si modò roges, an Patres Generales Ordinum, facultatem habeant faciendi prædicta? Dico, quòd sic; *Leo* namque *X.* concessit, quòd Generalis Minorum in suo Capitulo Generali, & quilibet Provincialis in suo Capitulo Provinciali, cum consensu tamen ejusdem Capituli, vel majoris partis, declarare possit, & valeat, utrùm ab usu alicujus concessionis, vivæ vocis oraculo factæ, abstinere debeat, ac si concessio hujusmodi per Sanctitatem suam suspensa, vel revocata fuisset, & habetur in *supplemento Ordinis, fol. 94. concess. 296.*

11. Id item concessit *Gregor. XIII.* Superioribus Illustrissimæ Religionis Societatis Jesu, ut possent scilicet Indulta Apostolica, quomodocunque hactenus concessa, limitare, eorumque usum prohibere, prout habetur in *Compend. Societatis, tit. gratiarum usus, §. 2.* quod extenditur ad Superiores Mendicantium, ob communicationem privilegiorum.

12. Verumtamen circa hoc plura notes diligenter, & primò, quòd Prælati virtute prædictorum Indultorum non possunt aliquid tollere, quod sit contra usum *Sacrorum Canonum;* quia quæ de jure statuta sunt, habent robur obligandi ad culpam, aut pœnam, juxta juris dispositionem; quæ obligatio totaliter à Prælatis auferri non potest, *Rodr. dict. tom. 1. q. 9. art. 2. in fine.*

13. Secundò, adverte, quòd contra jus commune, statuta ferre non possumus: lex enim universalis, seu jus publicum, facto privatorum non tollitur; quia respiciunt commune, & publicum bonum, distinctum à privato, & nemo jus alterius remittere potest, prout habetur in *l. 1. per totam, C. de rebus alien. non alienand. & l. Jus publicum, ff. de pactis, & in c. si diligenti, de foro compet.* & communiter *Doctores in cap. cùm accessissent, & in cap. delicto, de constit.* hinc per regulam universalem dicitur, quòd nullus Inferior poterit tollere facta sui Superioris, aliàs Superior esset, & non Inferior, *Navarr. lib. 1. consil. tit. de constit. consil. 8.* quod maximè procedit in materia electionum, ubi omninò servanda sunt Jura *Sacrorum Canonum, & Concil. Trid.*

14. Tertiò, sunt litteræ, & facultates hujusmodi legendæ per extensum, prout in se sunt, & attentè considerandæ, num habeant qualitates requisitas ad derogandum Juri communi, & Apostolicis Constitutionibus; quia virtute clausulæ generalis, nec Jus commune, nec Constitutiones Apostolicæ; nec Constitutiones Ordinis possunt abrogari, prout infrà dicitur, & docet *Innoc.* & facit *Clem. non potest, de præscript. & l. fin. §. cui dulcia, ff. de vino, tritic. & oleo, &c.*

15. Nam sæpè sæpiùs multa petimus, & pauca consequimur,

sequimur, prout factum video in anno Domini 1629. in Capitulo nostro Generali, Romæ celebrato, ubi Capitulum humiliter rogavit Dominum Papam *Urbanum Octavum*, ut mandata, quæ per Prædecessores Generales, nec non & ordinata per Protectores Ordinis, vel per Visitatores, aut Commissarios generales, cum ejusdem Sanctæ Sedis participatione, & authoritate publicata fuerunt, dignaretur limitare, & ad terminos nostrarum *Constitutionum* reducere; *Urb.* tamen in sua dispositiva siluit circa mandata Protectorum Ordinum, cætera expressa benignè concessit, prout clariùs apparet in dicta *Constitutione*, quæ incip. *Cùm sicut nobis nuper exponi*; & habetur in principio Actorum prædicti Capituli Generalis.

16. Proinde, nescio, quo Jure sit dictum, omnes, & singulas ordinationes, authoritate Apostolica roboratas, tam pro toto Ordine, quàm pro particularibus Provinciis, & Conventibus, etiam à Protectoribus factas, reductas esse ad terminos nostræ *Constitutionis*; debet enim attendi dispositiva Principis, non autem narrativa, in qua nihil habes de Protectoribus. Et sic bene videre poteris, per hanc *Urb.* facultatem, *mutandi, limitandi, revocandi, &c.* non dari nobis facultatem limitandi, quæ per Pontificum Sanctiones ordinata sunt, nec mutandi Constitutiones Religionis; quippe, qui potiùs jubet, ad terminos Constitutionum, ut suprà ordinate reduci, ut benè notat noster *P. Renug. Scropha in qq. Moral. q. 30. num. 18.* & ante eum *Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 29. art. 8.* ubi per multa probat, Statuta Religionum confirmata authoritate Papæ, non posse revocari ab ipsis Religiosis, etiamsi sint capitulariter uniti; quod intellige, dummodo confirmata respiciant commune bonum Religionis, vel per modum decreti, & mandati; secùs, ut suprà dictum est.

17. Hinc collige, quòd etsi nemo sit cogendus, ut suo utatur privilegio contra seipsum, prout dicitur in *d. cap. si de terra*; & habetur in *regula 16. de regulis jur. in 6.* ubi dicitur, quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum: tamen quandocunque privilegium tangit jus Ecclesiæ, Communitatis, vel Domini Papæ, vel alicujus tertii, potest, ut contra se, suo utatur Privilegio, *Panorm. in d. cap. si de terra, de privil. num. 5. Tabiena verb. privilegium num. 9. Sylv. quæst. 10. num. 10. Armilla num. 9. & Rosella num. 15.*

Quæst. 21. An Privilegia jurata rectè possint revocari?

1. Respondeo, quòd jurata privilegia, ubi semel fuerint concessa, & acceptata, sine legitima causa à Principe concedente, non debent in futurum revocari: nihilominus si de facto revocentur, tenet & valet eorum revocatio, etsi Princeps peccet, talia revocando; ex quo sine legitima causa violat juramentum: ità *Ripa respons. 12. num. 9. de diversis rescript. & Meroll. tom. 3. disput. 6. cap. 7. limit. 4. num. 159.*

2. Quippe, quæ per clausulam generalem non censentur revocata, nisi fiat expressa mentio juramenti: ità *Brun. consil. 9. num. 44. Roman. in cons. 436. & Tuschus tom. 2. litt. D. conclus. 215. num. 40.*

Quæst. 22. An Privilegium gratis concessum ab aliquo Prælato inferiori, possit ab ejus Superiori revocari?

1. Et dico, quòd sic, etiam sine causa, quoniam etsi Princeps inferior possit suo subdito ex mera sua liberalitate, privilegium concedere in re, quæ à sua potestate, & voluntate dependet: non ideo potest per hanc sui gratuitam concessionem præjudicare sui Superioris juri, & auctoritati; sic adeo, ut privilegiatum à legibus, & subjectione supremi Principis absolvat.

2. Ac proinde, privilegium à P. Provinciali concessum alicui Fratri, potest à P. Generali revocari, & multò fortiùs à Domino Papa, etiam sine causa; quia privilegium hujusmodi, non ita transit in dominium subditi, ut Superiorum potestatem revocandi, vel aliàs disponendi adimat, vel auferat; ita *Imol. in cap. quæ in Eccles. de constit. in 6. Felin. in cap. novit, de Judic. num. 21. & D. Reg. Tap. in l. fin. ff. de constit. Princip. p. 2. cap. 9.*

Quæst. 23. Revocatio Privilegiorum Religiosorum Mendicantium, an valeat, si non fuerit illis insinuata?

1. Et dico, quòd non: ex quo omnis lex, & constitutio, ad hoc, ut obliget de Jure, debet esse sufficienter proposita, & intimata: citatio enim, seu intimatio est unum de substantialibus ad observandum Superiorum mandata; secus autem ex legitima ignorantia excusarentur subditi à legis observantia, ut latè ostendi in *tractatu de leg.*

2. Quibus adde, Privilegium *Gregor. XIII.* concessum Illustrissimæ Religioni Societatis JESU: quo statuit, ut nulla abrogatio, sub quavis amplissima forma præjudicet privilegiis, præfatæ Societati concessis, nisi fuerit intimata, & insinuata dictis Patribus, prout in §. 4. quod incipit, *æquum reputamus*, ibi *nisi intimata foret*; & habetur in *Bull. Cherub. fol. 361.* sub anno Domini 1572. & refert decisum *Flavius Cherub. in Comp. Bull. tom. 2. constit. 1. Greg. XIII. in schol. 2. & Anton. Diana 3. p. resol. moral. tract. 2. de Dubiis Regularium, resol. 68.*

3. Quod quidem privilegium comprehendit omnes alios Mendicantes, ob mutuam communicationem privilegiorum, ut constat ex dictis in *tract. de Communicatione Privil.* ubi hujus generis multa dico.

* * *

TRACTATUS DECIMUS QUARTUS,

DE DEROGATIONE JURIUM, PRIVILEGIORUM, ET DE-cretorum Sacri Concilii Tridentini.

Quæst. I. An Privilegium, quod est contra jus commune, debeat pro sui validitate de illo jure, cui derogat, & contradicit, expressam mentionem facere?

1. CUm Privilegium, propriè dictum, de sui natura sit contra jus commune, & debeat aliquid operari, quæritur; an illud jus commune, cui contrariatur, & derogat, sit expressè nominandum? hoc opus, hic labor est; nam isthæc quæstio, ob *Doctorum* discordiam redditur ita nodosa, & intricata, ut arbitraria censeatur; ob quod *Julius Clar. lib.3. sent. §. testam. q.99.* ubicunque se verterent ad omne latus, dicit, hac in parte bonum esse, habere Judicem benevolum, & favorabilem, quod etiam placet *Michaeli Crasso, lib.2. sent. § testam. q.89.*

2. Verùm, pro facili, & vera quæsiti sententia, non pigeat adnotare, quòd clausula derogatoria, *se tenens* ex parte legis, vel privilegii, triplex esse potest; nempe voluntatis, ut si dicat, *volo, hanc legem, vel privilegium esse perpetui roboris, omnesque in futurum obligare.*

Vel solemnitatis, ut si dicatur, *nolo, ut per aliud possit abrogari privilegium, nisi contrarium fiat in die Lunæ à tali Notario, in publico foro, & coram viginti testibus.*

Vel est potestatis, ut si concedens dicat, *volo, me statim hac publicata lege, me amplius non posse, nec etiam volo, meos successores valere aliam inducere legem, aut publicatam revocare*; quarum prima impræsentiarum attenditur, & examinatur; nam cæteræ ipso jure sunt nullæ, nullamque inducunt obligationem; est quippe humana voluntas, hac in vita ita libera, & perambulatoria, vadens, & rediens, ut ab aliquo non possit præjudicari; nec priscis Principibus novissimi subsunt, & in potestate, & liberalitate non cedunt.

3. Modus autem derogandi est pariter triplex, ut putà generalis, cùm dicitur, *quibuscunque non obstantibus*; specialis, si dicatur, *non obstante quacunque clausulâ derogatoriâ*; & individualis, ut si dicatur, *non obstante clausulâ, sub tali forma facta, die tali, & rogata manu N. coram talibus testibus.*

4. Hæc quidem ultima, si foret omninò necessaria ad derogandum, non solùm esset ardua, & dura sed impossibilis, & injusta, ut putà contra æquitatem, & bonitatem; quia tot, & tanta, hic, & nunc in individuo recensere, potiùs divinum, quàm humanum foret.

5. Ac proinde, ad specialiter derogandum, quæ tunc fit, quando derogantur clausulæ, & non obstantiæ; quia aliud est, derogare legem, & aliud, derogatoriam legis clausulam annullare, quoties contigerit legis clausulam abrogare, toties dicetur, in specie fuisse legi derogatum; ita post multa jura de communi docent *Jul. Clar. & Crassus* cit. loc.

6. His habitis, distinctione utor pro decisione quæsiti; aut privilegium suum potest sortiri effectum, absque eo, quòd deroget juri communi, & sic non habet, nec debet habere vim ad illud violandum; si enim utilitas privilegii haberi potest, & salvari cum verborum proprietate, citrà alterius læsionem; ad quid jus commune violare? quod sine magna causa violandum non est, imò debet illæsum conservari, etsi in aliquo casu violandum sit, quàm possibile debet minùs lædi, & abrogari; ità *Canonistæ in cap.1. de rescript. & Juristæ in l. si quando, C. de inoff. testamento, & gloss. in cap.1. de constit. in 6. verb. noscatur.*

7. Si autem privilegium non possit suum sortiri effectum, nec aliquam habere utilitatem, nisi juri communi derogando, validum est, & de facto illi derogat, etiamsi in eo Princeps, nec in specie, nec in genere de illo jure, cui derogat, mentionem faciat, esset enim aliter privilegium inutile, & elusorium, quod non est credendum; quia Princeps vult, non solùm sua privilegia, sed eorum singula quæque verba, syllabas, ac dictiones aliquid operari; ità in *cap. si Papa de Privil. in 6.* & colligitur decisivè ex *cap. in his, de privil.* ubi ea priùs interpretatione reprobata, qua nostrum privilegium, de celebrando Missam in Altari portatili, ità restringebatur, ac limitabatur, ut in dicto Altari non licuisset celebrare, sine expressâ, ac prævia Episcopi licentia loci Ordinarii.

8. Hinc, Dominicanorum præfatum privilegium reddebatur inane, & frustratorium; nam cum hujusmodi sola licentia, sine privilegio licet Missas celebrare, propter quod in dicto *cap.* fuit subjunctum, *Prædicatores, ac Minores, absque Episcopi licentia in præfato Altari possunt celebrare, dummodo ab aliis, quæ jure Parochiali proveniunt, prorsùs abstineant*: ubi vides, privilegium, quod uni juri derogat, non esse extendendum contra aliud, dum sine alterius læsione suum potest sortiri effectum, & utilitatem causare.

9. Cui accedat, quòd relaxatio, seu juris derogatio est odiosa in ordine ad jus commune, ideoque restringenda, *Bald. in l. final. § ex hoc edicto, ff. de dam. inf. Panorm. in cap. quod dilectio, de consang. & affin.* & sequitur *Sylv. verb. Privilegium, Navar. in summ. cap.12. num.79. Suarez lib.8. de leg. cap.14. & 27. num.5. & Sanchez* cum multis, quos citat *lib. 8. de matr. disp.1. num.3.*

10. Cæterùm, excepto prænarrato necessitatis casu, iterum ex parte juris pro communi concordia *Doctorum* opus est distinguere: aut jus commune, cui derogatur, est qualificatum per non obstantias, & clausulas, quibus non solùm privilegiis resistit, sed ipsamet privilegia abrogat, & revocat; & sic non potest per privilegium abrogari, & tolli, nisi in forma privilegii sit specialis clausula, vel aliquid aliud æquivalens ad derogandum ipsi communi juri, sic qualificato; quod clarè habetur *in c. ex parte tua, de privil.* ubi *Honorius Papa* decrevit, rescriptum Apostolicum, datum Abbati Conventus Ravenn. non valere, ex quo fuerat indultum contra *Concilium Lateranense*, de quo prædictum rescriptum nullam mentionem haberet; & confirmatur in *cap. nonnulli, de rescriptis*, ubi expressè habetur, quòd rescriptum Apostolicum debet facere mentionem de Constitutione Apostolica; ad hoc, ut ei præjudicet, ubi *Gloss. & Panorm.* cum cæteris *Canonistis, Sylv. in sum. verb. Privilegium, q.10. limit.3. Bald. in l. fin. C. si contra jus. & Bart. in extrav. ad reprimendum, §. non obstantibus.*

11. Et sicut primum testamentum cum clausula derogante omne aliud futurum, non revocatur per secundum, nisi in ipso secundo fuerit specialis clausula ad primò de-

imò derogandum, *l. si quis in princ. testam. ff. de legat. 3. & l. si mihi, & tibi, §. ultimo, de legat. 1.* de quo plura *Clar. d. §. testam. q. 94. verb. unum tamen nota, & Natta in consil. 639. & auth. hoc inter, C. de testam. & Crassus ubi suprà*: sic à pari est dicendum de jure communi. Cujus ratio esse potest, quia clausula, seu qualitas derogatoria habet vim cujusdam protestationis præambulæ, quæ quidem protestatio declarat, in sequenti actu deesse voluntatem, nisi expressa revocatio fiat, ut in *l. & si quis, §. plerique, ff. de religiosis. & sumpt. funer.* nam sæpè privilegia emanant contra jus, ex nimia Principis occupatione, vel propter nimiam petentium importunitatem; & ideo, nisi in privilegio mentio fiat, de jure saltem in genere, non præsumitur, Principem velle concedere privilegium contra jus, *Panorm. in d. cap. nonnulli, & Felin. ibidem, & Bart. in l. fin. C. si contra jus, vel util. publ.* Cùm item qualitas in actu consistat, facit eundem actum mutare in diversam speciem, ut in *l. quæsitum, §. illud, ff. de leg. 3. & l. si cui lana, de leg. 2.* ut in legato lanæ non veniat lana tincta; nec in donatione marmoris, veniat marmor qualificatum, ut est statua marmorea; nec appellatione beneficii Ecclesiastici veniat beneficium curatum, quia propter diversas qualitates de jure inter se differunt, & diversam videntur habere naturam; ità *Ludov. Gomez. in regul. Cancell. in proœm. q. 5.* à *num. 1.* usque ad *5. Duard. in Bull. Cœna, lib. 2. in canon. 7. q. 37. num. 8. & 9.*

12. Dixi, vel per aliquod æquivalens fuerit sufficienter præcedenti juri derogatum; quoniam si privilegium fiat, & concedatur proprio Principis motu, vel de ejus certa scientia, aut de plenitudine potestatis, vel si fuerit juramento vallatum, satis erit ad derogandum juri qualificato, cui obviat, & contradicit: prout diximus in *tract. de clausulis*, & docet *Bald. in rubric. de contrahend. emption. in 1. q. & in l. lecta, ff. si cert. pet. & in prælud. feud.* & sequitur *Aret. in cons. 15. Dec. cons. 341. & Imol. in l. licitatio, §. earum, ff. de public. & vectigal.* & cùm Papa dicit, *ut tenor obstantium habeatur pro expresso, & scripto de verbo ad verbum*, nulla obstantia officit rescripto, quia contra libertatem plenitudinis Papæ nihil statui potest, & litigium non est de Principis potestate; sed de voluntate, quæ satis aptè, & benè per illa verba declaratur, ut benè docet *Gram. dec. 59.*

13. Juramentum idem præstat, & habet vim clausulæ derogatoriæ, tam ad præcedentia, ut aliàs diximus, quàm ad subsequentia, quod docuit *Bald. Socin.* & multi relati à *Michael. Craf. de success. ab intestat. §. testam. q. 87. §. item quæro.*

14. Si tandem jus commune sit simplex, hoc est, sine obstantiis, & cautelis, ad futuris privilegiis resistendum; poterit utique per privilegium simplex cum generali clausula tolli, & abrogari; nam sicut jus qualificatum potest tolli per privilegium qualificatum, ita jus simplex per simplex privilegium potest auferri; sicut enim se habet propositum in suo proposito, ita oppositum in suo opposito; nec item potest ratio assignari, qua de re simplex privilegium cum clausula generali, *quibuscunque in contrarium non obstantibus*, non possit simplici juri derogare; cùm ex parte communis juris nulla reperiatur resistentia, & ex parte Privilegiati militat ipsiusmet natura, cujus est aliquid elargiri; & contra jus commune aliquid operari; quod cùm non possit in jus qualificatum; ad minus suum effectum debet habere contra jus sibi oppositum, inerme, simplex, & non munitum.

15. Quibus adde, Principem dare privilegia, non ex ignorantia juris: habet namque in pectore omne jus, ut dicitur in *cap. 1. de constit. lib. 6.* imò per concessionem privilegii bene ostendit, se velle communi juri derogare, & cùm non possit hoc communi juri inferre, cùm sit, ut suprà, munitum, & qualificatum; ad minus simplex abrogat, cui scilicet obviat, & contradicit, ità *Hostiens. in sum. tit. de rescript. §. quas vires, & Felin. in cap. nonnulli, de rescript. Covarr. de testam. 2. p. num. 19. Granat. tom. 4. discept. ca. 714. num. 19. & cap. 742. num. 24. Diana p. 4. tract. 4. Miscell. resolut. 147. & P. Merolla tom. 3. disput. 6. de privil. cap. 5. num. 36. dub. 7.*

Quæst. 2. Ad derogandum Privilegio posito in corpore juris, vel extra; an requiratur expressa, & specialis mentio?

1. EX dictis breviter dico, Privilegium, si sit de novo concessum cum qualitate sufficienter, vel in specie derogante, valere utique ad abrogandum privilegium positum in corpore juris communis; quia de jure communi, & de privilegio in ejus corpore reperto idem est judicium: sicut ergo subsequens *Bulla* generaliter loquens, non derogat juri communi, sic etiam censetur, privilegio, in ejus corpore inserto, non posse derogare: unò lex generalis recipit limitationem ab eo; *l. 3.* ubi *gloss. C. de silentiar. lib. 12. gloss. in cap. ut circa, §. 1. verb. corporali, de elect. in 6. Salycet. in l. apud hostes, num. 9. C. de legit. hæred. & Archid. in c. 1. de constitut. lib. 6.* dicit, quòd jus commune requirit derogationem expressam, ad hoc, ut illi censeatur derogatum, quod priùs dixit *Felin. in c. nonnulli, de rescript. & Bart. in authen. qua in Provincia, C. ubi de crim. agi oport.* ubi versans, & tractans hanc eandem quæstionem, an lex de novo statuta à Principe, deroget privilegiis positis in corpore juris communis? per hæc verba dicendo, *non obstantibus quibuscunque privilegiis, &c.* Respondet, quòd non, nisi faciat specialem mentionem de ipsis, etiamsi apponat quascunque generales clausulas, & non obstantias; quia, inquit, talia privilegia inserta in corpore juris, non jam esse censentur privilegia; sed aliud nobilius nomen sibi vendicant; nec solummodo sunt dicenda leges privatæ, & particulares, quin verò communes, & generales; & hoc ideo, quia jus commune, & omne contentum in eo, per clausulas generales non abrogatur, ità *gloss. in l. 2. §. legatis, ff. de judiciis, & in authent. qua in Provincia, in princ. C. ubi de crim. agi oportet, Rot. Roman. in antiq. decis. 340.* & eadem Rota apud *Coccin. in noviss. decis. 36. num. 72. Gramm. decis. 20. num. 1. & 2. & decis. 66.*

Sequitur *Navarr.* in suo *Manual. cap. 27. num. 265. Miranda in Manual. Prælat. tom. 1. q. 45. art. 6. conclus. 2. Anton. Ricciull. in tract. de jure personarum, cap. 14. num. 5. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 40. num. 12.*

2. Si autem privilegium sit extra jus commune, non solùm in specie, sed quodammodo, & in individuo debet derogari; quia non solùm facta, & statuta, sed etiam privilegia particularia Principem jure præsumitur ignorare, prout colligitur ex *cap. 1. de constitut. lib. 6. Bart. in authen. quas actiones, C. de Sacrosanct. Eccles.*

Quæst. 3. An ad derogandum Constitutionibus Conciliorum generalium, requiratur in Privilegio expressa, & specialis mentio?

1. CUm generalis derogatio non porrigatur ad Constitutiones Conciliares, ex quo saltem tacitè clausulam continent derogatoriam, cui non potest per clausulam generalem derogari, prout dicitur in *c. ex parte, de Capellis Monach. Rota in decis. 122. Caputaqu. in decis. 263. p. 1, Gomes. in proœm. regul. Cancell.* per totam *quæst. Felin. in cap. nonnulli, de rescriptis, & Bart. in l. fin. C. si contra jus, vel util. publ.* & refert pluries decisum *Aloys. Ricc. collect. 849.*

2. Oportet illis in specie, vel æquivalenter derogare, ad hoc, ut illis censeatur bene derogatum; ità *Covarr. lib. 2. var. cap. 16. num. 6.* quamobrem si dicatur, *non obstantibus*

stantibus Constitutionibus Conciliorum Generalium, etiamsi earum tenor hic esset exprimendus, sufficienter derogatur, & maximè, si hæc clausula sub tali forma sit in privilegio ex certa scientia, vel motu proprio facta, vel si sit repetita, vel geminata; nam repetitæ, & geminatæ clausulæ validiùs, & celeriùs operantur.

3. Verùm, si Dominus Papa dispenset in specie in aliquo casu contra Concilii Generalis prohibitionem; in tali rescripto ad derogandum Generali Concilio, non est opus specifica derogatione; prout multis allegatis refert *Loazes de matrim. Regis Angliæ, dub. 16. num. unico*, sed satis erit clausula generalis; quia cùm in tali speciali casu prædicta nequeant reddi vera, nisi in eo solo casu, contra Concilii prohibitionem, debet hæc generica derogatio reputari specifica, & expressa, ut in *l. 2.* ubi *Jason* multa cumulat, *ff. de liber. & posthu. & Sanchez de matrim. lib. 8. tom. 3. disput. 35. num. 17.*

4. Quibus addas; quòd si Dominus Papa nostra privilegia (hac tamen servatâ exceptione) confirmet; *dummodo Decretis Sacri Conc. Trid. non sint contraria:* talis exceptio firmat regulam in contrarium; nam per illa exceptiva verba vult Papa significare, quòd si præter *Tridentinum Concilium* alia Decreta contraria, cujusvis juris, vel Generalis Concilii reperirentur; non obstare, nec impedire, quò minus confirmata privilegia omne suum robur, omnemque firmitatem habeant: confirmator etenim generaliter confirmans, si unum excipiat, omnia alia, quamvis contra jus, confirmare, & approbare censetur; ità *gloss. in c. cùm non deceat, verb. effectus, de elect. Bald. in cap. 1. num. 2. in princ. per quos fiat investit. Jason in l. fin. ff. quod quisque jur. Ruinus cons. 100. Mandos. in Regul. Cancell. 13. q. 8. num. 5.*

Quæst. 4. An ad derogandum Decretis Sacri Concilii Tridentini, sit necessaria expressa, & specialis mentio?

1. Quidam dicunt, quòd sic, & probabiliter; nam supponunt unum, quod est verum; *Concilium* scilicet *Tridentinum* esse maturè propositum, & examinatum, maturiùsve digestum; & quod multorum consensu fit, majori authoritate roboratur; ergo, ut tollatur, majori revocatione opus est, *l. dubium*, C. *de repud. cap. prudentia de officio deleg.* adde, quòd per Juris *Regulam in 6.* in concessione generali non veniunt illa, quæ si concedens rogaretur in specie, denegaret; at si Papa concedens aliquid contra *Tridentinum*, rogaretur expresè, si intenderet circa *Tridentinum* concedere, credibile est, quòd denegaret, quapropter confirmans Regularum privilegia, cautè dicit, & subjungit: *Dummodò Concilii Tridentini Decretis non contradicant*, & alia plura hujus generis refert *Rodriquez tom. 3. qq. regul. q. 57. art. 2. & tom. 1. q. 3. art. 10. & Sanchez lib. 3. de matrim.* cum aliis multis, quos citat in *disput. 26. num. 7. §. sed hæc sententia non placet.*

2. Verumtamen alii (& quidem meliùs, & probabiliùs) censent contrarium, ex eo capite, quòd in pluribus suis *decretis*, nedum caret qualitate resistente; verùm etiam se totum nudè, & spontè subjecit voluntati Domini Papæ, ut de illo, absque ulla mentione, ad sui libitum possit disponere.

3. Sic quippe loquitur in *ultimo capitulo sess. 25. Postremò Sancta Synodus omnia, & singula, sub quibuscunque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub fel. record. Paulo Tertio, ac Julio Tertio, quàm sub Beatissimo Pio Quarto, Pontificibus Maximis, in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat, ità decreta fuisse, ut in his, salva semper authoritas Sedis Apostolicæ, & sit, & intelligatur.* hæc ibi.

4. Per quæ verba *Tridentinum Concilium* remanet simplex, & purum, absque aliqua qualitate refragante, & ità ad sui abrogationem, specificam mentionem non exposcit: & cùm Dominus Papa decretat, vel rescribit, vel in contrarium disponit, absque specifica mentione, non solùm utitur jure suo, cùm ipse sit suprà omne Concilium; sed Patrum desiderio satisfacit, qui nec authoritate Generalis Concilii, nec jussu prædecessorum Pontificum voluerunt, in casu abrogationis, & dispensationis de annullandis, & abrogandis decretis hujusmodi, nec specificam, nec genericam faciendam esse mentionem.

5. Et adde, quòd ubi jus est notissimum, ut est *Tridentinum*, ad hoc, ut tollatur, expressâ mentione non indiget, prout in propriis terminis tenet *Abb. in cap. 1.* per illum *textum, num. 12. de rescriptis, Bart. in l. ille, aut illi, §. cùm in verbis, ff. de leg. 3.* & notat *Duard. in comment. Bullæ Cœnæ lib. 2. in can. 7. quæst. 37. num. 10.*

6. Quod etiam *Pius V.* motu proprio declaravit anno Domini 1570. die 23. Decembris, quem motum proprium de verbo ad verbum refert *Garz. tom. 1. de benef. part. 4. cap. 5. num. 32.* qui, & addit; ità censuisse Sacram Congregationem *Concil. Trident.* in quadam Declaratione Abulensi, quam *ibi* notat.

7. Et sufficere clausulam generalem, putà, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, censuit *Rota*, in causa sancti Angeli Pensionis, 16. Decembris, 1594. coram Eminentissimo *Cardinali Pamphilio*, & in Bononiensi Prioratus 9. Junii, 1606. coram Illustrissimo Patriarcha *Manzanedo*, quod plures observant, & notant apud *Barbosam de officio, & potestate Episcopi, p. 2. allega. 35. num. 25.*

8. Ac etiam *Sixtus Quintus* anno 1586. 9. Septembris, anno 2. sui Pontificatus, sua perpetua *Constitutione*, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, inter cætera concessit *Sancto Philippo Nerio*, & Presbyteris suæ Celeberrimæ Congregationis Oratorii, ut omnes ipsius Oratorii Sacerdotes, Romæ approbati, ad Confessiones Sacramentales audiendum non debuissent examinari extra Urbem à locorum Ordinariis: nullâ tamen factâ specificâ mentione de *Concilio Tridentino*, cui derogat in *cap. 15. sess. 23.* ubi cavetur, *ne quis absque propriorum Diœcesanorum examine audeat confessiones audire.*

9. Ideò, prædicti Presbyteri instanter petierunt sibi declarari, an fuerit necessaria specialis derogatio *Sac. Conc. Trid.* quibus Sacra Congregatio respondit; privilegium concessum omninò esse observandum; quamvis nullam derogationem, aut mentionem *Concilii Tridentini* contineat: quam Declarationem insimul, & *Constitutionem* de verbo ad verbum refert *Stephanus Quaranta, in summ. Bull. verbo Confessor*, quod multis citatis refert *Ricciull. lib. 5. de jure personarum, cap. 14. num. 15. & lib. 8. cap. 4. num. 6.* & refert sic pluries fuisse decisum, & præcisè in una Valentina decimarum 8. Februarii, 1588. coram *Orano*, & in Conchensi exemptionis decimarum, 13. Martii, 1589. coram eodem; & in eodem die, 9. Decembris, 1602. coram *Pœnia*; *Cæsar de Graff. decis. 3. de rescriptis, Ripa in cap. 1.* sub *num. 8. de judic. & Dec. cons. 341. num. 10. Probus in addit. ad Monac. in cap. cùm in tua, de consuetudine, in 6.*

10. Et quamvis alii dicant, spectandum esse *Decretum Concilii Tridentini*, cui derogatur; an habeat clausulam resistentem, an scilicet sit *ibi* expressum, quòd debeat fieri derogatio specifica, & cùm *ibi* non reperiatur, intelligatur facta ex clausula, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*, & aliis similibus clausulis generalibus, *Graff.* cum illis, quos citat in *1. tom. consil. lib. 5. de homicidio, consil. 4. num. 20.*

11. Ego tamen censeo, nullam clausulam in specie, vel

vel in genere derogantem, esse necessariam ad derogandum *Decretis Sacri Concilii*; sed satis est, quòd in memoriali fiat instantia, sibi concedi hoc, vel illud, non obstante, quòd sit contra tale *Decretum Conc. Trid.*

12. Si Dominus Papa dicat, *fiat*; vel subscribat, dicens, *conceditur, quod petitur*, nulla alia requiritur clausula; quia dum supplicatis annuit, & cum scientia narratorum disponit, eo ipso, quòd concedit aliquod repugnans *Concilio Tridentino*, censetur, illud se de facto velle revocare; mens enim concedentis se uniformat supplicanti, à quo etiam & specificationem accipit, & quando constat de voluntate concedentis, non est ampliùs de verbis disputandum, *cap. nonnulli de rescriptis, & cap. ex parte tua, de Capellis, Bart. in l. pupilli col. 3. ver. ego dico, ff. de rebus dubiis.*

13. Insertio, seu narratio supplicantis, non minus, quàm tenor instrumenti, insertus in confirmatione Principis æquivalet clausulæ; *ex certa scientia*; ità *Archid. in cap. in præsentium, num. 1.7. q. 1. Aret. consil. 15. Ricc. 3. part. decis. Archiepisc. Neapol. decis. 36. num. 2.* de communi *Rodriquez tom. 3. qq. regul. quæst. 46. art. 1. §. 2. conclus. 3.*

14. Et adde, quòd nunquam Dominus Papa, de illo jure, cui privilegium derogat, fuit solitus in privilegio mentionem facere, & ita observat Romana Curia; cujus stylus circa ea, quæ loquimur, pro lege habetur, & illi standum, juxtà *textum in cap. quàm gravi, de crim. fal.* cum vulg. de quo latè *Felin. in cap. 2. de rescript. verb. stylus*, & quomodo stylus Romanæ Curiæ faciat jus, & contra ipsum facta, nihil valent, tradunt *Guido Papa, q. 119. Parisius consil. 44. num. 17. lib. 1. Menoch. consil. 270. Aloys. Ricc. collect. 1206.* qui addit, stylum Curiæ prævalere consuetudini, & in *collect. 794.* varios styli effectus enumerat, *Rodr. tom. 3. qq. regul. q. 46. art. 1. §. circa quam*, & novissimè *P. Merolla, tom. 3. de privil. disput. 6. cap. 5. dub. 7. num. 49. §. limitatur.*

15. Et juxta prædictum stylum Sacra Congregatio Cardinalium Illustrissimo Archiepiscopo Rheginensi contradicenti, ac sub censuris mandanti P. Magistro Fratri Timotheo Riccio, nostri Ordinis Eximio Concionatori, ut tempore Quadragesimæ se abstineret à prædicationis munere, quod in nostra Ecclesia ejusdem Civitatis exercebat, sub tali forma rescripsit:

Perillustris, ac Reverendissime Domine, ut Frater. Sacra Congregatio Illustrissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, pluries censuit, Episcopum non posse, absque rationabili causa contradicere Regularibus, in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentibus; sed satis esse, eos ab Episcopo benedictionem petere: quare iidem Patres amplissimi tibi significandum duxerunt, ut postquam Fr. Timotheus Ordinis Prædicatorum de suorum Superiorum licentia, in Ecclesia ejusdem Ordinis istius Civitatis concionari volens, ab ea benedictionem petierit, nullam ei molestiam exhibeat; sed sinat illum munus prædicationis adimplere; quod diligenter observabit Amplitudo tua, cui salutem plurimam à Domino precor, Romæ, die 6. Martii, 1629. Amplitudinis suæ Perillustris, ac Reverendissimæ uti Frater Studiosus R. Cardinalis Baldinus, Franciscus Paulutius Sacr. Congreg. Concilii Secret.

16. Ubi benè vides, nullam fieri mentionem, nec genericam, nec specificam de *Decreto Concil. Trid. sess. 24. de reformatione c. 4.* quod incipit, *prædicationis munus*, ubi sic habetur:

Nullus autem Sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.

TRACTATUS DECIMUS QUINTUS,

DE ORACULIS VIVÆ VOCIS SUMMORUM PONTIFICUM.

Quæst. 1. Oracula quid sint; & unde dicantur?

1. HUcusque diximus de privilegiis in scripto traditis: nunc autem (Deo dante) dicemus de iis, quæ à Romano Pontifice, sola voce, & oretenus conceduntur.

Perinde, Vivæ Vocis Oraculum, quoad nostrum propositum, nihil aliud est, quàm concessio, seu gratia facta oretenus, sine scriptura: proprio motu Principis, vel ad partis instantiam: utroque enim modo solent oracula concedi, & publicari.

2. Dixi, ad partis instantiam, quia cùm ista nobis conceduntur Indulta, ferè semper ibidem ponitur testimonium Personæ impetrantis; quæ regulariter, ut ei magis credatur, debet esse Persona in dignitate constituta, prout in praxi habes in *Bullar. Rodr. in Vita Leonis X.* ubi plura hujus generis Oracula.

3. Et sic excluduntur à præsenti tractatu Prophetarum Vaticinia, Visiones, & typicæ actiones, quæ in sacris litteris continentur.

4. Insuper, & Phanorum prædictiones; de quibus latè meminit *Plutarchus in libro de Prophetia, & defectu Oraculorum*, & *Plato in Phædo.*

Quæst. 2. Ad essentiam, & validitatem Oraculorum vivæ Vocis; an sit necessaria scriptura?

1. SI loquamur quoad forum poli, & respectu eorum, qui forsitan fuerunt præsentes, cùm Dominus Papa hæc nobis concessit; negativè censeo respondendum: secus autem quoad forum fori, & quoad eos, qui abfuerunt concessioni Papali. Quævis namque concessio, seu gratia, & facultas, sive sit spiritualis, sive Ecclesiastica, omneque Privilegium, & Indultum, quomodocunque oretenus concessum (hæc enim omnia veniunt Oraculorum nomine) ad sui validitatem pro foro conscientiæ, de jure non indigent scriptura; quia nullum jus hoc dicit, prout latè ostendimus in *tract. de natura, & forma privil. q. 3.*

2. Quibus adde, quòd Oracula (ut suprà diximus) sunt privilegia, gratiæ, & donationes: hinc juxta donationum naturam, & privilegiorum debent regulari: ad hæc autem validandum non requiritur scriptura, prout colligitur ex *Clem. dudum de sepult.* & ex *c. institutionis, 25. q. 2.* & post multos docet noster *Turrecrem. in d. cap. institutionis.* Dominus enim Papa cum scripto, & sine scripto potest privilegium dare, & ferre sententiam, *11. q. 1. si quis cum clerico*, & *ibi gloss.* quòd sententia Judicis facit jus, etiamsi non redigatur in scriptis, ut *extrà de transact. cap. 1. & Rodriq. tom. 3. qq. regul. q. 22. art. 1.* noster

noster *Sylv. in summ. verb. privil. q.* 14. *Graff. p. 1. decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 31. *Sanchez lib.* 8. *de matrimon. disput.* 29. *num.* 4. *& Joan. Baptista Lezana in* 3. *p. summ. verbo gratia, num.* 13.

3. Cùm item Oracula hujusmodi solo verbo concedantur, & scripturam de se excludant, prout ex eorundem diffinitione apparet; sunt quippe privilegia oretenus concessa sine scriptura; ly *sine scriptura*, ponitur loco differentiæ, per quam differunt à lege scripta, bulla, & brevi, quæ debent esse subscripta manu Rom. Pontificis, vel juxta stylum Curiæ Romanæ in Signatura notari.

Si ergò scripturam necessariò exigerent, non ampliùs essent Oracula vivæ vocis, sed bulla, lex, aut breve.

4. Quapropter, tantum abest, ad eorum validitatem requiri scripturam, ut sæpè sæpiùs Rom. Pontifex respectu eorum, quæ oretenus concedit Religiosis Viris pro fidelium salute, prohibeat, litteras fieri, justis de causis, quas notavi in *d. quæst.* 3.

5. Benè verum est, scripturam esse omninò necessariam pro his, qui abfuerunt, (ut dictum est,) & pro foro exteriori, ut dicitur in *extrav. Jul.* 2. incip. *Romani Pontifices, & in Regula Cancell. regul.* 51. & docent *Doctores* citati per me in *d. quæst.* 3. quandoquidem nequeunt probari Oracula, nisi per scripturam, in forma authentica habitam, aut per duos testes idoneos, aut per testimoniale roboratum manu alicujus Domini Cardinalis, prout voluit *Gregor. XV.* sua peculiari *Constitutione*, de qua infrà.

6. Propterea *Leo X.* concessit Fratribus Minoribus, ut possint secura conscientia uti, & frui omnibus concessis à Sede Apostolica, prout in libris Ordinis reperiuntur, & refert *Rodriq. tom.* 1. *qq. regul. q.* 7. *art.* 5. *& tom.* 3. *q.* 22. *art.* 1. *&* 3. & ejus *Nepos in comp. resolut.* 117. *Bordonus resolut.* 31. *q.* 1. *num.* 1. & in vim probationis ad quid tenentur Regulares, diximus suprà *q.* 13. *tract.* 2. *de natura privileg.*

7. Nec officit, quòd *Gregor. XV.* sua *Constitutione* 27. *in* 4. *tom. Bull. Laertii Cherub.* incip. *Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ*, annullaverit omnia indulta, facultates, privilegia, & gratias quascunque, tam ad forum interius, quàm exterius pertinentes, Oraculo vivæ vocis concessas, &c.

8. Exceptis tamen Oraculis factis S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis, & hinc inferas, scripturam esse omninò necessariam, etiam pro foro conscientiæ, prout voluit, & intulit *Thesaurus in praxi, p.* 2. *c.* 1. *v. gratia.*

9. Tum, quia multæ aliæ exceptiones admittuntur, vel fiunt in præfata *Bulla*, quæ scripturâ non indigent: *ibi* namque excipiuntur expressè Oracula ad supplicationem Regum concessa. Item ea, quæ sortita sunt effectum, de quibus nos infrà dicemus. Item ea omnia, quæ in futurum concedentur: etenim revocatoria *Greg.* loquitur de concessis, non autem de concedendis in futurum, ut benè notat *Lezana ubi suprà.* Item Oracula publicè facta, & palam publicata; quia publicum, & notorium non exigunt scripturam.

10. Tum etiam, quia *Urbanus Octavus*, etsi anno Domini 1631. sub die 20. Decembris singula prædicta vivæ vocis Oracula abrogasset, etiam à Cardinalibus firmata, & ad supplicationem Regum, & Imperatorum concessa.

11. Nihilominus, anno Domini 1635. die verò 11. Aprilis, Pontificatus sui anno duodecimo, per aliam *Constitutionem*, incip. *Aliàs fœl. record. Gregor.* quam infrà ponemus, declaravit, quòd *Constitutiones* revocatoriæ vivæ vocis Oraculorum, tam suæ, quàm *Greg. XV.* non comprehendunt Ministros; nec Officiales Sanctitatis suæ, quibus ratione munerum suorum anteà de Summi Pontificis Oraculo fides haberi solebat. Et sic respectu Oraculorum prædictorum Officialium, & Ministrorum cessant revocatoriæ jam dictæ.

12. Et addas, quòd idem *Urb. VIII.* non obstante revocatoria d. *Gregor.* anno Domini 1624, 19. Aprilis, ad instantiam Societatis Jesu, absolutè, & sine ulla clausula revalidavit omnia privilegia concessa Oraculo vivæ vocis; prout testificati sunt etiam in scriptis gravissimi Patres ejusdem Societatis, in dignitate constituti, quorum authenticum testimonium se vidisse fatetur *Portell. in respons. lib.* 3. *in fine cas.* 42. *fol.* 909.

13. Quæ quidem convalidatio absolutè facta, ob communicationem gratiarum, privilegiorum, & indultorum, ad omnes extenditur Regulares. *ibid. Portell.* & sic sine obstaculo firma remanet nostra sententia, salvo semper meliori judicio.

Quæst. 3. *An Oracula vivæ vocis, sint minoris, vel majoris efficaciæ, quàm aliæ Constitutiones Papales?*

1. LEo *Decimus* concessit Fratribus Minoribus, prout in *Suppl. concess.* 361. *fol.* 18. quòd non sint minoris efficaciæ, & valoris vivæ vocis Oracula, quàm si per bullam, aut breve ad perpetuam rei memoriam essent concessa, & hoc quoad forum conscientiæ, refert *Rodr. tom.* 1. *qq. regul. q.* 7. *art.* 5. *in fin.*

2. Verùm, & in utroque foro habere eandem vim, quam habent aliæ Constitutiones Papales, si sint, sicut oportet, colligitur apertè ex *cap. Institutionis*, 25. *q.* 2. & ex *Clem. dudum*, § *nos etenim, de sepult.* & *ibi gloss.*

3. Insuper, esse majoris valoris, & efficaciæ; quia revocatis aliis privilegiis, non intelliguntur revocata Oracula, nisi in specie revocentur; prout docet *Felician. de censibus, cap.* 15. *Innoc. in cap. constitutus, num.* 2. *de rescript. Felin. consil.* 6. *num.* 1. *& Henriquez lib.* 7 *de indulg. cap.* 24. *num.* 8. & esse de praxi Cur. Roman. docet *Peyr. tom.* 1. *privil. Minim. in Constit. quarta Jul.* 2. §. 3. *num.* 26. *in fin. & Const.* 17. ejusd. *num.* 1. *&* 3. quem sequitur *Rodr. in comp. resolut.* 117 *num.* 1. *Bordon. de Oracul. resolut.* 31. *q.* 1. *num.* 1. *Joann. Maria Novar. in lucerna Regul. verb. Privilegia Regularibus concessa num.* 1. *Lezana p.* 1. *summ. cap.* 4. *num.* 1. *& Portell. in Dub. Regul. verb. Vivæ vocis Oracul. fol.* 1005.

Quæst. 4. *Oracula vivæ vocis, an veniant sub generali communicatione privilegiorum, ita, ut Mendicantium communicatis ad invicem privilegiis, & Oracula hujusmodi censeantur communicata?*

1. AFfirmativè dic, per ea, quæ dixi in *tract. de communicat. privil. q.* 13.

TRACT. XVI.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS,

DE REVOCATIONE ORACULORUM VIVÆ VOCIS.

Quæst. 1. Oracula vivæ vocis, an fuerint aliquando revocata?

1. Cum olim, non sine fraude, & dolo, magis crederetur Oraculis vivæ vocis, quàm litteris Apostolicis, *Sixtus Quartus*, Pontifex Maximus, satis justè, nimisque prudenter, omnes facultates, & gratias, à se factas, revocavit, prout habetur in *extrav. Etsi Dominici gregis, de sent. excomm. in 6.*

2. *Gregorius* verò *XV.* sub anno Domini 1622. sua *Constit. 27.* quæ incipit *Romanus Pontifex*, & habetur in *4. tom. Bull. Cher. fol.* mihi 132. revocavit omnes concessiones, vivæ vocis oraculo factas, exceptis tamen Oraculis factis S. R. E. Cardinalibus, & eorum manu firmatis, sub hac forma verborum:

Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ divina providentia constitutus, gratias, & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

§. 1. Itaque motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascunque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectantia: ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen viva vocis oraculo hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Societatibus, etiam Societatis Iesu, ac Congregat. quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus, vel Provincialibus, quocunque nomine nuncupatis, Superioribus, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus; ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus.

§. 2. Firmis tamen, & in suo robore permanentibus omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipsis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt.

§. 3. Decernentes præsentes litteras & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari impugnari, redargui, jure, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

§. 4. Sicque per quoscunque Iudices, Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, & extra illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

§. 7. Quodque eædem præsentes litteræ seu illarum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ità arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Iulii, MDCXXII. Pontificatus nostri anno secundo.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, indictione quinta, die verò prima mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris Domini nostri, Domini Gregorii, divina providentia Papæ XV. anno ejus secundo: retroscripta Constitutio affixa & publicata fuit ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Brandimartem Latinum Apostolicum Cursorem. Octavius Spada Magister Cursorum.

3. *Vrbanus* verò *VIII.* sua *Constit. 119.* aliàs 9. *in Append. ad d. tom. 4. Cherub. fol.* mihi 18. quæ incipit, *Alias fel. record. &c.* extendit prædict. *Const. Gregor. XV.* ad omnes concessiones, etiam factas Eminent. Cardinal. & eorum manu signatas, per hæc formalia verba:

Vrbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Alias

§. 1. *Aliàs Fel. rec. Gregorius Papa XV. Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumerò concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet; Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ*, &c. ut suprà.

§. 2. *Cùm autem experientia rerum magistra compertum sit, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo etiam à R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum exequutioni demandari. Idcircò, quantum cum Domino possumus, his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, & de consilio nonnullorum venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia, & singula privilegia, facultates, licentias, & gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores nostros, ac per nos vivæ vocis oraculo, & S. R. E. prædicta Cardinalium quorumcunque manu firmata, quibuscunque Generalibus, Provincialibus, cæterisque Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sive Sæcularibus, sive Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societatis Iesu, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis quacunque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus; ac de cætero revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nullique prorsus deinceps suffragari posse, nec debere declaramus.*

§. 3. *Præterea, ut præsentes litteræ omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit; quantocitiùs innotescant, omnibus, & singulis Generalibus, & aliis quocunque nomine nuncupatis Superioribus quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum sub excommunicationis, ac privationis officiorum, & dignitatum, necnon vocis activæ, & passivæ pœnis ipso facto incurrendis, præcipimus, & mandamus, ut infrà tres menses proximos, à die publicationis præsentium computandos omnes, & singulos Provinciales eorundem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, eorundemque præsentium exemplaria illis transmittant: qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, & Locorum Regularium recipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent.*

§. 4. *Decernentes, præsentes litteras etiam ex eo, quòd quicunque in præmissis interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, redargui, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, & terminos juris reduci, sive adversus illas quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenùs posse, sed illas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore., suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.*

§. 5. *Sicque per quoscunque Iudices, ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 6. *Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, etiam regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Cardinalibus, Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus quocunque nomine nuncupatis, sub quibuscunque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§. 7. *Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: quódque eædem præsentes litteræ, sive illarum exempla ad valvas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ hujusmodi similiter affixa omnes, quos concernunt perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 20. Decembris 1631. Pontificatus nostri anno nono. Die, & anno supradicto affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, per me Andream Scalmanum Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursorem.*

4. Veruntamen, idem *Vrbanus Papa VIII.* sua *Constit.* 139. aliàs 29. *in Appendice ad d. 4. tom. Bull. Cherub.* fol. mihi 48. quæ pariter incipit, *Aliàs fel. recor.* &c. declaravit, prædictam suam revocationem non comprehendere illos Officiales, quibus ratione munerum suorum anteà de Summi Pontificis Oraculo fides haberi solebat, sub tali tenore verborum.

Vrbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus, & abusibus, ex privilegiis à Sede Apostolica vivæ vocis oraculo sæpenumero concessis obviam iret, Constitutionem edidit tenoris subsequentis, videlicet, Gregorius Papa XV. Ad perpetuam rei memoriam. Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiæ, divina providentia constitutus, gratias, & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, & singula indulta, facultates, privilegia, gratias, & concessiones quascunque spirituales, & Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quàm ad exterius spectant, ac tam ad supplicationem partium, quàm motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolica, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenùs quandocunque, & qualitercunque, ex quavis etiam de necessitate exprimenda causa quibusvis Collegiis, Capitulis,

culis, Ordinibus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis IESV, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, & earum respectivè Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, Generalibus vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis, Superioribus quomodolibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis cujuscunque dignitatis, praeminentiæ, aut quovis privilegio munitis.

Non tamen ad supplicationem Regum concessas, in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua perpetuò fore, & esse, neque in posterùm cuiquàm suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, & specifica mentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, & declaramus. Firmis tamen, & in suo robore permanent. omnibus indultis, & aliis concessionibus prædictis vivæ vocis oraculo S.R.E. Cardinalibus ad ipsorum, vel aliorum quorumcunque favorem propria S.R.E. Cardinalium manu firmatis, vel aliis factis, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, aut adversus illa, quodcunque juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenùs posse, sed illa semper valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicq; per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis, eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & aliis Superioribus prædictis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritant. & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides adhibeatur in judicio, & extrà illud, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quodque eædem præsentes litteræ, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1622. Pontificatus nostri anno secundo. Et subindè per Nos accepto, quod experientia rerum magistra compertum erat, concessiones, & gratias vivæ vocis Oraculo, etiam à S.R.E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas sæpè ab his, in quorum favorem emanarant, minùs canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum executioni demandari, idcirco quantum cum Domino potuimus his, & aliis malis occurrere volentes, motu proprio, certaq; scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, De consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, quibus negotium hujusmodi maturè discutiendum commisimus, omnia & singula privilegia, facultates, & licentias, & gratias quascunque per Summos Pontifices prædecessores Nostros, ac per Nos vivæ vivæ Oraculo, etiam S.R.E. prædictæ Cardinalium quorumcunq; manu firmata quibuscunq; Generalibus, Provincialibus, cæterisq; Superioribus, & personis cujusvis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, sivè sæcularibus, sivè Regularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati IESV, aut ejus Clericis, seu Presbyteris, aliisque personis prædictis, quacunque de causâ, etiam de necessitate exprimenda occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, & contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum & Principum quorumcunque, aut aliàs quomodolibet concessa illorum tenores præsentibus pro expressis habentes Apostolica auctoritate revocavimus, cassavimus sustulimus, abrogavimus, & annullavimus, ac de cætero revocata, cassa sublata, abrogata, & annullata, viribusq; & effectu vacua esse, & fore, nullique deinceps suffragari posse, nec debere declaravimus, prout in aliis nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, & Sedis Apostolicæ Officialibus, seu Ministris, qui eorum officiorum, seu munerum ratione de gratiis, concessionibus, & dispositionibus quibuscunque per nos faciendis, mandatisque, & jussionibus nostris exequendis, aliisque rebus, & negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato facienda, gerenda, & executioni demandanda, vivæ vocis Oraculo commiserimus, & indies circà ea, quæ ad cujuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmiori gestorũ de mandato nostro per eosdem Officiales, seu Ministros validitati, eorundemque Officialium, seu Ministrorum securitati consulere volentes, Motu proprio, certaq; scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Officiales, seu Ministros prædictos, quibus aliàs ante emanatas prædictas Constitutiones ex officiorum suorum auctoritate, & prærogativa de Oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito fides haberi solebat quoad ea, quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officiorum, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris prædictis, super revocatione Oraculorum hujusmodi emanatis, minimè comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus, & ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales, seu Ministros adversus easdem Constitutiones; quatenùs opus sit, restituimus & plenariè reintegramus in omnibus, & per omnia perindè, ac si quoad illos prædictæ Constitutiones non emanassent Decernentes, præsentes litteras validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Gregorii prædecessoris hujusmodi, nostrisque litteris præfatis, ac omnibus illis, quæ in dictis litteris concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1635. Pontificatus nostri anno duodecimo. M. A. Maraldus.

5. Nec officit *Laur. Portell. in respons. lib. 3. cas. 42. f.* mihi 909. dicens, quod *Urbanus VIII.* Anno Domini 1624. die verò 19. Aprilis, pro foro conscientiæ, & fidelium salute, Oracula Vivæ Vocis revalidavit, & absolutè, sine ulla clausula confirmavit Religioni Societatis Jesu; quia idem *Urbanus* anno Domini 1631. die verò 20. Decembris sua *Constu.* incip. *Aliàs fel. rec.* suprà per extensum posita *in* §. 2. *&c.* Iterum illa abolevit, & abrogavit: insuper & ea ad instantiam Regum, & Imperatorum concessa, jussitque, hanc suam revocatoriam omnibus, & singulis, etiam Superioribus Societatis Jesu intimari, notificari; ut *ibidem* est videre; lex enim posterior corrigit priorem.

6. Nec replices, dicendo, quod *Urbanus Octavus* in d. sua *Const.* suprapositâ nullatenùs loquitur de Oraculis, quoad forum animæ; quia *Urbanus ibidem* loquitur, juxtà d. *Gregorianam*, qua fuerunt sublata omnia Oracula, tàm quoad forum interius, quàm exteriùs, *exceptis tamen, &c.* ut in §. 2. ejusdem, quam *Gregorii Constitutionem Urbanus*, juxtà sui seriem, continentiam, & tenorem extendit, etiam ad excepta, ut *ibidem* est videre. Perindè securiùs dicendum est, quod Oracula Vivæ Vocis hodie minimè vivunt; nisi quæ emanaverunt, juxtà terminos d. *Urbani Constitutionis* suprapositæ, & editæ sub anno 1635.

Quæst. 2. Oracula Vivæ Vocis, possuntne tolli, aut limitari per P. Provincialem in Capitulo Provinciali, vel saltèm per P. Generalem in Capitulo Generali, cum consensu totius, vel majoris partis Capituli?

1. DE hac re plura decisivè diximus suprà *tract. 11. q. 20. ibique* docuimus; quonam modo, & quibus in casibus P. Generalis, vel Provincialis in eorum Capitulis possint tollere, vel limitare Usum Oraculorum Vivæ Vocis, & aliorum privilegiorum ex concessione *Leon. X.* facta P. Generali Fratrum Minorum, & *Gregor. XIII.* facta Patribus Societatis Jesu; dummodò hujusmodi limitatio, vel abrogatio non sit contrà Sacros Canones; neque fiat in præjudicium alicujus tertii, vel Domini Papæ, Ecclesiæ, vel totius Communitatis, prout *Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 9. art. 2. & tom. 3. q. 22. art. 3. & Nepos in Compend. resolut. 117. num. 2. Panor. in cap. si de terra, de privil. num. 5. Sylv. ver. privil. q. 10. num. 10.* cum aliis multis, quos citat *Peyr. tom. 1. privil. Minim. in constu. 2. Jul. 2. §. 3.* à *num.* 8. usque ad 12. *fol.* mihi 304. *& Bordon. lib. var. de Oracul. resol. 31. q. 1.*

Quæst. 3. Oracula confirmata cum Clausula, Ex certa scientia, Motu proprio, & de plenitudine potestatis; an per prædictas revocatorias censeantur revocata?

1. SI gratiæ, & facultates semel nobis concessæ oretenùs, & sine scriptura, iterum & de novo conceduntur; nullo tamen habito respectu ad præterita Oracula, nullaque facta mentione de illis, respondendum censeo negativè; quia in tali casu foret nova & absoluta concessio, & res solo verbo concessæ transirent in vim novæ Bullæ, & privilegii; quandoquidem ita conceduntur, ac si nunquàm fuissent Oracula, & sic non ampliùs censentur Oracula, sed novæ Bullæ, & Privilegia, prout notat *Bord. lib. variar. resol. 31. q. 5.* Nec inconvenit, ut una, & eademmet res multis modis concedatur; Interdùm nobis conceditur jure testamenti, interdùm verò titulo donationis, nunc jure hæreditario, nunc autem jure codicillorum; ità tamen, ut neutra concessio dependeat ex alia.

2. Proindè, illa facultas eligendi Prælatum in Ordine Prædicatorum, quæ ad solos Sacerdotes extenditur, dummodò habeant sex annos integros à Professione, licet sit facta Oraculo Vivæ Vocis *Pauli V.* prout habetur in nostris *Constu dist. 2. de election. Prior. cap. 2. text. 6. lit. O fol. 114. col. 4.*

3. Adhuc tamen viget, nec intelligitur revocata per prædictas revocatorias; quia sub anno Domini 1623. die verò sexta Aprilis fuit confirmata, vel de novo nobis concessa, sine ullo respectu ad præterita Oracula, ut dictum est, & refert noster *Castell. de elect. can. cap. 5. num. 37. fol. 132.*

4. Secùs autem dicendum, si Oracula aliàs nobis concessa, iterùm cum prædictis clausulis concedantur, habito tamen respectu ad prætetita, & factâ mentione eorundem; quia sic confirmata remanent Oracula, ut priùs, & sic expresse revocantur, prout expressè legitur in prædicta revocatoria *Gregor. XV.* §. 1. *ibi* namque revocantur omnia concessa Vivæ Vocis Oraculo, quomodocunque & qualitercunque ex quavis causa, etiam de necessitate exprimenda, tàm ad forum interiùs, quàm exteriùs: tàm ad supplicationem partium: quàm motu, scientia, & de plenitudine potestatis.

5. Sic item observat, & interpretatur Stylus Curiæ Romanæ, prout refert contra se *Peyr. tom. 3. de privil. Minim. cap. 12. in Constu. Urb. VIII. num. 1.* & Stylus Curiæ habetur pro lege, secundùm omnes *D D.* & probatur quia per confirmationem, seu innovationem non mutatur natura & conditio ejus, quod confirmatur: Confirmatio enim, ut post *Hostiens* docet *Suarez lib. 8. de legibus, cap. 18. per totum*, præsupponit, jus competere, & acquisitum esse; est enim confirmatio, acquisiti juris roboratio, prout nos suprà de *privil. & Gutier. pract. quæst. lib. 3. q. 17. num.* 48.

6. Quod magis patet; si advertas, quod Clausula non mutat naturam contractus, ut dicitur in *Clem. 1. de præbend. Felin. in cons. 43. & Aloys. Ricc. collect.* 2933. ubi habes *allegationem Novarii.*

7. Proindè apposita in confirmatione privilegiorum, non mutat eorundem naturam in diversum esse; ità ut privilegium gratiosè, & liberaliter concessum, non possit virtute prædictarum clausularum mutari in privilegium remuneratorium, vel in contractum onerosum.

8. Clausulæ namque prædictæ (ut dictum est) respiciunt qualitatem, non autem substantiam privilegii.

9. Quapropter, positæ in privilegiis, faciunt, ut amplè debeant declarari, & derogant juri communi sibi contrario, & restituunt privilegia revocata, & infirma firmant; & invalida validant, ut in *cap. in primis caus. 25. 1. & cap. hac quippè q. 6.* & supplent defectum solemnitatis omissæ, *cap. 1. de transact.* & habent vim novæ concessionis, & confirmationis, *cap. si Apostolica, de præbend. in 6. & c. quia diversitatem, de concess. præb. Rota Romana* per *Joann. Baptistam. Coccin. decis. 166. num. 1. & 10. Navarr. cons. lib. 1. de Simonia consil. 34.* cum aliis, quos nos suprà in *tract. de Clausulis* citavimus in claus. *ex certa scientia.*

10. Hæc tamen procedunt in uno, & eodem genere, non autem in diverso genere; quia à diversis non fit illatio, *cap. ad audientiam, de decimis*: volo dicere, quod sicut prædictæ clausulæ dant novum jus, novumque valorem privilegiis extinctis, & deperditis per non usum, vel per contrarium usum, vel per præscriptionem, aut per defectū alicujus qualitatis, ut dictum est; ità ut reviviscant, & subsistant, sicut & priùs: & ideo si primò erant privilegia favorabilia, & onerosa, & ob aliquam causam, vel circumstantiam fuissent deperdita, Virtute & efficacia prædictarum clausularum, primævo restituuntur esse; ità ut sint post confirmationem, uti priùs favorabilia, vel onerosa.

11. Idipsum efficiunt prædictæ Clausulæ appositæ in confirmatione Oraculorum, vivificant extincta, revalidantque infirma, non mutantes eorum naturam; & sic, u-

sic, uti priùs remanent Oracula, revocationi subjecta.

12. Hinc benè poteris discernere, an sint revocata Oracula ex certa scientia; olim confirmata per *Greg. XIII.* sua *Constit.* incip. *Ex benigna Sedis, &c.* apud *Confect. fol.* mihi 204. Sic item illa confirmata per *Sixtum V.* sua *Constit.* incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, apud eundem *fol.* 222. Sic & alia confirmatat per *Clem. VIII.* sua *Constit.* incip. *Ratio Pastoralis*, apud *Confect. fol.* 237.

13. Et quonam modo in illis loquantur Romani Pontifices, quippè qui sæpiùs his utuntur terminis, ut Romanus Pontifex, quandoque Prædecessorum suorum gesta innovet, ac Apostolica authoritate innovata, & restaurata muniat, & fulciat, & in pristinum statum reponat, ac reducat: expendantur hæc verba, quæso, vide, & consule.

Quæst. 4. Facultates, Gratiæ, & privilegia Vivæ Vocis Oraculo, quæ sortita sunt suum effectum antè revocationem Gregor. XV. licet effectus habeat tractum successivum; an censeantur revocata.

1. ORacula, quæ jam suum sortita sunt effectum, ante revocationem prædictam, clarum est, per prædictam Revocatoriam non revocari; prout in eadem *Const.* est videre: nam *ibi* dicitur in calce §. 1. *in iis videlicet, quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus*: ergò per argumentum à contrario sensu, sortita effectum, non revocantur.

2. Verùm, quia reperiuntur quædam indulta, gratiæ, & facultates, Oraculo Vivæ Vocis concessæ, quæ etsi sint adeptæ actum primum, & primarium effectum; non tamen sortitæ sunt actum secundum, & effectus omnes successive futuros, & totales, Ut si quis v.g. Oraculo Vivæ Vocis habeat facultatem absolvendi omnes ad se accedentes à voto Castitatis; Nihilominùs hucusque respectu aliquorum, aut nullorum prædicta est usus potestate: quæ quippè tradita, ut suprà, & acceptata; dicitur actus primus vel primarius effectus; actus verò secundus, erit actuale exercitium ejusdem jurisdictionis, & potestatis: fuit à nostris in Cœtu Purpuratorum dubitatum, ut suprà, *An facultates, &c.*

3. Sacra Congregatio negotiis Regularium præposita, etiam respectu horum, quæ habent tractum successivum respondit ad quæsitum negativè; hoc est, non comprehendi sub d. revocat. *Greg.* prout per extensum refert, & authenticè noster *Castell. de elect. canon. cap. 5. num. 37. ver. pro parte, Peyr. tom. 2. privil. Minim. constit. 3. Gregor. XV. num. 1. Lezana tom. 1. summ. qq. regul. cap. 3. num. 21. & Bordon. in lib. var. resolut. 31. q. 8.*

4. Quod procedit, nedum respectu Oraculorum, quæ fuerunt concessa Magistris, Vicariis, & Procuratoribus Generalibus pro regimine Ordinum, quibus præsunt: Verùm etiam respectu eorum, quæ respiciunt particulares personas Hinc

5. Magistri Sacræ Theologiæ, Baccalaurei, cæterique omnes Graduati intuitu prædictorum Oraculorum, licitè & securè, revocatoria *Greg. XV.* non obstante, uti possunt suis gradibus, nullaque revalidatione indigent; prout pluries censuit eadem Sacra Congregatio, & refert *Castell. & Lezana* in præcit. *loc.*

6. Quia hujusmodi facultates, ac jurisdictiones à legitimo Superiore concessæ, censentur gratia facta, quæ ita radicantur in persona, cui primò & immediatè conceduntur; ut etiam re integra permaneant post mortem Concedentis, & deperdi non possint, sine nostra voluntate, nisi à Superiore clarè & legitimè revocentur, juxtà regulam jur. *ff. de regul. jur. quod nostrum est, sine nostro vele, auferri non potest*; de qua re plura diximus *de privileg. quæst. 10. q. 4.*

7. Nec putes, prædicta revocari per *Urbanum VIII.* in dict. *Const.* saltem quatenùs respiciunt effectum pro futuro tempore: quia Dominus *Urbanus in d. Const.* id non explicat: explicasset utique, si voluisset, *Constitutionem Greg. XV.* magis coarctare; & juxtà Regulam odia sunt restringenda, & ad casus non expressos non debent extendi. *Lezana, & Peyr.* cit. *loc. & tom. 3. privil. Minim. in const. 18. aliàs 28. Urb. VIII. fol. 366. & Novar. in lucer. Regul. ver. privilegia, nu. 4. fol. 205.*

Quæst. 5. Oracula, quibus declarantur Sacri Canones, Decreta Conc. Trid. Constitutiones Apostolicæ, ac Mendicantium privilegia; an in prædictis Revocatoriis intelligantur revocata?

1. ET dico, quod non: tùm quia puræ declarationes, ac simplices & meræ explicationes Sacrorum Canonum, & similium prædictorum, non sunt gratiæ, quæ aliquod jus, vel facultatem concedant: hæ quidem tantùm in præd. *Constit.* revocantur; aliud enim est, interpretari & declarare; & aliud facultatem facere, & à diversis non fit illatio: prout post multos docet *Peyr. in 2. to. privil. Minim. in constit. 8. Paul. V. & Gomes in Regul. Cancell. de non tollend. jus quæsit. q. 13. in princ.* & habetur in *cap. ad audientiam, de decimis*: quandoquidem qui declarat, nihil de novo concedit, *Alfons. de Leon. in tract. de Jub. p. 1. q. 6. num. 247. fol. 61. & Lezana tom. 1. summ. qq. regul. cap. 3. num. 21.*

2. Tum etiam; quia prædicti Pontifices, ea intendunt revocare Oracula (ut infrà dicemus) quæ sinistra interpretatione ad non extendenda extenduntur, in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ: prout colligitur ex *Proœmio*, in quo exprimitur revocatoriarum *Constitutionum* causa finalis.

3. Hujusmodi autem declarationes factæ oretenus à Summo Pontifice, non sunt in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ, sed utiles, & necessariæ ad manuducendum, & conservandum Religiosos Fratres in Regulari observantia; *Novar.* in sua *lucerna Regul. ver. privilegia, nu. 4. & Bordon. in var. resolut. 31. q. 7. n. 7.*

Quæst. 6. Indulgentiæ Oraculo Vivæ Vocis concessæ, an intelligantur revocatæ per prædictas Constitutiones Greg. XV. vel Urb. VIII.?

1. SÆpè diximus, quod odia non sunt extendenda ad non expressa, *cap. odia, de Regul. jur. in 6.* Et quod ècontra Principum gratiæ & beneficia, sunt amplianda; *l. beneficium ff. de Constit. Princ.*

2. Hinc monstravimus, sub generali communicatione Privilegiorum Mendicantium non venire pœnalia, nec contraria, aut repugnantia propriis statutis *quæst. 12.*

3. Benè tamen venire, secundùm quandam Status decentiam, & proportionem, Indulgentias, & remissiones peccatorum, *q. 15. cit. loc.*

4. Proindè dicendum, præsentes *Constitutiones* Oraculorum revocatorias, ex quo sunt pœnales & odiosæ, non se extendere ad Oracula, quæ indulgentias concedunt, & remissiones peccatorum concernunt.

5. Quippè, quæ uti gratiæ, favore animarum, nunquàm intelliguntur revocatæ, nisi expressè revocentur; prout latè *Navarr. in comment. de Jubilæo, & Indulgent. in §. ex levitico, de pœn. dist. 1. notab. 28. nu. 27. & notab. 33. in princ. & medio fol. 584.* quem sequitur *Rodr. tom. 2. qq. regul. q. 98. ar. 4. Faust. lib. 3. de Jub. & Anno Sancto, q. 79. Peyr. tom. 3. privil. Minim. ad Const. Urb. Octavi, cap. 12. num. 1. in fin. & Bordon. var. resolut. 31. q. 4.*

6. Quod amplia procedere, etiamsi earundem Indulgentiarum fiat expressa revocatio, vel suspensio, quæ uti expressa, licet indulgentias perimat, vel suspendat; attamen non nocet, donec sciatur. Idem *Navar.* cit. *loc.*

7. Quod item procedit in anno Jubilæo, in quo solæ indulgentiæ plenariæ revocantur; aliæ autem non plenariæ, nequaquàm: quandoquidem solæ plenariæ, aliis non expressis, exprimuntur; & hoc ideò, quia sumus in odiosis, quæ sunt (ut minus lædant) omninò restringenda. *Navar. ubi suprà.*

Nec te moveant illa verba apposita in prædictis revocatoriis, utputà, *Tenore præsentium revocamus omnes, & singulas gratias, indulta, & facultates, &c.*

8. Hæc enim non possunt referri ad facultates absolvendi à censuris, & aliis pœnis, vel commutandi vota, vel in eis, & super rebus malè ablatis, & incertis dispensandi, prout respondit Datarius Domini Papæ *Greg. XIII.* & refert idem *Navarr.* cit. *loc. notab.* 33. *vers. qua de re.* dummodò Oracula præcesserint, juxtà novissimam declarationem *Urb. VIII.*

9. Quod esse veriùs dices, si advertas, quemlibet Romanorũ Pontificum in principio suæ creationis, statim revocare gratias omnes & indulta, per suos Prædecessores concessa & elargita; prout notat noster *Joannes Viguerius* Granatensis in suis *Institut. ad Christianam Theologiam, de Sacrament. Ordinis, cap.* 16. §. 6. *vers.* 22. *de Indulgent.*

10. Et tamen per hæc nullatenùs Indulgentias abrogare; quia gratiæ *ibid.* revocatæ, referuntur ad gratias expectativas, & ad indulta beneficiaria concessa ad acquirenda beneficia Ecclesiastica, vel ad nominandum ad ea, vel conferendum illa: ut per plura benè ostendit idem *Navar. consil. lib.* 5. *de pœnis. & remiss. consil.* 2. *fol.* 557.

Quæst. 7. An Oracula concessa Prælatis contrà Subditos censeantur in dictis Bullis revocata?

1. SI Prælatorum Oracula Vivæ Vocis contrà subditos obtenta, sint de numero exceptuatorum quandoquidem, ut patet, in prædictis revocatoriis multa expressè exceptuantur; neutiquàm debent in controversiam adduci.

2. Item & alia illis concessa pro feliciori gubernio Ordinum, & Fratrum, non censeo revocari; tùm quia ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium præposita apud *Castellinum de Electione Canon. cap.* 5. *num.* 37. de qua plura habes hic suprà *q.* 4. ex eo, quod censentur acquisita, effectumque sortita, etiamsi haberent tractum successivum, & gratia facta nunquàm perit, nisi in specie revocetur.

3. Cùm item ex earundem *Constitutionum* causa finali intelligantur excepta. Causa enim finalis omninò debet attendi; ipsa enim *Constitutiones* restringit, vel ampliat; prout colligitur ex *l. cùm pater, §. dulcissimis, ff. de legat.* 2. & docent *Hostiens. & Panor. cap. Ecclesiæ, de Immunit. Ecclesi. num.* 5. *&* 6.

4. Quapropter, cessante causa finali, cessant privilegia, ut dicitur in *cap. cùm cessante, de appellat.* & nos suprà *de amiss. privileg. q.* 1.

5. Causa autem finalis revocatoriæ *Greg. XV.* quæ ex *Bullarum* præambulis, & narrativis colligitur, fuit ad occurrendum Oraculorum abusibus, prout testatur *Urb. VIII. Papa in Constit.* quæ incipit, *Aliàs felicis recordationis Greg. Papa XV. Prædecessor noster, ut subnascentibus jugiter variis difficultatibus & abusibus, ex privilegiis à Sede Apostolica Vivæ Vocis Oraculo sæpenumero concessis obviam iret, &c.*

6. Ergò cessante Oraculorum abusu, poterint Prælati ergà suos subditos illis benè uti, pro communi bono, & Regulæ conservatione.

7. Sic item causa finalis revocationis habitæ per *Urbanum Octavum*, fuit; quia advertit, hujusmodi Oracula minùs Canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni mandari.

8. Quippe, quæ etiam cessat in casu nostro: quandoquidem Prælati Regulares, non falsè, nec perperam suis utuntur privilegiis; sed, ut decet, cum maxima discretione, maturitate, & causa, in augmentum & custodiam Regularis disciplinæ, & ad conservandum suos subditos in Regulari observantia, qui voto obedientiæ adstringuntur, suorum Superiorum Velle, prosequi & amplecti: proindè posse Mendicantium Prælatos moderari usum Oraculorum Vivæ Vocis, *Rodr. tom.* 3. *qq. regul. quæst.* 12. *art.* 3.

9. Ex his eò fortiùs collige, non revocari concessiones, nec gratias omninò favorabiles, quæ regulariter sunt utiles sine præjudicio tertii; uti sunt illæ recitandi officium Beatæ Mariæ Virginis in quolibet Sabbatho in Ordine nostro, Sancti Dominici in feria tertia, & Augustissimi Corporis Christi in die Jovis; & visitandi Altaria & similia.

Quæst. 8. An liceat uti Oraculis, saltem in foro conscientiæ; prout in libris Ordinum continentur?

1. LIcere, affirmat *Rodr. in tom.* 3. *qq. regul. q.* 12. *art.* 3. tùm quia libri Ordinum (ut dictum est) bene probant ex concessione *Leon. X.* habita Oraculo Vivæ Vocis, prout habetur in *Supplem. Ordinis Minorum concess.* 161. *fol.* 58. & habetur per extensum in *to.* 1. *collect. Bull.* ejusdem *Rodriquez, in bullis Leon. X. fol.* mihi 316. *num.* 4.

2. Cùm item Oracula in dictis libris adnotata, habeant vim Bullæ, & Constitutionis Papalis, prout nos suprà hic diximus, & testatur *Laurentius Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum* in cit. *loc. Coll. Rodr.* sub anno Domini 1516. die verò 15. Aprilis.

3. Quod extenditur ad antiqua privilegia, quibus in foro animæ uti possumus, etiam in iis, quæ abrogata sunt per *Conc. Trident.* prout *Pius Quintus* ex Ordine nostro assumptus, Minoritis concessit Oraculo Vivæ Vocis, quod habes in ead. *Collect. Bull. Rodr. tom.* 2. *in fine Bullæ Pii V. fol.* 428. *num.* 15.

4. Nec his obstat Revocatoria *Greg. XIII.* qua quidem statim ejusdem *Pii* concessiones omnes, in beneficium Regularium concessas revocavit, reduxitque ad terminos *Sacr. Conc. Trident.* prout suprà diximus *de Confirmatione privil. q.* 17.

5. Tum quia recensita Revocatoria non revocat Oracula Vivæ Vocis, quæ, uti monstravimus, nunquam intelliguntur revocata, nisi in specie revocentur; est enim constitutio pœnalis, quæ ad non expressa non extenditur. Tum item; quia dicta Derogatoria *Greg. XIII.* non fuit publicata, secundùm *Navarr. in summ. lat.* Venetiis impressa apud Joannem Guerilium in *fine numer.* 191. *versic. quoniam verò, fol.* 344. *Henriquez tom.* 1. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 6. *num.* 6. *& Portell. in Dub. Regular. ver. Vivæ Vocis Oracula, num.* 3. *fol.* 1005. & ob alia multa, quæ diximus *q.* 17. *de privileg. & q.* 17. *de revocatione.*

6. Et adde, quod *Urbanus Octavus* uti verus Pastor animarum, non obstante Oraculorum revocatoria *Greg. XV.* suprà posita, anno Domini 1624. die verò 19. Aprilis, pro foro conscientiæ Oracula Vivæ Vocis, absolutè, & sine ulla Clausula revalidavit, & confirmavit privilegia omnia, & Oracula, prout notavimus hic suprà *q.* 1. & refert idem *Portell. in respons. in casu ultimo fol.* mihi 909.

7. Nec inficit, quod idem Urbanus posteà in anno Domini 1631. prænarratâ, & insertâ Revocatoriâ dicti *Greg. XV.* abrogasset omnia Oracula, quibusdam exceptis; quandoquidem hæc *Urbana Constitutio*, uti pœnalis, ad forum animæ non trahitur; ut post multos advertit

Per-

Peyr. tom. 3. privil. Minim. ad Constitutionem Urbani VIII. cap. 12. nu. 1. in fine, quia odia non extenduntur ad non expressa; sed de his dixi suprà.

Quæst. 9. Oracula communicantia, & extendentia Religiosorum privilegia, aliàs priùs per Bullas concessa, an in dictis revocatoriis intelligantur revocata.

1. Consueverunt Romani Pontifices, nostri Ordinis privilegia, in scriptis concessa, alteri postmodum Religioni concedere; oretenùs tamen, & sine scriptura; quamobrem fuit dubitatum; an hujusmodi concessiones censeātur in dictis Revocatoriis comprehensæ?

2. Et dico quod non; quia modus rei non variat rem, cujus est modus; communicatio autem oretenùs facta, & sine scriptura exhibita, est modus communicandi, & extendendi Privilegia, prout suprà diximus *de privil.*

3. Qui quidem uti accidentalis, & accessorius ad præexistens bullatum privilegium, non habet tantam vim, ut illius possit immutare stabilitatem.

4. Hinc nostra privilegia aliàs & anteà per Breve concessa, per posteram communicationem alteri Religioni oretenùs factam, non evadunt Oracula; sed adhuc, quemadmodum & prius erant bullata privilegia, prout docet *Turrianus p. 2. select. disput. 16. dub. 50. Peyr. tom. 3. privil. Minim. ad constit. Urb. VIII. 18.* aliàs *28. cap. 12. num. 2. & Bordonus in lib. var. resolut. 31. de Oraculis, q. 6. num. 6.*

Quæst. 10. **Quot, & Quales sint Officiales Domini Papæ, quorum Oracula in prædictis revocatoriis non intelliguntur revocata?**

1. Quoniam sub anno Domini 1635. Dominus *Urbanus VIII.* suprapositā declaratione declaravit, *Constitutiones* Revocatorias Oraculorum, sive à se, sive à *Gregorio XV.* factas & suprapositas, non comprehendere illos Officiales Sanctitatis suæ, quibus ratione munerum suorum, anteà de Summi Pontificis Oraculo fides haberi solebat.

2. Non erit inutile impræsentiarum annotare, qui sint hujusmodi Officiales, & Ministri Domini Papæ, ne circà Oraculorum usum contingat errare.

3. Sunt etenim hi multi, atque diversi, prout adnotantur in *Extrav. ad regimen, de præbend. & dignitat. in 6.* quo in *loco* dispositioni Apostolicæ reservantur beneficia Curialium, & aliorum ad Curiam accedentium, *ibique* circà *medium* subjungitur, *ac per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, ac Officialium dictæ Sedis, videlicet Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditorum litterarum contradictarum, & Apostolici Palatii Causarum, Auditorum, Correctorum, & Scriptorum litterarum Apostolicarum, ac Pœnitentiarii præfatæ Sedis, ac Abbreviatorum, nec non Commensalium, & aliorum quorumlibet Capellanorum Sedis ejusdem, & etiam quorumcunque Legatorum, sive Nunciorum, ac in Terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum & Thesaurariorum, &c. vide ibi.*

De quibus singulis *Cardinalis Tuschus verb. Officialis, conclus. 82. num. 6. & 16.*

Quæst. 11. An Pater Generalis Ordinis Prædicatorum possit dici propriè Officialis Domini Papæ?

1. Negativè respondeo; si Pater Generalis mittatur à Domino Papa, vel eligatur per Canonicam Electionem Fratrum in Gubernium, & Regimen suæ Religionis; ita tamen ut à statutis illius Ordinis, cui præfigitur, jurisdictionem accipiat; & potestatem; sic enim electus, vel missus, sub jugo Religionis remanet, & illius statuta tenetur servare.

2. Secùs autem, si ultrà potestatem ordinariam, habeat & aliam specialem, sibi datam à Domino Papa, qua suprà Regulam possit, & ejus Statuta: ille namque propriè dicitur Officialis, qui sub alio Ministraliter Jurisdictionem exercet; prout docet *Butrius cons. 74. nu. 3. & Cardinalis Tuschus ver. Officialis, conclus. 88. num. 1.*

3. Quod item procedit de Gubernatoribus, & Rectoribus Civitatum Domini Papæ, *Doctores qui suprà.*

4. Ex his collige, qualiter sit credendum Oraculis Reverendissimorum PP. Generalium Ordinum Regularium, quoad eorum munera, quæ exercent pro feliciori Gubernio Religionis sibi commissæ.

Quæst. 12. An sit credendum Oraculis Protectorum Ordinum, editis super Religione, quam protegunt?

1. Respondeo quod sic: quia sunt propriè Officiales, & Ministri Domini Papæ, quibus juxtà sancita per supradictum *Urbanum*, sine dubio credendum est, & quamvis in *d. cap. ad Regimen* non numerentur inter Officiales Papæ, tamen in Religionem sibi commissam, jurisdictionem exercent, tanquam Ministri Papæ, ac nomine & authoritate ipsius Papæ, qui est omnium Religionum Generalissimus administrator, qui, etsi justitiam ministrando teneantur servare Regulas, & statuta Ordinum, quos gubernant; habent tamen super illis superintendentiam, & authoritatem à Domino Papa, sive jure scripto, sive voce, aut consuetudine, parùm refert. Secùs autem dicendum in iis, quæ non concernunt Religiones quas protegunt, prout colligitur ex ead. *Urbani Constitut.* & docet *Peyr* in suo *formul. Prælat. Regul. lit. Z. cap 3. & appendice 4. ad Urb. VIII. num. 2. fol. 726.*

2. Hinc Patres Calabri nostri Ordinis habent, ut sua possint jura tueri pro restrictione, ac limitatione temporis Provincialatus; ità ut Provincialium Officium in eorum Provinciis non possit ultrà biennium protrahi, nec extendi, quemadmodùm antiquitùs & continuè minimè extendebatur; quandoquidem Provinciales in dictis Provinciis semper fuerunt biennales.

3. Nunc autem rupta consuetudine, ac immemorabili violata; sunt quadriennales, prout plures: quos inter, & ego fui, gratia Dei.

4. Et hoc factum est post Capitulum Generale, Romæ celebratum sub Reverendissimo: ac Vigilantissimo Patre Fratre Nicolao Rodulfio, sub anno Domini 1629. in cujus Capituli *ordinatione undecima*, hæc leguntur.

Ordinamus, ut cùm Julius secundus disposuerit, ne Provinciales ultrà quadriennium in officio Provincialatus perseverent, ad uniformitatem durationis Superiorum, in Ordine nostro servandam, & Regimen Provinciarum, & Conventuum ejusdem utiliter, & quietè administrandum, Provinciales durent in suis officiis quadriennio, & Priores Conventuales triennio, exceptis Provinciis, in quibus est speciale Indultum Apostolicum.

5. Ob quam exceptionem cœperunt ferè omnes contristari; ac singuli dicere, prædictum quadriennium officii Provincialatus in eorum dictis Provinciis non posse practicari, absque injustitia, vel eorum gravamine.

6. Tum quia ista nova praxis inolevit contra eorum privilegium, Oraculo Vivæ Vocis obtentum à Domino Papa *Julio tertio* hujus nominis, & manu Eminentissimi Cardinalis de Salviatis; tunc temporis nostræ Familiæ Protectoris subscriptum, ac testificatum, tenoris sequentis, videlicet:

Joannes Miseratione Divina, Sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis, de Salviatis vulgariter nuncupatus, Ordinis Prædicatorum Protector, &c. Universis & singulis

singulis Christi fidelibus præsentes nostras has inspecturis, lecturis pariter & audituris. Notum facimus, & in verbo veritatis attestamur, qualiter hodie Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Paulus, Divina providentia Papa tertius, ad preces & requisitiones nostras, Vivæ Vocis Oraculo, nobis desuper facto, concessit, quod pro pace, & quiete Provinciæ Calabriæ Ordinis Prædicatorum liceat illis, & teneantur, ubi tempus eligendi sibi Provincialem advenerit (si tamen voluerint unum de sua Provincia eligere) semel unum ex Patribus Calabriæ Superioris, qui duobus annis præesse tantum possit; deindè alium ex Patribus Calabriæ Inferioris, & sic successivè de biennio in biennium, quousque ab Apostolica Sede aliter fuerit ordinatum; quod tamen biennium semper in secunda Paschæ Dominica, videlicet secunda post Octavas Paschæ intelligatur esse finitum: & tunc ipse Provincialis sit absolutus ipso facto, & remaneat Vicarius Generalis Provinciæ, quousque alius Provincialis fuerit confirmatus, & præsens in Provincia, cum authoritate solita dari hujusmodi Vicariis secundùm Constitutiones Ordinis Prædicatorum, cætera autem omnia, secundùm Constitutiones ejusdem Ordinis fiant, & tractentur; in quorum fidem, præsentes manu propria nostra subscriptas fieri, & per infrascriptum Secretarium nostrum subscribi, nostrique sigilli, quo in similibus utimur, jussimus impressione muniri. Datum Romæ in Burgo Sancti Petri, in ædibus nostræ solitæ Residentiæ, Die ultima mensis Junii 1537. Pontificatus ejusdem Sanctissimi Domini nostri anno secundo. Joannes Cardinalis de Salviatis manu propria.

7. Quod authenticum; & guarentigiatum ferebatur, prout fertur esse in nostro Conventu Catanzarii. Sed ego, omni facta diligentia, in toto meo quadriennio, nunquàm reperi, nec repertum legi, nec vidi, neque potui videre, nisi quandam cartulam, quæ suprapositta simpliciter, & de plano continebat.

8. Tùm item, quia (ajunt ipsi) legitima consuetudo habet vim pacti. *l. non impossibile. ff. de pactis* & facere potest, quicquid potest pactum. *Afflict. decis. 91. num. 9. & 258. num. 2* & operatur, quicquid & præscriptio, *Tuschus conclus. 809.* & licitum reddit, quod aliàs est illicitum, *Ludov. decis. Perus. 62. num. 14. & Roland. cons. 58. num. 19. lib. 4.*

9. Insuper habet vim tituli, & privilegii, *c. super quibusdam, c. præterea de verb. signif. & Felin. in c. accedentes, de præscript.* Item legem fert & abrogat, *D. Thom. 3. sent. dist. 2. & 1. 2. q. 97. ar. 3. & Turrecrem. in Can. Consuetudinem, dist. 12.* cum aliis citatis *tr. 2. q. 10. & 11.*

10. Est item fortior Privilegio, in scriptis obtento, ut in *c. accedentibus, de priv.* cum aliis, quos allego *tr. 1. q. 19. & seqq.* & uti immemorabilis, nunquam censetur abrogata, nisi in specie abrogetur, *Covar. var. resolut lib. 3. cap. 13. num. 5. Aloys. Ricc. in 4. par. decis. Cur. Archiep. decis. 352.* cum aliis, quos egomet cito *loc. cit.* Ex his inferunt, ab illa fuisse malè recessum, & ad illam quantociùs fore revertendum, & quàm gravis & molesta diuturna Prælatura?

11. Pro parte verò Patris Generalis dicebatur, prædictum Oraculum non esse authenticum, & ei consequenter minimè credendum, tàm in judicio, quàm extrà; sicut nec etiam creditur Decretis Sac. Congreg. nisi forent in forma authentica, prout refert *Barbosa in collect. Bullar. ver. Congregatio pro sanctis ritibus, Lezana p. 3. sum. qq. regul. ver Sacr Congreg. n. 5. & Tambur. tom. 1. de Jur. Abbat. disput 16. q. 9. num. 2. fol. 245.*

12. Et quod, sicut P. Generalis in Capitulo Generali potest restringere, vel abrogare Usum Oraculorum, & privilegiorum contra suos subditos, præcipuè propter bonum commune, vel pro quiete, utilitate, & pace; ita & fortiùs ob easdem causas poterit *ibid.* rationabiliter limitare in totum, vel in partem consuetudinem hujus, vel illius, aut multarum Provinciarum; etsi sit longæva aut immemorabilis: quandoquidem in prædictis *Capitulis*, saltem virtualiter reperitur voluntas totius Religionis, & præcipuè Provinciæ Calabriæ, cujus P. Provincialis, ac Diffinitores, & alii Patres non pauci adfuerunt, acceptarunt, & nulla facta protestatione subscripserunt; quamobrem necesse fuit pro communi bono nobis ab *Urb. VIII.* Breve expediri; quo factum est, ut hodie Provinciales in dictis Provinciis sint biennales, sicut & Priores Conventuales.

Quæst. 13. In damnum tertii, an sit credendum Dominis Cardinalibus, etiamsi dicant, se habere Vivæ Vocis Oraculum?

1. NEgativè respondet *Abbas p. 2. consil. in consil. 18. num. 2. & in cap. quod super, de fide instrum. & Felin. in d. cap. num. 10. & 11. & gloss. in cap. sicut nobis, de sent. excom.* cum aliis, quos citat *Peyr. in 2. tom privil. Minim. in constit. 3. Gregor. XV. num. 3. fol.* mihi 417.

2. Et hoc ideò; quia unius testimonio non creditur, cujuscunque sit Dignitatis, *cap. cùm à nobis, de testibus.*

3. Secus autem dicendum; ubi non agitur de præjudicio tertii; gratia enim Principis intelligenda est sine præjudicio tertii, *l. 2. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico, & cap. super eo de off. jud. delegat.* & docet *Tusch. verb. Cardinalis, conclus. 123.*

4. Et sic procedit illud dictum, *Cardinalibus esse credendum*; supple, *in iis quæ alteri non præjudicant*; *Navarr. lib. 1. cons. de offic. jud. cons. 9 num. 7. Mascard. de prob. conclus. 269. & Farin. p. 2. decis. 339.*

5. Et procedit de stylo Curiæ, qui habet vim juris, *ut quam gravi, de crim. fals. & cap. ex litteris, de constit.*

6. Nihilominùs creditur Cardinali dicenti, saltem jurato, quod Papa Vivæ vocis Oraculo hujusmodi facultates, indulgentias, & omnia, quæ non præjudicant, sibi concesserit, *Navarr. lib. 3. consil. de testam. cons. 11. fol. 540. & ibi* dat rationem, & allegat plura jura.

Quæst. 14. An Dominus Papa possit statuere, quod etiam in præjudicium tertii uni Cardinalium credatur?

1. ET dico, quod non; ex *cap. admonere, caus. 33. q. 2. & ibi* noster *Turrecremat. Panorm. in cap. sicut nobis. de sent. excomm. verb. Cardinalis, & Covarr. in cap. cùm esses, de testam. num. 13.* & quomodò, & quare, vide *Navarr. in cit. loc. consil. 11. de testam. num. 3. fol.* mihi 539. *& in cap. placuit, de consecrat. distinct. 4.* & quomodò hoc fallat, tribus concurrentibus, consule *Navarr. in d. cons. 11. de testam. num. 9. in fine.*

Explicit prima pars Praxis, ad Laudem, & Gloriam Omnipotentis Dei, Deiparæ semper Virginis Mariæ Sanctissimi Rosarii, ac Patriarchæ nostri Sancti Dominici, S. Thomæ de Aquino, in omnibus insignis, atque ad utilitatem totius Ecclesiæ Militantis; cujus judicio scripta mea omnia, cæteraque à me scribenda, toto corde, omnique humilitate submitto.

Finis Primæ Partis.

RERUM

RERUM REGULARIUM PRAXIS RESOLUTORIÆ, TOMI PRIMI PARS SECUNDA.

TRACTATUS PRIMUS, DE MONASTERIIS ÆDIFICANDIS.

QUÆSTIO PRIMA.

Monasterium quid sit, & unde dicatur Conventus, Cœnobium, & simile?

1. STantia Monachorum dicitur *Monasterium* græcè, latinè *solitudo*, seu *solitarius locus pœnitentiæ*, prout habetur expresse in *cap. hoc nequaquam 45.7.q.1.* & hoc propter districtam vitam, quæ ibi ducitur, *Joa. à Turrecremat.* Eminent. Cardinal. Dominicanæ familiæ *ibid. n. 4.*

2. Immò, & *Carcer*, extrà *de pœn. c. tua, & in cap. in primis caus. 2. q. 1.* ibi *in Monasterium ad agendam pœnitentiam mittendi sunt:* & hoc ideò; quia in eo sunt vincula, nempè vota, statuta, observantiæ regulares, & hujusmodi pœnalitates, quæ Religiosum custodiunt, ne in eum irrumpant dæmones, & maligni spiritus. Et ob id respectu bonorum Religiosorum, Monasterium, debet dici Hortus conclusus, fons signatus, & hujus Mundi Paradisus.

3. Et denominatur à Monachis cohabitantibus in eo: *Monachus* græcè, latinè, *Solus*, seu *Solitarius*, hoc est, à communi hominum sæcularium conversatione semotus, ob quod *S. Hieronymus epist. 4. ad Rusticum Monachum* ait; *Si cupis esse, quod diceris Monachus, idest solus, quid facis in Urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum*, hæc ibi.

4. Quod quidem Monasterium solet dici *Conventus*, à verbo *convenire*, hoc est, simul venire, & congregari, ex quo ibidem plures conveniunt, ut soli Omnipotenti Deo serviant, sine strepitu, & rumore hujus sæculi.

5. Nec non solet dici *Domus Religiosa*, quod propriè est ædificium factum pro habitatione, & Tabernaculo Religiosorum, hoc est, illorum hominum, qui sunt Deo addicti, seu dediti, quos frequenti usu, Religiosos vocamus, de quibus multa *D. Thom. in 2. 2. qu. 81 art. 3. & Cajet. ibid.* & nuper noster *Nazar. in 2. opusc. de Religioso statu, n. 2. fol.* mihi 31.

6. Item *Collegium*, & venit à verbo *lego legas*, ex quo plures ex illo loco in Deum legantur, & Collegæ fiunt in Dei servitium.

7. Item, & *Cœnobium*, quod est locus, in quo communis vita ducitur, & dicitur à *Cœna* græcè, latinè idem, quòd multi in commune cœnare consueverunt.

Quæst. 2. Monasterium, Conventus, Domus, Cœnobium, Congregatio, Collegium, & similia; an confundantur, & pro eodem supponant?

1. NEgat *Jacobus à Graffiis* sua *Practica quinque casuum, lib. 3. cap. 3. nu. 7.* nam inquit; *Monasterium nomen est Diversorii, nihil amplius, quam locum, hoc est, habitaculum significans Monachorum; At Cœnobium etiam professionis ipsius qualitatem, disciplinamque designat, Conventus autem ponitur pro loco Religiosorum, qui vocantur Fratres, teste Cassiano collat. 18. de tribus generibus Monachorum, & colligitur ex usu Cartusianorum, cùm eorum Monachi habeant propriam clausuram, dictam Monasterium, Fratres autem, qui solitariam vitam non agunt, habent Conventum; Clerici autem Regulares, qui caputio non utuntur, eorum habitationes vocant Collegia, Congregationes vel Domus.*

2. Dominicani verò eorum tabernacula appellant, Conventus, Domus, Monasteria, & loca; seu Vicariatus; & hi differunt à Prioratibus, quandoquidem Conventus duodecim oportet fovere, quorum decem ad minus debent esse Clerici, loca autem, seu Vicariatus paucos nutriunt, & carent electione, hoc est, jus eligendi Prælatos non habent, prout ex eorum *Constit. tit. de Domib. concedend. c. 1. dist. 1.*

3. Sed quidquid sit de voce, & particulari ritu Religiosorum, satis sit, nobisque sufficiat, quòd prædicta omnia quoad rem significatam per nomen, æquipollent, idemque significant, nempè comprehendunt loca, & ædificia, in quibus morantur Religiosi intrà sua septa, quovis modo appellentur. Quod patet ex tot Bullis Romanorum Pontificum, quæ sunt in communem eorum favorem, & docet *Navarr. de regul. comment. 4. num. 44.* ubi ostendit, quòd Monasterium, & Domus pro eodem ponuntur, & colligitur ex *Constit. Clem. VIII.* edita circà reservationem casuum, quæ incipit *Sanctissimus D. Clem. VIII. qui jampridem*, quam per extensum habes in nostris *Constit. in Prologo fol. 10.* ibi *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extra septa Conventus fiat egressio*, & ibi *nocturna, & furtiva à Conventu egressio*, quæ verba extenduntur ad omnes Conventus Religiosorum Regularium, quoquo modo nominentur.

Quæst. 3. Conventus Religiosorum, à quo primò fuit institutus?

1. PRinceps Prophetarum *Samuel* primò instituit Conventus Religiosorum, jugiter psallentium Domino, ex *Genebr. in Chronol. & Comestor. in histor. lib. 1. cap. 10.* & notat *D. Hieron. epist. 4. ad Rusticum*, in qua ait, *filii Prophetarum, quos Monachos in veteri testamento legimus, ædificabant sibi Casulas propè fluenta Jordanis*, quod item plures testantur apud *Bellarm. lib. 2. de Monach. cap. 5. Suarez de Relig. tom. 3. tract. 7. lib. 3. c. 1. nu. 5. & Tamburr. de jur. Abbat. tom. 1.*

2. Sed quidquid sit de Veteri Testamento; in Novo perperam vertimus in utrum pluries diu decisa; teste *Dionys. Areop. de cœlest. Hierar. in lib. de vita contemplativa*: nam substantia Religiosorum habetur in 4. *act. Apostol. ibi, erat cor eorum unum, & anima una, nec quisque eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, nec inter ipsos quispiam egens erat, sed quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, & dividebantur singulis, prout cuique opus erat*, hæc *ibi*.

3. Quibus in verbis *D. Augustin.* suam fundavit Regulam, ultrà eam, quam instituit *S. Benedictus*, à quo ferè omnes (Mendicantibus exceptis) Ordines descenderunt.

Quæst. 4. Monasterium quotuplex sit?

1. QUòd Monasterium sit duplex, non ambigitur, nempè fœminarum, aut virorum; & hoc item duplex, alterum scilicet Eremitarum, & alterum Cænobitarum: Eremitæ censentur, qui solitarii in Montibus, vel in locis desertis habitant: Cænobitæ verò, qui in unum locum, seu Monasterium aggregati, sub uno Superiore communi vivunt; & horum quidam cum Regula approbata à S. Sede, quidam sine Regula, sed tantùm cum quodam modo vivendi: & horum habentium Regulam approbatam, quidam sunt Claustrales, seu Conventuales, quidam verò Observantes, seu Regularis observantiæ.

2. Illi dicuntur Conventuales, qui non strictè, sed laxè in sua propria cujuscunque professione vivunt ex dispensatione Apostolica; etenim certum est, quòd omnes Religiones in universum fuerunt fundatæ in maxima perfectione, & zelo: verùmtamen, illarum Alumni & Professores, lapsu temporis, nè dicam brevi spatio, recedentes ab illo priori rigore, facti sunt Claustrales, seu Conventuales, hoc est, viventes ferè more laicorum: *etenim homines sumus, & sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, Gen. 8.* & hi nè fabricârent in gehennam, curaverunt dispensationem habere à Romano Pontifice, qui cùm omnia possit, ex benignitate Apostolica consuevit succurrere; prout libet videre in eorum Chronicis, Historiis, & Annalibus.

Quæst. 5. Monasterium mixtum; nempè constans ex utroque sexu, an possit erigi?

1. NEgativè diffinitur in *can. 21. caus. 18. q. 2.* quia scandalum id, & offendiculum multis efficitur. Illud autem dicitur Monasterium duplex, in quo Monachi, & Monachæ simul, vel alternatim conveniunt in eodem Choro, vel in Ecclesia ad officium faciendum de quo *ibidem* dictum est, *Non habitent in uno Monasterio Monachi, & Monachæ, adulterium enim intercipit cohabitationem*: & si antiquitùs talia reperirentur, de cætero esse non possunt, prout *glos. in d. can.* & *in sequ.* habetur expresse.

2. Nec obstat, quòd in partibus Germaniæ hujusmodi reperiantur Monasteria, nempè in Diœcesibus Leodiensi, & Hamarcensi, quia non laudantur, sed tolerantur, & quonam modo sint subjecta visitationi, & jurisdictioni Episcopi, docet *Tambur. de jur. Abbatiss. disp. 17. q. 3. nu. 8. & Lezana ver. Monast. n. 13.*

Quæst. 6. Monasterium Regularium ædificare, & præcisè Mendicantium, an sit melius, & Deo acceptius, quàm Ecclesiam Collegiatam sæcularem construere?

1. AFfirmat, cæteris paribus, *Navarrus in cons. 32. tit. de Regul. in antiquis*, cui favet *Miranda tom. 1. Manualis Prælat. q. 33. art. 6. conclus. unic.* tum quia status Religiosorum, teste *D. Thom. 2. 2. q. 182. art. 3.* est perfectior statu sæcularium, proinde eorum orationes sunt meliores, hoc est Deo magis gratæ, & acceptæ, tum etiam quia Fratres Mendicantes magis prosunt Ecclesiæ militanti: etenim nedum Orationibus, Confessionibus, Prædicationibus, Lectionibus, & bonis exemplis ædificant, Verùm etiam tendunt nervos, & artus in extinctionem hæresum, quòd fortè sæculares non faciunt, & plura bona magis adjuvant, ut clarum est; tum item, quia Regulares operantur ex voto, quandoquidem vovent, observare Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, at operari ex voto acceptiùs est Deo, ex *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6.* ergò, & alia hujus generis ostendit *Navar. cit. loc.*

2. Dixi, cæteris paribus, quia si majores expensæ fierent in fundatione Ecclesiæ sæcularis, utputà pro fabrica, ornatu Ecclesiæ, & pro vita Clericorum, quàm pro ædificatione Ecclesiæ Mendicantium, secus esset dicendum.

Quæst. 7. Monasterium non debet erigi sine magna causa; & quanam sit illa?

1. IN bona praxi erigendi Monasteria duo debent copulativè concurrere; nempè justa causa, & authoritas: Justa autem causa ex parte Populi erit ejus devotio, ac spes, quam habet ab introducendis recipiendi sacramenta, aliosque fructus spirituales.

2. Ex parte verò Religionis erit utilitas religiosa, aut necessitas; etenim finis volentium de novo erigere, est futura intueri, & quid indè aspicere: non enim ad libitum sunt construenda Monasteria; sed cum nimia maturitate, prudentia, humilitate, & charitate: Quandoquidem Monasterium debet ædificari, ut sit Conventus, non Tugurium, aut Hospitium, aptum vitæ communi, in custodiam votorum essentialium, non in satisfactionem particularium, ut sit habitatio Religiosorum, non Sæcularium stantia, Dei Domus, & Collegium Pauperum, non Imperatorum Palatium, & quòd ibidem Fratres habitent, non ad sibi victitandum, sed Deo inserviendum: adeò ut illic fratres sint Dei oratores, non eleemosynarum quæstores, de quibus clamat *D. Bonaventura tom. 1. opuscul. epist. ad Provinciales sui Ordinis, pag. 487. Ludovicus Granata* nostræ familiæ *titulo de orat. par. 2.* ubi agit de octavo impedimento devotionis §. 8. *de vitio curiositatis, Laur. Pey. tom. 1. de subdito, q. 2. cap. 2. §. 2. de obstaculis, & Lezana* in libro *de Reformatione Regularium, cap. 16. & 17.*

3. Et habetur in nostris *Constitutionibus de Domibus concedendis, distin. 2. cap. 1. tex. 3.* ibi *Mediocres Domos, & humiles, Fratres nostri habeant, nec fiant, aut permittantur fieri in Domibus nostris curiositates, & superfluitates notabiles in Sculpturis, Picturis, Pavimentis, & aliis similibus, quæ paupertatem nostram deformant.* hæc *ibi*.

4. Quapropter hodiè debet omninò attendi *Decretum* Sacr. Congr. jussu *Urb. VIII.* Romæ editum, sub anno Domini 1625. die verò 30. mensis Junii, & est tenoris sequentis.

De

De mandato Sanctissimi Domini Nostri Urbani, Divina Providentia Papæ VIII. vivæ vocis oraculo ei facto, præcipit omnibus, & singulis Superioribus Regularium Mendicantium, & non Mendicantium, quocunque nomine nuncupatis cujusvis gradus, conditionis, dignitatis, Ordinis, Congregationis, Instituti, Societatis, Monasterii, seu Religiosæ Domus, Hospitalium, vel locorum piorum existant, tam Virorum, quàm Mulierum, etiam si speciali denominatione egerent, ne alicui eorum liceat, quodvis ædificium de novo construere in eorum Ecclesiis, Monasteriis, seu Domibus, nec Sacella, aut nova Altaria erigere, neque ullam insolitam imaginem, quæ devotionem ac pietatem non præseferat in eisdem Ecclesiis, Sacellis, seu Altaribus ponere: nisi juxtà præscriptum Sac. Concilii Tridentini, ac exhibito priùs eidem Congregationi exemplari, seu ut vulgò dicitur, il Modello *cum dimensionibus ipsius fabricæ construendæ, prævia etiam, si opus loci visione. Item nec fenestras in viam publicam prospicientes efficere possint, nisi ad lumen tantùm, nullo autem modo ad prospectum. Quæ omnia, & singula sub pœnis privationis officiorum, aut vocis activæ, & passivæ, eo ipso incurrendis, aliisque ejusdem Congregationis arbitrio, inviolabiliter observari mandat, quibuscunque contrariis non obstantibus.* Quod Decretum Sacræ Congregationis per extensum refert *Naldus in summa, verbo Monasteria, & Lezana* eodem *verbo, n.*17.

5. Authoritas autem ad fundandum de novo, debet esse tam ex parte Prælatorum Religiosorum, volentium intrare, quàm ex parte Episcoporum locorum ordinariorum, non enim fieri debet tam grave negotium, inconsulto Ordinis Prælato: hinc in c.1. dictarum nostrarum *Constit. de Domibus* cit. *loc.* præcipitur, ut nulla Domus concedatur, nisi à Priore Provinciali, & à Diffinitoribus Capituli Provincialis fuerit postulata, nec concessa ponatur, nec posita transferatur, nisi ubi prædicti viderint expedire.

6. Nec sine loci Episcopi licentia, ex *cap. nemo. cap. placuit de consecrat. dist.* 1. *& cap. ad hæc, de Relig. domib.* & est decisio *Concil. Trid. sess.* 25. *de regul. cap.* 2. *in fin.*

7. Immò ipsemet Episcopus locum ædificationis assignat, Crucem figit, & lapidem primarium ponit; ex *glo. in d. c. nemo, ver. veniet.*

8. Quod facere recusans, potest cogi à suo Superiore Antistite, nempè Archiepiscopo, vel alio Primate, *Azor. instit. moral. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 4.

9. Et hæc plantatio Crucis per Episcopum solemniter facta, est signum erectionis Monasterii, *Ricc. p.* 4. *dec.* 168. *& Barbos. de potestat. Episcop. alleg.* 26. *n.* 1.

10. Proinde qui plantaret hujusmodi Crucem in aliquo loco, aut ibidem Missam celebraret, non servatis conditionibus ad præscriptum *Urb. VIII.* incideret in pænas, *Peyr in formal. lit. Z append.* 5. *n.* 2.

12. Benè verum, quòd loci Episcopus hæc omnia poterit alteri committere, *Barbos.* cit. *loc.*

Quæst. 8. *An requiratur licentia Principis laici pro construendo Monasterio?*

1. NEgativè *Lezana ver. Monasteria, nu.* 29. immò si Princeps sæcularis statueret, Monasteria ædificanda non esse sine sua licentia, incideret in excommunicationem: etenim hujusmodi statutum foret contrà libertatem Ecclesiasticam, ut constat ex *cap. ultim. de Eccles. ædificandis, Barbosa lib.* 2. *de jur. Eccles. cap.* 2. *num.* 2. *&* 3. *& Bonac. de censuris in Bulla Cœnæ disput.* 1. *qu.* 16. *sect.* 2. *punct.* 2. *& Duardus in Comment. d. Bull. Cœnæ, can.* 15. *quæst.* 19. *num.* 6. *& seqq.* & in hoc summè laudandus est Catholicus Rex noster Hispaniarum Philippus, qui tanquam devotissimus, & Religiosissimus, quod semper fuit propriæ hujus Coronæ, quam Deus (ut precor) servabit in æternum, mandavit, prohibitionem fabricarum, non includere Monasteria ædificanda, ut refert *Reg. de Pont. in tract. de potest. Proreg. tit.* 2. *de Annon. Civit.* §. 4. *num.* 10. *&* 11.

Quæst. 9. *Erectio novi Monasterii, an possit fieri sine licentia Episcopi, & Papæ?*

1. NEgativè de jure communi, & habetur expressè in *cap. quidem* 10. *caus.* 18. *quæst.* 2. ibi *Placuit igitur neminem ædificare aut construere Monasteria, aut Oratorii Domum, sine conscientia ipsius Civitatis Episcopi:* & fuit decisio *Concil. Chalcedon.* prout *ibidem* notat *glos.* in casu posito.

2. Id ipsum habetur in *subsequen. cap.* 12. incip. *De Monachis, ead. caus. & quæst.* ibi, *Monasterium novum nullus incipere, aut fundare præsumat: nisi Episcopo aut permittente, aut probante* Item in *cap. unic. de excessib. Prælat. in* 6. quod incip. *ex eo*, quo ex *constitut. Bonifac. VIII.* statuitur, nè Religiosi Mendicantes possint possessa loca dimittere, vel nova suscipere, vel ad alia se transferre, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, *ibique* adest Decretum irritans, si secùs fiat; & abrogantur Religiosorum privilegia: Item in *cap. unic. de Religios. Domib. in* 6. Religiosi Mendicantes approbati post *Concil. Lugdunense*, qui de novo domos ad habitandum recipiunt, vel receptas mutant, sine licentia Papæ, incurrunt in excommunicationem, licet non reservatam. Item ex *Clem. de pœnis, cap.* 3. incip. *Cupientes*, absolutè statuitur, ne Religiosi Mendicantes possint sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, nova loca recipere, aut mutare, aut in alios transferre quæsita, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, non tamen reservatæ.

3. Quibus additur decisio novi juris *Conc. Tridentin.* quæ habetur in *fin. cap.* 3. *sess.* 25. *de regul.* ibi, *Nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt licentia priùs obtenta*, nec non & *Bulla Clem. VIII.* incip. *Quoniam ad institutam*, item *Decret. Sacræ Congregationis Regularium* jussu *Gregorii XV.* edita sub anno Domini 1622. Item, & *Bulla Urban. VIII.* quæ omnia per extensum infrà pono, sunt enim hodiè ad unguem observanda.

4. Nec mira sunt hæc, quia de jure communi, omnia Monasteria sunt subjecta Episcopo, prout expressè habetur in *can. qui verè, plurèque solitariam* 12. *caus.* 16. *quæst.* 1. ibi, *Eos verò qui per Civitates singulas, seu possessiones in Monasteriis sunt, placet nobis, Episcopo esse subjectos* : & magis clarè in *can. Monasteria* 18. *quæst.* 2. ibi, *Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta*, & docet *glos. in c. quanto, de offic. ordin. ver. Prælati, Navarr. in cap. non dicatis,* 12. *q.* 2. seu *comm.* 2. *de regul. nu.* 63. cui favet *Suarez de censur. tom.* 5. *disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 33.

5. Nec censentur exempta, nisi talia probentur, ex *cap. cùm dilectus, de Relig. domib. Tambur. tom.* 1. *de jur. Abbat.* multis citatis *disput.* 16. *quæst.* 1.

6. Proinde nequeunt fundari in alieno solo, nec in Parochia alterius, sine voluntate illius patroni, quod etiam procedit de jure civili, ex *l. adeò*, §. *cùm in suo, ff. de acquirend. rer. dom. & Institut. de rer. division.* §. *ex diverso*, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius fit Dominus, cujus solum est.

7. Secùs dicendum est de jure speciali: etenim sunt plures, qui habent privilegium ædificandi nova loca sine licentia Sedis Apostolicæ, Insuper & sine licentia D. Ordinarii.

8. *Julius II.* concessit Fratribus Minoribus, ut Domos, seu Ecclesias, Loca, & Oratoria quæcunque, pro eorum perpetuis usu, & habitatione, possint ædificare, absque alia desuper facienda concessione Apostolica, prout refert *Casarub. in Compend. privil. ver. ædificare*, §. 19. *&* 20. *ibid*

ibid. Sorbo Capucc. & Rodr. tom. 2. quæst. 49. art. 4. & habetur in *Supplemento Ordinum, conclus. 27.*

9. Idem concessit Minimis, & ampliavit, ut possint ædificare, etiam sine licentia Ordinarii, quod per extensum refert *Peyr. in privileg. Minim. Constit.* ejusdem 1. §. 20. & habetur in nostris *fol. 225.* ibi *nos Fratri Francisco de Paula, & aliis Fratribus ejusdem Ordinis*, & refert noster *Festus in summ.* nostrar. *Constit. de domib. conceden. c. 11.*

10. Idipsum fuit aliis concessum, & in specie fuit derogatum *cap. cùm ex eo, de excess. Prælat.* quæ privilegia comprehendunt omnes alios Mendicantes, & ob communicationem privilegiorum, extenduntur ad Monachos, *Rodr. & Lezana ubi suprà.*

11. Sed adverte, quòd prædicta, & consimilia privilegia fuerunt per *Concil. Tridentin.* renovata in *d. cap. 3. sess. 25. de regul.* & quamvis reperiantur alia hujus generis post *Tridentinum* Regularibus concessa, hæc pariter per *Urban. VIII.* fuerunt extincta, nec hodiè confirmantur Religiosorum privilegia, nisi cum illa clausula, *Dummodò Decretis Concil. Trid. non adversentur*, quamobrem hodiè est omninò observanda dispositio, tam *d. Conc. Trident.* quàm *d. Bulla Clem. VIII.* & consimilium præfatorum.

Quæst. 10. Quinam sint hi Religiosi Mendicantes?

1. Hi dicuntur Mendicantes, quibus victum tribuit incerta mendicitas, & qui redditus, aut possessiones ex Regula, vel ex Constitutionibus habere non possunt, prout expresse dicitur in *c. unic. de relig. domib. in 7.* incip. *Religionum diversitatem.*

2. Et horum quatuor antiquiores, nempè Minores, Prædicatores, Eremitani, & Carmelitani: alii verò recentiores post *Concil. Lugdunense* confirmati, prout *ibid. §. confirmatos*, & notat *glos. in c. unic. de excess. Prælat. in 6.* incip. *cùm ex eo, ver. Mendicantes.*

3. Et his omnibus, nedùm ex vi Voti, verùm etiam ex præcepto Ecclesiæ prohibitum est, proprium habere, prout constat ex *cap. non dicatis, 12. quæst. 1. & cap. cùm ad Monasterium, de statu Monachor.* ibi *prohibemus in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis Regularis proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet*, quod intellige, juxtà dispositionem *Decreti Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regul.*

4. Proprium autem habere tunc quis dicitur, quandò habet dominium alicujus rei temporalis, aut usus ipsius, sine licentia Superioris, *Navarr. comment. 3. de regul. num. 25. Lap. allegat. 4. & allegat. 44. S. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 12. fol.* mihi 252. *col. 2. & Rota divers. par. 3. lib. 3. dec. 1106.* apud quos habes, qui sint propriè Mendicantes, & quomodò possidere possessiones in communi ad sustentationem, non noceat, *Bellarm. in c. 3. Trid. d. sess. 25. de regul. ver. Mendicantium.*

Quæst. 11. Hæc Episcopi licentia ad ædificandum Monasteria, an debeat esse scripta?

1. Affirmativè *Bellarm. in d. c. 3. Trident. ver. licentia priùs obtenta*, & docuit *glos. in cap. placuit, in ver. dote, 1. quæst. 2.* Et hoc ideò, quia scriptura ostendit vocem, & consensum, *Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 183.* & quoad forum externum est maximè necessaria, ut dixi suprà *de natur. privileg. quæst. 3.*

2. Benè verum est, quòd si Episcopus sciverit, Ecclesiam construi, & non impediverit, neque contradixerit, censetur tacitè consentire, & hoc sufficit, sive antè, sive post Ecclesiam constructam, tali modo erectioni consentiat, *Meroll. tom. 3. de jurisdictione disput. 7. num. 146. Aloys. Ricc. in p. 4. dec. Cur. Archiep. Neap. dec. 168. nu. 2.* in qua decis. examinat *Bullam Clem. VIII.* etiam pro erectione novi Monasterii, & *Joa. Mar. Novar. in praxi novi juris Pontificii, de ædificatione Monasterii conclus. 1.* aliàs 10. *nu. 2. & Verall. par. 2. decis. 284.* & refert *Bellarmin.* cit. *loc.*

3. Sed hodiè ultrà prædicta, Domini Episcopi tenentur observare formam sibi præscriptam à tot Sanctis Pontificibus, ad hoc, ut Regulares tutè possint de novo Monasteria fundare.

Quæst. 12. Si Regulares nequeant ostendere hunc consensum Episcopi; an possint liberè & licitè retinere Monasteria?

1. Respondeo, quòd si Regulares in hoc molestentur infrà decennium, tenentur utique docere de consensu prædicto, secùs autem suprà decennium; & est decisio *Sixti V.* facta ad instantiam Fratrum Minorum, quam per extensum refert *Jo. Bap. Confectius pag.* mihi 219. & est tenoris sequentis.

Sixtus Papa V. Dilecte fili, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cùm sicut nobis nuper exposuisti, tu anni proximè lapsis pro injuncto tibi Ministeriatus tui Generalis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia onere, omnes, & singulas præfati Ordinis Provincias, tam in Italia, quàm extrà eam existentes, visitaveris, multasque Domos, Ecclesias, & Loca Ordinis præfati, ab eorum Ministris, Custodibus, seu Guardianis, & Fratribus retineri reperieris, absque eo, quòd ipsi Ministri, seu Guardiani, & Fratres de aliquo Ecclesiarum, & Domorum ac Locorum hujusmodi titulo, seu concessione à Sede Apostolica, vel aliàs legitimè habito, & facta, docere valeant; cùm dictæ concessiones, aut non obtentæ, vel non expeditæ, sed dictarum Domorum Ministrorum, Guardianorum, seu custodum incuria, sive etiam bella, aut depopulationes, vel alios casus sinistros, aut aliàs deperdita sint, quàmvis Domus, & Ecclesiæ, ac Loca prædicta ab eorum Ministris, sive Guardianis, & Fratribus, bona fide, ac pacificè, & quietè possideantur. Tuque Nobis humiliter supplicasti, ut potiori pro dictorum Ministrorum, Custodum, sive Guardianorum, & Fratum conscientiarum securitate, & cautela, tibi, dictisque Ministris, Custodibus, sive Guardianis, & Fratribus, in præmissis de aliquo opportuno nostro, & Sedis Apostolicæ remedio providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pro nostri pastoralis officii munere, tuisque supplicationibus in hac parte inclinati, in præmissis opportunè providere, dictarumque Domorum, & Ecclesiarum, ac Locorum qualitates, aliaque necessaria exprimenda hic pro plenè, & sufficienter expressis habere volentes, teque ac dictos Ministros, Guardianos, seu Custodes, & Fratres à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, tibique ac cæteris Ministris, Custodibus, seu Guardianis, & Fratribus dicti Ordinis, nunc, & pro tempore existentibus, vel quæcunque Loca, Domus, & Ecclesias, quæ vel in hanc usque diem, in quibuscunque Mundi partibus, ac etiam Insulis, & Regnis novis Indiarum Occidentalium, & Orientalium quomodolibet, ea videlicet, quæ à decem annis suprà, quæ verò à decem annis citrà, de consensu Ordinariorum possidetis, liberè & licitè, ac absque aliquo conscientiarum vestrarum scrupulo, aut censurarum, & pœnarum incursu, etiamsi de illorum concessionibus, à Sede Apostolica, vel aliàs quomodolibet factis, ac fieri necessariis, nullibi, ut præmittitur, appareat, perpetuò retinere, & possidere, ac in eorum quieta, ac pacifica possessione remanere, illamque in omnibus, & per omnia, perindè, ac si antequam Loca, Domos, & Ecclesias hujusmodi, & eorum singula recepta fuissent, de illis recipiendis, competens,

tens, & sufficiens facultas à Sede Apostolica, & Locorum Ordinariis, in quorum Civitatibus, & Diœcesibus consistunt, obtenta fuissent, continuare valeatis, Apostolica authoritate, præsentium tenore concedimus, &c.

2. Quæ *Bulla* est nimis favorabilis, & uti privilegium, & beneficium Principis, extenditur ad omnes Mendicantes, ob mutuam privilegiorum communicationem, & absque ullo dubio ad præsens durat, cùm ex lapsu longi temporis, hujusmodi consensum præsumatur intervenisse, & obtentum esse, prout *P. Franciscus Cespedes* in suo *tract. de exemptione Regular. cap. 1. de ædifican. Monast. dub. 14. & Flavius Cherub. in Comp. Bull. in Bull.* 40. ejusdem *Sixti, fol.* mihi 121.

Quæst. 13. De novo jure Concil. Tridentin. an præter consensum Episcopi, requiratur consensus Rom. Pontificis, ad erigendum nova Monasteria?

1. A *Loys. Ricc. p. 4. dec. Cur. Archiep. Neap. decis.* 168. *num. 4. Zerol. in praxi Episcopali part. 1. ver Monachi, §. 1. & 2. Campanil. in diversor. jur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 80. in fin. Barbos. de offic. & potest. Episcop. allegat. 26. num. 4. & in collect. super Tridentin. in d. cap. 3. sess. 25. de regulir. num. 29. Tamburr. de jur. Abbat. disput. 33. quæst. 1. num. 6. & tom. 3. de jur. Abbat. disput. 5. quæst. 1. num. 3. Novar. in praxi novi jur. Pontif. conclus.* 1. aliàs 10. *num.* 4. respondent affirmativè, & hoc ob multa, tum quia, in *cap. 1. de excess. Prælat. in 6. & in cap. unico, de religios. domib. eod. lib.* statutum est, nè Prælati Religionum recipere valeant Conventum aliquem, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, non obstantibus quibuscunque privilegiis, si de hujusmodi prohibitione non fecerint specialem mentionem prout *ibidem* expressè dicitur. Nec *d. c.* 3. *Tridentini* abrogavit hanc dispositionem juris communis, sed præter requisitam licentiam Romani Pontificis, induxit, & voluit, ut altera quoque adhiberetur licentia Episcopi loci; Tum etiam; quia, ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, refert *d. Zerola* cum præcitatis *Doctoribus*, per hæc verba, *Monachi non possunt ædificare Monasteria in Parochia, in qua ea non habent, sine cognitione, & licentia Papæ*; tum item, quia ita est praxis erigendi nova Monasteria: quandoquidem Fratres Ordinis Carmelitarum Discalceatorum obtinuerunt, ut ubique de sola licentia Ordinarii possent nova construere Monasteria, ex concessione Papæ *Pauli V. constit.* 10. ejusdem, quæ incipit *Ad Ecclesiæ*, edita anno 1605.

2. Item Monachi Congregationis B. Mariæ Fuliensis, ex concessione ejusdem *Pauli V. constit.* 51. quæ incipit *Ministerio*, edita 1608. Item Superiores Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, ex concessione ejusdem *Pauli V. constit. 64.* incip. *Ecclesiæ*, de anno 1610. ex quibus omnibus apertè colligitur, authoritatem Sedis Apostolicæ, esse in hoc necessariam, præter licentiam Episcopi loci, secùs ad quid privilegia suprapposita?

3. Nihilominùs in hac re oportet distinguere: aut loquimur de solo jure communi antiquo, seclusis privilegiis; & sic præter licentiam Episcopi loci, ad erigendum nova Monasteria exigitur licentia D. Papæ, juxtà prædicta.

4. Secùs autem, inclusis, & præsuppositis privilegiis; quia per privilegium censetur derogatum juri communi, & quòd sit his facta facultas erigendi nova loca, cum sola licentia Episcopi; prout in propriis terminis decidit *Rodriquez tom. 1. quæst. regul. quæst. 23. art. 7. & tom. 2. q. 49. art. 3. Joann. Baptist. Lezana tom. 4. summa. ver. tract. de exemp. Regul. dub. 2. & Farinac. decis. 745. tom. 2. part. 2.* & est *decisio Rotæ*, quam per extensum infrà pono.

5. Nec his nocet *Tridentinum*, per quod dumtaxat derogatum fuit facultati erigendi nova loca, sine licentia Episcopi: etenim plures Regulares habebant facultatem à præteritis Pontificibus, ædificandi sine licentia Episcopi; prout in *d. Const. Jul. II.* concessa Minoribus, & hæc tantum facultas fuit abolita; quò verò ad aliam facultatem obtinendam à Papa, juxtà dispositionem juris communis, nihil innovatur à *Tridentino* prædicto, sed remanet, ut priùs, in terminis suis.

6. Nec *d. c. un. de relig. dom.* expenditur, ut decet: quia non loquitur de Mendicantibus propriè dictis: immò hi excipiuntur in *d. c.* ut sunt Prædicatores, Minores, Carmelitæ, Eremitæ, & Augustiniani; sed loquitur de quibusdam aliis Mendicantibus, post *Conc. Lugdunense* institutis, quos *Greg. X.* extingui voluit, ut ibidem est videre, & notat *Thom. de Jesu super Regula Carmelit. p. 3. c. 2. glos. 2. & Lezana.* cit. *loc. & Suar. de cens. tom. 5. disp. 23. sect. 5. nu. 32.*

7. Et additur, quòd licet in *d. cap. unic. de excess. Prælat.* habeatur talis prohibitio: tamen ea non est pro omnibus Religiosis, sed solùm pro Mendicantibus, & sic excluduntur Monachi; quia nomine Mendicantium in odiosis non veniunt Monachi, *Navarr. in Manual. c. 27. num. 144. & Suar. tom. 5. in 3. p. D. Thom. disp. 23. sect. 4. nu. 19. & sect. 5.*

Sed ita est, quòd Mendicantes habent privilegia ædificandi cum sola licentia Episcopi: ergò?

8. Nec nocet declaratio Sacræ Congregat. Eminent. Cardinalium, per *Zerolam*, & *Barbosam* adducta in *declarat cap. 3. d. sess. 25. de regul. n. 5. ver. nisi obtenta, & in collect. Doct. ibidem, nu. 29.* tum quia, non est authentica, ut requiritur ex *decreto Urb. VIII.* de quo suprà latè dixi *tract. 7. q. 4. de privil.*

9. Tum etiam, quia illa verba non sunt fideliter adducta; etenim loco Papæ, debet legi, & poni, Episcopi; ut notat *ibid. Bellarm. in declarat. in fin.* Tum item, quia loquitur de Monachis, non autem de Mendicantibus: Item est localis, & respectu causæ particularis; tum item, quia loquitur, seclusis privilegiis, & attento solo antiquo jure communi, *Lezana, & Thom. de Jesu* citatis *locis.*

Quæst. 14. An hodiè prædicta decisio procedat, etiam seclusis Regularium privilegiis?

1. F *Arinac. tom. 2. p. 2. dec. 745. & Novar. Canon. in summ. Bull. 1. tom. de ædifican. Monast. super Bull. Urb. VIII. & Novar.* alter in *pract. novi juris Pontificii, conclus.* 1. aliàs 10. *num.* 8. respondent affirmativè, tum quia, ex *d. c. 3. Conc. Trident.* hujusmodi facultas censetur delegata Episcopis, absque eo, quòd consulatur Romanus Pontifex, tum etiam, quia ex novo jure tot *Constitutionum* Summorum Pontificum, & *Decretorum* Sacr. Congregat. sola Episcopi licentia desideratur, & ita praxis observat; quia hæc censentur odiosa respectu volentium construere, & in odiosis non fit extensio ad non expressa, juxtà vulgatam *Regul. odia sunt restringenda*; & est *Decisio* Rotæ Romanæ, quam per extensum refert *Farinac.* cit. *loc.* & *Cespedes de exempt. dub.* 2. & est infra scripti tenoris.

Fuit resolutum, sententias de partibus esse confirmandas, cùm approbet licentiam datam ab Ordinario Cæsaraugustano erigendi novum Collegium Mendicantium Discalceatorum, ibi Missas celebrandi, & Sanctissima Eucharistiæ Sacramentum retinendi, quam quidem licentiam ille concedere potuit: nam licet pro erigendo novo Regularium Collegio, seu Monasterio, olim requireretur specialis Sedis Apostolicæ licentia, cap. 1. de excessibus Prælator. in 6. &

6. & Clement. cupientes de pœnis: hodiè tamen hujusmodi facultas fuit Ordinariis attributa per Sacrum Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus, cap. 3. in finem, renovatur per particularem Constitutionem fœlicis recordationis Clementis VIII. in qua præscribitur forma Ordinariis, circa hujusmodi licentias concedendas, quæ fuit ad unguem observata per Ordinarium Cæsaraugustanum, cum citaverit omnes Conventus Mendicantium, & sibi constiterit, nullum eis posse ex nova Collegii erectione præjudicium inferri, ex quo redditus illi relicti per Vgonem de Vicis in pecunia numerata, & frumento, sufficiunt ad congruam substentationem Collegialium, qui propterea non coguntur mendicare, & consequenter non diminuent eleemosynas aliorum Mendicantium, nec aliquod eis damnum inferent.

Quibus non obstat, pro erectione hujusmodi Collegii, concurrere requisita in cap. ad audientiam, de Ecclesia ædificatione 1. & in Concilio *Tridentino sess. 21. cap 4 de Reformatione Quia prædicta Iura loquuntur de erectione nova Parochialis, non autem* Collegii, *seu alterius Ecclesiæ non Parochialis.*

Minus obstat, quòd erecto isto Collegio, *Christi fideles poterunt in illius Ecclesia eligere sepulturam, facere celebrare Missas, & anniversaria, quod redundat in præjudicium Ecclesiæ del Pilar. in qua prædicta, hucusque facta fuerunt; Quia negatur hujusmodi præjudicium, cùm simus in facultativis, ex quo potest quis ad libitum ubilibet pia opera facere, & sibi sepulturam eligere, c. 1. de sepulturis, & in omnem eventum, tale præjudicium non esset considerabile, ad effectum impediendi novi Collegii erectionem, juxtà doctrinam Bartoli in l. quominùs, &c.*

Vltrà quòd prædicta Constitutio Clementis consideravit tantummodò præjudicium, quod potest inferri Ecclesiis Fratrum Mendicantium, nè propter eleemosynas erogandas in novum Collegium, detrimentum patiantur, non autem aliis Ecclesiis.

Quæst. 15. Dominus Episcopus Loci, quanam debet advertere, antequam licentiam concedat?

1. EPiscopus Loci Ordinarius, antequàm hanc ædificandi licentiam concedat, ad multa debet respicere, & Primò, an hujusmodi erectio præjudicet, aliquo modo Ecclesiæ Parochiali; quia in hoc casu non debet in suis Juribus audiri, *Guido Papa decis. 370. Barbosa de pot. Episc. alleg. 26. num. 5.* & *Novarr. in Praxi novi Juris Pontificii, conclus.* 1. aliàs 10. *num.* 1. ubi multa ad hoc habes.

2. Secundò, an fiat, vel fieri debeat infrà, vel extrà debitam distantiam, præscriptam à *Clem.* 4. & *Jul.* 2. de qua infrà multa quæro.

3. Tertiò, an concurrant requisita prædictarum *Bullarum*; etenim non possunt erigi nova Monasteria, nisi vocatis aliorum Monasteriorum Prioribus, & cognita causa, an sine aliorum damno, ea erigi possint; Nec item, nisi vocatis etiam Prioribus Conventuum, per quatuor milliaria distantium, juxtà voluntatem *Gregorii XV.* Nec nisi in illo Conventu erigendo possint habitare, & sustentari duodecim Fratres, vel constiterit Ordinario, totidem ibi sustentari posse, ut constat ex *Decretis, & Bullis*, quas infrà pono.

4. Quartò, si nulli sint ibi Regulares, accedat consensus Incolarum Loci. Quintò, in casu appellationis nihil intereà innovetur, sed totum deferatur ad Sanctam Sedem, ut constat ex eisdem *Bullis.* Sextò, debet attendere, quòd revocatæ sunt licentiæ omnes pro fundandis Locis Regularium, sed tantummodò debet observari Jus Canonicum *Conc. Trid. Decreta* prædicta *Vrb.* 8. Septimò, quòd qui erigunt nova Monasteria, prætextu licentiarum revocatarum, sine licentia Ordinarii, & non servata forma *Gregorii XV.* incurrunt pœnam privationis, vocis, officiorum, inhabilitatis, & ipso facto excommunicationis. Octavo, advertere debet, quòd in prædictis *Decretis,* & *Bullis* reperitur Decretum irritans, & similia sunt videnda, in præcitatis *Doctoribus,* & præcipuè apud *Aloys. Ricc. dec. 75. par. 2. & decis. 131. p. 4.*

5. Decretum Clementis Octavi, quo præscribitur forma erigendi in posterum, Regularium Monasteria.

QVoniam ad institutam, & infrà Motuproprio. & ex voto Vener. Frat. nost S.R.E. Card. super consult. & neg. Epis. & Regul. præposit: harum serie declaramus Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos Conventus, cujusque etiam Mendic. Ordinis in Civit & Locis eorum ordinariæ Iurisd. subjectis, erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisd. Civitatib. & Locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita, constiterit, in eisdem Civitatib. & Locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse. Si verò ab eorum in hujusmodi causis, & sententiis ad Nos, & Apost. Sedem provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios, tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quousque à Nobis, & Apost. Sede in eadem causa pronunciatum extiterit, irritum nihilominùs, & inane decernentes quicquid secus super his à quoquam, &c. Quò circa universis Venerab. Fratrib. nostris, in virt. Sanct. Obed. districtè præcipiendo mandamus &c. de qua Bulla vide Flav. Cher in suo Compen. Ricc. dec. 75. p. 2 & dec 131. par. 4. & collect 2269. & Novar. in prax novi juris, & Tambur. de jur. Abbatiss ubi ponit totam Bullam per extensum f. mihi 370.

6. Decreta Sacræ Congregat. jussu Gregorii XV. edita, quibus prædicta Constitutio Clem. VIII. confirmatur, & ampliatur.

GRegorius Papa XV. Cùm aliàs fel. rec. Clemens Papa VIII. decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus, cujuscunque præsertim Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & Locis, eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis, erigendos impertiri non posse nisi vocatis, & auditis aliorum, in eisdem Civitatibus, & Locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa, servatis servandis, cognita in eisdem Civitatibus, & Locis, novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse constiterit. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apost provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem novorum Conventuum suspendere debere, quamdiu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto hujusmodi pleniùs continetur.

Verùm per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, plerosque ex Ordinariis prædictis, favore vel nimia exponentium importunitate ad novos Conventus seu Domus præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos, plerumque adduci, quò fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu redituum cujuscunque Monasterii, Conventus, seu Domus ratione, Mónachi, seu Fratres aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum rediguntur, ut cultus divinus in eorũ Ecclesiis destituatur, ibique Regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat. Sacra Congregatio Illustris. D D. Cardin. negotiis Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi

jusmodi rejecerat, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo à S.D.N. Gregor. Papa XV habito, decretum prædictum, quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit.

Volens, quòd de cætero, Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscunque etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque Civitate, vel Oppido, seu quocunque alio Loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum hujusmodi, non solùm in prædictis, sed etiam in aliis, per quatuor millia passuum circumvicinis Locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus anteà in Civitatibus, seu Locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituenda erunt, nullique alii Regulares inibi reperiantur, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum Incolæ, & Habitatores, quorum etiam consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur instituendis, commodè alere, & manutenere valeant.

Si verò à decreto, seu decretis per Ordinarios prædictos, in causis hujusmodi ferendis legitimè appellari contigerit, ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem unà cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationeque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernens, quibuscunque in contrarium facient. non obstantibus. Romæ 17. Augusti 1622. Ant. Cardin. Saulius.

Et habetur in 4. tom. Bullar. Cherub. & est 31. inter Bullas ejusdem Pontif. fol. 138. quam Urb. VIII. confirmavit, ut infrà.

7. Revocatio quarumcunque licentiarum erigendi Loca Regularia, non servata forma Constitutionis Clemen. VIII. & Decretorum præfatorum. & prohibitio de cætero illa erigendi: nisi servatis, &c.

Urbanus Papa VIII. Romanus Pontifex, cui Salvator, & Dominus noster, qui Charitas est, & Deus pacis, Universalis Ecclesiæ credidit Principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis à Sede Apostol. concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis, quibus præsertim personarum sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium paci, & quieti consulitur, litibusque, ac controversiis inter eos obviam itur, revocat, & immutat, in hisque pastoralis sollicitudinis, & providentiæ suæ studium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

Cùm itaque, sicut nobis innotuit, complures licentiæ, sive facultates à nonnullis Rom. Pontif. prædecessoribus nostris per diversos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Institutorum, Superiores, seu alios eorum nomine, ubique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conventus, & alia Loca Regularia, quovis nomine nuncupata, servata dumtaxat Sacrorum Canonum, & Concil. Tridentini decretorum forma, de sola Ordinarii licentia, seu etiam forsan non servata forma, & absque licentia hujusmodi, & contrà decreta, à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & extortæ fuerint. Idcircò Nos, omnes, & quascunque licentias, ac facultates hujusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quàm in hujusmodi forma Brevis desuper expeditas, earumque tenores etiam veriores, & Dat. præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, justis de causis animum nostrum moventibus, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & quascunque licentias, & facultates hujusmodi, literasque desuper tam sub plumbo quàm in eadem forma Brevis expeditas, omniaque, & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conventuum, & aliorum Regularium Locorum hujusmodi, quæ suum nondum sortita sunt effectum, tenore præsentium perpetuò revocamus, cassamus, & annullamus, viribusque, & effectu prorsus evacuamus.

Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum Regularium Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæterisque personis, ad quos spectat, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub privationis vocis activæ, & passivæ, nec non officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & ad alia in futurum obtinenda, nec non etiam excommunicationis, ipso facto incurrendis pœnis, interdicimus, prohibemus, nè licentiarum, seu facultatum per Nos, ut præfertur, revocatarum, & annullatarum, sive alio quovis prætextu, vel causa, etiam quantumvis privilegiata, nova Monasteria, Collegia, Domos, Conventus, & alia Loca Regularia hujusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac servata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concil. Trident. nec non Constitutionibus fel. rec. Clem. VII. quæ incipit, Quoniam ad institutam, sub datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris die 23. Iulii 1603. ac decretorum de mandato ejusdem Clement. nec non sim. me. Gregorii XV. Rom. Pont. prædecessorum, desuper editorum forma recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incapta finire, & absolvere audeant, seu præsumant.

Decernentes præsentes litteras, etiam ex eo, quòd causæ, propter quas illæ emanarint, expressæ, verificatæ, & justificatæ, aut quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs, ex quocunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quovis defectu notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse, sed eas ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, &

& integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere legatos, & nuncios, quavis authoritate fungent, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis, per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis contenta quæcunque, solemniter publicando, faciant illas, & illa ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, contradictores quoslibet, & rebelles per cens. & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis:

Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de jure quæsito non tollen. & rec. mem. Bonifac. Papæ VIII. *similiter prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò ultrà tres dietas, aliquis authoritate præsentium, ad judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & litteris Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan. & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpiùs innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenor. specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium tenore præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Volumus autem, quòd præsentes in Valvis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis Principis Apostolorum de Vrbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris est affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

Quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 28. Augusti 1624. Pontificatus nostri anno secundo.

Et est *vigesima quinta* inter *Constitutiones* ejusdem Pontificis, prout in 4. *tom. Bull. Cherub. fol.* mihi 265.

* *
*

Quæst. 16. Monasterii erectio facta contra dispositionem d. Bullæ Clem. VIII. an ipso jure sit nulla?

1. RΕspondet affirmativè *Riccius*, multis citans in 2. *par. decis.* 75. *& Novarr.* 1. *part. summæ Bull. de Monast. ædific. num.* 2. tum quia forma in hac re à *Clem. VIII.* præscripta, non potest variari, nec quidem in minimo: secus corruit actus, ex *cap. quæritur,* §. *Episcopus* 22. *q.* 2. *Felin. in cap. cùm dilecta de rescriptis, & Gram. decis.* 79. tum etiam, quia in *d. Bulla* extat clausula Decreti irritantis, quæ operatur nullitatem, & omnia in oppositum destruit, *Rota diver. decis.* 24. *num.* 5. *p.* 2. *& Menoch. de recuperand. poss. remed.* 15. *num.* 144. adeò, ut etiam [...]ficiatur omnis titulus, & possessio; per ea multa, quæ dixi suprà in in *tract. de Clausulis, & Decreto irritante:* prom[...] de licentia data per Episcopum loci contra formam, à *Clem. VIII.* præscriptam, erit nulla, nullumque inducet effectum, ut constat ex lectura *Bullæ* prædictæ.

Quæst. 17. Licentia danda pro constructione Monasterii, an pertineat ad solum Episcopum?

1. RΕspondeo, quòd non solùm Episcopi possint hujusmodi licentiam concedere, verum etiam omnes alii Prælati, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in loco, ut sunt multi Abbates, & alii similes, nam nomine Ordinariorum veniunt omnes, qui ordinariam Jurisdictionem habent, Canone, Præscriptione, aut Privilegio. *Navarr. cons.* 9. *de Privil. Abbas in cap. ut famæ* [...] 6. *de sententia excommunicationis,* & alii plures.

Quæst. 18. Vicarius Generalis Episcopi loci, an possit hanc licentiam concedere? & quid Sede vacante?

1. NΕgativè dic, quia est de majoribus, in quibus electa censetur industria personæ Episcopi: secùs si ad hoc ab eodem habeat speciale mandatum, & ita fuisse à Sac. Congregatione decisum sub die 11. Julii 162[...] refert *Sellius in select. Canon. cap.* 90. *nu.* 4. *Tamburr. de jur. Abbat. disput.* 33. *quæst.* 1. *num.* 2. *Barbosa in Collect. DD. ad cap.* 3. *Tridentini, sess.* 25. *de Regul. nu.* 31.

Sic item ab eadem Sacr. Congreg. decisum sub anno 1633. die 19. mensis Januarii, refert *Novar. in lucerna Regul. ver. Monasteria.*

2. Quod pariter procedit in Vicario Capitulari Sede Vacante, ex eadem Decis. Sacr. Congreg. habita die, & anno, quo suprà, *Barbosa in Collect. Bull. ver. Monasterium in fine, Joann. Ant. Novarr. part.* 2. *summæ de Monast. ædific. ad* Bullam *Urb. VIII. n.* 5.

Quæst. 19. An dicta Bulla Clem. VIII. comprehendat Monachos?

1. AFfirmativè dic, & habetur expressè in §. 2. prædictorum *Decretorum Greg. XV.* ibi, *Monachi, seu Fratres degentes,* & pariter constat ex *d. Constit. Urb. VIII.* qui in universum annullat Privilegia omnium Ordinum, etiam Mendicantium, ad erigendum nova Monasteria, absque conditionibus requisitis à *Conc. Trid.* & *Decret.* Summorum Pontificum, & præcipuè *Clem. VIII.* ut in §. *Præterea,* & illa dictio, *etiam* includit casum magis dubitabilem, ob quod, priùs in hoc, censentur annullata Privilegia Monachorum, & posterius, Ordinum Mendicantium.

Quæst. 20.

Quæst. 20. An dicta Bulla Clem. VIII. comprehendat Congregationes Clericorum sæcularium?

1. Ioann. *Maria Novarius* in sua *Decis.* 206. *pag.* mihi 240. dicit, quòd sic, si hujusmodi Clerici sæculares vivant de eleemosynis, secùs si habeant redditus, & proprium, quo sine interesse aliorum, propria possint ædificare Monasteria, & ita refert in facti contingentia à se fuisse decisum *nu.*11. & à Sacr. Congregat. confirmatum. *Cespedes in tract. de exempt. Regul. de Monast. ædifican. cap.* 1. *dub.* 3. *nu.* 1. *in fin.*

2. Quia, ubi militat ratio legis, ibidem militare debet ejusdem legis dispositio, etiam si sit pœnalis, prout *ibid. Novar.* multis citatis *num.* 7. & additur, quòd ex identitate causæ finalis legis, nedum fit extensio, sed inclusio, ex *l. illud, ff. ad legem Aquil. l. illud, C. de sacrosanct. Eccles.* & constat ex *l. his solis, ver. satis etiam, C. de revoc. donat. l. item veniunt, §. ait Senatus, ff. de petit. hereditatis.*

3. Sed causa finalis *Constitutionis Clem. VIII.* & subsequentium Pontificum, illam confirmantium, est evitare interesse, & præjudicium antiquorum Monasteriorum; nè scilicet propter eleemosynas erogandas in constructione novi Monasterii, illa præexistentia Loca damnum patiantur, ut constat ex lectura dictæ *Constit. & Decretorum* præfatorum, & notat eruditè *Riccius Decis. Curiæ Archiep. Neap. par.* 4. *decis.* 222. *nu.* 2.

4. Quæ quidem ratio, cùm vigeat, tam respectu Regularium, quàm respectu Clericorum Sæcularium Mendicantium, idem Jus debet observari in ambobus, ut dictum est.

5. Confirmatur, quia ubi militat ratio *Bullæ*, ibi *Bulla* loquitur, ac disponit, & ipsam *Bullam* regulat, *Tusc. conclus.* 31. *&* 32. *litt. R.* Et hoc ideò, quia legis anima est ipsimet ratio legis, *l. cùm ratio, ff. de bon. damnat.* ergò cùm ratio, & causa finalis nostræ *Bullæ* reperiatur in utroque Monasterio, parum refert, quòd sit Regularium, vel Sæcularium Clericorum: non enim est quæstio de nomine, sed de re significata per nomen. Et additur, quòd isthæc Decisio colligitur ex verbis prædictorum *Decretorum, & Bullarum*: nam Sacra Congregatio in *dd. Decretis*, & Romani Pontifices, qui illa approbarunt, usi sunt nomine Regularium, & nomine Religiosorum, & similibus, ut est videre in §. 3. ibi, *Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nominentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset*: quibus in verbis, expende illud *Religiosorum*, ly *Regularium*, ly *Ordinis*, ly *Societatis*, ly *Instituti, quocunque nomine nominentur, etiam si de illis habenda esset specialis mentio*, quæ, meo videri, nullatenùs possunt referri ad Regulares, qui dumtaxat habent Regulam approbatam à S. Sede; sed ad omnes alios Religiosos, intrà septa viventes. Secùs fieret inutilis verborum repetitio.

6. Nec dices, quòd odia sunt restringenda, quia prædictæ *Constitutiones* de non fabricandis novis Monasteriis, nisi, &c. sunt beneficia, & favores, & consequenter amplianda.

7. Etenim sunt concessa ad favorem Regularium, & non Regularium, Mendicantium, propter publicam utilitatem: hoc est, nè decus, & splendor Ordinis vilescat, aut cadat, ob inopiam, à Regulari observantia; & favor publicus debet omnibus præferri, etiam si nequeat observari, nisi cùm damno, & præjudicio alicujus; ut patet in privilegio *Canonis, si quis suadente Diabolo*, quod de per se intuetur favorem ordinis Clericalis, non autem præjudicium percutientium Clericos, quod est per accidens, & à lege alienum.

8. Nec replices ex *l.* 2. *§. meritò, ff. nè quid in loco publico*, quòd Privilegium non debet expediri, nec præsumitur à Principe concedi in præjudicium tertii, quia hoc ad factum, de quo agitur, non potest applicari, tum quia Clerici sæculares nullum jus quæsitum habent ad ædificandum eorum Monasteria, absque licentia loci Ordinarii, cujus intuitu possint dici gravati, si cogantur hanc licentiam petere.

9. Tum etiam; quia Episcopus loci non potest hanc eis licentiam concedere, nisi juxtà formam sibi præscriptam, à tot Sanctis Pontificibus.

10. Tum item, quia Dominus Papa est Generalissimus omnium Religionum, & Patronus militantis Ecclesiæ, præcipuè quoad jus humanum: hinc potest sic in suis *Constitutionibus* ad libitum disponere, absque consideratione talis præjudicii tertii, quia Dominus est, & utitur jure suo, nec ei possumus dicere, cur ita facis?

Quæst. 21. An dicta Bulla Clem. VIII. comprehendat Moniales?

1. Affirmativa Decisio est *Sac. Conc. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. *in fine*, quo in loco Monasteria, tam Virorum, quàm Mulierum absque Episcopi Ordinarii licentia, & consensu, ædificari, & erigi prohibentur, & ita à Sacra Congregatione decisum refert *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 6. *& in Collect. Bull. Apostolic. ver. Bull. Clem. VIII. Sellius in select. Canon. cap.* 90. *num.* 4. *Ascan. Tambur. de jur. Abbatiss. disput.* 33. *q.* 1. *num.* 4. post *Decretum Sac. Congreg.* jussu *Greg. XV.* editum, *Novar. in praxi juris Pontificii conclus.* 1. aliàs 10. *num.* 1. *& in lucerna Regul. ver. Monasteria*, & ejus *Frater* 2. *par. sum. Bull. de Monast. ædifican. num.* 4. *& Cespedes in d. tract. de exempt. Regul. de Monast. ædifican. dub.* 5.

2. Tum quia Episcopus loci non potest dare licentiam ad erigendum nova Monasteria, nisi juxtà formam sibi præscriptam à *Clem. VIII.* tum quia, finalis causa *d. Bullæ* militat utrobique. Tum item, quia Genus Masculinum concipit Fœmininum, ergò dispositum in Masculis, censetur dispositum circa erectionem Monasteriorum Monialium.

3. Nec obstat *Lezana ver. Monasteria, num.* 5. dicens, quòd Monasteria Monialium non videntur comprehendi sub illa parte *Decreti Gregorii XV.* nempè, quòd non erigantur de novo Monasteria, nisi in eis saltem duodecim Religiosi inhabitare, & sustentari valeant, & quòd etiam vocentur, & audiantur Priores, seu Procuratores aliorum Locorum, per quatuor millia passuum circumvicinorum; ex quo *ibi* solùm videtur, sermonem esse de Monasteriis Virorum, ut patet ex illis verbis, *Fratres Monachi, Religiosi*, & declaratio illa Sacr. Congreg. adducta, anterior est ad *Decretum* prædictum, nempè fuit facta die 19. Decembris 1620. & *d. Decretum Gregorii* fuit editum die 17. Augusti 1622.

4. Quoniam respondetur, tum ob rationes prædictas, tùm etiam, quia Episcopus loci, habet formam præscriptam ad dandum consensum pro novo Monasterio, sive sit Virorum, sive Mulierum, quæ nec in minimo potest alterari, aut mutari, quia forma est de genere indivisibilium; tum item, quia ita novissimè voluit *Urb. Papa VIII.* corroborans *Constitutionem Clem. VIII.*

Quæst. 22. An dicta Bulla Clem. VIII. comprehendat Hospitia Regularium?

1. Hæc quæstio est gravis, & frequens in usu, de qua multa affirmativè loquitur *Aloysius Riccius Decis.* 139. *part.* 2. & in *Collect.* 2269. *super d. Bull. Clem. VIII.* quam ait, non procedere in Hospitiis, quia sicut appellatione Domus, non venit Hospitium, ut constat

constat ex *Scribentibus super l. quia plerique, ff. de in jus vocando.*

2. Ita nomine Monasteriorum non veniunt Hospitia, quod idem *Riccius* affirmat in *Collectanea* 1896. *limit.* 1. *& in Posthuma Collect. super d. Bull. Clem.* 3964. *fol.* mihi 71. *Suarez. tom.* 5. *de cens. disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 35. *Novar. in Praxi Nov. Juris. Pontif. conclus.* 2. aliàs 11. *num.* 5. *ver limita tamen*, & ejus *Frater p.* 1. *sum. de Monast. edifican. super d. Bulla Clem. num.* 11. *limit.* 7. *Tambur. tom.* 3. *de Jur. Abbat. disput.* 5. *q.* 1. *num.* 10. *Bordon.* multis citatis *resolut.* 41. *de* 2. *casu reservato, q.* 2. *Graffi. in addit. ad primam partem lib.* 4. *cap.* 23. *nu.* 9.

3. Hinc statutum puniens offendentes in Domo, non comprehendit offendentes in Hospitio, *Baldus in d. l. plerique*, & alii plures, sic à pari, quamvis Eremitis Ordinis Camaldulensium prohibeatur facere Conventus propè Civitates, per ea multa, quæ refert *D. Reg. Carolus Tapia in auth. ingressi, ver. Monast. cap.* 40. *C. de sacrosanct. Eccles.*

4. Nihilominus non est eis prohibitum habere propè Civitates Hospitia, quia tunc considerantur ut Viatores, *Novar.* cit. *loc.* prout de facto habent propè Neapolim, absque fractione proprii Statuti.

5. Attamen, quidquid sit de illo tempore, & tolerantia Superiorum Regularium, & de eo, quod factum est: cum distinctione loquamur de eo, quod debet justè fieri. Et dico, quòd prædictorum opinio procedit de illo Hospitio, in quo Fratres existentes, Campanas non pulsant, Eleemosinas non quærunt, Missas non recipiunt, Conjunctam Ecclesiam non habent, in qua celebrent Divina, & similia; quia ex tali Hospitio nullum præjudicium, aut detrimentum fit cæteris Religiosis. Ideoque cessat finis, per quem prædictæ *Constitutiones* sunt factæ, & cessante causa finali, cessat legis dispositio, ex *cap. Cessante, de appell.*

6. Et additur, quòd Hospitium hujus generis non gaudet immunitate locali, nec tuetur ad se Confugientes, nec habet Claustra, nec Septa, in quæ nequeant mulieres introire, nec potest dici Locus sacer; *Laur. Peyrin. in tom.* 3. *privil. Minimorum cap.* 12. *Additam. ad Constitutionem Urb. VIII. Constit.* 3. aliàs 13. *nu.* 3. *Joannes Baptista Lezana ver. Monast. num.* 7. & nuper *Cespedes tract. de exempt. Regul. quoad Monast. dub.* 6.

7. Secùs autem dicendum de Hospitiis, quæ pulsant Campanas, habent Ecclesias conjunctas, aut ministrant pabula salutis, quia si hujus generis Hospitia possent erigi, contrà formam præscriptam à *Clem. VIII.* & contrà *Bullas* prædictas, utique prædictæ *Apostolicæ Constitutiones* censerentur elusoriæ, & in vanum promulgatæ, quod dedecet fateri: etenim si Hospitium ea omnia habeat, quæ cætera retinent Monasteria, quid ab illis distinguitur, deducto nomine Hospitii? nec est verisimile, quòd Romani Pontifices de solo nomine sint locuti.

Quæst. 23. *An d. Bulla Clem. VIII. procedat in reædificatione, vel amplificatione Monasterii?*

1. NEgativè *Glossa in cap. de Monachis.* 18. *quæst.* 2. secùs si Monasterium sit totum destructum, & reficiatur: tunc autem dicitur totum destructum, & funditus eversum, cùm fundamenta non remanent; & hoc ideò; quia refectio Monasterii, totaliter eversi, est novum ædificium: & aliud est de novo fundare, & aliud vetus reficere, prout latè *Matthæus de Afflictis decis.* 392. *num.* 14. ubi quærit, an reficere, sit propriè de novo ædificare? & *ibid. Ursillus num.* 3. *&* 4. ubi quærit, an Ecclesia non in totum diruta, oporteat consecrari, & Civitas, vel Castrum dirutum sine spe reædificationis, an retineat jura Civitatis, vel Castri? & *Novar. par.* 1. *summ. bull. de Monast. ædifican. num.* 9. *limit.* 3. & habetur ex *l.* 1. §. *etenim, ff. de itiner. act. priv.* & additur, quòd jura Canonica, & Constitutiones prædictæ sunt pœnales, & loquuntur de novis locis acquirendis, & ideò, cùm sint stricti juris, nequeunt extendi ad casus non expressos, ut *odia.*

2. Quod totum pariter procedit in ampliatione Monasteriorum, quia extensio, seu augmentatio Monasterii non dat novum jus, nec novum titulum, & est de actibus jam permissis: supposita tamen legitima acquisitione, *ex l. ab ea parte, ff. de probat.*

3. Proinde excommunicatio posita contrà Religiosos transgredientes dispositionem *cap. unic. de excess. Prelat. in* 6. non comprehendit Mendicantes, si antiquas Domos, vel Ecclesias reficiant, reædificent, vel augeant, quia hoc non est novas Domos, vel Loca acquirere, ut late *Rodriquez tom.* 2. *q.* 49. *art.* 9. & post multos *Suarez. tom.* 5. *de censuris, disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 35. *Hieron. Rodr. in comp. qq. regul. resolut.* 55. *num.* 10. *Tambur. tom.* 3. *de jur. Abbat. disput.* 4. *q.* 1. *num.* 9. *Lezana ver. Monasteria, num.* 34. & est communis,

Quæst. 24. *An d. Bulla Clem. VIII. habeat locum in Monasteriis, ab Hæreticis occupatis, si à Nostratibus recuperentur, & reædificentur?*

1. NEgativè *Rodr. tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 9. *& Lezana ver. Monasteria, num.* 49. quia hæc refectio, & rehabitio non dat novum titulum, nec novum jus, aut dominium, nec jus antiquum censetur extinctum, proinde non subjicitur Constitutionibus, nec juribus prædictis, de non construendis Monasteriis sine licentia Episcopi loci, & consimilibus, ut dictum est.

Quæst. 25. *Si Summus Pontifex concedat Ecclesiam Regularibus, pro Usu, & Habitatione eorundem; an hi possint, inaudito Episcopo loci, dicta Ecclesia possessionem sumere?*

1. DE Jure communi, dicitur ad quæsitum negativè; & habetur expressè in *cap. Pastoralis, de privileg.* quia, ut *ibid.* legitur, *per indulgentiam hujusmodi, Episcopali juri non credimus derogari*: secùs autem, si aliter in eisdem literis sit expressum, quod nunquam, aut raro fit; etenim Privilegium Domini Papæ nunquam censetur concessum in præjudicium tertii, & maximè, si Ecclesia sit in posse alterius, vel in alicujus beneficium erecta, ut *ibidem* notat *Glossa*, & tradit *Rodr. tom.* 3. *de Regul. quæst.* 80. *art.* 1.

Quæst: 26. *Monasterium an possit mutari de uno loco in alium salubriorem, sine licentia Episcopi?*

1. NEgativè dicitur in *d. cap. unic.* incip. *cùm ex eo, de excessibus Prelat. in* 6. ibi; *vel recepta mutare*, & magis clarè in *Can.* 41. *caus.* 16. *q.* 7. seu *alium.* ibi, *si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & Fratrum suorum, & dimittat Presbyterum in priori loco ad ministeria Ecclesiæ*, ubi *Glossa* docet, causas mutandi Monasteria de uno in alium locum.

2. Et addit, quòd nomine Concilii, intelligitur licentia, secundùm omnes *Doctores*, quos citat *Campanil. rubric.* 12. *cap.* 13. *& Zerola in praxi par.* 1. *ver. Monasteria.*

3. Nec his nocet *Conc. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. *in fine*, quia etsi *ibidem* nullum verbum faciat de locorum mutatione; remanet tamen in dispositione juris communis: quia casus omissus in aliqua speciali Constitutione,

ne, remanet in dispositione juris communis, per ea, quæ allegat *Rodr. tom. 1. q. 23. art. 7. in fine, & tom. 2. q. 49. art. 4. & Riccius part. 4. decis. 168. num. 5.*

4. Secùs autem procedit de jure speciali, quandoquidem *Sixtus V.* de anno 1587. concessit Abbati Generali Congregationis Sancti Benedicti, ut cum consilio, & assensu Capituli Generalis, Monasteria dictæ Congregationis, quæ in Locis incommodis, & minùs populosis reperiuntur, ad commodiora Loca, ubi Monachorum doctrina, & vitæ exempla, Populo Christiano, magis utilia futura sint, & fructuosa (Ordinariorum Locorum, vel cujuscunque alterius licentia, minimè requisita) cum eorum Monachis, & suppellectilibus, paramentis, & ornamentis, & aliis rebus necessariis, transferre, & mutare possit, ac fructus, redditus, & proventus eorumdem Monasteriorum, seu cujuslibet eorum, &c. quod similiter concessit *Sixtus IV.* Minoribus, ut liquet in *Bullario* eorumdem *Bull. 14. & 27. Sixti.*

5. Et per extensum refert *Rodr. tom. 2. q. 49. art. 4. Ludov. Miranda in Manual. Prælat. 1. q. 33. art. 2. Joann. Maria Novar. in Practica b. novi Jur. Pontific. conclus. 1.* aliàs *10. num. 10. Riccius par. 4. decis. 131. & Barbosa allegat. 26. num. 8.* qui vocant hoc Privilegium magnum, & nunquàm simile concessum, & quòd ob communicationem Privilegiorum, pertinet ad omnes Mendicantes, & ob quas causas possit Monasterium mutari, & quæ Episcopus in hac mutatione debeat considerare, eruditè ostendit.

6. Verùm hodiè hæc Privilegia sunt abrogata per *Urb. VIII.* ut dixi suprà: quapropter in mutatione Monasterii, est omninò observanda dispositio *Conc. Trid. & Decretorum*, tam *Clem. VIII.* quàm *Gregor. XV.* dummodò in hac mutatione militet, & reperiatur eadem ratio, quæ fuit motiva, & finalis *d. Bull. Clem.* nempè detrimenti, quod aliis Regularibus inferri potest; cùm notum sit, frequentiores eleemosynas impartiri Religiosis, ad quos, ob loci amænitatem, aut aeris salubritatem, vel aliam, Populi confluit multitudo, *Novar.* cit. *loc. conclus. 2.* aliàs *11. num. 2. Flavius Cherubin. in Comp. Bull. in Bull. Clem. VIII. 99. Lezana ver. Monasteria, num. 32. Portellus dub. regul. ver. Monasterium, num. 5. Rodriquez tom. 1. quæst. 23. art. 7. in fine*, ubi ait, quòd eadem licentia Episcopi, requiritur post *Trid.* ad translationem de uno ad alium locum, sicut ad novam Conventus erectionem: quia non videtur esse major ratio de uno, quàm de alio; & ita fuit à Sacra Congregatione decisum in controversia exorta, inter Fratres Ordinis Sancti Dominici, & Fratres S. Augustini Congregationis Lombardiæ, & Fratres Carmelitas Discalceatos Savon. super eo, quòd prohibenda sit constructio novi Conventus, per ipsos Carmelitas Discalceatos, intrà Mœnia ejusdem Civitatis nuper cœpta, cum ex nimia propinquitate gravia exorirentur præjudicia Conventibus prædictis, Fratrum Sancti Dominici, & Sancti Augustini Congregationis antecedentis, rebusque aliis.

7. Et Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præposita, Eminentissimo Bentivolio Referente, Partibus auditis, ac re maturè discussa, censuit, injungendum esse Fratribus Carmelitis Discalceatis prædictis, prout præsentis *Decreti* virtute injungit, ut omninò recedant à prædicto loco, ubi novum sui Ordinis Conventum fundare cœperant: neque in alio loco ejusdem Civitatis illum erigere valeant; nisi servata forma, & impletis omnibus conditionibus, contentis in *Constitut. & Decretis Apostolicis*, ac præsertim in *Decreto S. D. N.* super erectione Novorum Conventuum, nuper edito Romæ die 14. Decembris 1635. M. Cardinalis Ginectus, & refert per extensum *Laur. Peyr. in ultim. Append.* sui *formularis, litera Z. cap. 3. fol.* mihi 722.

8. Quod per eandem Sacr. Congregat. fuit de novo decisum, in controversia exorta inter Nos, & Fratres Minimos Sancti Francisci de Paula, me Provinciali, sub anno Domini 1640. etenim habitabamus in Civitate Coriolani, in loco, ubi dicitur, *la Giudea*; & visum fuit R. Patri Lectori Fratri Thomæ de Rossano, in illo tempore, loci Vicario, ob aeris bonitatem, & Populi commoditatem, prævia licentia Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Petri Antonii Spinelli, tunc temporis Archiepiscopi Civitatis Rossani, à dicto loco recedere, & Monasterium transferre infrà eandem Civitatem, in locum dictum, *l'Acqua nova*, propè dictos Minimos, qui ob loci vicinitatem, cæperunt reclamare, & in Sacra Congregatione nobiscum litigare; & tandem post multa coacti fuimus, *Decreto* medio, à novissimo loco recedere, & in primum locum redire.

9. Nec obstat *Peyrinus tom. 3. Privil. in additam. ad Constitutionem Gregorii XV. cap. 11. nu. 18.* dicens, Regulares per Privilegia Apostolica, absque licentia Ordinarii, propter aliquam causam, posse mutare Monasterium de loco minùs commodo, ad locum magis commodum; tum quia Privilegia super hoc sunt extincta, tum etiam, quia hæc causa, an sit aliis damnosa, debet per loci Ordinarium examinari.

10. Nec dices, quòd hoc præjudicium, quod fit aliis, ob loci vicinitatem, sit per accidens, non autem per se; *Tamburr. tom. 3. de jur. Abbat. disput. 5. q. 1. num. 14. & Cespted. d. tract. de exemptione, dub. 7.* quia hoc item subjicitur Judicio Episcopi loci, & ejus prudentiæ dimittitur; nam pars contraria totum oppositum dicet, & se fundat, quia multa sunt genera gravaminum à lege intenta, quæ cùm loquatur indistinctè, omnes casus amplectitur, nullo excepto: etenim lex indefinitè loquens, universaliter debet intelligi.

Quæst. 27. An liceat de novo fundare Monasteria cum sola licentia Episcopi, sine consensu aliorum Regularium, si Regulares introducendi, sint securi, & tuti de victu, & vestitu, & constet Ordinario, quòd eorum novus ingressus, non potest præjudicare aliis Religionibus, in Loco praexistentibus?

1. NEgat *Aloys. Riccius par. 4. decis. 222.* & refert, ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, in causa Reformatorum Sancti Augustini, Quandoquidem *Constitutio Clementis Octavi*, loquitur generaliter, & *Constitutio* generaliter loquens, omnes casus, etiam speciales comprehendit, per multa jura *ibidem* allegata: ergò benè fuit denegata licentia dictis Fratribus, ædificandi in dicta Civitate, sine consensu cæterorum Convicinorum Regularium, quod placet *Jo. Antonio Novario 1. p. summ. de Monast. ædifican. num. 5. ampliat. 4.*

2. Nihilominùs affirmat *Joan. Maria Novarius in praxi novi Jur. Pontifi. conclus. 2.* aliàs *11. nu. 4.* quia cessante causa finali, cessat legis dispositio: ex multis per *Thomam Sanchez lib. 4. summ. decalog. cap. 2. num. 42. conclus. 1.* & habetur expressè in *cap. cùm cessante, de appellat.* sed causa finalis *d. Bullæ* est, ut nulla erectio fiat in damnum præexistentium Conventuum, ergò eorum interesse cessante, cessat illius dispositio, cui favet *Francisc. Cespedes in tract. de exempt. Regul. quoad Monast. ædifican. dub. 8.*

3. Quod totum manifestè deciditur in *d. Bull. Clem.* ibi, *nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & Locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causâ servatis servandis cognitâ, constiterit in eisdem Civitatibus, & Locis, novos hujusmodi erigendos Conventus, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.* hæc ibi.

4. Ex quibus benè vides, quòd Illustrissimus Loci Ordinarius, ubi sibi constiterit, Religiosos de novo introducendos, nullum priscis inferre præjudicium, potest eisdem licentiam concedere, de novo erigendo, nullo expectato consensu aliorum Regularium, auditis tamen illis.

5. Et magis clarè in *Decret. Greg. XV.* ibi, *vel aliàs Ordinarius Locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conventus, seu Domus Regularis, sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum, in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu Locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse*; hæc *ibi*.

6. Et est manifesta *Decisio Rotæ Romanæ*, per extensum suprapposita in *quæst.* 14. ibi, *cùm citaverit omnes Conventus Mendicantium, & sibi constiterit, nullum eis posse ex nova Collegii erectione præjudicium inferri, ex quo redditus illi relicti per Ugonem de Vicis in pecunia numerata & frumento, sufficiunt ad congruam sustentationem Collegialium, qui propterea non cogentur mendicare, & consequenter non diminuent eleemosynas aliorum Mendicantium, nec aliquod eis damnum inferent.* hæc *ibi*.

7. Proinde subjungit *Lezana ver. Monasteria, num.* 7. *quòd si Regulares erectioni novi Monasterii gratis, vel ex mala voluntate (quod absit) contradicerent, posset nihilominùs Episcopus concedere licentiam, construendi tale Monasterium: etenim illius est calumnias infringere.* hæc *ille*.

8. Quod ampliat *Leyva Venerus in examine lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 8. dicens, *quòd Episcopus solùm tenetur in scriptis redigere ea, quæ ab unoquoque proferuntur, & dare terminum, unicuique ad id probandum; sed postea ipse solus poterit dare, vel negare licentiam ædificandi, absque dependentia alicujus.* hæc *ille*.

9. Amplia, ut nec teneatur ob prædicta Regulares citare, etsi ad Praxim, & uberiorem cautelam aliter fiat, quia in casu, de quo agitur, cessat finis legis, nempè abest illorum præjudicium, & Loci Episcopus habet arbitramentum, *Cesped.* cit. *loc. dub.* 4. sed regulatum à jure.

10. Nec obstat *Peyrinus tom.* 3. *privil. Constit.* 3. *Urb.* 8. *num.* 2. dicens, quòd hoc arbitramentum fuit revocatum per *d. Bull. Urb.* 8. quia dicta *Bulla Urb.* ambas *Constitutiones* renovavit, nempè *Clem. VIII. & Gregor. XV.* prout clarè constat ex illis verbis, *servata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Conc. Trid. nec non Constitutionis fel. recor. Clem.* 8. *quæ incipit, Quoniam ad institutam, sub datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die* 23. *Julii* 1603. *ac Decretorum de mandato ejusdem Clem. nec non fel. mem. Gregor. XV. Rom. Pontif. Prædecessorum nostrorum.*

Quæst.* 28. *Si aliqua Religio vellet intrare in aliquem Locum, cum obligatione, non quærendi eleemosynas, nec faciendi aliquod, ex quo nocumentum posset obvenire aliis Religiosis; an Episcopus loci teneatur in tali casu, alios Regulares citare?

1. PEyrinus in suo *formular. lit. Z. c.* 3. *not. ult. pag.* mihi 726. *& Lezana ver. Monasteria, num.* 6. *in fin.* respondent negativè, ex dicto *c. cùm cessante, de appellat.* etenim finis prædictorum *Constitutionum* fuit evitare interesse Religiosorum præexistentium: hoc autem damnum in casu posito non habet locum: ergò.

2. Benè verum est, quòd ista promissio de non mendicando, & de non inferendo præexistentibus Religiosis aliquod interesse, debet fieri, ut oportet, hoc est, in Provinciali Capitulo, & de licentia Reverendiss. Generalis, vel in Capitulo Generali, & stipulari, ut decet, nè fortè pactum evanescat, ex defectu authoritatis promittentium.

3. Quod amplia, quoties occurrerit, Provinciam se obligare ad alendum, & sustentandum duodecim Fratres in loco erigendo, nè antiquiores Conventus illius Loci, damna patiantur: etenim tam pro nova erectione Monasterii, quàm pro commoda sustentatione duodecim Fratrum, qui debent assistere in novo Conventu, juxtà dispensationem præfatæ *Bullæ*, eleemosynæ cæterorum solent, aut omninò deficere, aut valdè minui, ob quarum deficientiam, Religiosi Priores nimis molestantur, & ad cavendum illos ab omni futuro interesse, debet Provincia, modo, quo suprà, se cum juramento obligare, de sustentando, ut suprà, & unico contextu illis assignare tot annuos redditus sufficientes, & in specie declarandos, pro futuro victu, & vestitu duodecim Fratrum, sustentandorum in loco erigendo.

4. Et quia Prælati inferiores, in jure quæsito, nequeunt eorum Ecclesiis præjudicare. Et ne eis dicatur, quòd non licet unum Altare pro alio expoliare, nec unius Monasterii bona alteri cedere, non erit extrà rem, super his D. Papæ supplicare. Etiam si hujusmodi assignatio non sit verè alienatio, nec in perpetuum, sed ad tempus discorporatio.

5. Hac igitur redditum assignatione facta, poterit Illustrissimus loci Ordinarius, hujusmodi licentiam concedere non citatis, nec auditis aliis Religiosis: quia, ut dixi, cessat in facto finis *d. Bull.* & pænes hoc remanet Episcopi loci arbitrium, licet sint audiendi ex præjudicio partis.

6. Et patet in una *Neapolitana* Fratrum Ordinis B. Mariæ de Mercede Discalceatorum, 14. Junii 1625. & in ali a *Castrens.* Fratrum Ordinis S. Bernardi Reformatorum 31. Junii 1642. ut refert *Lezana* cit. *loc.* & in una alia *Caietan.* Fratrum Discalceatorum Sancti Augustini, sub die 2. Octobris 1643. & novissimè in erectione Conventus, Fratrum Congregationis de Colorito, nuncupatæ, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, facta in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Fide, in Burgo S. Antonii Civit. Neapol. pro qua Rev. Pater F. Reginaldus Terræ Vigianelli, maximè laboravit, etiam sub anno Domini 1646.

7. Nec dices, quòd ultrà prædictam causam finalem, de qua facta est assecuratio, remanet alia causa, nempè, quòd diminuitur numerus confluentium ad eorum Ecclesias, quòd item deperditur electio sepulturæ. Item facere celebrare Missas, vel Anniversaria, quod potest redundare in præjudicium priorum Religiosorum, & similia; quia hæc non attenduntur, cùm simus in facultativis, ex quo potest quis ad libitum sepulturam eligere, eleemosynas facere, ex *c.* 1. *de sepultur.* & constat ex *decisione Rot. Roman.* quam habes suprà per extensum positam in *q.* 14.

Quæst.* 29. *Consensus obtinendus à Prioribus Loci, in quo debet fundari Monasterium: an possit suppleri per P. Generalem, vel Provincialem?

1. AFfirmativè dic, tum quia *d. Bulla* non loquitur privativè quoad Provinciales, & Generales Ordinum, tum etiam, quia inter Prælatos majores, & inferiores unius, & ejusdem Ordinis, reperitur ordo essentialis, & in essentialiter ordinatis, quicquid potest virtus Inferior, potest & Superior, & nobiliori modo, ut patet in numeris.

2. Igitur, totum illud, quod fieri potest per P. Priorem alicujus Monasterii, nobiliori modo fieri potest per P. Provincialem Provinciæ, aut Generalem dicti Ordinis.

3. Et

3. Et ita fuit à Sacra Congregatione decisum in una *Senogalienſ.* Carmelitan. die 26. Junii 1615. & nuper 1646 in causa novi Monasterii Fratrum Congregationis de Colorito nuncupatæ, Eremitarum S. Augustini, facta in Burgo S. Antonii Civit. Neap. in Ecclesia S. Mariæ de Fide, de qua dictum est supra, cui erectioni nolentes consentire Patres Theatini, Minimi de S. Francisco de Paula, & alii Regulares ejusdem Suburbii, consenserunt Romæ eorum Superiores, quod satis fuit, ex quo integrum erat eis, pro illis consentire, quæ *decisio* formiter, & authenticè facta, reperitur penes eosdem Fratres, ibidem de Colorito.

Quæst. 30. *An una Religio possit contra novam erectionem excipere, quod aliæ Religiones non fuerunt auditæ?*

1. HUjus decisio pendet ex illo, an mihi competat exceptio de jure tertii: Et fuit negativè à Sacra Congregatione decisum, in præfata causa Congregationis de Collorito, cujus ædificationi quidam Regulares contradixerunt, multa objiciendo, & inter cætera, quod aliæ Religiones Ordinis Mendicantium, super hoc non fuerunt auditæ: & hoc ideò, quia, qui tacet, affirmat, & nulli competit agere de alterius præjudicio: etenim potest unusquisque suo juri cedere, nec alter alterius rerum potest esse moderator, aut arbiter; nisi de speciali mandato, aut aliundè sibi competat actio.

Quæst. 31. *An duo Monasteria, propter exiles redditus, possint uniri, absque licentia Episcopi?*

1. ET dico, quod sic, & constat ex Privilegio *Pii II.* concesso Priori, & Conventui Sancti Benedicti, quod est commune, ob communicationem Privilegiorum, quod per extensum ponit *Rodriquez tom. 3. Regul. q. 80. ar. 1. & 2. pag.* mihi 274. & est tenoris sequentis.

Pius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Priori, & Conventui Monasterii S. Benedicti Vallisoleti, &c. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte vestra petitio, continebat, quod in nonnullis Domibus ejusdem Ordinis diversarum Diœcesum, præfato Monasterio, quoad observantiam subjectis, propter inopiam redditnum, ultrà tres, vel quatuor Religiosi nequeunt commodè sustentari, quo fit, ut in eisdem Domibus Regularis observantia ad plenũ, ut decet, observari non possit, sintque alia Monasteria dicti Ordinis, præfato Monasterio subjecta, in aliquibus Civitatibus, Oppidis Villis, & Locis, quorundam temporalium Dominorum; qui fructus, redditus & proventus, nec non alia bona, ad ipsa Monasteria legitimè spectantia, occupant, & illa sibi appropriant, ac eisdem Monasteriis alia gravamina inferunt, & etiam quædam alia Monasteria, ut præfertur, subjecta, in tam sterilibus & inaquosis Locis consistant, quod Religiosi in eis, nisi cum maxima difficultate, vivere & morari non possunt; unde si duo, vel tria ex dictis Monasteriis, sivè Domibus dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, redditnum, & proventuum, ut præmittitur, ultrà tres, vel quatuor Religiosi, sustentari nequeunt, invicem unirentur, annecterentur, & incorporarentur, nec non uni ipsorum subjicerentur, profectò divinus cultus, ex hoc susciperet incrementum, ac etiam Monachi, ibidem Altissimo deservientes, commodiùs sustentari possent. Quare pro parte vestra, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem hujusmodi, fieri mandare, aliásque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, de quorum providentia, & circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinemus, si ita est, duo, vel tria Monasteria, sivè Domus dicti Ordinis, in quibus propter exiguitatem fructuum, redditnum, & proventuum, tres, vel quatuor Monachi sustentari nequeunt; Abbatum Conventuum dictorum Monasteriorum, expresso ad id interveniente consensu, uniendi, annectendi & incorporandi, ac in aliquo ipsorum Monasteriorum, seu Domorum Monachos usque ad numerum duodecim constituendi, & deputandi, ac alia Monasteria in Locis eorundem Dominorum temporalium, vel sterilibus, vel inaquosis existentia si secundùm Deum hoc expedire videritis de dictis Oppidis, sivè Locis ad alia Loca, vel Oppida transferendi, nec non fructus, redditus, & proventus prædictorum omnium Monasteriorum, ut præmittitur uniendorum, quos pro expressis haberi volumus, pro sustentatione Monachorum, ut magis accommodis Domibus, & Monasteriis commorantium deputandi, plenam & liberam, tenore præsentium, concedimus facultatem Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostris illa præsertim, qua cavetur, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem, tàm beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat; nec non fundatione, dotatione, translatione, concessione, aut donatione alicujus ex dictis Monasteriis uniendis hujusmodi, etiamsi in illis expressè caveatur, quod in illis solitus Monachorum, & Monasteriorum numerus, nullatenùs minuetur, & in illorum onera consueta supportentur, ac Statutis, & Consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis, quibuscunque proviso, quod in unione, annexione, & incorporatione hujusmodi, si illa vigore præsentium fiant, & effectum consequantur, debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac cultus divinus nullatenùs minuatur. Sed in singulis sic unitis, vel translatis Monasteriis, sivè Domibus, per unum idoneum Capellanum, per Priorem, & Conventum hujusmodi deputandum, cui de fructibus Monasteriorum hujusmodi, necessaria congruè ministrantur; deserviatur laudabiliter in divinis, & ipsorum, tunc unitorum Monasteriorum, supportentur onera consueta. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane, si secùs super iis à quocunque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Dat. Tibure, anno Incarnationis Dominicæ 1473. 8. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno sexto.

2. Et nota, quod hujus Privilegii causa finalis est, ut ex hac unione divinus cultus suscipiat incrementum, & ut Monachi, ibidem Altissimo servientes, commodiùs sustententur.

3. Nec dices, quod hæc unio debeat fieri per Episcopum, vel per Prælatos, quasi Episcopalem Jurisdictionem habentes, & de consensu partium, secùs erit nulla: quia hoc procedit de jure communi, fallit autem ex Privilegio, quo cavetur, ut hujusmodi unio possit fieri sine consensu Episcopi, & sine vocatione Patronorum: etenim Dominus Papa est universalissimus Ordinarius, & sua Diœcesis est universus Orbis, nec ei possumus dicere, cur ita facis? *Rodr.* cit. *loc.*

4. Item *Joannes Papa Vigesimustertius* pro Ordine Cisterciensi, concessit, ut Abbas Cisterciensis, & Capitulum Generale, Monasteria, tàm Virorum, quàm Monialium, & Prioratus Ordinis, Pauperioribus Monasteriis ejusdem Ordinis possint unire, & possessionem accipere, Diœcesani licentia minimè requisita, sub hac forma verborum.

Ioannes Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Abbati Monasterii Cistercii, Cabilonensis Diœcesis, ejusque Coabbatibus universis, in eorum Generali Capitulo, quandocunque congregandis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sacra Religionis, sub qua mundanis calcatis illecebris, devotum, & sedulum in humilitatis spiritu exhibetis Altissimo famulatum, merita promerentur, ut ea, quæ vestræ Religionis, & Ordinis commoditatem respiciunt, favore vobis benevolo concedamus. Hinc est, quod

Nos volentes vestræ paci, & tranquillitati consulere, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut quæcunque Monasteria dicti Ordinis, tam Monachorum, quam etiam Monialium, & quorum facultates, fructus, redditus & proventus non sufficiunt ad sustentationem tot Regularium personarũ, in eisdem Monasteriis, pro tempore degentium, quod in eis pro augmento divini cultus, ac missis, & aliis Divinis Officiis celebrandis secundùm ejusdem Ordinis Statuta. & præmissorum, ac Regularium ceremoniarum observantiam requiruntur, aliis Monasteriis, Religionis & Ordinis, prædictorum pro commodiori sustentatione degentium in eisdem: & quando pro statu & quiete hujusmodi personarum id noveritis expedire (super quibus vestras conscientias oneramus) cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, unum videlicet alteri Monachorum, & aliud alteri Monialium Monasteriis ejusdem Ordinis Monasteria, cujuscunque taxa, seu annui valoris fuerint, & quæ cum eorum juribus, & pertinentiis suis universis præsentibus, haberi volumus pro expressis, auctoritate Apostolica annectere, & unire: itàquod cedentibus, vel decedentibus hujusmodi Monasteriorum Abbatibus, vel Abbatissis, seu Prioribus, vel Priorissis (si Monasteria ipsa per Priores, aut Priorissas fuerint solita gubernari) aut ea quomodolibet dimittentibus, liceat aliis Abbatibus, & Abbatissis, aut Priorissis, quorum Monasteriis aliis sic vacantia veniant unienda, corporalem possessionem hujusmodi vacantium Monasteriorum, juriumque & pertinentiarum prædictorum, authoritate propria apprehendere, & perpetuò retinere, ac fructus, redditus, & proventus dictorum Monasteriorum uniendorum, in suos usus, ac pro sustentatione hujusmodi personarum degentium in eisdem liberè convertere, Diœcesani Loci, aut cujuscunque alterius, super hoc licentia minimè requisita. liberè, & licitè valeatis, devotionis vestra, de specialis dono gratia concedimus per præsentes. Non obstantibus quibuscunque reservationibus generalibus, vel specialibus, de hujusmodi, vel aliis Monasteriis Ordinum, quorumcunque per Nos, aut sedem Apostolicam hactenùs forsan factis, nec non Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis. atque nostris, ac Stabilimentis, Statutis & Consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omninò hominum liceat, hanc paginam nostræ voluntatis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Constantiæ 7. Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quinto.

Et ponit per extensum *Rodr. 1. tom. Bull. Apost. fol.* 74. *Lezana, ver. Monasteria, nu.* 39. *& Cesped. in tractatu prædic. dub.* 12. qui testatur, *d. Bullam* non esse revocatam.

5. Et Ego addo, quod juxtà prædicta obtinuimus à *Papa Urb. VIII.* posse parva Loca viciniori Conventui unire, prout de facto univimus Locum Nucariæ, Conventui nostro Amendolariæ, & Locum Calameræ, cum omnibus bonis, & juribus suis, Conventui nostro Sancti Nicolai Civitatis Nicoteræ: consulto tamen vigilantissimo P. Nicolao Rodulfio, tunc temporis Magistro Ordinis, & adjecta clausula, *ut onera Missarum, quæ fortè aderant in Locis dimissis, satisfierent in Conventibus, quibus fuerant unita Loca prædicta*, juxtà *Bullam* 3. *Innocentii Tertii*, qua indultum est Prædicatoribus, quod Conventus non valens sustentare octo Religiosos, possit alteri incorporari, per Vicarium Congregationis, cum Diffinitoribus: dum tamen sine scandalo fiat, & in Ecclesia loci incorporati, non cesset cultus divinus, & refert *Joannes de Cruce* nostræ familiæ *de statu Religionis lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 2. *Peyr. tom.* 1. *Privil. in constit.* 2. *Julii* 2. *nu.* 82. *Tamburr. to.* 3. *de Jur. Abbat. disput.* 8. *per totam, & Lezana ver Monasteria, n.* 41.

6. Locum autem Crusiæ, quod est Hospitium Tucarum, omninò dimisimus, juxtà dispositionem nostrarum *Constitutionum, de Domibus cap.* 1. *distin.* 2. *text.* 1. *litt. C. pag.* 94. *col.* 3. ibi, *si quæ repererint Loca, vel Vicariatus, in quibus Religio, minùs aptè foveri possit, quin potiùs eius dissipationis disciplinæ Regularis fomenta, & scandalorum occasiones afferant, consultis gravioribus Patribus, quo meliùs fieri poterit, reddant & relinquant omninò; cùm ex his graviora mala sequantur, ac maxima patiatur Religio detrimenta.* hæc ibi.

Quæst. 32. *An Regulares sine licentia Episcopi, vel Sedis Apostolicæ, possint sua Loca deserere, & deserta vendere?*

1. Sylvester ver. *Casus q.* 1. *casu* 8. *& Joan. de Cruce de statu Religionis lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 1. *fol.* mihi 205. ajunt, quod de jure communi canonico, Regulares non possunt Loca deserere, nec deserta vendere ex *cap. unic. de Religiosis Domibus in* 6. *& cap.* 1. *de excessib. Prælat. in eod.* 6. *& in Clem. de pœnis, cap. cupientes*, ubi hæc nobis, etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur.

2. Quæ jura, an comprehendant Monachos, an verò omnes Mendicantes, ostendit *Navarr. in Manual. cap.* 27. *nu.* 144. an item procedant, respectu omnium Monasteriorum, an verò illorum tantùm, quæ existebant tempore *Bonifacii Octavi, & Clementis Quinti, Lezana ver. Monast. nu.* 42.

3. Secùs autem dicendum est de jure speciali, nam *Sixtus Quartus* Prædicatoribus, & Minoribus hoc in specie concessit, in *Bulla Maris Magni*, quæ incipit *Regimini universalis Ecclesiæ*, quam per extensum ponit *Joan. Baptista Confect. Bull.* 1. *ejusdem Pontif. pag.* mihi 49. ibi. *ad hæc liceat Fratribus vestri Ordinis, cùm de prioribus locis suis, ad alia loca se transferunt, tàm ædificia seu omnem ædificiorum materiam, locorum, quæ dimittunt, (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis) quàm libros, calices, & paramẽta, secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, præter Ecclesias, vendere, ipsorumque pretium in aliorum locorũ, ad quæ dicti Fratres se transferunt, ædificationem, seu alias in eorum utilitatem convertere, secundũ quod eis videbitur meliùs expedire. Et ne aliqui Archiepiscopi, vel Episcopi, aut alii Ecclesiarum Prælati, seu quævis alia persona Ecclesiastica, vel sæcularis, prædicta loca seu bona occupari, accipere, vel usurpare, aut quoque modo sibi vendicare præsumant, absque dicta Sedis licentia speciali districtiùs inhibemus.*

4. Idipsum concessit Minoribus idem *Romanus Pontifex*, ut constat ex ejus *Bulla* 12. quam per extensum refert idem *Confectius fol.* 72. & alia hujus generis Privilegia refert noster *de Cruce* cit. *loc. dub.* 1. *conclus.* 2. *Festus in summ. cap.* 12. *de domibus*, & habetur expressè in nostris *Constitutionibus*, sæpè sæpiùs à Sancta Sede approbatis, *distinct.* 2. *de domibus, cap.* 1 *text.* 1. *fol.* 94. *col.* 3. *in declarat. litt. C.* ibi, *cùm à pristinis suis locis, ad alia loca cum licentia se transferunt, possunt secum deferre omnium ædificiorum materiam*, & cætera, ut suprà posita in *Mari magno, Portellus ver. Monasteria, nu.* 5. *&* 7. *Peyr. tom.* 1. *privil. in Const.* 2. *Julii* 2. *nu.* 77. §. 23.

5. Nec his derogant *Constitutiones Pauli* 2. nec aliorum Summorum Pontificum *de non alienandis*, nec *Decretum Conc.* editum jussu *Urb. VIII.* die 7. Septembris 1624. quia his non obstantibus novissimè idem *Urb. VIII.* concessit facultatem P. Generali Minimorum, supprimendi Conventus tenues, eorumque bona in Conventus

ventus majores transferendi, cum oneribus annexis, sub hac forma verborum.

Urbanus Papa Octavus, Dilecto filio Correctori Generali Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula, Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cùm, sicut nobis nuper exponi fecisti, in visitatione tui Ordinis Minimorum, Sancti Francisci de Paula, per te hactenùs facta, compereris, & indies comperias, nonnullos ipsius Ordinis Conventus adeò pauperes, & tenues existere, ut spes nulla sit illos unquam ad formam Conventuum reduci, minusque eorum Religiosorum numerum, qui per Constitutiones Apostolicas pro Regula ejusdem Ordinis Observantia, divinique cultus servitio præscriptus existit, in eis sustentari posse; quin etiam Conventus hujusmodi in Observantiæ Regularis, ac disciplinæ relaxationis, totiusque Ordinis hujusmodi dedecus & ruinam esse noscas, & experiaris: & propterea tibi de infrascripta facultate per Nos provideri summoperè desideres.

Nos de tua fide, virtute, prudentia, & diligentia, plurimùm in Domino confisi, nec non Conventuum hujusmodi situationes, confines, qualitates, eorumque fructuum, redditus, & proventus, veros annuos valores, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum Consilio tibi, ut Conventus tenues hujusmodi, facta per Ordinarios Locorum eorum, Ecclesiarum profanatione, sive Confraternitatibus, vel aliis Locis Piis applicatione, eorumque onerum ut infrà, translatione, supprimere & extinguere, & eorum bona quæcunque, majoribus Conventibus perpetuò unire, & incorporare, & ad ipsos majores Conventus quibus bona hujusmodi unita, & incorporata fuerint, onera etiam ipsorū minorum Conventuum transferre: ac si magis utile Ecclesiis futurum judicaveris, bona hujusmodi, vel eorum partem, vendere, permutare, aut aliàs alienare, dummodò id in Conventuum hujusmodi, & illorum Ecclesiarum utilitatem cedat, ac pretium indè redigendum in alia bona stabilia, dictis Conventibus majoribus applicanda, & incorpoanda omninò, & unico contextu convertatur, Apostolica authoritate, tenore præsentium, licentiam, & facultatem impartimur.

Decernentes, præsentes litteras, & illarum vigore faciendas uniones, incorporationes, venditiones, permutationes, & alienationes, hujusmodi, si, & postquàm facta fuerint, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac eisdem Conventibus in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. record. Pauli II & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostra, de unionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, & Lateranens. Concil. novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, nec non Conventuum, & Ordinis prædictorum, & juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 23. Iunii 1633. Pontificat. nostri anno 10. (Locus sigilli.) M. Aurelius Maraldus.

Et refert *Laur. Peyr. tom. 3. privil. cap. 12. Additamen. ad Constitutionem Urb. VIII. constit.* 17. aliàs 24. pag. mihi 348. & *Lezana, ver. Monasteria.*

Quæst. 33. An dictum privilegium, conveniat omnibus aliis successoribus, Generalibus Ordinum?

1. Affirmativè dic, per ea, quæ dixi in *tract. de divisione privil. quæst.* 2. quia fuit concessum nomine Dignitatis; & Privilegium, tali modo concessum, est reale, & transit ad successores, ut clarè habetur in *cap. quoniam Abbas 14. de offic. & potest. Jud. Delegat.* & docent *Menoch de arbitr lib. 1. q. 68.* & *Nicol. Garzias de benefic. p. 6. cap. 2. nu. 29.* & *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 27. n. 6.*

2. Et potest prædictum Privilegium per successorem exequi, etiamsi non fuisset Prædecessori præsentatum, & debet habere effectum suum, etiam non expresso proprio nomine Patris Generalis, *Barbos. in Collectan. Doct. ad d. cap. quoniam, n. 2. in fin.* & extenditur ad omnes alios Regulares habentes communicationem Privilegiorum, gratiarum, vel beneficiorum; secùs autem si privilegium foret factum alicui Personæ, ejus nomine proprio priùs expresso: tunc enim esset personale, & cum persona extingueretur, etenim persona, & non officium contemplata censeretur, *Barbos.* cit. *loc. n.* 4.

Quæst. 34. Pater Generalis Ordinis, an possit hanc sibi delegatam authoritatem, aliis committere?

1. Respondeo ad quæsitum negativè, quia in prædicta *Bulla* censetur electa industria personæ, & colligitur ex illis verbis §. 2. *nos de tua fide, virtute, prudentia, & diligentia plurimùm in Domino confisi*, per quæ verba eligitur industria personæ, prout ex multis ostendit *Aloys. Ricc. par. 1. Decisionum Curiæ Archiepiscop. Neapol. decis.* 88. ubi latè agit de conjecturis, ex quibus videtur electa industria personæ.

2. Verùm, quoties electa est industria personæ, toties hujusmodi electus non potest subdelegare. *Capyc. decis. 151.* & *Barbos. in d. cap. quoniam, de offic. legati, num. 3.* & eo fortiùs, quando committitur grave negotium, uti est suppressio Conventuum, *Ricc.* cit. *loc. num. 6.*

3. Benè verum est, quod Pater Generalis, in casu, de quo agitur, poterit Patri Provinciali, vel alteri sui Ordinis, committere nudum ministerium, seu exequutionem sui judicii: hoc est, ut hunc, vel illum Conventum relinquat, ex quo sibi constit, utilem non esse, nec Religioni expedire: quæ quippè commissio non præjudicat Decisioni prædictæ, quia aliud est, subdelegare cum causæ cognitione, & aliud, nudum ministerium committere, *Peyr. in d. Const. Urb. VIII. tom. 3. cap. 12. nu. 1.*

4. Dixi, ex quo sibi constat, quia ante hanc commissionem faciendam, debet Patri Generali juridicè constare per testes, sub juramento examinandos, dictum Conventum relinquendum, esse in præsenti tenuem, & nullam existere spem, quod futurus sit aliquando pinguis, adeò, ut possit reduci ad formam Conventus, juxtà narrativam, cui inhæret Privilegium Domini Papæ: qualitas enim dans jurisdictionem, est omninò probanda; ut docent omnes *Juristæ*. Secùs Pater Generalis relinquens, vel transferens Monasteria, incideret in pœnas, appositas contrà alienantes bona Ecclesiæ; quandoquidem dicta conditione non purificata, nullum remanet Privilegium, & standum esset dispositioni juris communis, prout benè notat *Peyr.* cit. *loc. nu. 2. q. 2.*

Quæst.

Quæst. 35. Monasteria derelicta, an possint profanari, & à quo?

1. REspondeo, quod nullus locus sacer, potest commutari in usus prophanos, juxtà *regulam, semel Deo dicatum, non est ad usus humanos transferendum, 51. de regulis jur. in 6.* & est *Decisio Concilii* Calcedon. expressa in Canone, *quæ semel dedicata 41. causa 19. q. 3.*

2. Proindè regulariter, mutatio status Ecclesiæ, est jure prohibita, ex *cap. 2. de supplen. neglegen. Prælat.* etiam sub pœna excommunicationis, *Sylvester ver. Casus 8. & ver. excommunicatio 9. §. 85. & Gavant. in Manual. Episc. ver. Ecclesia nu. 18.*

3. Secùs autem, ex causa rationabili, ex *cap. unico, 10. q. 4. & cap. placuit, cap. Tribus, de consecratione, distin. 1. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 34. art. 1. conclus. 2.*

4. Dummodò nullatenus commutetur ad usus sordidos, ex *Conc. Trid. cap. 7. sess. 21. de reform. Ricc. decis. 254. nu. 3. par. 2. & Novar. decis. 145. num. 4.*

5. Hæc autem prophanatio, facienda est ab Episcopo loci, si Ecclesia sit consecrata, prout loquitur *d. Privilegium Urb. VIII.* incip. *cùm sicut Nobis nuper*, ibi *sic facta per Ordinarios Locorum, earum Ecclesiarum prophanatione.* Si verò sit tantùm benedicta, fieri potest à Prælato Regulari; quia sicut potest illas benedicere, ita in casu posito, poterit prophanare: nam res per easdem causas resolvitur, per quas constituitur, *Sylvest. ver. Eccles. 2. quæst. 5. & 7. Peyr. in d. Const. Urb. VIII. cap. 12. nu. 3. q. 3. Cesped. tract. de exemp. Regul. quoad. sacramentalia, dub. 156.*

6. Et debet fieri, juxtà praxim, & modum prophanandi, seu execrandi, quem ponit noster *Tabiena verb. Altare, num. 5. & Angelus num. 2.*

7. Et Prælati recusantes prophanare, possunt à suis Superioribus compelli, juxtà dispositionem *cap. nullus, de Jur. Patronatus*, & docet ex multis *Azor. tom. 2. Instit. Moral. lib. 9. cap. 3. quæst. 8.*

8. In qua Ecclesia, sic prophanata, an possint habitare Histriones, vel permitti Coquina, Stabulum, vel vini usus, aut similia, latè docet *Marc. Ant. Genuens. in Praxi Curiæ Archiep. Neapolit. cap. 54. fol. 173. & Riccius par. 2. decis. 54. num. 5.*

Quæst. 36. Regulares, an teneantur sua Loca deserere in manibus Ordinarii?

1. AFfirmat *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 34. art. 1. conclus. 2. in fin.* & se fundat in *d. privilegio Sixti IV.* quo fit facultas Generali Fratrum Minorum de Observantia, mutandi Loca, de uno Loco in alium commodiorem, ibi, *in manibus Ordinariorum Locorum liberè dimittendi, & illa licitè deserendi:* & refertur in *Compend. ver. ædificare §. 8. & §. 4.* alia referuntur *Privilegia*, quæ etiam habentur in *supplemento fol. 92. concess. 279. Barbosa lib. 2. de Jur. Eccles. cap. 12. nu. 67.*

2. Patres Dominicani hoc non habent in eorum *Mari magno*, sibi ab eod. *Sixto* concesso, nec in eorum *Constitutionibus* reperitur: nisi fortè dicas, quod casus omissus, remanet in dispositione juris communis.

3. Immò, oppositum colligitur ex privilegiis Monachorum, quæ etiam Mendicantes comprehendunt, per ea, quæ dixi *in tract. de communicat. & extens. privil.* & maximè, ex illo concesso per *Sixtum V.* Abbati Congregationis Sancti Benedicti Regnorum Portugalliæ, quod authenticum vidisse, refert *Rodr. tom. 2. de Regul. q. 49. ar. 4.* ibi *propria authoritate, Ordinariorum Locorum, vel cujusvis alterius licentia, minimè requisita, Tambur. tom. 3. de Jur. Abbat. disput. 5.*

4. Patres Minimi in eorum *Mari magno*, sibi concesso à *Julio II.* habent, ut possint vendere ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem Loca pertinentibus, præter Ecclesias, per Personas, ad hoc à Sede Apostolica deputatas, quas dictus *Peyrinus in §. 27.* dicit esse Conservatores Ordinum *nu. 78.* & se fundat in *§. 2. Constit. 4.* ejusdem *Pontific.*

5. Sed *Lezana ver. Monasteria, n. 44. Peyr. tom. 3. privileg. Addit. ad Constitutionem Urb. VIII. cap. 12. n. 4. q. 4.* cum distinctione respondent.

6. Quod, aut Monasteria sunt Regularibus concessa à Civitatibus, Communitatibus, vel Oppidis; aut ab Episcopis, & sic debent relinqui in manibus Ordinariorum, quia de jure communi, ad illos pertinet cura Ecclesiarum, & Locorum Piorum, existentium in Diœcesi; præsunt enim loco Domini Papæ, eò maximè, quandò Universitates gratis donant, absque ulla reservatione dominii; tunc enim censentur donare principaliter Deo, ejusque Vicesgerenti; proindè eorum dominium acquiritur Ecclesiæ Romanæ, *ex cap. exiit, qui seminat. de verbor. signific.*

7. Quod magis procedit, si Romanus Pontifex, bona Religiosorum penes se, vel sub se immediatè recipiat, prout fecit *Jul. 2. in dicto Mari Magno Minimorum*, ibi, *cùm ipsa priora, & alia loca Fratrum, ad Nos, & Apostolicam Sedem, specialiter, & immediatè pertinere noscantur:* quapropter Dominus Papa, de illis ad sui libitum disponit, ut constat ex tot privilegiis sibi concessis.

8. Aut Monasteria Regulares construxerunt ex propriis redditibus, vel eleemosynis, sibi factis, & sic non debent deseri in manibus Ordinariorum; quod intellige, de illis Religionibus, quæ sunt capaces dominii bonorum in communi; quia nullo jure cavetur, quod hujusmodi Religiosi, teneantur illa, quæ sua sunt, & ab ipsis justè acquisita, Ordinario tradere, sed secum ferre possunt illorum mobilia, & pretia stabilium, servata forma tot privilegiorum, *Rodr. tom. 3. q. 5. ar. 4.*

Quæst. 37. Si Monasteria sint Iuris Patronatus, & deserantur, an spectent ad eorundem Fundatores?

1. REsolve cum distinctione quæsitum, aut Fundatores, seu Patroni Monasteriorum, in contractu fundationis, seu Jurispatronatus retinuerunt sibi dominium illorum, in casu, quod Religiosi illa relinquerent; vel non? primo modo, absque dubio Loca derelicta spectant ad ipsos Fundatores, seu Patronos, quia lege naturali, & humana positiva, tenemur stare contractui; ex *cap. Antigonus, de pactis.*

2. Quod procedit, etiamsi pactum fuisset stipulatum à Prædecessoribus, quia successores tenentur stare pactis Priscorum, quod amplia, etiam ad Papam, saltem de congruentia, & æquitate, *Rodr. tom. 2. q. 49. artic. 7. in princ. Peyr. tom. 1. privileg. in constitut. 2. Jul. 2. §. 27. nu. 82.* & *Lezana* cit. *loc.* quæ fortè non procedunt in dotatione Ecclesiæ.

3. Secùs autem dicendum quoad secundum modum, quia censentur, in isto casu gratis donasse, adeò, ut Religiosi fiant, & sint illorum donatarii, proindè suæ Religioni quærentes, si eorum Religio sit capax dominii; quia quicquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit, & consequenter Loca non sunt derelinquenda in manibus Ordinariorum, ut dictum est suprà, sed remanent, juxtà dispositionem *privil. Rodr.* cit. *loc. ver. at pro contraria opinione*, vide *Mirand. in d. q. 34. art. 3. conclus. 2.* & adverte *privil. Urb. VIII.* suprapositum.

Quæst.

Quæst. 38. Laicus ex concessione Sedis Apostolicæ, an possit esse Patronus Monasterii Regularis?

1. Conclusio affirmativa censetur indubitata; nam Reges Hispaniarum, ex concessione Sanctæ Sedis sunt Patroni Monasteriorum Regularium, prout latè *Rodriquez tom. 2. Q Q. RR. q. 122. art. 3.* & *Lezana par. 2. summ. cap. 11. de Patronis Monasteriorum, nu. 17.* & *Navar. in cap. nullam, 18. q. 2. Camill de Curt. p. 1. divers. feud. c. 2. nu. 33. & seqq.*

2. Ad hoc autem, ut aliquis sit Patronus, seu ut habeat Jus patronatus in Monasteriis, vel Ecclesiis Regularium, requiritur, ut de suis propriis bonis fundet illud, vel amplict, vel sufficienter dotet: his enim tribus modis acquiritur Jus Patronatus. *Franciscus Leo in Thes. for. Ecclesiastici, par. 2. cap. 6. num. 25.* & *Barbosa de off. & potest. Episcopi, allegat. 70. n. 1.* & *Garzias de beneficiis, p. 5. c. 9.* Et habetur in *cap. Nobis, de Jure Patronatus.*

3. Patronus autem in Ecclesia Patronata multa potest, & præcipuè habet Jus præsentandi Rectorem, seu Capellanum: est enim Jus Patronatus potestas alicui concessa præsentandi, vel instituendi Rectorem in Regimen sui beneficii, ex quo illud fundavit, construxit, vel dotavit, & alia multa hujus generis, de quibus latè præcitati *Doctores.*

4. Advertendum tamen est, quod habentes Jus præsentandi, in Monasteriis Regularium, Abbates, Priores, Præpositos, Rectores, & alios Prælatos, non possunt præsentare Regulares alterius Ordinis: & tanto minùs, personas sæculares, *cap. cùm de beneficio 5. de præb. & dignit. in 6. Concil. Trid. sess. 14. c. 10. de refor. Navarr de Regularib. comment. 3. n. 2. Rrdriq. to. 2. quæst. regul. q. 123. ar. 4. Garz. de benef. p. 7. c. 10. n. 14. Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 21. nu. 2. & Jodochus Loricius in Thesauro Theologiæ, to. 1. in verb. Beneficium, n. 4. vers. Propositio nona, fol. 411.*

Quæst. 39. Regulares an possint sua loca deserta, iterùm reaccipere sine licentia Episcopi?

1. Et quidem, Regulares posse sua Loca spontè deserta, iterùm reassumere, absque licentia Episcopi, & sine aliis solemnitatibus, à *Clem. VIII.* præscriptis, docet *Rodr. tom. 2. q. 49. art. 9. & Lud. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 35. art. 5. conclus. 1.*

2. Et horum fundamentum est, quia dicta *Clementina* loquitur de Conventibus, noviter erigendis, quod autem Regulares reaccipiant, seu reassumant eorum antiquum Monasterium, spontè desertum, non est de novo ædificare.

3. *Flavius* autem *Cherubinus in comp. Bull. in constit. 99. Clem. 8.* incip. *quoniam ad institutam, in Scholio.* 2. contrarium fatetur, ea ratione ductus, *quia Conventus, de quo loquuntur nova Decreta, non debet intelligi, quoad materiam, seu quoad fabricam, seu quoad Religiosorum in unum cohabitationem, quæ proculdubio de novo rediens, potest aliis Regularibus esse detrimento, in quo facit vim ista Constitutio Clem. VIII.* hæc ille.

4. Huic favet *Laur. Peyr. in 2. tom privil. Minim. in Constit. 6. Gregor. XV. nu. 1.* ubi eadem repetit: sed *Lezana* cum distinctione resolvit *ver. Monasteria, num. 46. in fin.* ibi *Aut in ista recuperatione Monasterii, novum detrimentum contingit fieri aliis Monasteriis, & sic debent observari omnes solemnitates, ad præscriptum Bullæ Clem. VIII. & Decret. Gregor. XV.*

5. *Aut nullum nocumentum infertur, & sic non videtur requiri licentiam Episcopi, nec alias solemnitates, quia ex vi prioris fundationis, superatum videtur jam hoc inconveniens, & acquisitum Jus Regularibus illorum Monasteriorum.*

6. Ego autem dico, quod si hæc dimissio fuit ritè facta, adeò, ut Monasterium reperiatur incorporatum Juribus Episcoporum Loci, vel aliis Religiosis concessum pro usu, & habitatione illorum, utique debent observari *Decreta* & solemnitates prædictæ: etenim in tali casu Monasterium desiit esse de dominio, & proprietate illorum Religiosorum, qui illud dimiserunt, & censetur alteri juridicè acquisitum, quo nequeunt possessores inviti spoliari.

Quæst. 40. Regulares exempti, an possint ædificare in loco exempto, sine consensu Ordinarii?

1. Negativè deciditur in *Conc. Trid sess. 25. de Regul. cap. 3. in fine, & in cap. authoritate, de Privilegiis, in 6.* ibi *inhibemus insuper, ne in locis, etiam exemptis, hoc ipsi exempti facere audeant; nisi super his licentiam, vel privilegium habeant Sedis Apostolicæ,* & *Glos. ibidem* rationem assignat, ubi etiam notat, quod nomine Ordinarii venit ille, qui habet in Loco jurisdictionem Episcopalem super Laicos, & Clericos, prout habet Episcopus in sua Diœcesi, quamvis non exerceat Pontificalia, ut sunt PP. Dominicani in Terra Balnearia superioris Calabriæ.

Quæst. 41. Si Regulares exempti ædificent sua Monasteria in Loco exempto, sine Licentia Episcopi, an totum acquiratur Episcopo, cum fructibus, & juribus suis?

1. Affirmat *Riccius decis. 168. nu. 3. par. 4.* multis citatis, & se fundat in *d. cap. authoritate, de privil. in 6. & in cap. cùm olim, eod. tit. in antiquis,* ubi ait, *multos expendere, Pontificem Innocentium III. in fine pronunciasse, Monasterium exemptum esse, & liberum à jurisdictione, & obedientia Episcoporum, ex privilegiis concessis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis, & tamen Ecclesias in Leiriensi Castro, & aliis locis fundatas, sine Episcopi Colombriensis assensu, ejusdem Episcopi, & suæ Ecclesiæ jussu esse revocandas:* cui etiam favet *Novar. in practicab. novi Juris Pontific. conclus. 1. aliàs 10. nu. 3.*

2. Sed *Cespedes in tract. de exempt. Regul.* quoad *Monast. ædifican. dub 17 n. 4.* putat, hos *Doctores* sese fallere, tùm quia, si Locus ædificii est exemptus à Jurisdictione, & obedientia Episcopi, & Regulares ædificantes, sunt pariter exempti, à quo nascitur, ut Episcopus possit illos cogere, & Loca erecta sibi avocare? tùm etiam, quia in illo cit. *cap.* nullum verbum reperitur, quod hoc dicat, proindè est interpretatio capitosa.

3. Benè verum judico, quod Ordinarius Loci, sivè sit Episcopus, sivè alius, ubi viderit, Loca erigi in suo districtu, sine sua legitima licentia, poterit inhibere, ne incepta ultrà extollantur, vel ut erecta demoliantur, aut Ecclesiæ Fortias, vel Januas occludere, ne ibidem Divina celebrentur, usque dum fuerit Sancta Sedes consulta, & contra illos, qui sine licentia erexerunt, procedere, invocato etiam super hoc brachio Judicis sæcularis, si opus sit, & intrepidè jubere, ut Sanctissimum Sacramentum, cum debita reverentia consumetur, & Fratres contradictores insuper carcerare, & ad suos Superiores mittere, *Leyva Venerus lib. 6. cap. 10. nu. 11.* sui *Examinis & Csped. dub. 25. n. 7.*

§:†:§

Quæst.

Quæst. 42. Monasterium, quod non potest construi in Loco electo per Testatorem: an alibi construendum sit de licentia Episcopi, & Executoris testamenti?

1. Didacus Covarruvias affirmat in *to. 1. de testam. cap. 3. nu. 9. fol.* mihi 36. *colum.* 2. ibi *tertiò ex eodem. cap. adnotandum est testatore mandante, Monasterium construi in certo Loco, ubi construi demùm non possit; arbitrio Executoris, & Episcopi alibi construendum esse:* quod ibidem notant Doctores, & sequitur *Emanuel Rodriquez tom. 2. de Regul. q. 125. art. 10.* & *Miranda tom. 1. Manual. q. 33. art. 7.*

2. Et colligitur ex *textu* insigni in *c. Nos quidem, de Testamentis l. legatum, ff. de usufruct. legat.* ubi pecunia legata Civitati, ad spectaculum, quod in ea fieri minimè licebat; adhibito hæredum consilio, & Primorum Civitatis, in aliam rem jubetur converti.

3. Et est decisio in *auth. de Eccles. tit. §. si quis in nomine Magni Dei, collat.* 10. ubi si testator aliquem è Sanctis hæredem instituerit, aut legatum ei reliquerit, ejusque Sancti nullum Oratorium in ea urbe, nec in eo Territorio inveniatur, legatum debetur Ecclesiæ Civitatis, in qua Testator domicilium habet: quem *textum* commendant graves *Authores*, quos, ubi suprà *Covarr.* allegat.

4. Dixi, de consensu Episcopi, tum quia ipse de jure est executor ultimarum voluntatum, maximè ad pias causas, tùm etiam, quia sine ejus voluntate, in ejus Diœcesi nequeunt erigi nova Monasteria, ut dictum est suprà.

Quæst. 43. Legatum relictum pro ædificatione Hospitalis, an possit commutari pro constructione Monasterii, de licentia Episcopi, & voluntate Executoris?

1. Hujus solutio pendet ex illa; an meliùs sit, & Deo acceptiùs, ædificare Monasterium, quàm Hospitale? & per ea, quæ dixi hic suprà q. 6. definitur affirmativè, quo supposito, clara est decisio per vulgatam Juris Regulam, qua dicitur; quod plus semper continet, quod est minus, & habetur in *cap. scriptura, de voto,* ibi, *Reus fracti voti aliquatenùs non habetur, qui temporale obsequium, in perpetuam noscitur Religionis observantiam commutare.*

2. Bene verum est, quod *Cardinalis in cap. nos quidem, de testamentis,* & *Lambertinus in tract. de jur. patronatus lib. 1. q. 4. art. 14.* & alii plures tenent contrarium, ex quo oppositum præsupponunt, nempè, quod Hospitale, acceptiùs sit Deo.

3. Proindè utraque opinio censetur probabilis, *Cesped. cit. loc. dub.* 18. sed vide *Petrum de Ubaldis, in tract. de Canonicis, Episcopis, & Parochianis.*

Quæst. 44. Episcopus, an possit mutare Ecclesiam Regularem in Sæcularem?

1. Negativè *Azorius par. 2. lib. 5. cap. 30. q. 2.* tùm quia, Ecclesiæ Regularium sunt exemptæ à jurisdictione Episcopi, & subsunt immediatè protectioni Sedis Apostolicæ, & Domini Papæ, tùm etiam, quia mutatio Status Ecclesiæ, est de jure prohibita, ex *cap. 2. de supplend. negligent. Prælat.*

2. Quod amplia, procedere, etiamsi hæc mutatio fieret de consensu Regularium; quia ipsi non possunt renunciare suis Privilegiis, quæ nedùm respiciunt eorum favores; verùm etiam, & Sanctæ Sedis Apostolicæ.

3. Benè verum est, quod deficientibus Mendicantibus, in eorum Ecclesiis, poterit Episcopus Loci ponere alios Religiosos Monachos, strictioris observantiæ, aut alios saltem Clericos Regulares; prout sibi visum fuerit magis expedire. *Moneta de mutat. Status Ecclesiarum cap. 11. in tract. de commutationibu ultimarum voluntatum.*

Quæst. 45. An Episcopus ex se solo, non expectato consensu sui Capituli, possit dare Regularibus Ecclesias derelictas?

1. Quidam affirmativè respondent, ex *cap. omnes Basilicæ, 16. quæst. 7.* ibi *omnes Basilicæ, quæ per diversa Loca constructa sunt, vel quotidiè construuntur, placuit, secundùm Priorum Canonum Regulam, ut in eius Episcopi potestate consistant, in cujus territorio posita sunt.* Quibus in verbis nulla fit mentio de Consensu Capituli, immò si exigeretur consensus Capituli, non diceretur esse in potestate Episcopi. Idipsum videtur colligi ex *cap. Conquerenti, de offic. Ordinarii,* & ex *cap. consultationibus, de donat.*

2. Sed tutiùs & meliùs erit, expectare consensum Capituli, & est *decisio Rotæ*, quam refert per extensum *Rubeus decis. 590. num. 8. 9. & 10.*

3. Benè verum est, quod super donatione facta per solum Episcopum, debet impetrari beneplacitum Apostolicum, ne Posteri dicant de læsione Ecclesiæ, & conquærantur de consensu Capituli non habito, quod beneplacitum Apostolicum super hoc impetratum, gerit vicem omnium aliarum solemnitatum, quæ fortè super hoc desiderarentur, prout docet *Abbas conf. 41. nu. 3. lib. 1.*

4. Proindè beneplacitum Apostolicum excludit, seu supplet consensum Capituli, quod si absit, exigitur consensus Capituli, aliàs donatarii non erunt sine molestia.

Quæst. 46. An Laici sine licentia Episcopi, possint Regularibus suas Ecclesias concedere?

1. Negativè deciditur in *cap. in Lateranensi, de præbend. & dignit.* ibi *noscitur fuisse prohibitum, ne quilibet Regulares Ecclesias, seu Decimas, sine Episcoporum consensu, de manu Laici præsumant accipere:* Idipsum habetur in *cap. cùm Apostolica, de his, quæ fiunt à Prælatis,* & *cap. Pastoralis, de Donat.* & magis clarè in *cap. nullus, de Jure Patronatus,* ibi *nullus laicus decimas, aut Ecclesias, aut quidquid Ecclesiastici juris est, sine concessione sui Pontificis Monasteriis, vel Canonicis conferant.*

2. Quod limitat *Glos. in d. cap. nullus*, in Ecclesia Patronata, putat enim, laicum posse dare Religiosis Jus Patronatus suum, sine licentia Episcopi: sed in hoc sunt observandæ conditiones, in fundatione positæ, quæ etiam, per Dominum Episcopum loci, debent ad unguem practicari.

Quæst. 47. Conventiones, & Pacta inita in fundatione nova Domus, inter Regulares, & Prælatos, Rectores, aliasque Personas Ecclesiasticas, si sint contra eorundem Privilegia; an teneant, & sint observanda à Posteris?

1. Hæc quæstio est frequens in usu: etenim Fratres fundatores nostri Conventus Civitatis Styli superioris Calabriæ, ex quo pro constructione Monasterii, ibidem facienda, indigebant quodam Casaleno, spectante (ut ferebatur) ad Patres Carthusianos Sancti Stephani, pro consecutione ejusdem Casaleni, non curarunt in illo tempore cum prædictis Patribus, quædam inire pacta (licet præjudicialia nobis, & loci Ordinario) quorum Primum, ut Imago Sancti Brunonis appingeretur in fronte Januæ Domus prædictæ.

2. Se-

2. Secundum, ut nostra Ecclesia visitaretur per eosdem Carthusianos. Tertium, ut per eosdem in eadem nostra Ecclesia instituerentur nostri Confessarii, ad hoc, ut ibidem possint laicorum confessiones excipere. Quartum, ut Prior dicti nostri Conventus, in die Sancti Brunonis, teneretur adire Oppidum dicti sancti Stephani, & inter Missarum solemnia, in Ecclesia Carthusianorum unam candelam offerre in signum dominii, quod in Casaleno concesso prætendebant habere.

3. Patres Minimi in Terra Altimontis, ad se cavendum à Capuccinorum molestiis, quibus impediebantur suum Monasterium in dicta Terra construere, cum illis sunt pacti, ostiatim non quærere; & alibi alii pacti sunt, Episcopo Loci subesse, etsi ex Privilegiis forent exempti: alii convenerunt, Defunctorum cadavera non posse recipere, quamvis haberent liberam sepulturam: Item & alii sub hoc pacto fundarunt, ut mortuorum corpora, si fortè in eorum Ecclesiis forent tumulanda, priùs deportarentur cum omni pompa in Ecclesiam Matricem, ad hoc, ut ibidem recipiant ultimum vale, & remaneant candelæ; & sic de aliis.

4. Quæ omnia de jure communi affirmativè deciduntur in *cap.* 1. *de Pactis*; quia Pacta licita, & honesta, sunt omnino servanda.

5. Secùs autem de hujusmodi Pactis dicendum est ex Privilegio.

6. *Alexander* enim *IV.* irritavit, ac nullius existere firmitatis decrevit, omnes conventiones, obligationes, compositiones, & pacta, quæ Fratres Minores, etiamsi sint Guardiani, vel Custodes, fecerint contra prædicti Ordinis statuta, vel consuetudines, absque Generalis, vel Ministrorum Provincialium licentia, & assensu. Et habetur in *lib.* 2. *Privil. Ordin. concess.* 17.

7. *Honorius IV.* decrevit, irrita, & inania pacta quæcunque, quæ Fratres Minores (etiamsi sint Ministri Provinciales) in receptionibus Locorum, & Domorum ejusdem Ordinis, cum Prælatis, Rectoribus, & Clericis Ecclesiasticorum, in quorum territorio, Domus, & Loca prædicta consistunt (si absque licentia Generalis Magistri, vel Capituli Generalis) inire præsumpserint, in præjudicium dicti Ordinis, & habetur in cit. *loc.* & per extensum refert *Cæsarub. in Comp. Privil. Minor. verb. Conventiones.*

8. Benè verum est, quòd *Bonifacius VIII.* revocavit prædictas *Constitutiones*, prout latè, & expressè habetur in *Decretal. tit.* 8. *de pactis, in* 6. *cap.* 3. *incip. quia ex eo, quòd Fratres Prædicatores, & Minores, & alii Mendicantes, &c.*

9. Nihilominus fuerunt postea revalidatæ motu proprio, & ex certa scientia per *Sixtum IV.* & de novo concessæ, prout testatur idem *Collector* cit. *loc.* & *Rodr. de Regul. tom.* 1. *q.* 27. *art.* 3. referens propria verba *Sixti*, & habentur in *lib. Monumenta Ordinum.*

10. Nec nocet, quod *Leo X. in Conc. Lateranensi* statuit, quòd pacta, & conventiones inter Fratres præfatos, ac Curatos, pro tempore inita, valeant, nisi per subsecutum Capitulum proximum Generale, vel Provinciale refutata, & per eos refutatio hujusmodi intimata, debito tempore fuerit. *Cæsarub.* cit. *loc.*

11. Tum, quia idem *Leo* postea revalidavit omnia Privilegia Regularium, etiam pro foro exteriori, per quandam *Constitutionem*, concessam nostratibus, quam refert idem *Cæsarub. in d. compendio, verb. Communicatio Privilegiorum, num.* 20. cum derogatione omnium contrariorum: ibi, *non obstantibus quibuscunque Apostolicis suspensionibus, revocationibus, & restrictionibus, sive Constitutionibus, Ordinationibus, nec non in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis specialibus*: quam concessionem admiratur *Collector*, & dicit, non reperiri æqualem in *fin. d. num.* 20.

12. Tum etiam, quia *Julius II.* die 29. Martii, 1507. annullavit hujusmodi pacta, & voluit, non valere, nec tenere: nisi fuerint ratificata, & acceptata in Generali Capitulo, coram Magistro Ordinis, prout constat ex sua *Constitutione*, incip. *Aliàs Venerabilem Fratrem, in* §. 3. quam per extensum refert, *ibique* multa colligit *Peyrin. tom.* 1. *Privilegiorum, Constit.* 4. ejusdem Pontificis, & *Joann. Baptista Confectius in collect. privil. Jul.* 2. *fol.* mihi 95.

13. Tum item, quia Privilegia Mendicantium fuerunt sæpiùs confirmata à *Sixto V.* anno Domini 1587. die verò 3. Octobris, ut ex ejus *Bulla*, quam refert per extensum *Rodr.* in suo *Bull. in Sixto V. Bulla* ejus 14. Item fuerunt confirmata à *Pio V.* à *Clem. VIII.* & similibus, ut ostendunt *Confect. in summario privil. sacr. Ordin. Mendic. tit.* 10. *de pactis Regularium cum personis extra ordinem initis cap.* 1. *pag.* mihi 316. *Peyr. in Const.* 4. *Jul.* 2. *num.* 10. & egomet dixi suprà *de Privil. in tract. de Confirmat. Privilegiorum.*

14. Tum item, quia Privilegia sunt confirmata cum illa clausula: *Dummodò Decretis Sacri Conc. Trid. non sint contraria*, quæ exceptio firmat Regulam.

15. Et certum est, quòd hoc Privilegium, de quo agitur, non adversatur *decretis d. Conc. Trident.* ergo nullatenus timendum est, quòd pacta inita ubilibet, & quomodocunque per Regulares, contra eorum statuta, aut Privilegia, consuetudines Ordinum, & similia, pro nihilo reputantur; nisi sint per Generale Capitulum confirmata, ut Egomet tunc Provincialis obtinui coram Illustrissimo Nuncio Neap. contra jam dictos Patres Carthusianos, ad beneficium nostri Conventus Civitatis Styli.

16. Hinc Praxis inolevit, procurare, ut hujusmodi pacta confirmentur à Rom. Pont. cum Clausula derogatoria Privilegiorum Mendicantium, ne contra illa opponatur, quòd Regulares sunt exempti, & quòd eorum bona, & personæ sunt immediatè subjectæ Domino Papæ, cui non possunt præjudicare, nec Religioni præjudicium inferre, prout latè *Cokier tom.* 2. *de Jurisdict. in exemptos, part.* 2. *q.* 123. & notat *Cesped. cap.* 1. *de ædific. Monast. dub.* 22.

***

TRACTATUS SECUNDUS,

DE PRIVILEGIIS MONASTERII.

Quæst. 1. An Monasteriis nondum erectis possit Privilegium concedi?

DIxi suprà *de Privilegiis, tract. 5. quæst. 5.*

Quæst. 2. Privilegium concessum alicui Monasterio, an duret, destructo dicto Monasterio?

DIxi, ubi suprà *de Privilegiis, tract. 5. quæst. 7.*

Quæst. 3. Monasterium unitum alteri, an deperdat Privilegia, quæ priùs habebat?

DIxi *ibidem quæst. 8.*

Quæst. 4. Monasterium, an habeat beneficium restitutionis in integrum?

1. QUòd Ecclesia habeat beneficium restitutionis in integrum, non est disputandum. Gaudet enim Privilegiis Minorum, Pupillorum, & miserabilium Personarum, quorum unum est id, de quo agitur.

2. Sed quæstio esse solet, an Ecclesia post elapsum quadriennium, numerandum à tempore sententiæ, potiatur tali Privilegio? & deciditur in *cap. Ecclesia, 1. de restu. in integrum, in 6.* ubi *Glosa* de re latè loquitur: An pariter Ecclesia restituatur contra confessionem, qua fuit læsa? *cap. si adversus, 2. eod. tit.* An item admittatur adversus præscriptionem centum annorum? an contrà enormem, vel levem, ac modicam læsionem? *Genuens. in Practicab. Eccles. q. 124. & 125.* & *Novar. in tract. de Privileg. miserabil. Person. Privileg. 63.* ubi latè tractat, an petitio restitutionis in integrum, impediat executionem sententiæ, *cap. suscitata, eod. tit. in 6.*

Quæst. 5. Legatum factum Monasterio construendo, an debeatur cum fructibus medii temporis?

1. AFfirmativè *Genuens.* in suis *Practicabilibus, q. 248.* & habetur in *l. si ità relictum, §. Pegasus, ff. de legat. 2.* ubi dicitur, quòd si relinquitur prædium, in certum diem, utpotè post decem annos, vel cùm legatarius erit pubes, debetur prædium cum fructibus medii temporis, si dies fuit apposita, favore legatarii, & non hæredis.

2. Sed in casu posito, dies fuit apposita, favore Monasterii; quia si foret constructum tempore testamenti, testator reliquisset de præsenti, & non in diem, ut colligitur ex *textu cap. Nos quidem, de testamentis,* ubi relictum Ecclesiæ construendæ, debetur sine diminutione, *Abbas, & Cardin. Zabar. in d. cap.* vide *Stephanum Gratianum discept. forens. tom. 2. cap. 358.* quia ibi multa dicit, de legatis factis Ecclesiis; & quomodo possint, & debeant recuperari.

Quæst. 6. Monasterium, an habeat Privilegium fori, & Exemptionis à Gabellis, & Immunitatis, pro confugientibus ad illud?

1. ET respondeo affirmativè regulariter, ut de Privilegio fori, est *text. in Auth. causa, C. de Episc. & Cleric. cap. quàm sit necessarium, 18. quæst. 2. D. Consil. Carleval. tom. 1. de Judic. disput. 2. n. 405.* De Privilegio exemptionis à Gabellis, probat *text. in l. Sancimus, C. de Sacros. Eccles. cap. non minus 4. & c. adversus 7. de Immunitate Ecclesiar. cap. quamvis 4. de censib. in 6.* latissimè DD. his locis *Anton. Quesada lib. var. quæstion. q. 4. Carleval. disput. 2. num. 324.* Et de Privilegio Immunitatis, pro confugientibus, loquitur *text. in leg. præsenti, C. de his, qui ad Eccles. confugiunt, cap. inter alia 6. de Immunitat. Eccles. Quesada q. 1. D. Reg. Sanfelic. decis. 240.* cum *trib. seqq.* & *decis. 330.* ad quos pro latiori prædictorum explicatione me remitto.

Quæst. 7. Privilegium concessum alicui Religioni, ædificandi Monasteria, absque licentia Episcopi, an amittatur per non usum decennii?

1. DIxi suprà *de amission. Privilegiorum, q. 6.* & latè *Barbosa de off. & potest. Episcopi, p. 2. allegat. 56. num. 10. Miranda p. 1. Manualis, q. 33. art. 3. Rodriq. de Regul. tom. 2. q. 49. art. 8. Novar. in praxi novi jur. Pontificii, conclus. 1.* aliàs 10. *num. 11.* & nuper *Cespedes tract. de exempt. in tit. de Monasteriis ædificandis, dub. 11.*

Ex quibus collige, quòd Privilegium per non usum amittitur, & tollitur in odium negligentiæ, quæ non potest cadere, nec considerari in eo, qui est impeditus, vel caret occasione utendi Privilegio.

2. Quod amplia in privilegio remuneratorio, de quo latè dixi suprà *part. 1. tract. 13. de usu Privil. q. 9.*

Quæst. 8. Monasterium ausu temerario infringentes, aut violenter opprimentes, an sint ipso facto excommunicati?

1. AFfirmativè dic, ex Privilegio *Clem. IV.* concesso Minoribus, quo excommunicantur ipso facto, hujusmodi exercentes; à qua excommunicatione nequeunt absolvi, nisi per Sanctam Sedem, aut Conservatores ejusdem Ordinis; *Casarubius in Comp. Privil. Mendicantium, verb. Monasteria, num. 2.* simile Privilegium in specie, habent pariter Dominicani, sibi concessi ab eodem *Clem. IV.* & *Bonif. IX.* quæ refert *Confectius in collect. litter. Apostol. in Clem. IV. Bull. 6.* & in *Bonifac. IX. bull. 1.* super quibus vide, quæ notant *Lezana, ver. Monasteria, num. 24. Sylvester ver. excomm. 7. cas. 8. & Rodr. tom. 2. q. 39. art. 2.*

Quæst. 9. Monasterium, an possit compellere vicinos ad vendendum sibi Domus contiguas, pro sui constructione, vel ampliatione necessarias?

1. COmmunis decisio est affirmativa, & colligitur manifestè ex *l. si quis sepulchrum, ff. de Relig. & sumpt. funer.* ubi deciditur, quòd si habens sepulchrum, non habeat viam ad illud, potest vicinus à Judice compelli,

compelli, ut soluto pretio, ei iter præstet. Facit etiam ad hoc, *text. l. locum, ff. de usufructu l. 2. §. si usumfructum de Relig. & sumpt. funer.* & *text. l. 1. C. de communi serv. manumiss.* quæ jura ad idem tendunt. Etenim favore libertatis, compellitur socius vendere partem suam, quam in servo habet.

2. Proinde, Testatore jubente, Ecclesiam construi in Loco communi, socius cogendus est, justo pretio partem vendere, *Bald. in d. l. 1.* Item ex *text. l. si Locus, §. cùm via publica, ff. quemadmodum servitus amittatur*, ubi si via publica, fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet, ob publicam utilitatem, saltem pretio mediante.

3. Ita à pari, favore Religionis, & ob publicam utilitatem, & decorem Reipublicæ, quæ resultaret ex constructo, vel construendo Monasterio, vicinus cogitur vendere domum suam, soluto priùs pretio.

4. Et additur, quòd fabrica, & ornamenta Ecclesiæ pertinent ad Divinum cultum, *cap. fin. de testam.* Cultus autem Dei præferendus est cuivis publicæ utilitati temporali, sive matrimonii, sive observationis ultimæ voluntatis, ut in *§. sed & hoc præsenti in authen. de Sanctiss. Episc. l. Sancimus, C. de sacros. Eccles.*

Ergo multò magis præferri debet utilitati privatæ.

5. Nec est, qui dubitet, quòd utilitas publica, debeat præferri privatæ, *authen. res, quæ, C. communia, de legat. in fin.* nec quòd utilitas suprema publica, ut est Dei cultus, præferenda sit utilitati publicæ temporali: *authen. multò magis, C. de sacrosanctis Eccles.* & alia hujus generis eleganter expendit *Marc. Ant. Genuens. in practicab. Eccles. q. 242.*

6. Et ita decisum refert *Afflict. in Proœmio Constitutionum Regni, q. 3.* in facti contingentia, in favorem Monasterii Divi Hieronymi, *Thomas Gramm. decis. 75.* in favorem Monasterii Monialium Reginæ Cæli Neapolis, *Vincentius de Franchis decis. 223. Covarr. lib. 3. var. resolut. cap. 14. num. 7.* & quamplures alii, quos allegat *Joann. Baptista Thor in comp. decis. Regni Neap. tom. 1. ver. Vicinus, & tom. 3. part. 3. eodem ver. Vicinus, & Aloysius Ricc. collect. 75.* & in *Praxi 1. part. resolut. 423. & p. 3. resolut. 557. & in Decis. Curiæ Archiep. Neap. par. 1. decis. 10. & decis. 138. & 147. Novar. in praxi miserab. person. privil. 6. Illustrissimus Episcopus D. Carol. Maranta par. 2. respons. 28.* & longa manu multa transcurrit, *Tamburr. tom. 3. de jure Abbat. disput. 5. q. 1. Marta de jurisdictione, part. 4. cent. 2. casu 71. & Molina de justitia, tract. 2. disp. 341.*

7. Quod procedit, etiam pro ædificando Claustro, vel Scholis Monasterii: quia sunt ejus partes; & Privilegium totius, est Privilegium partium, *Francis. Marcus decis. 534. num. 5.*

8. Item locum habet in ampliatione Atrii Ecclesiæ, *Tapia in pragm. 3. de Monial. vel Monasteriis, Riccius d. 3. par. prax.* Item, in ampliatione Capellæ, vel Oratorii, quia Ecclesiæ Privilegium extenditur ad ejus Capellas, quæ sunt partes ejusdem: Item, in ampliatione Viridarii Monasterii, prout decisum refert ad beneficium Monialium Papiæ, *Marius Ant. var. resolut. lib. 1. resolut. ultim. cas. 29.*

9. Item, pro fundanda Ecclesia Juris Patronatus, *Paulus de Cittadinis de Jure Patronatus, par. 3. q. 33.* & similium Piorum Locorum, ut in præcitatis *Doctoribus.*

10. Nec dices cum *Covarr. cit. loc.* quòd his obstet illa communis Regula, quòd nemo invitus cogitur rem propriam vendere, ex *l. invitum, C. de contrahend. empt. l. nec emere, C. de jur. dolib. l. invitos, C. locati*, quia *de Franchis, Genuens. & Riccius*, cum allegatis dicunt, in casu publicæ utilitatis, maximè spiritualis, vel necessitatis, aut favore Religionis, prædictam Regulam non habere locum.

11. Nihilominus limita Decisionem præfatam principalem, non procedere, si ampliatio petatur ad complacentiam alicujus Tertii, prout limitat *Vincentius de Franchis cit. loc. num. 7. in fin. & Guido Papa decis. 411.* cum aliis supracitatis.

12. Benè verum est, quòd vicini compellendi sunt ad vendendum Monasterio, juris, & facti remediis opportunis, mediante justo appretio, coram Judice competente, ità ut cogantur vendere: etenim coactio est actus jurisdictionis, quam quis habet in suum subditum, & juxtà *Regulam, Actor sequitur forum Rei.*

13. An autem vicini possint cogi ad vendendum pro ampliando circuitu Monasterii, affirmat *Riccius part. 4. decis. 68. num. 8. in fine*, dummodò circuitus, de quo agitur, non sit excessivus, nec factus ad æmulationem, sed necessarius, & moderatus.

Quæst. 10. Privilegium, quo vicinus compellitur vendere pro ampliatione Ecclesiæ, an habeat locum in locatione?

1. NEgativè *Riccius 1. part. decis. 10.* ubi in facti contingentia refert, ita fuisse decisum in Curia Archiep. Neap. in causa quorundam Sacerdotum, prætendentium cogere quendam ad sibi locandum quandam Domum, sitam propè Ecclesiam pro majori commoditate administrandi Sacramenta populo.

2. Et hoc ideo, quia jura compellendi vicinum ad vendendum, pro construenda, vel ampliand Ecclesia, loquuntur tantùm de venditione, non autem de locatione; & locatio ad breve tempus, non potest dici alienatio, *Decius cons. 14. vol. 1.*

3. Immò prohibitus alienare, non censetur prohibitus, ad breve tempus locare, *Ricc. ibid.* qui *num. 3.* citat *Abbat. in cap. Eccles. Sanctæ Mariæ, n. 9. ut lit. pend. in c. vestra, n. 5. de locat. & in c. nulli, n. 12. de reb. Eccles. non alien.* quia locatio ad modicum tempus, non dicitur alienatio, ut dixi: & additur, quòd respectu eorum, qui debent compelli ad vendendum, hoc Privilegium censetur odiosum, proinde, in eorum præjudicium non debet extendi ad non expressa.

Quæst. 11. An vicinus possit cogi ad vendendum pro construendo, vel ampliando Hospitio Religiosorum Mendicantium?

1. REspondeo affirmativè; tum, quia Hospitium Religiosorum, est Locus Sacer, & Ecclesiasticus, *cap. ad hæc, & cap. de Xenodochiis, de Religiosis Domibus*; tum etiam, quia æquipollet Monasterio; quandoquidem fuit (ut supponitur) authoritate Episcopi fundatum, habet Ecclesiam conjunctam, in qua celebrantur Divina, pulsantur Campanæ, audiuntur Confessiones utriusque sexus Christi-Fidelium, Mortui tumulantur, & similia peraguntur, ut in aliis Ecclesiis, quibus omninò correspondet, & ab illis solo nomine differt: quo ergò Jure privabitur hujusmodi Privilegio, quod convenit omni Pio Loco? *Rocchus de Curte in tract. de Jure Patronatus, num. 19. Antonius Padilla in l. Altius, num. 21. C. de servit.* & alii, quos allegat *Cespedes in tract. de exempt. Regul. quoad Monast. edificat. dub. 19. num. 3.* & nimis doctè, & eruditè Illustrissimus Episcopus *D. Carolus Maranta controvers. p. 2. respons. 28. num. 17. & sequentibus*; quippe qui in hac re est omninò videndus.

2. Nec obstat, quòd dicatur Hospitium; nomina enim ponuntur ad placitum, & est quid extrinsecum: debet autem attendi substantia rei, & id, quod est intrinsecum, juxtà *text. in l. 2. §. sed si sint hæredes*, ibi, *nudum nomen,*

nomen, ff. ad Tertullian. &c. & notat *Rota Rom. in Recent. p.2. tom.1. decis.254.* & colligitur ex *cap. non dubium, 5. de sent. excomm. ibique Felin. num.2.* ubi habet, nihil officere nominum diversitatem, quibus Religiosi nuncupantur: quandoquidem res potiùs debet attendi, quàm vocabula, ex *Canon. humanæ aures, 21. 22. quæst. 5.*

3. Nec officit *Riccius in 1. p. decis.138.* ubi contrarium refert fuisse decisum in Curia Archiepiscop. Neapol. contra Patres Dominicanos, commorantes in Conventu S. Mariæ de Salute, extra Portam Regalem, spectante ad Provinciam Calabriæ.

4. Hi quidem, etiam ex *Brevi Apostolico Pauli V.* fundarunt Domum prædictam pro Hospitio Patrum Provinciæ Calabriæ, sumptibus ejusdem, qui ob loci angustiam, & Religiosorum copiam, coacti sunt, infrà breve tempus insimul habitare, contra decorem, & usum dictæ Religionis; proinde comparuerunt in Curia prædicta, petendo, quandam Religiosam cogi ad vendendum sibi quandam Domum contiguam, pro Hospitii ampliatione: tum, quia dictus *D. Episcopus Carol. Maranta d. respons.28. num.41. in fin.* satis dolet de dicta decisione. ibi, *putavère Judices, Hospitii nomen dilatationem non admittere:* & subjungit, *& mirum quid accidit, & quasi miraculum à Deo, quod qui se opposuère Patrum petitioni, omnes brevi extincti, humanæ naturæ debitum persolvere.* hæc *ille*; qui fuit nostrorum Patrum in hac causa Advocatus.

5. Tum etiam, quia ampliatio prædicta fortè petebatur ad complacentiam alicujus, aut censebatur immoderata, aut non necessaria, *Guido Papa decis. 411. & de Franchis decis.223. num.7. & Joann. Baptista Thorus tom. 3. p. 3. Compendii decis. Neap. ver. Vicinus.*

6. Sed de his, quidquid sit, hodie prædicta Domus reperitur erecta in Prioratum, & singulari Dei beneficio ampliata. Vivit enim cum magno decore, non ultima inter observantias Regulares.

Quæst. 12. Aedificia Sæcularium, an possint erigi propè Conventus Virorum, vel Fœminarum; vel erecta debeant deprimi, vel in altum extolli, absque fenestris, ne Fratres aut Moniales videantur in suo Claustro, vel Viridario?

1. CErtum est, quòd Sæculares prohibentur erigere excelsas Domus, propè Monasteria Religiosorum, vel Fœminarum, ne videant facta Fratrum, aut Sororum, *Lezana ver. Monasteria, n.23.*

2. Immò fundata, debent destrui, si servitutem inducant; *Portellus in dub. Regul. ver. Monast. num.12.* ubi fatetur, se audivisse à quodam Judice Supremi Senatus Olysipone, mandasse Regem, ibi dirui, vel claudi januam sæcularis domus, ex qua Religiosi Tertiarii ejusdem Urbis, intra Conventum videbantur, & inquietabantur.

3. Hinc vicinus potest cogi ad vendendum servitutem altiùs non tollendi, etiam via publica intermedia, *Covar. var. resolut. cap.14. verb. est & tertius, Guido Papa decis.411.* & plures alii, quos sequitur *Riccius 1. part. decis. 128. num. 3.*

4. Aut ad extollendum parietem, ne habeatur aspectus ad Monasterium, prout ex *Regia Pragmatica 2. sub tit. de Monialibus*, prohibente aspectum suprà Monasteria, & notat *Vincent. de Franchis, decis. 223. Capiblancus in Pragm. 1. num. 176. de Baron. Tapia in Pragm. 3. de Monialibus, num.1.* ubi refert, ita fuisse decisum inter Moniales Sancti Andreæ, cum Barone Galeota, *Thor. in Compend. decis. Neapol. tom.1. ver. Vicinus,* & *Novar. forens. 1. part. q.1. D. Reg. Rovit. decis. 92.* & doctissimus *Ill. Marchio D. Reg. Capyc. Latro, decis. 157. lib.2.*

5. Quod amplia, procedere etiam respectu Conventuum; adeò, ut novus Conventus nequeat ædificari propè alios Conventus, si præexistens Monasterium molestetur per novam erectionem, *Rodr. addit. ad summ. tom.3. cap.145. num.3.* pro quo citat *textus*, & allegat *Doctores* non paucos.

6. Nec obstat Regula, quòd Privilegiatus contra pariter Privilegiatum, non utitur suò Privilegio, quia hoc fallit, per ea multa, quæ dixi suprà *tract.7. de Privilegiis, q.19.* & signanter, quando unus Privilegiatorum est Privilegiatus in actu, ut est ille Conventus, qui actualiter molestatur, & patitur damnum, & aliter in potentia, ut est ille, qui potest molestari, aut damnum pati.

Quæst. 13. Monasterium unius Ordinis, an possit ædificari prope aliud alterius: maximè infra spatium centum quadraginta cannarum?

1. PAtres Dominicani ex Privilegio sibi concesso à *Clem. IV.* sub anno Domini 1265. 12. kal. Decembris, habent, ut nullus ex Ordinibus, in paupertate fundatis, ædificare possit propè eorum Ecclesias adtrecentas cannas octo palmorum; prout patet ex *Constit.* ejusdem Pontificis, incip. *Ad consequendam gloriam cælestis Patriæ*, quam habes in *Bull.* nostri Ordinis, *fol.* [illegible] & in *Bull. Cherub. pag.113.* ibi, *nulli liceat amodò de Minorum Pœnitentiæ Jesu Christi, Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, Haremitarum S. Augustini, Sanctæ Claræ, aliisque Ordinibus, in paupertate fundatis, nullique Mulierum prædictis, seu quibuslibet aliis Ordinibus, aliquod Monasterium, Ecclesiam, vel Oratorium ædificare, seu construere, nullique Sæculari, vel Religioso, cujuscunque Professionis, Ecclesiam, vel Monasterium, seu Oratorium jam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra spatium trecentarum cannarum, à Vestris Ecclesiis mensurandarum per aerem etiam, ubi aliàs rectè mensurari, Loci dispositio non permittit:* & ibi, *& quamlibet cannarum ipsarum octo palmorum longitudinem continere, non obstantibus varia Locorum consuetudine, sive Privilegiis, &c.* hæc *ibi.*

2. Fratres Minores hoc ipsum (solo nomine mutato) habent ab eod. *Clem. IV.* & per extensum refert *Joan. Baptista Confect. in Collect. litt. Apostol. & Privileg. Regul. Mendic. in Bulla 1. Clem. IV. pag.* mihi 11. Collector *Cherub. ver. ædificare, §.1. Emanuel. Rodr. tom.2. q.49. art.1. Miranda* in suo *Manuali Prælat. q.33. art.4. Hieron. Rodr. in Comp. Q.Q. RR. resolut.55. num.5. & Laur. Portellus in Dub. Regul. verb. Monast.*

3. Sed idem *Clemens IV.* pro Fratribus Prædicatoribus, moderavit, ac restrinxit præfatum spatium trecentarum cannarum, ad spatium centum quadraginta; prout liquet ex sua *Constitut.* quæ incipit, *Quia plerunque in futurorum eventibus, sic humani fallitur incertitudo judicii, &c.* & refert per extensum *Confectus* cit. *loc. pag.12.*

4. *Bonifacius IX.* Pontifex, sub anno Domini 1402. sua *Constit.* quæ incipit, *Sacra Religionis, &c.* quam habes in nostris *Privilegiis, fol.94.* prædictam reductionem confirmavit, & ad beneficium nostri Ordinis id ipsum ordinavit. ibi, *& quòd nulli de Ordine Mendicantium juxta Ecclesias, vel Oratoria dictorum Fratrum Prædicatorum, ubilibet constituta, Ecclesias, vel Oratoria alia infrà centum, & quadraginta cannarum spatium construere, vel construi facere, aut constructa recipere possint, aut habeant, seu quoquo modo præsumant, &c. Festus in summ.* nostrarum *Constitutionum de Domib. concedend. cap. 12.*

5. Patres Augustiniani idipsum habent à *Bonifac. VIII. Constitut.* incip. *Ad consequendam gloriam, &c.* quam

quam per extensum refert *Rodr.tom.1. Collect. Bull. Apostol.Bull.7.* ejusdem Pontif.*fol.53.*

6. *Julius II.* sub anno Domini 1509. sua *Constit.* incip. *Exponi nobis fecisti*, declaravit, prædictam reductionem *Clem. IV.* & aliorum subsequentium Pontificum, non obstare Fratribus Minoribus de Observantia, quinimmò eisdem de novo concessit *primum Privilegium Clem. IV. de non ædificando Monasterio propè sua infrà tercentum cannas*, quam refert *Confectius* cit. *loc. Bull.2.Jul.pag.94.* & *Casarub. verb.ædificare.num.9. fol.* mihi 215.

7. Idem *Julius II.* sub eodem anno, sua *Constitutione*, incip. *Piis, & Honestis, &c.* quam per extensum refert *Laur.Peyr. tom.1. Privil. Minim. Constitut.* 7. ejusdem Pontif. concessit Fratribus Minimis, ut possent sumere Conventus, non distantes ab aliis per centum quadraginta cannas, prout ex §.3. *d.Constit.*

8. *Sixtus IV.* anno Domini 1474. prohibuit, ut non solùm Fratres Mendicantes, verùm etiam & alii quicunque Religiosi, vel Ecclesiasticæ Personæ, utriusque sexus, propè Domos Fratrum Ordinis de Monte Carmelo novas Ecclesias, & Loca construere, vel aliàs de novo recipere, & habere possint infrà spatium centum quadraginta cannarum, per aerem mensurandarum, ubi aliàs per terram commodè mensurari non possent, & refert per extensum *Rodr.d.tom.2.q.49.art.5.*

9. *Urbanus IV.* Cisterciensibus concessit, ut nulla ædificia intrà unum milliare ab Abbatiis, & ejus Locis, sub excommunicatione erigi possint. *Casarub.* cit. *loc.* & habetur *in lib.* attitulato, *Monumenta Ordinum*, ut in *Concessionibus* dicti Ordinis, *in* §. *final.*

10. *Innocent. IV.* statuit ad beneficium Carthusianorum, ut nulli Religioso liceat quodlibet ædificium construere, vel possessiones acquirere infrà dimidiam leucam, prout *Collector in Comp.* & *Rodr. ubi suprà*, & *Lezana ver.Monast.num.* 19.

11. Patres Jesuitæ, ex *Privilegio* incip. *Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, qui Charitas est, &c.* quod habes in *Bull. Cherub.fol.* 406. sibi concesso à *Papa Gregorio XIII.* sub anno Domini 1573. possunt ædificare infrà dictum spatium centum quadraginta cannarum, quod item sibi priùs fuit concessum à *Paulo IV.* die 13. Aprilis, 1561. prout habetur in *lib. Privil. Societatis*, Romæ impresso anno Domini 1583. *pag.* 73. & notat *Flavius Cherub.in 2.tom. Compend.Bullar. Bulla* 39. *d. Greg.* XIII. *fol.* 92. & *Marcellus Megalius tom.* 1. *resolut.* 76. *num.* 4. & 7.

12. Verùm enimverò, quia prædicta Privilegia, ex quo fortè non erant in usu, vel quia non poterant uno modo servari, vel quia non omnia communia, aut quia *Decretis Conc.Trid.* videbantur adversari: *Clemens* VIII. anno Domini 1603. ad unum Præscriptum omnia reduxit, prohibuitque, ne de cætero erigantur Conventus, sine licentia Episcopi, quippe, qui nec illam possit concedere: nisi vocatis vocandis, & adimpletis adimplendis, juxta formam à se præscriptam, & per extensum suprà positam in præcedenti *Tractatu* : quibus adde *Decreta* Sacræ Congregationis, edita jussu *Greg.XV.* & *Urb.* VIII. ut in *d. tract.* jacent: quæ hodie sunt omnino executioni mandanda, Privilegiis quibuscunque non obstantibus.

***Quæst.* 14. An prædicta Privilegia sint hodie inutilia, ex quo, ob Decreta adducta, Conventus nequeunt erigi; nisi de consensu Priorum Loci, ac etiam aliorum Convicinorum, quod est majus spatium, quàm illud, quod conceditur per prædicta Privilegia?**

1. NEgativè dic , tum, quia poterunt interdum utilia esse, si quando prædicta *Decreta* Sacr. Congreg. & *Constitutiones* prædictæ desinant obligare; tum etiam, quia in casu arbitramenti faciendi ab Episcopo, juxta *Decreta* Sacr. Congreg. sub *Gregorio XV.* edita, poterint habere aliqualem effectum. *Lezana ver. Monast. num.* 20.

***Quæst.* 15. An dicta Privilegia, respectu distantiæ centum quadraginta cannarum, sint in usu Neapoli, aliisque magnis Civitatibus?**

1. SOrbus *Capuccinus in annotationibus ad Compendium Privilegiorum Mendicantium, ver. ædificare*, §. 1. ait, quòd Neapoli, & in quampluribus aliis Civitatibus, practica est in contrarium, cùm multa talium Regularium Monasteria, reperiantur esse ædificata, & quotidie ædificari vicinissimè; adeò, ut non videantur esse in usu, cùm his supradictis non obstantibus privilegiis fuerit contrarium pluries à Sede Apostolica decisum: cui favet *Peyr.tom.1.Privil.in Constit.7.Jul.2.* §.1.*num.1.* & *Portellus ver. Monast. num.* 2.

2. Sed contrarium est omninò dicendum, tum, quia prædicta *Privilegia* loquuntur indefinitè, & in eis nulla reperitur exceptio, tum etiam, quia hoc expressè reperitur decisum in *Decret.* Sacr. Congr. editis sub *Gregorio XV. in* §.3. ibi, *in quacunque Civitate, vel Oppido, seu quocunque alio loco, non erigantur, nisi, &c.* Tum item, quia Sacra Congregatio in facti contingentia, totum oppositum determinavit: cùm enim Neapoli vellent Presbyteri sæculares sancti Caroli Borromæi, transferre suam Ecclesiam, propè Ecclesiam Dominicanorum, & Theatinorum, prohibiti sunt id facere à Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, die 16. Februarii, 1643. infrà spatium 140. cannarum, prout notat *Lezana ver. Monast.num.20.in med.*

3. Sic pariter nuper lite ortâ inter Nos, & Fratres Carmelitas Discalceatos Sauon. qui prætendebant, propè Loca nostra ædificare , fuit Romæ 14. Decembris, 1645. à Sacr. Congreg. decisum, ut recederent, prout per extensum authenticè refert idem *Peyr.* in suo *formul. litt. Z.cap.3. append.5.* & habes hìc suprà in *tract.1. q.26. ver. Et Sacra Congregatio.*

4. Hinc est, quòd quando Regulares super hoc reclamant, & sua Privilegia ostendunt, benè audiuntur, prout nuper Neapoli vidi, observari in nova erectione Conventus Eremitarum Sancti Augustini, Congregationis Sanctæ Mariæ Colloreti, ex quo cœperunt erigere in Burgo Sancti Antonii (ut prætendebatur) propè Theatinos, Capuccinos, & alios, de quibus dixi in præced. *tract. q.27.* & 28.

5. Nec dices, quòd Privilegia conquassantur inter æqualiter Privilegiatos, quia hoc fallit multipliciter, ut dixi *hic* suprà *q.* 9. vide *Confect. in Summ. Mater. Privil. Ordin.Mendic.tit.18.cap.1.de Ecclesiis, Domibus, & Locis, per Regulares recipiendis, fol.* mihi 373.

***Quæst.* 16. An in Monasteriis, tam Virorum, quàm Fœminarum sit præfigendus certus numerus Religiosorum?**

1. QUòd certus numerus Religiosorum Regularium sit constituendus in quovis Monasterio, colligitur ex *Concilio Arelatensi*, & habetur expressè in *cap.* 1. *de Institutionibus, tit.*7. ibi, *non ampliùs suscipiantur in Monasterio Monachorum, aut Clericorum, seu etiam Puellarum , quàm quot se regere possint de bonis Ecclesiæ, absque penuria*, in quo verbo *Glosa ibidem* multa notat.

2. Hoc ipsum reperitur decisum *in cap. unico, de Statu Regularium*, in quo *Bonifacius Papa* VIII. approbavit Decretum irritans, ut ex §. *sanè*, ibi, *districtiùs inhibemus*,

bemus, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium, aliqua recipiantur de cætero in Sorores; nisi quot poterunt, de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus, absque penuria sustentari; si secùs actum fuerit, irritum decernentes, hæc ibi.

3. Pro quorum faciliori intelligentia, non erit inutile expendere cap. 9. de Constit. quod incipit, Cùm M. Ferrariensis.

Sacrum Concil. Trid. idem voluit in cap. 3. sess. 25. de Regul. ibi, in prædictis autem Monasteriis, & Domibus, tam Virorum, quàm Mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus: is tantùm numerus constituatur, ac inposterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

4. Pius IV. præfatis inhærendo, sub anno Domini 1566. 4. Kal. Junii, Constit. VIII. in Bull. Cherub. pag. mihi 184. infrà Bullas ejusdem, incip. Circa Pastoralis officii, &c. idipsum sancivit; ibi, & ne propter Monialium numerum excessivum, clausuræ observatio violetur, inhærentes etiam similiter dispositioni d. Constitutionis Bonifacii, & Conc. Trident. Decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis, districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in eorum Monasteriis recipiant, & admittant, sive recipi, & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint.

5. Gregorius Tertiusdecimus de anno 1572. tertio Kalend. Januarii, anno primo sui Pont. sua Constit. 13. in d. Bull. Cherub. incip. Deo sacris Virginibus, &c. injunxit Ordinariis, ut præfatum numerum statuant in Monasteriis sibi subjectis, & etiam exemptis, ibi, donec numerus Monialium, etiam Tertiariarum hujusmodi (quem per ipsos Locorum Ordinarios, etiam in Monasteriis, ab eorum cura, & regimine quomodocunque exemptis, cum illorum Superiorum interventu, stabiliri, & ordinari; neque supra illum numerum aliàs recipi posse, etiam de consensu suorum Superiorum, volumus, & mandamus, &c.)

6. Clem. VIII in Decretis de Reformat. Regularium, quæ incipiunt, Nullus omninò, & refert per extensum Peyr. tom. 2. Privil. fol. 557. §. 31. & habentur in 4. tom. Bullarum, inter Bullas Vrb VIII. post Decreta Sacr. Congreg. Conc. pag mihi 775. §. 14. & ex Stephano Quaranta verb. Monasteria, & Conventus, pag. mihi 320. ibi in unoquoque Conventu Fratrum, is tantùm deinceps constituatur, & inposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis. vel etiam singulorum eleemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis, commodè possit sustentari.

7. Et in Institutionibus super receptione, & educatione Novitiorum idem Clemens in sua Constit. quæ incipit, Cùm ad Regularem, ibi, porrò, ne loca unius Monasterii, seu Cõventus ab alio præoccupentur; Capituli Generalis, aut Provincialis partes erunt, numerum præscribere.

8. Et in Decreto ejusdem Clementis, quod incipit, Sanctissimus in Christo Pater, ubi in fine dicti Decreti, hoc totum præsupposuit, pœnas intulit contra Superiores, secùs Novitios, ad habitum admittentes, ibi, vel ultrà numerum, in eorum singulis præscriptum receperint, vel admiserint.

9. Paulus V. pro certo numero Religiosorum, cuicunque Monasterio præfigendo sub hac forma decrevit.

Sanctissimus in Christo Pater, & D N. D Paulus, divina Providentia Papa V. Dum ex plurimis, iisque gravissimis Decretis, quæ fel. recor. Clem. VIII. ad Regularem disciplinam restituendam, & augendam condidit, illud maximi momenti esse animadvertit, quod à Sacro Conc. Trident multò ante cautum etiam fuerat, ut is tantùm Religiosorum hominum numerus in singulis Monasteriis, Conventibus, & Domibus Regularibus constitueretur, qui vel propriis redditibus, & obventionibus, vel consuetis emolumentis, ac eleemosynis ali commodè possent; magnamque fortassè observantiæ Regularis jacturam indè factam esse, quod Ordinum Superiores illud exequi nimium distulerunt, ut hoc etiam adhibito remedio, hujusmodi incommodo prospiceret, aditumque iis Prælatis Regularium præcluderet, qui plures ad suam Religionem admittentes, quàm Monasteriorum, & Conventuum census, eleemosynæ, & qualitates ferant, non levem subditis vitæ claustralis relaxandæ occasionem præbere videntur, decrevit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute præcipit, & mandat omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, & Domorum, quovis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Institutorum, tam Monachorum, quàm Mendicantium, & non Mendicantium Regularium quorumcunque, existentium intrà fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Monachis, Patribusve sui Ordinis, vel Congregationis, probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus Personis Religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum diversorum habita ratione, diligenter, ac maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere, eaque omnia scripto fideliter exarata idem Superior, cujus interest in primo Capitulo, seu Congregatione Provinciali, coram tribus Iudicibus, ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, ac oneribus, ut superiùs detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta Regionis, & proprii Instituti morem, victum, & vestitum, in communi habentes, competenter valeant sustentari; Tum eorundem bonorum, redditnum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Congregationi, Capitulove Provinciali exhibeant, ut in illo diligenter, omnibus discussis, cuicunque familiæ Conventus, Monasterii, & Domus Regularis, quorumcumque nomine nuncupatæ, in singula quaque Provincia certus, certorum tantùm Personarum numerus, communi Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint. Necnon Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs, quàm par est muneri suo satisfaciant, mandavit, ac mandat Sanctitas sua, ut infrà annum, à die dati præsentis Decreti computandum, omnia hæc de genere Capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Congregationem Reformationis Apostolicæ singuli mittant, numerumque familiæ singulorum Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, vel Congregationis Provincialis sententia, & authoritate præfinitum, iidem Superiores Ordinum, Congregationum, & Institutorum, quorumcunque, tam Generales, & Provinciales, quàm Locales omnes perpetuò servare omninò teneantur, eos autem Superiores, cujuscunque status, gradus, & conditionis existant, qui prædicta omnia, præfixo termino non præstiterint, vel numerum hujusmodi præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activa, & passivæ, ac ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam, eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus, ad Sanctitatis

ctitatis Suæ, & Successorum suorum arbitrium infligendis pœnis subjacere voluit, & declaravit. Vult prætereà Sanctitas Sua per hoc Decretum ejusdem Congregationis Reformationis Apostolicæ Secretarii manu subscriptum, consuetisque Almæ Vrbis locis affixum, & publicatum, omnes, & singulos Ordinum Regularium Superiores, ad quos spectat, perinde affici, ac si fuisset cuilibet personaliter intimatum, non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, Privilegiis, Statutis, Indultis nec non aliis contrariis, quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, die 4. Decembris 1605. Pontificatus ejusdem S.D.N. Anno Primo. Anton. Seneca Refor. Apostolica secr.

Et refert per extensum *Stephanus Quaranta in summ. Bull. verb Monaster. & Conven fol.* mihi 334. & noster *Castellinus in Addit. ad tractatum de elect fol.* 502.

10. *Vrbanus VIII.* sub anno 1625. prædicta omnia approbavit, & praxim docuit constituendi Religiosos in omni Domo Regulari, ut constat ex sua *Constitutione* 40. inter ejus *Bullas tom.* 4. *Cherub. pag.* mihi 314 quæ incipit, *Cùm sæpè contingat*, ubi habentur *Decreta de Celebratione Missarum*, §. 10. ibi, *Postremò Illustrißimi Patres non sine gravi animi dolore, intelligentes mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fovent, in oneribus Missarum suprà vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosyna cujuscunque Monasterii: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacr. Tridentini Concilii Decretis, hac de reeditis, S. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant, omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium cujuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti, existentium intrà fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, vel tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis aßignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverant absorbere.*

§. 11. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali, coram tribus Iudicibus, ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus, ut suprà detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis Servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo Regulari, juxta Religionis, & propris Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in commune habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redditNum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter, omnibus discußis, cujusque familiæ Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis, in singula quaque Provincia, certus earum tantùm Personarum numerus, Patrum Capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali poßint.

§. 12. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, segniùs, aut remißiùs, quàm par est, suo muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infrà annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.

§. 13. Numerumque Familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quàm Locales, perpetuò servare omninò teneantur, nec poßint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditNum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint vel numerum, ut suprà præscriptum, quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ ac paßivæ & ad omnia, quæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam, eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis Sacra Congregatio subjacere voluit, & declaravit. hæc ibi.

Quæst. 17. Ius antiquum Cap. unic. de Statu Regul. in 6. & Ius novum cap. 3. Concil. Trid. seß. 25. de Regul. quoad præfixionem numeri Religiosorum, penes quid differant?

1. RESpondet *Glossa in d. c. unic. ver. irritum, Sanchez lib. 7. in Decal. cap. 23. num. 2. Barbosa de off. & potest. Episc. p. 3. allegat. 98. num. 2.* & magis clarè in *Collect. Doctorum super d. cap. 3. Conc. Trid. num. 17. & Aloys. Ricc. p. 4. decis. 219. num. 2.* quòd hæc respectu numeri præfigendi in quolibet Monasterio, se habent, sicut excedens, & excessum: etenim in *d. cap. unic. §. sanè*, reddebatur irrita Professio Monialis receptæ in Monasterio non Mendicantium, ultrà eas, quæ ex redditibus Monasterii, & consuetis eleemosynis sustentari possent; at reliqua nova *Decreta* non irritant Professionem.

2. Item, *d. cap. unic.* loquitur de Monialibus limitatè, nempe de Ordine Monachorum, non autem de Monialibus Ordinis Mendicantium, nec de Viris, ut advertit *Glos. in eod. cap.*

3. Sed nova Jura loquuntur illimitatè, hoc est, tam de Masculis, quàm de Fœminis, cujusvis sint Ordinis, vel Instituti: Item, in illo Jure dicebatur, absque penuria; in his autem additur, commodè, vel competenter, quæ inter se satis differunt, ut patet ex supradictis, & ex his, quæ immediatè dico.

Quæst. 18. Alimentari absque penuria, commodè, aut competenter, quid sit?

1. GLossa in *d. cap. unic. §. sanè, vers. absque penuria, de Statu Regular. in 6.* quam *ibidem* sequuntur *Joan. Andr. Archidiacon. Dominic.* & alii plures, dicit, quòd in commoditate vivendi, inspicitur consuetudo Regionis, & qualitas Personæ: & quòd penuria, ex vi vocabuli, in se claudit egestatem, indigentiam, & defectum necessariorum: adeò, ut vivere, absque penuria, idem sit, quòd vitam ducens, non cogatur mendicare: Illa autem particula *Competenter*, idem significat, quod mediocriter, vel ut par est, vel sufficienter, ex *Calepino, verb. competenter*, ex quibus obiter dictis facilè poteris intelligere Jus antiquum, & novum *Concil. Trid.* Illud enim dicit, absque penuria, hoc autem, commodè; sic pariter *Paul. V.* quod est fateri, tot debere esse redditus, & eleemosynas ordinarias Monasterii, quæ victum, & vestitum, juxtà consuetudinem Loci, & Personarũ qualitatem,

tatem, tribuant Religiosis in Conventu commorantibus.

2. Verùm in *Decreto* Sac. Cong. edito jussu *Greg. XV.* non reperitur apposita illa dictio, *Commodè*, ad significandum, quòd dicta Sacra Congregatio, non intendebat obligare Regulares, ad non erigenda Monasteria, nisi in iis locis, in quibus commodè possent duodecim Fratres sustentari; sed illi sufficiebat, quòd possent ibi in primo ingressu, utcunque, hoc est, sine penuria sustentari, adeò, quòd ibidem non necessitentur, victum, & vestitum mendicare, cum eorum indecentia; aut Religiosorum munia prætermittere, prout notat *Sanchez in d. lib. 7. Decal. cap. 23. n. 2. & Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. Pyrrhi, num. 29.* quod magis patet ex *Decreto* Sacr. Congreg. Conc. sub *Urb. VIII.* edito, ubi dicitur in §. 8. quòd non sumantur in posterum Conventus, in quibus competenter sustentari non valeant, ad præscriptum *Decreti Greg. XV.* duodecim Fratres, quod hodie servatur in Praxi.

Quæst. 19. An ubi hæc Præfixio facta est in vim Decreti Pauli V. absque tamen computatione redditunm cujusque Religiosi: sit de novo facienda?

1. SAcra Congregatio respondit affirmativè; servatâ tamen formâ ultimi *Decreti*: & habetur in *tom. 4. Bull. Cherub.* inter *Bullas Urb.* VIII. in dubiis ortis super *Decretis de Celebrat. Miss. dub. 17.* super *septimo* ejusdem Sacræ Congreg. *Decreto, fol. 318. col. 2.*

Quæst. 20. Novitii admissi ad habitum Regularem suprà numerum præfixum Monasterii, ob quod ibidem alimentari non possunt; an possint validè profiteri?

1. AFfirmativè dic, tum, quia nova Jura non invalidant Professionem, & corrigunt antiqua: tum etiam, quia Jus antiquum *cap. unic. de Stat. Regularium in 6.* etsi habeat Decretum irritans, tamen non loquitur de Masculis, nec de Mendicantibus; tum item, quia sic Sacr. Congreg. Cardinal. declaravit de anno 1626. hujusmodi Novitios ad habitum Regularem admissos, posse admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut suprà præfixione numeri, commodè ali non possunt, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis collocandos esse, ubi commodè ali possint, prout refert *Barbosa* in sua *Collectanea ad d. cap. Conc. Trid. num. 26.* & habetur in 4. *tom. Bull. Cherub.* inter *Constitutiones Urb. VIII. fol. 319. in responsione ad dubium decimum octavum, factum super Decretis de Celebrat. Missarum.*

Quæst. 21. Decretum præfigendi numerum juxtà facultatem redditium: an habeat locum in PP. Capuccinis, & PP. Societatis Iesu, qui onera Missarum non recipiunt?

1. AFfirmativè, Sacra Congregatio *Conc. Trid. in responsione ad decimum nonum dubium ei factum in Decretis de Celebratione Missarum,* ut in *tom. 4. Bull. Cherub. pag.* mihi 319.

2. Nec dices, quòd hi onera Missarum non recipiunt: quia debet præfigi numerus, habito respectu ad consuetas eleemosynas, juxta seriem, & tenorem *Decretorum.*

Quæst. 22. Monasterium, in quo nequeunt duodecim Fratres competenter sustentari, an possit de novo erigi?

1. SAcra Congregatio *Conc. Trid. in d. Decretis de Celebrat. Missarum,* editis sub *Urb.* VIII. die 21. Junii, 1625. in §. 14. negativè respondet, sub hac forma verborum:

Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut suprà detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum Decreti fel. mem. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthàc recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut suprà, sustentari atque inhabitare non potuerunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii Loci Visitationi, Correctioni, atque omnimodæ Iurisdictioni, subjecta esse intelligantur. Hæc ibi.

Quæst. 23. Quid infertur per illa verba, quòd Loca Regularium, erecta contra formam d. Decreti, remaneant subjecta Ordinarii Loci Visitationi, Correctioni, atque omnimodæ Iurisdictioni?

1. REspondet *Lezana ver. Episcopus quoad Regulares, num. 6.* quòd hæc omnimoda Jurisdictio, Visitatio, & Correctio, intelligitur solùm quoad Ecclesiasticas Disciplinas, in quibus subsunt alii Clerici sæculares Ordinariis Locorum: secùs autem quoad observantias Regulares, quia quoad Regularia Instituta, quæ sunt ea, quæ spectant ad Regulam, quam professi sunt, tenentur ex vi voti obedire Regularium Prælatis, & constat ex *cap. nullus Religiosus, de elect. in 6.* & docet *D. Thomas 2. sentent. distinct. 44. in fine, & Sylvest. ver. obedientia, q. 8.*

2. Quod in facti contingentia Sacra Congregatio declaravit coram Illustrissimo *Domino Coccino,* de anno 1604. in causa, & Jurisdictione, quam Archiepiscopus Loci Ordinarius prætendebat habere in Monachos, Ecclesiæ Cathedralis Montis Realis, *Lezana* cit. *loc. n. 16.* & latè *Barbosa allegat. 105. n. 77.*

3. Quæ quippe Visitatio, & Correctio non debet esse contrà, nec suprà Religiosorum Regulam, nec cum gravamine, aut expensis Monasterii, juxtà *Constit. Leon. X. 26. §. 3.* ut benè notat *Henriquez lib. 7. de Indulg. cap. 15. num. 11. & 12. Tambur. tit. 1. de Jur. Abbat. disput. 15. quæst. 7. num. 47.*

4. Nec fieri debet quoad propria Regulæ, & Regularia Instituta, sive interventu Prælati Regularis, vel alterius Personæ idoneæ ejusdem Ordinis, cui etiam bonum erit committere propria illius Status, juxtà dispositionem *cap. quanto, de offic. Judic. ordin. & d. cap. nullus Relig. de elect. in 6.* & docet ex multis *D. August. Barbosa de offic. & potest. Episcopi, allegat. 105. num. 77. ver. Verùm in his, quæ ad Regulam pertinent.*

5. Ex quibus collige, quòd Regulares exempti, in casu posito, præter propria Regulæ, amittunt Privilegia exemptionis, & remanent subjecti Episcopo Loci, sicut cæteri Clerici Regulares.

* * *
* *

Quæst. 24. Cui magis hi Religiosi teneantur obedire, Episcopo Loci, an Prælato sui Ordinis; maximè si diversa præcipiant?

1. RЕspondeo, quoad ea, quæ pertinent ad propriam Regulam, tenentur ex voto magis Prælato Regulari, quàm alteri obedire; quia huic, ut supponitur, non promiserunt obedire: quò verò ad Ecclesiasticam Disciplinam, magis tenentur Episcopo Loci.

Quæst. 25. Monialis sufficienter dotata, an possit admitti suprà numerum præfixum Monasterii, non obstante cap. unic. de Statu Regul. in 6.?

1. NAvarr. *de redditibus Eccles. quæst. 1. mon. 62. Suar. de Relig. tract. 3. lib. 4. cap. 9. num. 17. Sanchez* latè in *d. lib. 7. Decalog. cap. 23. num. 4. & Barbosa in d. cap. 3. Trid. n. 27. & in d. allegat. 98. num. 9.* respondent affirmativè, & advertunt, quòd *Decretum* irritans *d. cap. unic. de Stat. Regul.* hodie non habet locum, & contraria consuetudine dicunt esse abrogatum: cùm compertum sit, plures sæpè admitti, nec unquam nostris temporibus auditum est, in controversiam verti valorem Professionis, nedum illam irritari, cui etiam favet, multis citatis *Tamburr. de Jur. Abbatissarum disput. 5. quæst. 1.*

Quæst. 26. Puellæ, causa educationis, an possint admitti in Monasterio Monialium, non obstante earundem numero præfixo?

1. AFfirmativè dic, ex *Decreto* Sac. Cong. edito die ult. Augusti, 1575. quod per extensum refert *Barbosa in d. allegat. 98. n. 10.* dummodò aliunde habeant victui necessaria, & servent conditiones, in *Decreto* expressas.

Quæst. 27. Numerus Monialium, à quo sit præfigendus in Monasteriis earundem?

1. REspondeo, quòd Ordinarii Locorum, sub pœna peccati mortalis, ad præscriptum præfatorum *Decretorum,* tenentur præfigere numerum Monialium, etiam in Monasteriis exemptis; cum interventu tamen Superiorum illarum, ut constat ex *Constitut. Greg. XIII.* incip. *Deo sacris, &c.* de qua *Riccius in decis. 219. num. 3. part. 4. & Barbosa in d. allegat. 98. n. 3.*

2. An autem hæc præfixio fiat potestate ordinaria, vel delegata, idem *Riccius part. 2. Praxis aur. resolut. 202.* & quoad peccatum mortale colligitur ex eadem *Constit.* ibi, *super quo Ordinariorum conscientiam oneramus,* quæ verba habent vim obligandi sub peccato mortali.

Quæst. 28. Superiores Regulares, quovis modo augentes præfinitum numerum Religiosorum Monasterii: an teneantur solvere pœnas, sibi appositas, sine prævia sententia declaratoria facti?

1. REspondeo, quòd quamvis pœnæ Superiorum præsumentium, quoquo modo augere numerum præfixum Monasteriis, sint latæ sententiæ, & censeantur graves, uti sunt privationes officiorum, dignitatum, vocis activæ, & passivæ, aut perpetua inhabilitas ad beneficia, & similia, ut constat ex §. 13. *d. Decret. Concilii, de Celebrat. Missarum.*

2. Nihilominùs non incurruntur, nisi ex præsumptione, quæ includit dolum, & temeritatem, ut constat ex illo verbo, *præsumpserit.*

3. Nec debentur solvi in foro fori, ante Judicis declaratoriam facti criminis.

4. Quod manifestè procedit in pœnis latæ sententiæ positivis, quæ nempe privant culpatum re sua corporali, ad sui executionem; requirunt factum hominis, seu actum physicum positivum; ut patet in spoliatione bonorum, *Sanchez lib. 2. Decal. cap. 22. n. 8.*

5. Item, & in pœnis latæ sententiæ privativis, maximè si sint graves, ut sunt illæ, quæ privant Jure quæsito, vel naturali, vel civili, aut Ecclesiastico, ceu est pœna infamiæ, privatio vocis activæ, & passivæ, inhabilitas ad beneficia, vel officia, requiritur pariter prævia sententia declaratoria, ob ea multa, quæ dico infrà, & docet *Navarr. de dat. & prom. num. 31. Sanchez de matrimonio, lib. 9. disput. 30. num. 1. & lib. 2. ad Decal. cap. 39. num ult. Castell. de elect. can. prælud. 1. §. 6. num. 20.* & alii plures, quibus subscribit *P. Carol. Ant. Thesaurus in Praxi Bipartita de pœnis Eccles. p. 1. cap. 5. amplia. 2.*

Quæst. 29. An saltem hi Superiores transgressores, peccent in foro conscientiæ

1. ET quidem peccare mortaliter, docet *Sanchez lib. 7. ad Decal. cap. 23.* ubi latè de prædictis *Decretis, Laur. Peyr. tom. 1. de subdito, q. 2. cap. 2. §. 2. ver. in particulari autem, & Lezana ver. Monast. num. 14.*

2. Tum, quia præceptum, de quo agitur, est de re gravissima, & valde necessaria ad conservandum statum, & decorem Religiosorum; etenim deficientibus necessariis ad vitæ sustentationem, Religiosi coguntur, aut habere peculium, contra Religiosam Paupertatem, aut implicari negotiis sæcularibus, à quibus debent abesse, aut turpiter ostiatim mendicare, & similia.

3. Tum etiam, quia regulariter pœnæ graves, ut in hac re sunt à Summis Pontificibus indictæ, non inferuntur, nisi pro culpa mortali, secùs præceptum foret iniquum, imponendo pœnam gravem pro levi culpa, *Sayr. lib. 3. Clavis Reg. cap. 7. num. 25. Sanchez* de communi *lib. 6. Decal. cap. 4. num. 64. & d. Thesaur. in Praxi, p. 1. cap. 4.* Tum item, quia temerè agere, includit contemptum.

4. Benè verum, quòd Superiores super numerum admittentes ex rationabili causa, possunt à tali culpa excusari, nempe si id faciant, ne Monasteria, sufficienti numero Religiosorum destituta, corruant; aut ut satisfaciant Religiosorum statutis; etenim viri maturæ ætatis, doctrinâ prædiri, Valetudinarii, morbo affecti, non solent, nec possunt ministeriis vacare, *Sanchez cit. loc. num. 6.* cum præcit. ut suprà.

* * *

TRACT. III.

TRACTATUS TERTIUS,

DE CLAUSURA MONASTERII.

Quæst. 1. Septa, seu Claustra Monasterii, quid sit, & unde dicatur?

1. Claustra Monasterii, & septa æquipollent; & sicut Clausura dicitur à Claustro; ità septa à sepio sepis; prout docet *Glosa in Clement. Ne in agro Dominico, de statu Monach. §. rursus in locis.*

2. Hæc autem Clausura, seu Claustrum est locus, ex quo exire non licet, sine licentia Superioris, *Cardinal.* cum multis aliis in *d. Clement.* examinantibus illa verba, *infrà septa Monast. arma tenentes.*

3. Vel est totum illud spatium, quod claudunt muri, & parietes Domus, & Monasterii Religiosorum, quod magis patet ex his, quæ habet *Nicolaus Tertius* Papa in *cap. exiit, qui seminat, seminare semen suum, de verbor. signific. in 6.* & ex *Decreto Clement.* 8. edito super casuum reservatione, ab omnibus Superioribus Regularium observando, ibi, *Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò pervenerit, ut extrà septa Monasterii, seu Conventus egressio fiat, Graff. in practica quinque casuum, c. 5. de violatione Clausuræ, num.* 18. ubi docet, quid veniat appellatione Monasterii.

Quæst. 2. Clausura à qua parte Monasterii incipit?

1. *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 17. num. 18. & Thesaurus in praxi part. 2. cap. 1. vers. Claus.* dicunt, Clausuram incipere ab ea Porta, in qua sedes est Janitoris ad Clausuram servandam, & patet ex his, quæ infrà dico, esse servanda pro bona custodia Clausuræ.

Quæst. 3. Clausuræ terminos designare, vel custodire, an spectet ad Prælatos Religiosorum?

1. Affirmativè *Confectlius in summ. Privileg. Ordin. Mendic. de Monialium Clausura, cap. 4. pag. 389. Suar. in 4. tom. de Relig. tract. 1. lib. 1. cap. 7. num. 2. Thesaur. p. 2. c. Clausura, Naldus in summa, ver. Clausura, n. 1. Lezana tom. 3. eod. ver. num. 3.* & horum ratio est, quia Prælati Religiosorum sunt Judices ordinarii, & Pastores illorum, & colligitur ex *cap. Periculoso, de Stat. Regul. in 6. & Conc. Trid. cap. 5. sess. 25. de Regul.*

Quæst. 4. Quæ leges sunt observandæ pro bona custodia Clausuræ?

1. Respondet *Navarr. Comm. 4. de Regul. num. 37. fol.* mihi 354. quòd in hac re sunt observanda Statuta Concilii Aquisgrani sub *Ludovico I.* Imperatore, relati à *Trullo lib. 2. cap. 1.* quorum quædam sunt hæc:

Necesse est, ut Claustra, in quibus Clero sibi commisso canonicè vivendum est, firmis undique circundent munitionibus, ut nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus; sint etiam interiùs Dormitoria, Refectoria, Cellaria, & cæteræ habitationes, usibus Fratrum, in una societate viventium, necessariæ. Et infrà. *Eligatur, necesse est, à Prælato ex Congregatione sibi commissa, Frater probabilis vitæ, cujus officii sit portam Canonicorum summa obedientia, & humilitate, competenti tempore claudere, & reserare, ut nulli per eam, nisi per licentiam aditus pateat intrandi, aut exeundi, cui etiam observandum est, ne quibus cordi est, plus otiis vacare, quàm divinis obsequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas est, particeps fiat. Debet prætereà advenientes quosque cum charitate suscipere, & Priori adventum eorum, causamque nuntiare.* hæc ibi.

2. Nec non in hac re debent observari *Decreta Clementis VIII.* edita pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium, cujuscunque Ordinis, & Instituti, confirmata per *Urb. VIII.* quæ ponit per extensum *Peyr. tom. 2. Privil. Const. 10. Urban. VIII.* & habes in 4. *tom. Bullar.* infrà *Constitutiones* ejusdem Pontificis, & præcipuè §. 35. ibi, *ut omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventus Clausura perpetuò, ac diligenter servetur, ac proptereà à Superiore Janitor constituatur, qui diligentiâ, ac morum integritate maximè commendetur; is januæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.*

§. 36. Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpiùs: licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.

§. 37. Contravenientes autem, pœna gravi, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

§. 38. Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à Socio itineris rationem, & quid rei actum sit, diligenter perquirat, hæc *ibi*, ut in *fin* hujus *tract.*

Quæst. 5. An sepes Hortorum, possint esse termini, & limites Clausuræ?

1. Affirmativè *Franciscus Longus de casibus reservatis, p. 2. casu 3. num. 7.* & ità fatetur, practicari apud Capuccinos, qui etsi fuerint egressi extrà muros Monasterii, noctis tempore, & reperiantur infrà sepes Horti clausi, non dicuntur incidisse in casum reservatum *Clem. VIII.*

2. Nihilominus, quidquid sit de hac Praxi, de jure communi, & ex declaratione tot Romanorum Pontificum, non sepes, sed muri, & parietes Monasterii faciunt circulum, & terminum Clausuræ: & quamvis ad Prælatos Religiosorum pertineat designare terminos Clausuræ, hæc tamen designatio fieri debet, habito respectu ad dicta jura, & communem Praxim Regularium.

3. Hinc, mulier temerè intrans hortum clausum prædictorum, meo videri, non incidit in censuras appositas contra violantes Clausuram. Quia hæ censuræ loquuntur de Clausura, per Pontifices declarata, & eò maximè, quia sumus in odiosis, & constitutio pœnalis non debet extendi ad non expressa.

4. Et addo, quòd Prælati Regulares, inferiores Episcopo, non habent potestatem per censuras, ligandi laicos, nisi sit eis facta facultas à Domino Papa: tertiis autem

autem subditos, quorum sunt Judices ordinarii in utroque foro.

Quæst. 6. Sub nomine Claustri, an comprehendatur Ecclesia?

1. ET dico, quòd sic in favorabilibus, argum. *cap. sciant cuncti, 12. de elect. & electi potestate, in 6.* Hinc, Privilegium tuendi in se confugiatos, æquè pertinet ad Ecclesiam, & Monasterium, & *Decretum Clement. VIII.* editum contra Religiosos recedentes à septis Monasterii, non afficit existentes in Ecclesia, quia Ecclesia, & Monasterium unum sunt, & quoad hoc minimè distinguuntur, prout docet *Glosa in cap ultimo, de sent. excomm. in 6. § adjicimus, ver. Monasterii.*

2. Secus autem in odiosis, proinde ad Ecclesiam patet aditus fœminis; non autem ad Monasterium.

3. Item, Ecclesia deputatur ad orationem; Monasterium autem ad corporalem quietem, & alia hujus generis, docet *Navarr. consil. 9. de testamen.*

4. Nec dices, quòd nomine Monasterii venit tantummodo Claustrum, hoc est, Domus habitationis, & interiores officinæ Monasterii, non autem Ecclesia, nec alia loca exteriora, ad quæ omnes indifferenter accedunt, prout declaravit *Nicol. Tertius*, & habetur in *cap. Exut, de verb. signif. in §. denique, in 6.*

5. Quia hoc totum dicitur, ac declaratur de Clausura Monialium, ut post multos advertit *Bordonus resol. 41. de secundo casu reservando. q. 1. num. 13.*

Quæst. 7. An Horti, & Sacristia comprehendantur sub Clausura Monasterii?

DIxi infrà *tract. 4. de violatata Clausura, quæst. 11. & 12.*

Quæst. 8. Grancia, Infirmaria, Hospitia, & hujusmodi loca, à Monasteriis distantia, an subdantur legi Clausuræ?

1. AFfirmativè dic, si hujusmodi loca habeant Ecclesiam conjunctam, pulsent Campanas, & celebrent Divina Officia: secùs si sint purè sæcularia, absque religioso cultu, per ea, quæ dixi hîc suprà *tract. 1. q. 22.* & docet *Graff. in Additamentis ad 1. p. decis. Aur. de excommunicat. lata contra fœminas præsumentes ingredi Monasteria Regularium, ad lib. 4. cap. 23. num. 9. Hier. Llamas in appendic. §. 12. in fine, Tambur. de jur. Abbatiss. disput. 18. q. 1. num. 9. in fine, Coriolan. de casib. reserv. p. 2. cas. 3. num. 17. Sanchez lib. 6 decal. cap. 17. num. 20. & Thesaur.* post multos *2. p. Praxis, cap. 1. ver. Clausf. Regul. vers. quod autem dixi.*

Quæst. 9. Clausura an sit de jure naturali, vel Divino?

1. NAvarr. *Comment. 4. de Regul. num. 29. & consil. 65. de Regul. n. 1.* cui subscribit *Miranda 1. p. Manual. Prælat. q. 32. art. 1. concl. 1. & de Monialib. q. 1. art. 1.* respondet negativè: tum, quia illud dumtaxat dicitur esse de jure naturali, & Divino, quod procedit ex principiis naturæ, per se notis, aut quod habetur in Sacro *Bibliorum* Codice: prout colligitur ex *cap. jus naturale, distinct. 1.* & docet *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4.* quod neutrum dici potest de Clausura, sive sit Virorum, sive Fœminarum; tum, quia tempore Apostolorum verè, & propriè fuerunt Religiosi, absque Clausura, per ea, quæ dicit *D. Thom. cit. loc. & Cajet. 2. 2. q. 38. art. 11.*

2. Proinde, idem *Navar.* ubi suprà *num. 41.* dicit, quòd Moniales tempore *D. Augustini* Clausuram non servabant, ubi lepidè respondet ad objecta.

3. Igitur, secluso jure naturali, & Divino, restat, ut Clausura sit de jure humano dumtaxat, quippe, quæ in Religionibus ortum habuit à Monachis antiquis; sed clarius, ac firmiùs fuit stabilita à Fundatoribus Religiosorum, & roborata deinde à *Nicæna Synodo*, de qua *Eugenius in cap. placuit, 16. q. 1.* & à *Conc. Calcedon. in cap. juxtà, & in cap. Monachi, eadem causa, & quæst.*

4. Quibus in *locis* multa dicuntur de Monachis, qui hortantur esse in Claustro, ob multa bona, *Coriolanus de casibus reservat. p. 2. cas. 3. de noctur. egressione, num. 4. & sequent.*

Quæst. 10. Religiosi, an teneantur ad perpetuam Clausuram?

1. ET dico, quòd non: quia hæc illis nullo jure indicta fuit, quod intelligo de Clausura generali, secùs de aliqua particulari alicujus Religionis, uti est in Ordine Carthusianorum, de qua *Navarr. in cap. Statuimus, 19. q. 3.* seu in *Comment. 4. de Regul. num. 31.* ibi, *hanc legem communẽ jure communi statutam, ac ut confirmatam Carthusiani partim statutis, partim consuetudine inviolabiliter observatam, adeo auxerunt, ut eorum Clausura videatur quidam carcer perpetuus, quod colligitur ex eorum statutis antiquis, & novis,* hæc, & alia vide *ibi.*

Quæst. 11. Clausura perpetua, an possit subditis imponi ab eorum Prælatis?

1. NEgativè dic, quia Prælati Regulares non possunt suis subditis præcipere, nisi quæ sunt secundùm Regulam: hoc est, quæ in ea continentur implicitè, vel explicitè, quia hujusmodi Superiorum potestas dependet à Voto, & Professione subditorum: hi enim promiserunt, Præpositis obedire in iis, quæ sunt secundùm Regulam; Ergò si Clausura perpetua de Regula non sit, vel ad eam minimè pertineat, haud imponi potest, & hoc ex defectu potestatis, quæ, ut dixi, consurgit ex vi Voti Obedientiæ.

2. Dixi, perpetua, quia temporalis, vel particularis, quæ debetur ex Regula, vel ex aliqua rationabili causa, nedum potest indici, sed debet executioni mandari, prout expressè habetur in *cap. placuit, & sequentibus 16. q. 1.* ibi, *sit Claustro suo contentus: quia sicut piscis sine aqua caret vita; ita Monachus sine Monasterio*, tum, quia nulla reperitur vera Religio, quæ careat Claustro; tum item, quia multi sunt casus, in quibus Religiosi subditi, sub excommunicatione prohibentur exire à Monasterio, sine licentia illorum, ad quos spectat, *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 2. num. 45. Sylv. ver. Religio 6. Cajet. 2. 2. quæst. 83. art. 8. dub. ultimo, & Martinus Bonac. de Clausura, quæst. 2. punct. 2. num. 1.*

Quæst. 12. An saltem possit indici à Romano Pontifice?

1. AFfirmat *Dominicus Baunes*, nostræ familiæ, *2. 2. q. 1. art. 10. dub. 6.* ubi latè disserit de Potestate Rom. Pontif. *Sanchez cit. loc. num. 21.* ubi disputat, an possit Romanus Pontifex cogere Religiosos in arctiorem vitam non promissam in eorum statutis, *Navar. in d. 4. Comment. de Regul. num. 13. & sequent. & Martinus Bonac. de leg. disput. 1. q. 1. punct. 3. num. 18.* & alii plures.

2. Et hoc ideò, quia Summus Pontifex plenariam habet authoritatem ea condendi, quæ ad commune bonum Ecclesiæ, seu Regimen spectant; est enim Dominus

Papa

Papa Universalis Pastor, Caput, & Custos totius Ecclesiæ, & Supremus Generalis omnium Ordinum, cujus potestas non pendet à subditis, sed à Christo Domino. Ergo ipsi competit, & integrum est, providere honori, decori, & bonæ famæ Religiosorum omnium, ac totius Ecclesiæ, quod poterit facere, etiam parte non citata, nec audita: dummodo pericula sint certa moraliter, aut notoria, *Navarr. in Manual. cap. 25. num. 10. & Bonac.* cit. *loc.* prout in praxi factum est cum multis Fratribus Ordinis Minorum Conventualium Hispaniarum, qui à *Pio V.* privati, & ejecti à suis Domibus, coacti sunt, in alium arctiorem Ordinem transire pro custodia promissorum Votorum, *Navarr.* de hac re latè in *d. comm. num.* 13. *& Bannes* cit. *loc. litt. D. ver. ex dictis sequitur.*

3. Et constat ex *cap. unic. de statu Regul. in 6.* ubi *Bonifacius VIII.* universis Monialibus Clausuram indixit, quæ vitam multò austeriorem fecit; etsi illam Moniales nunquam fuissent professæ.

4. Quod pariter fuit à *Concilio Trid.* confirmatum, & renovatum *sess. 25. de Regul. cap. 5.* incip. *Bonifacii Octavi Constitutionem*, *&c.* & magis patet ex aliis *Constitut.* ejusdem *Pii V.* incip. *Circa Pastoralis, & Decori, & Gregorii XIII. Deo Sacris, & ubi gratiæ, & dubii.*

Quæst. 13. Religiosus exiens à Claustro sui Monasterii, an peccet mortaliter?

1. S*Uar. de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 6. num. 5.* respondet affirmativè, quia existimat, violationem Clausuræ, de suo genere esse mortalem: judicat enim illam fore in præcepto cujusvis Regulæ.

2. Negat verò *Navarr. in comm. 4. de Regul. num. 35.* ubi validè, ac lepidè ostendit, clausuram ex suo genere, & de se non obligare ad mortale, quia ex suo genere non est de Jure Divino, nec de jure naturali, sed dumtaxat de jure humano positivo, ut dictum est suprà *quæst.* 8.

3. Hoc autem jus, non uno, & eodem modo obligat Regulares, sed aliter, & aliter, & diversimodè Viros, & Fœminas, ut patet ex tot Regulis, & Statutis, quæ non æquo modo fuerunt instituta, nec à Sancta Sede confirmata.

4. Proinde, si spectetur Jus commune Canonicum: certum est, quòd licitè quivis Regularis Professus potest exire à suo Monasterio, cum sola licentia Prælati Conventualis, justa de causa, ab ipsomet Prælato judicanda: tum, quia ex hoc jure, integrum est Prælatis hujusmodi licentiam concedere, tum etiam, quia Prælatus inferior ex justa causa potest dispensare in lege sui Superioris.

5. Verùm, si egrediatur cum contemptu Regulæ, & Professionis, vel cum transgressione præcepti sui Superioris, aut cum notabili scandalo, vel damno Monasterii; utique peccat mortaliter, quia ex contemptu transgredi Regulam, aut violare Superioris præceptum, in Regula expressum, vel oretenus factum, mortale est: hoc enim directè est facere contra votum obedientiæ, prout uterque *Thomas* communiter recepti affirmant in 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 9.

6. Et additur, quòd cavere à scandalis, & neminem lædere, est de Jure Divino, & humano; *Navarr.* cit. *loc. & Rodr. tom. 1. q. 50. art. 1.* cum suo *compendio, resolut.* 27. *num. 7. & Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 32. art. 2. concl.* 1.

7. Si tandem Religiosus violet Clausuram, sine dicta licentia, & absque contemptu, & similibus, hîc suprà expressis, peccabit tantùm venialiter: quia fortè non advertit, licentiam petere, & jus commune sibi resistere, & maximè *Decretum Clem. VIII. de reform. regul.* incip. *Nullus, §. 9. in 4. tom. Bullar. pag.* mihi 270. & docent *Graffius in practica, cap. 5. de violatione Clausuræ, num. 5. Barbosa in collect. Tridentini, sess. 25. de regul. cap. 4. num. 4. Novar. in Lucerna Regul. verb. Clausura, num. 1. Bonac. de Clausura, q. 2. punct. 1. num. 2. & Bordonus* multiscitatis *resolut.* 42. *num. 5. & Lezana p. 3. verb. Clausura, num.* 3. ubi latè agunt de nocturna, & furtiva egressione à Monasterio, & quomodo hæc sit reservabilis ex *Decreto Clem.* VIII. & grave peccatum supponat.

Quæst. 14. Prælatus Regularis, an possit dare licentiam Professo, manendi extrà Claustra perpetuò, vel ad tempus?

1. QUòd Prælatus de jure antiquo communi possit subditis facultatem facere, manendi extra Claustra; ex gravi tamen causa, & habitu retento, non est, qui neget.

2. Et habetur expressè in *cap. Monachi à Monasterio, 16. q. 1.* ibi, *Nisi fortè cum Abbatis imperio, vel Abbate imperante*; & in *cap. de Viduis, & Puellis, 27. q. 1.* quæ quidem Puellæ, ut *ibidem* refert *Glosa*, in domibus propriis habitum Religionis assumunt, solemniter vovendo; quod hodie non est in praxi.

3. Et in *cap. 2. ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* ex quibus *Navarr. cons. 31. de regul. num. 3.* in 1. edit. colligit, quòd Religiosus de licentia sui Superioris, & habitu retento potest esse Vicarius Episcopi, secus sine habitu, quia solius Papæ est, facere facultatem manendi extra Monasterium sine habitu, secundùm omnes *Scribentes in d. cap. 2. ut periculosa*: idipsum fatetur in *cons. 53. num. 2. cons. 65. num. 2. & cons. 58. num. 1. eod. tit. fol. 693.*

4. Quibus accedit *cap. 4. Conc. Trid. sess. 25. de regul.* ibi, *prohibet Sancta Synodus, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscunque Personæ, seu loci, neque aliquod privilegium aut facultas ab aliis super iis obtenta suffragetur; quod si contrafecerit, tanquam inobediens, arbitrio Superioris puniatur.* hæc *ibi.*

5. Tum item, hoc potest Religiosis Prælatis competere de jure speciali; etenim adsunt multa privilegia, ob quæ potest Prælatus suis subditis facultatem facere, manendi extra septa, pro aliquo tamen tempore, secus autem in perpetuum; hoc enim spectat ad Romanum Pontificem, *Navarr. comm. 4. de Regul. num. 34. Sanchez lib. 6. decal. cap. 7. num. 82. & Bordon. resolut. 7. q. 16. num.* 54.

6. Verumtamen hodie debet attendi *Decretum Clementis Octavi*, de quo immediatè dico.

Quæst. 15. Quænam sit justa causa exeundi, vel licentiandi subditum à Claustro?

1. REspondeo, quòd causa egrediendi extra Claustra Monasterii, potest esse multiplex; nempe summet exeuntis, vel suorum, aut necessitatis, vel utilitatis dicti Monasterii, vel alia hujusmodi, quæ relinquitur prudentis arbitrio, ex *l. 1. de jure deliberandi, & cap. de causis, de off. delegat.* de quibus eruditè *Navar. lib. 3. de Regul. cons. 45. 55. & 65. num. 48. & in Manuali cap. 14. num. 14. & in cap. non dicatis, num. 4. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 32. art. 3. & Bonac. de Clausura, q. 2. punct. 1. num.* 3.

2. Benè verum est, quòd Prælatus hodie non debet de facili, nec convenienter suo subdito petenti exire à Monasterio, hanc licentiam concedere; nisi juxta *Decretum Clementis VIII.* editum pro reformatione Regularium,

rium, incip. *Nullus*, quod habes hic suprà, *q.* 4 & pono in *fine* hujus *tractat.*

3. Quod *Decretum* duo præcipit, & primò, quod nullus à Conventu egredi audeat: nisi ex causa, & cum Socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, & benedictione accepta, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, Sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed suo arbitrio.

4. Et secundò, ut degentes extrà Claustra Conventus ad ea revocentur; nec de cætero, nisi ex gravissima causa, à Sede Apostolica approbanda, hujusmodi facultates concedi possint, prout expresse habetur in §. 19. & 32. ibi.

Ineatur ratio, qua, sublatis licentiis, ac facultatibus hactenùs quibuscunque concessis, degentes extrà Conventus Claustra, ad ea quamprimum revocentur, nec de cætero, ut suprà, & liquet in *Decretis*, quæ per extensum refert *D. Barthol. à Sancto Fausto lib.6. Thesauri Relig. q.162. & Barbosa in collect. Doctor. ad 4. cap. Trid. sess. 25. de Regul. num.* 2. & habes in 4. *to. bull. Cherub. f.* mihi 270. & in *fine* hujus *tract.*

Quæst. 16. *An Religiosus de sola licentia sui Superioris possit à Religione exire ad subveniendum suis Parentibus, in extrema necessitate constitutis?*

1. DE jure antiquo communi, habitu tamen retento, respondendum est affirmativè, per ea multa, quæ docet *D. Thom.* 2.2. *q.* 101 *ar.* 4. *Navar. de Regul. consil.* 54. 55. & 56. in 1. edit. ubi dicit, ad id, licentiam posse dare non solùm Papam, verùm etiam Patrem Generalem, & Provincialem: Et magis clarè in *Comm.* 3. *de Regul. num.* 38. & *in Manual. cap.* 14. *num.* 14. *Miranda* in suo *Manuali Prælatorum q.* 32. *ar.* 7. *conclus.* 1. & 2. *Bonac. de leg. disput.* 6. *q. unic. punct.* 4. *num.* 4. & Egomet latè dico de hac re in 4. *p. tract.* 3. *de qualit. Recipiend. q.* 19. 20. 21. & 22. vide *ibi*, & non pigebit.

2. At hodiè secùs est dicendum de jure novo *Clem. VIII.* ut patet in ejus *Decretis* editis pro reformatione Regularium, in §. 49. ibi, *Nec de cætero: nisi ex gravissima causa à Sancta Sede approbanda.*

3. Quod multò fortiùs procedit in eo, qui intendit habitum suæ Religionis dimittere; ut commodiùs Parentum necessitatibus provideat: quia absque dubio nullus Papa Inferior, potest, per se loquendo, in sacris Canonibus, & jure communi dispensare; sed certum est, quod nullus Religiosus de jure communi potest habitum sui Ordinis dimittere, ut constat ex *cap. ut periculosa, nè Clerici, vel Monachi, in* 6. & ex *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 9. *in fin.* ubi interdicitur, licentiam cuivis Regulari concedi occultè ferendi habitum Religionis, *Navarr. lib.* 3. *de Regul. conf.* 51. *num.* 3. & 53. *num.* 1.

4. Hinc Monachus ad Episcopatum assumptus, tenetur habitum suæ Religionis gestare, ut probat *Navarr. in d. cap. nullum, num.* 48. *Miranda* cit. *loc. ar.* 8. & *Bonac. de clausf. disp.* 9. *punct.* cit. *num.* 5.

5. Et multò fortiùs quilibet Religiosus tenetur deferre habitum suæ Religionis, quippè qui si suum habitum dimittat, ex quacunque causa, & alium assumat, mox fit excommunicatus, ex *d. cap. ut periculosa, in* 6. de qua *Sylvest. verb. excommunicatio* 9. *excommun.* 24. & *verb. Religio, q.* 1. & *Navar. in Manual. cap.* 27. *num.* 131.

§:†:§

Quæst. 17. *An Religiosus possit cogi à suo Prælato ad manendum extrà Claustrum, ut serviat alicui Ecclesiæ Regulari, vel Sæculari?*

1. AFfirmativè si loquamur de Ecclesia, quæ pleno jure pertineat ad Prælatos sui Monasterii: secùs autem, nisi Domino Papa consulto, vel in casu magnæ necessitatis, ceu si Clerici sæculares non reperiantur, qui possint tali Ecclesiæ deservire, & Pabula Salutis Christi fidelibus administrare, prout ait noster *Sylv. ver. Religio* 7. *q.* 3. *Navar. comm.* 4. *de Regul. num.* 23. & *Miranda* cit. *loc. n.* 5.

Quæst. 18. *Regularis ritè obtinens Ecclesiam Parochialem, an teneatur in ea potiùs residere, quàm in Claustro suæ Religionis?*

1. AFfirmativè ex *cap.* 1. 18. *q.* 2. & ex *cap. olim, de prævil.* & *cap. ne per cujuslibet* 16. *q.* 1. & *cap. si quis jam translatus* 21. *q.* & ex *Clem. ne in agro*, §. *sanè, de statu Monach.* in quibus clarè statuitur, quod Monachis habentibus beneficium non permittatur manere in Monasterio.

2. Nec dices, quod his obstet obligatio manendi intrà septa; tùm quia idem Papa dans beneficium, censetur in hoc dispensare, tùm etiam, quia Religiosus degens extrà Claustrum de licentia sui Prælati, dicitur manere intrà ipsum. Tùm item; quia omne Votum obligat, nisi justa de causa relaxetur, ex *cap. Scriptura, de Voto, & Voti redempt. Sylvest. verb. Relig.* 7. *quæst.* 5. & 6. & *Mirand.* citat. *loc.*

3. Decreta pro Reformatione Regularium, tàm Monachorum, quàm Mendicantium cujuscunque Ordinis, & Instituti.

§. 1. CLemens Papa Octavus. *Nullus omninò prætextu cujuscunque Privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, à servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint, idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia, Superiores animadvertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit subtractione.*

§. 2. *Lectio Sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ, bis in hebdomada præscriptis diebus, in singulis Monasteriis, & Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant, eaque absoluta, mutua collatione circà explicatam doctrinam sese utiliter exerceant.*

§. 3. *Quò Trid. Concil. decreta de paupertatis Voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sivè ex concionibus, sivè ex lectionibus, aut pro Missis, tàm in propria Ecclesia, quàm ubicunq; celebrandis, aliove ipsorũ justo labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquàm propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis indè Victus, & Vestitus omnibus suppeditari possit.*

§. 4. *Neque Superioribus, quicunque illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem,* aut

aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

§. 5. *Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, ut proprium, neque ut proprio utatur.*

§. 6. *Qui in præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedùm à* Conc. *Trid. præscriptas, sed aliàs quoque multò graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat.*

§. 7. *Nulla quorumcunque Superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, vel mobilia, Fratres excusare possit, quòminus culpæ, & pœna ab ejusdem* Concilii *Decretis imposita, & ipso facto incurrendæ obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.*

§. 8. *Fratrum Vestitus, & Suppellex Cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò uniformis sit Fratrum, & quorumcunque Superiorum, statuique Paupertatis, quam professi sunt, conveniat, ita ut nihil superflui admittatur, nihil etiam, quod sit necessarium, alicui denegetur.*

§. 9. *Quæcunque Fratrum Vestes, sivè laneæ, sivè lineæ, omnisque alia suppellex in aliquem commodum Conventus locum deferantur, ibique ab uno, vel duobus Fratribus, huic muneri deputatis, diligenter custodiantur, ut indè Superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.*

§. 10. *Omnes, etiam Superiores, quicunque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodem obsonio, sive eadem (ut ajunt) pitantia in communi mensa, prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit. Si quis ea in repeccaverit, nihil ea die alimenti percipiat nisi panem, & aquam.*

§. 11. *Superiores omnes, etiam Generales, qui redditus, aut præstationes peculiares, ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter annotari curent, neque in alios usus, quàm ratione offici sui necessarios quicquam expendant. Cùm verò contigerit, ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.*

§. 12. *Nullus ex Superioribus locorum administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationemque pecuniarum, & redditùum sui Conventus, etiam nomine* Conventus, *per seipsum habere, sivè exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus à Generali ita demandetur, ut unus rerum, & bonorum, redditùumque colligendorum, ac exigendorum curam habeat, alter tanquàm Depositarius, pecunias, & cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asservet; alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis,* Priori, *& Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso* Priore, *non secundùm proprium affectum, sed juxtà charitatis Regulam, veluti bonus Dispensator, provideat, officiorum hujusmodi confusione penitùs interdicta.*

§. 13. *Cæterùm hi tres, tàm impensi, quàm accepti singulis Mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant: Deindè ipsimet rursùs, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, vel visitatoribus, cum advenerint, denique ipse Generalis, vel Visitatores in quolibet proximo Capitulo generali, saltem coràm tribus Iudicibus ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universæque suæ administrationis, tam publicæ, quàm privatæ rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum in actis Capituli extrahatur ad hoc, ut ad omne mandatum nostrum vel Sedis Apostolicæ, Romam transmitti possit.*

§. 14. *In unoquoque Conventu Fratrum is tantùm deinceps constituatur, & in posterùm retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisvè quibuscunque obventionibus in commune, ut præfertur, conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tuto, diligenter asserventur.*

§. 15. *Superioribus autem, ne* Concil. Trident. *aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus. Decernentes irritum, &c. Si quis autem contrà præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, & ad ea perpetuò inhabilis existat.*

§. 16. *Nullus, nisi actu legat, vel prædicet aliquo sui gradus privilegio gaudeat.*

§. 17. *Si alicui ex necessaria causa Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, & qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit Laicus Conversus.*

§. 18. *Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur, Conventus Clausura perpetuò, ac diligenter servetur, ac proptereà à Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur, is Ianuæ custodiendæ semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.*

§. 19 *Nullus à Conventu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpiùs: licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.*

§. 20. *Contravenientes autem pœna gravi etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur; eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.*

§. 21. *Cùm autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterùm adibit, benedictionem recepturus, qui à Socio itineris rationem, & quid rei actum sit diligenter perquirat.*

§. 22. *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint.*

§. 23. *Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce activa & passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas; quæ item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine ulla exceptione locum habeant.*

§. 24. *Habeat Superior clavem ità fabrefactam, ut cùm sibi videbitur, cellas omnes reserare possit, & proptereà nullus cellam, etiam noctu, ita claudat, quin semper à Superiore possit aperiri.*

§. 25. *In medio Dormitorii per totam noctem lampas colluceat.*

§. 26. *Nullus etiam Superior, cellas sivè in Claustro, sivè alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum conjuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, uniformiq; suppellectili, ut præfertur, quemadmodum Religiosos decet, contentus sit, possit tamen Generalis alicui ex superioribus Conventuum, si eorum muneris, & officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere.*

§. 27. *Cellæ sivè ædiculæ, quæ extrà Dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut alias ad communem usum, & commoditatem Conventus redigantur.*

§. 28. *Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque ullibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.*

§. 29. *In privatis Cellis nulli camini permittantur,* sed

sed omnes obstruantur statim, cardinibus, etiam è parietibus convulsis, ut res illa, non ad tempus facta, sed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

§. 30. Conventus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut in vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ità obstruantur, ut omninò prospectus impediatur.

§. 31. Valetudinarium in singulis Conventibus certò, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum ægrotabunt, curentur, nec indè nisi recuperata sanitate abire permittantur; qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate, operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

§. 32. Ineatur ratio, qua sublatis licentiis, ac facultatibus, hactenùs quibuscunque concessis, degentes extrà Conventus Claustra, ad ea quamprimùm revocentur, nec de cætero, nisi ex gravissima causa, à Sede Apostolica probanda hujusmodi facultates concedi possint.

§. 33. Nulli in posterùm ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conventibus, per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

§. 34. Curent Superiores, ut constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

§. Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta Vocum, seu suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro aliis, tùm in Capitulis locorum, tùm in cæteris, præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenùs contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur; super quo cum eis dispensare à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum graviùs etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas, ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus.

§. 36. In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Concil. Trid. & Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentq; Electores, secundùm veritatem cujusque conscientiæ, probiores, ac magis idoneos se electuros. Ac proptereà priusquàm ad electionem deveniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis Eligendorum. Ad officia, gradus, & prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint & consueverint Regulas Ordinis, & Constitutiones observare, præsertim quæ pertinent ad servitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

§. 37. Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, & periti ex Fratribus cujuslibet Provinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquàm probentur, & ad hujusmodi ministerium admittantur. Horum etiam cura sit examinare & probare, tàm quoad doctrinam, quàm quoad mores promovendos ad quoscunque Ordines; in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Conc. Trid. hac de causa nuper editum, & promulgatum.

§. 38. Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quàm in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac proptereà omni studio invigilent, ut, quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, jejuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad unguem observentur, intelligantque super his, veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ ut faciliorem exitum sortiantur, & fructus uberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conventu singulis hebdomadis habeatur sermo de Religiosa Disciplina, Regularique Observantia.

§. 39. Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distinctè annotetur, quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater præstare debeat, ut certo quoque signo præmonitus, majore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non adversantur, inviolatè custodiendæ erunt.

§. 40. Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta, donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur, ab omnibus observari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscunque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, & efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum singulis facultate illas declarandi, & adversus eas unquam dispensandi, alioquin sciant, se in pœnam Generalatus, & Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, & sine ulla exceptione respectivè incidisse.

§. 41. Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum observatio quoquo modo differri possit, aut impediri, volumus, ut, post illorum publicationem, in Conventu, vel Monasterio cujuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliosque Ordinum Superiores, cæterosque quoscunque Fratres præsentes statim; reliquos verò absentes citrà Montes unius mensis; ultrà Montes trium mensium spatio ità arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

§. 42. Insuper mandamus, quod Generales in singulis Conventibus citrà Montes unius mensis, ultrà verò Montes trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna privationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. Mensis Iunii 1599.

§. 43. Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ità ut Provincialis ipse ex causa communi totius Provinciæ dumtaxat, facultatem hujusmodi facere valeat; declaravitque pœnam privationis vocis activæ, & passivæ contra facientibus inflictam, Sanctitati suæ reservatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori, facultate illam moderandi, ac relaxandi, Datum Romæ, die 26. Martii 1601. prout meliùs est videre in Bulla Clem. VIII. edita anno Domini 1599. & 1601. in Bullario Cherub. tom. 3 pag. 80. & tom. 4. pag. 170. inter Constitutiones Vrb. VIII. post Decreta de recipiendis ad habitum.

§:†:§

TRACTATUS QUARTUS,

DE VIOLATA CLAUSURA MONASTERII.

Quæst. 1. Clausura quot modis violetur?

1. Clausura, de qua agitur, potest duplici modo violari, nempe per ingressum Mulierum prohibitum ad intrandum septa Monasterii; vel per illicitum egressum Religiosorum: qui quidem egressus à Claustro potest esse multiplex, uti est, dimittere habitum Religiosum: proficisci ultrà Mare, sine debita Superioris licentia: adire Curias Principum, inconsulto Superiore: accedere ad Studia, non obtenta à Prælato facultate: illicitè transire ex una in aliam Religionem: exire de Claustro ad audiendas leges, vel physicam: iniquè reclamare contrà professionem, animo vagandi: fugere à Claustro, vel apostatare à Religione; aut dare voluntariè causam expulsioni, & hujus generis alii modi generales, & speciales violandi Clausuram examinantur à *Barbosa in collect. Conc. Trid. cap. 4. sess. 25. de Regul. num. 5.* & à *Martino Bonac. de Clausura q. 2. punct. 1. num. 6.* de quibus nos infrà dicemus.

Quæst. 2. Mulieres quomodò vetentur introire septa Monasterii?

1. Quamvis, omni Religiosorum statuto, fœminæ, prohibeantur intrare Claustra Monasterii; maximè ex nostris statutis prohibentur ingredi Claustrum, Oratorium, & alias Officinas interiores; prout dicitur in *cap. 1. text. 5. de Domib. concedend.*

2. Nihilominus, hodiè, prætermissis particularibus statutis: debent ad unguem observari Sacri Canones, & Constitutiones Apostolicæ, quæ in universum ligant, & magis pressè loquuntur.

3. *Gregorius Papa*, rigidis verbis prohibuit mulieres à communione Monachorum, prout clarè deciditur in *cap. 20. causa 18. q. 3.* ibi *pervenit ad nos, quod in Monasterio tuo passim mulieres ascendant, & quod adhuc est gravius, Monachos tuos sibi commatres facere.* hæc ibi.

4. *Pius V.* ex Ordine nostro assumptus, revocavit omnes licentias, quibuscunque Mulieribus concessas, ingrediendi Monasteria, & loca quorumcunque Ordinum Regularium, sub hac forma verborum.

Regularium personarum, quæ relicto sæculo, Dei se obsequio dedicarunt, pro commisso Nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea removenda, quæ Religiosum earum propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re, quæ eas à divino cultu avocet, præpeditæ, secundùm Ordinum suorum Regularia instituta, & Decretum Sacri Concilii Tridentini, tranquillis mentibus gratum Altissimo impendere possint famulatum; quia igitur, & Carthusiensium Ordinis, & aliorum Regularem vitam Professorum quies non parum solet, sicut accepimus, perturbari, propterea, quod Mulieres modestiæ matronalis oblitæ Domus, ac Monasteria eorum, contra ipsorum Instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum litterarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis præsentibus, aliquando recusantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine gravi laicorum, etiam offensione, ac scandalo, si quando admitti nimis facilè videantur; huic rei providere volentes, motu proprio, & ex propria scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusiensium, & aliorum quorumcunque Regularium Ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacunque dignitate, & præeminentia præditis, Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis ab Apostolica Sede quomodocunque concessas, quarum tenores perindè, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro expressis, tenore præsentium revocamus, & cassas, irritas, & inanes esse decernimus. Districtè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum litterarum notitiam habuerint, à qua non possint, nisi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, absolvi, præterquàm in mortis articulo, ne dictas Domos, & Monasteria ingredi audeant, ipsis verò Monasteriorum, & Conventuum Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocunque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, sive Mendicantibus, sivè non Mendicantibus, sub privatione officiorum, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitatis in posterùm ad illa, & alia omnia, & suspensionis à Divinis, ipso facto sine alia declaratione incurrendis pœnis, nec eas introducere, admittereve præsumant. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod hæ litteræ ad Valvas Basilicæ Beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria nostra, atque in acie Campi Floræ de more publicentur. Quia verò difficile foret, has litteras ad omnia loca deferri, volumus, & declaramus, ut earum exemplis, & transumptis, manu scriptis, vel impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis ubique fides habeatur, ac si præsentes exhibitæ essent, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 23. Octobris 1566. Pontificatus nostri anno primo.

Anno à Nativitate Domini 1566. Indictione nona die 28. mensis Octobris, Pontificatus S. D. N. Pii Papæ V. anno 1. subscripta littera, affixa, & publicata fuerunt in locis suprascriptis, per nos Bernardinum Andreutium, & Ioannem Andream Rogerium Apostolicos Cursores, & habetur in *Bullario Cherubini pag. mihi 198.* & in *Collectione Privilegiorum Apostolicorum edita à Fratre Emmanuele Rodriquez tom. 2. Bull. 18.* ejusdem *Pii V. fol. mihi 407.* & *in summ. Bull. Steph. Quaran. ver Monast. fol. 305.*

Gregorius Papa XIII. pariter revocavit licentias quorumcunque ingrediendi Monasteria Monialium, & Virorum, ut constat ex ejus Bulla tenoris sequentis.

Vbi gratiæ, & indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur, expedit illa salubri Præsidentis consilio submoveri. Proindè Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia, quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, pericula, & scandala ab eis re-

eu removere cupientes, authoritate præsentium revocamus, & abolemus omnes, & quascunque licentias, ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum quorumvis Ordinum, quibusvis etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & aliis cujuscunque status, & conditionis Mulieribus, ac etiam omnes, & quascunque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscunque Viris, etiam ejusdem status, & dignitatis, tàm à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut aliis ex quibusvis, quantumcunque urgentibus causis, sub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatoriarum restitutoriis, aliisque efficacioribus clausulis, irritantibusque, & aliis decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque Principum contemplationem, vel supplicationem, concessas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renovatas, cassamusque. & annullamus litteras desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua, à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possint impartiri, ne ipsarum licentiarum prætextu, Monasteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant, Abbatissis verò, nec non Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, & Personis, quocunque nomine vocentur districtè præcipimus, sub eadem excommunicationis pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterùm obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quemquam, prætextu hujusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscunque Personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus ac etiam Ordinum quorumcunque, etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi, in casibus necessariis tantùm ex decreto Concilii Trident tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi. nevè Moniales sub eisdem pœnis illas aliter admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque, & Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis illis, eorumq; Superioribus prædictis, ac aliisquibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & dictam sedem sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis concessis, & confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus eorum tenores, perindè ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Quoniam autem difficile esset, præsentes litteras ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eamdem fidem in judicio, & extrà illud ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ revocationis, abolitionis, cassationis, annullationis, inhibitionis, præcepti, prohibitionis, interdicti, derogationis, & voluntatis infringere, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarn. Domini 1575. Idibus Iunii Pont. nostri anno 4.

Et habetur in *Bullar. Cherub. pag.* 594. & est *vigesima octava* inter *Bullas* ejusdem *Gregorii*; & per extensum refert *Rodr. in dict.* sua *collect. Bullar. Apostolic. Regularium, tom. 2. fol.* 478. & *Stephanus Quaranta in summa Bullar. ver. Monasteria Monialium, fol.* mihi 345. In cujus *Bullæ* verbis.

6. Nota ly, *& loca Monialium, ac etiam Virorum*, per quæ vides, Romanum Pontificem revocare licentias Mulierum ingrediendi, tàm Monasteria Monialium, quàm Virorum Regularium: quod item constat ex illis verbis ibi, *Abbatissis verò, & Abbatibus, & aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, &c.* quibus in verbis expende, ly *loca sua*, quæ verba non debent tantùm referri ad Monasteria Monialium, illorum curæ subjecta, ut prima fronte apparet, sed ad sua, in quibus ipsi Superiores viri inhabitant, teste nostro *Festo, in summario nostrarum Constitut. de ingressu mulieribus interdicto, cap.* 16.

Quæst. 3. An d. Bulla Pii V. comprehendat Mulieres præsumentes ingredi, absque prætextu privilegii?

1\. Affirmativè dic, tum quia ita declaravit idem *Pius Papa V.* Vivæ Vocis Oraculo: de quo authenticè testatur Eminentissimus *Cardinalis Cribellus*, sub hac forma verborum.

Nos Alexander miseratione Divina tituli Sancti Ioannis ante portam latinam Presbyter Cardinalis Cribellus nuncupatus, omnibus, & singulis præsentes nostras litteras inspecturis, lecturis, & audituris fidem facimus indubiam, & in verbo veritatis attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Dominus Pius Divina providentia Papa V. viva vocis oraculo nobis facto dixit, & declaravit fuisse, & esse mentem, & intentionem suam, quod ejus litteræ in forma Brevis, sub die 23. Octobris 1566. Pontificatus sui anno primo editæ, in quibus Mulieribus quibuscunque Monasteriorum Regularium ingressus cum derogatoriis clausulis, & irritantibus decretis prohibebatur, non solùm comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & habere prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi hujusmodi monasteria, sed etiam omnes, & quascunque mulieres alias, tàm in genere, quàm in specie; significans nihilominùs idem Sanctiss. D. N. eodem viva vocis oraculo nobis facto, quod propter hoc, & per dictas suas litteras non intelligit, quod Mulieribus præcludatur aditus accedendi ad Monasteria, & loca Regularia, ac eorum claustra, quando in eis Missæ, & alia divina officia celebrantur, ac quando processiones fiunt, & quando Christi fidelium cadavera ibi sepeliuntur, ac etiam pro eis suffragia fiunt, sed liberè concessit, & concedit eisdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum aliis catholicis personis accedere liberè & licitè possint, & valeant, & similiter, quod quando divinum verbum in Ecclesia Monasteriorum, & Regularium locorum hujusmodi proponitur, vel propter aliam quamcunque causam est tantus concursus populi, quod commodè ingredi non possint, & egredi per principalem portam Ecclesiæ, concessit, & concedit, eodem viva vocis oraculo, ut dictæ mulieres una cum aliis sæcularibus personis, possint ingredi, & egredi per Portam Claustri Monasteriorum, & Regularium locorum hujusmodi, dummodò recto tramite accedant ad portam, à qua exitur à Monasterio, non obstantibus privilegiis, & litteris Apostolicis, ac quibuscunque in contrarium facientibus. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes nostras litteras exindè fieri fecimus, illasque manu propria subscripsimus, sigillique nostri, quo in talibus utimur impressione communivimus. Datum Romæ in Palatio Apostolico in ædibus nostræ solitæ residentiæ, sub anno à Nativitate Domini 1568. Indictione 11. Die verò 28. mensis Ianuarii,

Pontificatus prælibati Sanctiss. D. N. Pii V. anno tertio.
Alexander Card. Cribellus Robertus Fontanus.
(Locus Sigilli)

2. Quod refert *Steph. Quaranta* in sua *summa Bull. verb. Monaster. & Convent. pag.* mihi 305. *in fin. Rodriquez* in sua nova *Collect. Bull. Apostol.tom.*2. post *Constit. Pii V.* in *Oraculis* ejusdem Pontif. *Oracul.*2.*fol.* 427. *Joannes Crux de stat Relig.lib.* *cap.*5.*dub.*1. *conclus.*2.*pag.*39.*& Festus in summ. de ingressu Mulieribus interdicto, cap.* 16. *pag.* 23.

3. Tum etiam, quia hoc totum fuit Nostratibus intimatum in Generali Capitulo 1571. & inter nostras *Constitutiones* repositum, prout habetur in *cap.* 1. *de Domib. concedendis,text.* 5.*litt. K in declar. col.* 1.*pag.* 101. ubi in *fine* dicitur, *cui etiam* (supple D. Cardinali Alexandrino Cribello) *declaravit Sua Sanctitas, in cæteris servandum esse suum motum proprium in omnibus Conventibus nostri Ordinis ibidem expressis.*

4. Tùm item, quia secùs dicta *Bulla Pii V.* foret elusoria, quia careret fine intento; finis enim ejus est, providere honestati, paci, & quieti Religiosorum, qui nequaquàm quiescerent, si ingressus in Domus, & loca eorundem, non interdiceretur omnibus mulieribus indifferenter; etenim facilè esset, hujusmodi licentias abscondere, & fateri, se ingredi, non prætextu privilegiorum, sed aliundè; aut Mulieres non privilegiatæ fierent audaciores, vel tutiores, minusque peccarent, ingrediendo sine licentia, quàm præsumentes ingredi cum licentia, & facultate Romani Pontificis, quod utrumque inconveniens censetur, *Navarr.in Comm.*4. *de Regul. num.*62.*& Rodriquez* post *explicationem Cruciatæ in d. Bulla Pii V. dub.* 4.*num.*6.*fol.* mihi 138.

5. Nec obstat, quod Oracula transierunt, tùm quia, respectu Dominicanorum hoc non est merè, & simplex Oraculum, sed authenticè indictum, acceptum, & pro lege positum in nostris *Constitutionibus*, sæpè sæpiùs à D. Papa confirmatis: Tùm etiam, quia hic Eminentissimus Cardinalis tunc erat Officialis Domini Papæ, & nostræ familiæ Protector, quorum Oracula adhuc vivunt, juxtà *Declarationem Urb. VIII.* incip. *Aliàs felicis, &c.* Tùm item, quia Oracula, quibus declarantur Sacri Canones, vel Constitutiones Apostolicæ, aut Privilegia Mendicantium, non sunt revocata, ut latè dixi suprà *de revoc. Oracul. q.* 5.

6. Tùm item principaliter, quia hoc *Decretum* fuit publicatum in forma *Brevis* ab eod. *Pio V.* ut liquet in ejus *Constitutione*, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem certissimum mentis suæ interpretem, si quando in litteris ab eo emanatis quidpiam occurrerit, suæ declarationis Oraculo quamprimùm explanare. Cùm aliàs à nobis emanaverint quædam litteræ in simili forma Brevis, sub die* 24. *Octobris* 1566. *Pontificatus nostri anno* 1. *&c.*

7. In quo *Brevi* omnia prædicta repetit, & declarat cum validissimis derogatoriis, & fuit editum sub die 6. Julii 1570. Pontificatus sui anno 5. quod per extensum habes in novo *Bull. Cherub.* post *Bullam vigesimam* ejusdem Papæ, *pag.* 199. *& Confect. fol.* 179. & est *Bulla* 6. ejusdem Pontificis.

8. Nec dices, quod hæc *Bulla* declaratoria non fuit publicata, cùm desit relatio Cursoris, ut patet in *fine* illius, *Rodr. tom.* 1. *quæst. regul. q.* 48. *ar.* 2. ubi retractat, quod dixerat in *explicatione d. Bullæ Pii V. Suar. de censur. to.* 5. *disput.* 22. *sect.*6. *litt.* C. *num.* 11. *in Sexta Excommunicat.* posita contrà fœminas ingredientes, *Portellus in dub. Regul. ver clausf. num.* 1. *Paul. Layman. lib.* 4. *Moral. tract.* 5. *cap.* 12. *de Clausf. Monial. n.* 4. ubi eadem repetit, quæ dixit *Suar.* cit. *loc. de censuris, Sayr lib.* 3. *cap.* 31. & alii plures.

9. Tùm quia, ut dixi suprà, respectu nostræ Familiæ fuit publicata, tum etiam, quia satis est, ut reperiatur in eodem volumine *Bullar. Apostolic.* ad hoc, ut habeat vim obligandi, sicut & cæteræ *Bullæ*.

10. Tùm etiam, quia ita est Praxis Sacræ Pœnitentiariæ. *Navar. in d. comm.* 4. *de Regul nu.*62. ubi inquit, hoc esse, nedum de mente Pii V. sed etiam de voluntate *Gregorii Papæ XIII.* quod idem repetit in *Manuali Confess. cap.* 27. *num.* 150. §. *excommun.* 61. *Catech. Neapol. lib.* 3. *cap.* 21. *fol.* 208. *Steph. Quarant. ubi suprà in fine d. Oracul. Sanchez* latè in *lib.* 6. *decal. cap.* 16. *num.* 79. *& cap.* 17. *eod. lib. num.* 33. *Joann. Crux.* cit. *loc. Lezana* 1. *p. sum. cap.* 10. *num.* 9. *Suarez tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 1. *cap.* 7. *num.*9. ubi retractat, quod dixerat in cit. *loc. de Censuris, Diana par.* 4. *moral. tract.* 4. *Miscellan. resolut.* 179. *in fin Bonac. de Clausf. q.* 5. *punct.* 3. *num.* 1. *Flavius Cher. in comp. Bull. in d. Bull. Greg. XIII. schol.* 2. *Card. Thesaur.* 2. *p. Praxis, ver. Clausf. cap.* 2. *ver. contraria opinio, & cap.* 3. *ver. amplia primò, & Alphonsus de Leone de censuris, recoll.* 4. *ver. Mulieres cujusvis dignitatis fol.* 359. *& Remigius Scropha in Moral. q.* 5. *fol.* 27.

Qui omnes testantur de praxi, multis gravibus *Doctoribus* citatis.

11. Nec dices, quod hæc Praxis, & stylus Curiæ non ligat extrà Curiam, & quod jus prætorium non transit suum Tribunal: quia stylus Curiæ pro lege servatur, prout tenuit *Rota decis.* 55. *de concessione præbend. in antiq. num.* 2. & Curia Romana, tanquàm Caput, & aliarum Magistra, est ab omnibus sequenda. *Gonzal. super* 8. *Regul. Canc. de mensibus & alternat. Gloss.* 6. *num.* 21. Et maximè, quando agitur de interpretatione *Constit. Apostol.* ead. *Rota in recent. in decis.* 196. *& Cherub. in d. loco Compend. Schol.* 2. *Beya resp. par.* 1. *casu* 30. quod testatur de communi praxi totius Italiæ, & multis citatis *Thesaur. in d. Praxi, Coriolanus Capuccinus de casibus, p.* 2. *cas.* 3. *de nocturna egression. n.* 25. *in fine, & Novar* Canonicus 1. *p summ. de Clausf. in d. Bull. Greg. XIII. n.* 9.

12. Amplia prædicta omnia procedere in d. motu proprio *Gregorii XIII.* lato pro pace, & quiete Monialium.

Quæst. 4. *Mulieres an possint intrare ex privilegio, cum earum Comitivus?*

1. Affirmativè dic; quia ejus est legem relaxare, cujus est condere, nec manus subsequentis Pontificis ligantur lege Prædecessorum.

2. Benè verum est, quod hoc privilegium debet esse post tempora *Pii V. & Greg. XIII.* & aliorum Romanorum Pontificum, ad hoc, ut valeat; secùs, ob *Decreta* prædicta censeretur nullum.

3. Et additur, quod Privilegium hujusmodi, ad hoc, ut eis prosit, debet habere Clausulam, per quam expressè, nedum derogetur præfatis Constitutionibus, verùm etiam & Regulæ, si quæ sit, quæ præcipiat, non admittendi fœminas in Monasteria: aliter minimè prodest, quia statuta Inferiorum ignorantur à Supremo Principe: hinc nec potest præsumi, quod illis deroget, nisi exprimat, *cap.* 1. *de constitut. in* 6.

4. Amplia, ut cum tali privilegio licitè possint fœminæ intrare, & decentem familiam ducere, juxtà statum & qualitatem Personarum, prout colligitur ex *cap licet, de privil in* 6. ubi Privilegium audiendi divina officia, tempore interdicti, alicui Personæ concessum, extenditur ad eos, qui illam comitari solent, ut latè dixi suprà in *p* 1. *tract* 6. *de extensione privil. q* 13. *&* 14. & docet *Passarellus in comp. privil. Fratrum Minimorum, c* 9. *Rodr. tom,* 1. *summ.* in 2. edit. *cap.* 60 *num* 6. *& Sanchez lib.* 6. *decal. cap.* 17. *num.* 32.

Quæst.

Quæst.5. An d. Bulla comprehendat Prælatos mandantes, introduci, & admitti?

1. AFfirmant præcitati *Doctores*: nec eis objicias, quòd lex pœnalis jubens aliquid contrafacientes, non comprehendit mandantes, nec consentientes, nisi exprimat: quia aliter d. *Bulla* esset elusoria, & ejus mens defraudaretur: quandoquidem ipsi Prælati possent alicui laico committere, ut Mulieres introduceret, qui in suspensionem à Divinis, & in privationem, & inhabilitationem Officiorum Ordinis minimè incurreret, & sic mandantes ex eorum dolo, & iniquitate deportarent commoditatem, quod non est dicendum; quod totum clariùs constat ex verbis *Motus Gregorii XIII.* suprapositi, ibi, *ingredi faciant, vel permittant.*

Quæst.6. Religiosi comitantes, vel alloquentes Mulieres ingressas, vel introductas; an incurrant in pœnas?

1. POrtellus in dub. verb. Clausf. Monach'. num. 3. movet quæstionem illam, an Monachus, vel Monialis, quæ prædictas Personas sæculares illicitè ingredientes non invitavit ad ingressum, nec ex officio ullo modo tenebatur impedire, & postquam tamen prædictas personas ingressas obvias habet, illas alloquitur, comitatur, seu ad cibum, & potum invitat: an iste talis Monachus dicendus sit admittere tales personas ob prædictam allocutionem, comitatum, &c. & propter hæc incurrat prædictas pœnas? & *ibidem* subjungit, *olim audivi has Moniales, vel Monachos talia facientes incurrere, nunc re meliùs considerata, salvo meliori judicio credo non incurrere hoc patet primò ex prima explicatione Suarez, qui ait, illos solos admittere, qui vel invitant ad ingressum, vel officio obligati ad impediendum illum, non impediunt; ac ille Monachus, qui nihil horum fecit, nec tenebatur impedire, ex eo solùm, quod personas jam ingressas alloquitur, vel comitatur, nullo modo fuit cooperatus ad ingressum: ergò non incurrit. Lex enim tam valdè pœnalis restringi debet, & proinde puniens solos permittentes, vel admittentes ad ingressum, non puniet alloquentes, comitantes personas post ingressum, id enim oportebat explicari à Papa in re tam pœnali, Quod confirmo, nam Pius V. in Bulla, quæ incipit, Decori, & Honestati, qua prohibuit, & punivit gravibus pœnis Moniales egressas indebitè à Clausura, volens extendere prædictas pœnas, etiam ad personas comitantes, & recipientes easdem Moniales extra suos Conventus, in eadem* Bulla *statim expressit Personas extrà Conventum illas comitantes, & recipientes: aliàs prædicti comitantes non incurrerent, si non exprimerentur; Cùm ergo in nostro casu, illi duo Pontifices solùm puniant malè admittentes, vel invitantes ad ingressum, non utique punient alloquentes, comitantes, vel hospitio recipientes post ingressum*; hæc ille.

2. Et quamvis hæc *Portelli* opinio sit probabilis, sunt alii, qui oppositum probabiliùs, & veriùs tenent, ex quo *Pius V.* d. sua *Constitut.* nedùm statuit contrà introducentes: verùm etiam contrà licentiam concedentes, nec non, & contrà alloquentes, vel comitantes, aut recipientes fœminas introductas, & putant, id clarè constare illis verbis, *nè eas introducere, admittereve præsumant.* Etenim hoc verbum, (*admitto*) teste *Ambrosio Calepino* in suo *Dictionario*, idem significat, quod, *recipio, approbo, & associo*, & similia: est enim magis amplum, & plus generale, quàm illud, *Introduco*; unde plura includit, & majora comprehendit. *Navarr.* in suo *Manuali cap.27.nu.150.§. sexagesima prima excommunicatio, Sorbus Capuccinus in Compend. verb. Ingredi Monasteria, in dict. Bull. n.4. verb. aliud advertendum, & Rodriq. exposit. dicta Bulla, num.9.*

Quæst.7. Puellæ carentes usu rationis, an comprehendantur sub d. Bulla?

1. ET dico non; tum quia, hæ Puellæ non sunt doli capaces, ob carentiam usus rationis, perinde nequeunt peccare mortaliter, quòd est fundamentum excommunicationis, tum etiam, quia d. *Bulla Pii V.* loquitur de Mulieribus, quæ cùm sit pœnalis, non extenditur ad non expressa: Puellæ autem non possunt dici Mulieres, nisi ubi fuerint aptæ matrimonio, quod regulariter contingit esse post decimum annum earum ætatis: nisi malitia suppleat. *Navarr. in Comm. 4. de Regul. num. 59. Hier. Sorbo Capuc. ver. Ingredi Monast. in annot. d. Motus Pii V. & Greg. XIII. ver. 2. advertendum, Joannes Crux de stat. Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 1. conclus. 2. in fin. Rodr. in explicat. d. Bullæ, Dub. 11. num. 12. & Sanchez* multis citatis *lib. 6. decal. cap. 16. nu. 5. & cap. 17. num. 4.* ubi dicit *Pium V.* nomine mulierum intelligere fœminas ætatis aptæ ad usum rationis.

2. Quod amplia ad Moniales, respectu Puerorum intrantium Clausuram ipsarum, quia utrobique eadem est ratio, *Rodriq. tom. 1. qq. regular. q. 46. ar. 1. & Sanchez ubi suprà.*

3. Hic autem usus rationis regulariter solet accedere completo septennio: Et in dubio hæ habent discursum ad peccandum, si sint septennes: secùs autem si non sint talis ætatis prout *Sanchez* cit. *loc. & de Matrimonio disput. 16. num.* 10. & 11. & *Bonac. de Clausura quæst. 5. punct. 2. num. 2.*

Quæst.8. An introducentes Mulieres fatuas, subjiciantur d. Bullæ?

1. AFfirmant præcitati *Doctores*; quia etsi Mulieres fatuæ ex defectu rationis nequeant peccare mortaliter, nihilominùs aptæ sunt excitare ad peccandum, loqui scurrilia, quietem perturbare, scandala seminare, & hujus generis similia. Quod ego intelligo, etiam respectu Masculorum, si ingrediantur septa fœminarum: hinc introducentes, & permittentes ingredi fœminas fatuas septa Virorum, vel hujus generis Masculos Clausuram Monialium, incurrunt in pœnas præscriptas; secùs est dicendum de ipsis fatuis ingressis: eò fortiùs, si omninò careant usu rationis, qui est omninò necessarius ad peccandum.

Quæst. 9. An Reginæ, vel Imperatrices, aut ipsarum filiæ subjiciantur d. Bullæ Pii V.?

1. NEgativè, tum quia, hæ in odiosis non veniunt nomine Mulierum: nisi in specie exprimantur; etenim sunt speciali nota dignæ, ut omnes advertunt: unde possunt ingredi in Monasteria cum honesta familia, & absq; Privilegio. Tum etiã; quia *Motus* prædicti loquuntur de Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & de omnibus aliis Mulieribus; his tamen inferioribus: hinc nedum Reginæ, Imperatrices, & earum filiæ videntur exceptæ: verùm etiam, & Principissæ; prout notat *Rodr. tom. 1. q. 48. art. 1. ver. circà quam decretalem*: si enim Summus Pontifex eas comprehendere vellet, ipsarum meminisset, sicut meminit Comitissarum, & aliarum in dictis *Motibus* expressarum, perinde poterunt, intrare sine privilegio cum earum Comitivis, ut decet, & dictum est suprà.

2. Nec objicias, quòd *Pius V.* declaravit, in suo *Motu* comprehendi omnes, & quascunque Mulieres, tam in genere, quàm in specie, & quòd lex generaliter loquens, indistinctè debet intelligi.

3. Quia loquitur indifferenter de Comitissis, & infra; non autem de Superioribus, nec de aliis Mulieribus constitutis in majori dignitate, quemadmodùm sunt Principissæ,

pissæ, Reginæ, Imperatrices, & ipsarum filiæ, *Bonac. de Claus. q. 5. punct. 2. num. 6.*

Quæst. 10. *An d. Bulla Pii V. comprehendat Fundatrices?*

1. Affirmativè dic; quia hæ veniunt nomine Mulierum, de quibus præfati Summi Pontifices loquuntur indistinctè, *Rodriq. in explicat. d. Motus Pii V. num.* 3. ubi dicit, quòd ideò prohibitum est Comitissis, Marchionissis, & Ducissis intrare septa Virorum, quia hæ solent esse Fundatrices, & Patronæ Monasteriorum: & ad excludendum opinionem illorum, qui potuissent pensare, Fundatrices non comprehendi sub *d. Bulla*, *Bonac. de Claus. q. 5. punct. 2. num.* 3. Benè verum est, quòd prædictum *Statutum Pii V.* non derogat Regulæ Sancti Francisci de Paula, nec alterius, si qua sit illi similis, qua cavetur, ut singulæ Dominæ, de stirpe Regia procreatæ, ac etiam omnes dicti Ordinis Fundatrices, cum honesta Comitiva possint septa communiora visitare, prout Sacra Congregatio, jussu *Greg. XIII.* declaravit: & habetur in actibus trium Capitulorum, à *Patre Rossarello* compilatis; & refert authenticè quoad totum factum *Laur. Peyr. to. 1. privil. Minim. in Constit. 6. Julii 2. num. 6.* §. 3. sub die 31. Novembris 1577. *Rodriq. tom. 1. q. 48. art. 1.* & *Festus in summ. Constit. Dominican. cap. 16. de ingressu Mulier. in fine*, quia quæ consistunt in facto, censentur ignota, perindè non intellecta à Romano Pontifice; maximè particularia statuta Regulæ.

2. Quamobrem, Religiones carentes tali Regula, vel consimilem non habentes, sine incursu pœnarum non valent hujusmodi Fundatrices admittere: quia dictus *Gregorius Papa Decimus tertius* non indulgendo; sed declarando dixit, non censeri per *d. Motum Pii V.* derogatum prædictæ Regulæ Minimorum; prout benè notat *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 17. num. 7. difficul. 3.* & *Bonac. de Claus. quæst. 5. punct. 2. num. 3.*

Quæst. 11. *Mulieres, an possint ingredi Hortum Religiosorum, sine incursu censuræ?*

1. Negativè dic; si Hortus sit intrà Clausuram, & pars illius, qui deserviat recreationi Religiosorum, manendo intrà septa, ut patet in Hortis Monialium: secùs autem, sive sit contiguus cum ipsis Monasteriis, sive distans. Etenim sat est, ut sit extrà Clausuram; & quòd ad eum pateat aditus, fiatque accessus, non transeundo per septa: quandoquidem *Pius V.* prohibuit, Mulieres ingredi Monasteria; verùm nomine Monasterii, ex declaratione tot Romanorum Pontificum, ea solùm veniunt, quæ sunt intrà septa, seu ambitum Monasterii, & quæ una clausura clauduntur, ut benè notat *Navarr. de regul. conf. 66. in p. edit. num. 2, 3.* & 4. ubi se citat, hoc multoties aliàs dixisse, *Paz* in sua *Practica p. 5. cap. 3. § 3. n. 32. Sanchez in 6. lib. decal. cap.* 17. ubi latè de his Hortis *nu.* 13. & 14. *Rodriquez in explic. d. Bull. num.* 2. & alii plures.

2. Nec obstant verba *Motus proprii Gregor. XIII.* ibi, *Monasteria, Domus, & loca*, *Corolanus de casibus p. 2. casu 3. nu. 18. Graffius in practica cap. 5. de Violat. Clausuræ num. 51.* & *Barbosa in Collect. Trident. cap. 5. sess. 25. de regul. num.* 127.

Quia illa tria vocabula idem significant, & ly, *Et*, non est copula inter diversa, prout quidam existimant; sed ponitur pro, *seu*, ut lepide ostendit *Navarr.* tam in citato *Consilio*, quàm in *Comm. 4. de regul. num. 62.* ubi per extensum ponit *Motum Pii V.* in quo primò advertit, quòd conjunctiones illæ copulativæ, *ac*, &, positæ inter illa verba, *Monasteria*, & *Domos*, non sumuntur in significato proprio, secundùm quem ponuntur inter verba diversa, significantiâ diversa: sed accipiuntur impropriè, pro *seu*, vel sive: quæ ponuntur inter diversa, idem significantia, juxtà *Panormit.* receptum ab omnibus in *cap. inter cætera, de rescriptis*, & *Rodr. in d. explic. num.* 1. & habetur in *cap. Quærelam, de Simonia.*

3. Hoc pariter procedit in *d. Motu Greg. XIII.* prout notat *Joannes Crux de statu Relig. lib. 1. cap. 5. dub. 1. num. 1.* in quo claré, & magis laté *Sanchez cit. loc. num.* 5. ubi ostendit, *quòd nomine Monasteriorum, Domuum, & locorum* Papa *Gregorius idem intelligit, ex quo quando dictus Pontifex interdixit ingressum mulieribus, dixit, Monasteria quovis modo ingredi audeant, &c.* & loquendo de introducentibus, dixit, *Monasteria, Domus, & loca:* & subjungit, *quòd non est credendum, imposuisse pœnas admittentibus fœminas ad loca Monasterii in qua ingressus non erat interdictus. Rursus, quia similiter rustica Conventus prædicta, sunt Religiosorum loca, & secundùm omnes, non comprehenduntur sub dicta Bulla* hæc ille. Et egomet dixi suprà in *q. 2. tract. 1.* & favet Praxis familiæ Dominicanorum, qua Vicariatus eorum dicuntur loca, & Monasteria, in quibus ad minus cohabitant duodecim Fratres, vocantur Domus, & Conventus, prout habetur in *cap. 1. de domib. conced. text. 2. pag. 95. col. 1.*

4. Ex quibus collige, quòd nomine Monasterii, non veniunt Horti, nec loca rustica, nec alia hujus generis, nisi sint intrà septa, sub una Clausura.

Quæst. 12. *Mulieres, an possint ingredi Sacristiam Ecclesiæ Monasterii, absque metu d. Bullæ?*

1. Affirmativè, si sit Ecclesiæ conjuncta, & ab illa minimè separata: nisi uno solo pariete dividente, ad quam directè per Ecclesiam fiat accessus, quia sic est pars Ecclesiæ, & censetur Officina ejusdem, & hoc est sine controversia, cùm non sit interior Officina Conventus, sed Ecclesiæ, ut dictum est.

2. Secùs, si Mulieres nequeant ad illam pervenire, nisi transeundo per Dormitorium, aut per Claustrum, quia sic inciderent in pœnas: non quia vadunt in Sacristiam, sed quia violant Clausuram, iter habendo per loca, sub Clausura comprehensa. *Sorbus in addit. ver. Ingredi Monasteria*, & est communis, & patet ex Praxi Dominicanæ familiæ, qua Superiores suffulti, indifferenter permittunt, Mulieres illuc accedere: dummodò intrent cum honesta Comitiva, ad hoc, ut videant Paramenta, Vasa Argentea, Aurea, & similia, quæ asservantur in nostris Sacristiis, vel audiant Divina: etenim in eis interdum celebrantur Missæ, persolvuntur Divina, & audiuntur sæcularium Confessiones: insuper & Cadavera sepeliuntur. Solent enim ibidem adesse fossæ Defunctorum, & in annis elapsis cùm essem Regens Generalis Studii Monasterii Sancti Dominici Civitatis Cosentiæ, nedum sine scandalo, verùm etiam sine ullo scrupulo vidi, in nostram Sacristiam ingredi Illustrissimas Mulieres de Oria Civitatis Januæ cum earum Filiabus, & Servitricibus, & consimilibus, & ibidem visitari ab Illustrissimo Archiepiscopo loci Ordinario, dum peterent Templum nostri Conventus Suriani ad persolvendum vota Deo promissa: dum votum fecerunt, & gratiam obtinuerunt.

3. Quæ Praxis innolevit apud omnes ferè Regulares, & laudatur à *Sanchez in d. lib. 6. decal. cap. 17. n. 17. in fin.* & *Rodr. in exposit.* hujus *Motus*, *num* 14.

4. Nec ab his recedas, dicendo, quòd paries divisionem inducit, ergò etsi Sacristia sit cohærens Ecclesiæ, non ob id dicetur illi conjuncta, vel contigua: etenim *Aristot. lib. 5. Phys.* subdit, illa esse contigua, quorum terminus est unus, ut patet de aqua existente in Vase; est enim Vasi contigua, sed in se continua, & illud dicitur esse contiguum, quod est sine medio, & in *cap. Hinc de Consecrat. Eccles.*

Ecclesf. vel Altar in 6. dicitur, quòd, uno Cœmiterio polluto, non censetur pollutum Cœmiterium inhærens, si habeat parietem intermedium, ob prædictam causam, dato, quòd in Pariete intermedio sit Porta. Hæc tamen Porta ingressus, vel aditus non facit res contiguas, ut docet *Glos. in d. cap.* Unde si Domus habeat parietem intermedium, censentur tunc duæ Domus, & non una, dato, quòd in pariete sit Porta, per quam itur de una in aliam, prout expresse habetur in *l. si quis duas, vers. quod, & in ædibus ff. comm. præd.*

5. Introitus ergo per eandem Portam, non facit, rem, ad quam datur ingressus, dici eandem, sed diversam, si paries dividat illas, *Gemin.* & alii plures *Canonistæ*, quos citat *Graff. in d. pract. num.* 51.

6. Quoniam prædicta jura, in casu, de quo loquimur, in multis deficiunt, & primò, quia debent intelligi de Muris principalibus, qui solent erigi, & poni in signum discretionis unius domus ab alia: sed Murus intermedius Sacristiæ non est de principalioribus, nec ponitur ad disjungendum Sacristiam ab Ecclesia, sed ad custodiendum ibidem reposita, ne deperdantur, ut patet in Cellis Religiosorum, & in aliis interioribus Officinis, quæ etsi habeant intermedium, & Portas singulares, quibus clauduntur; non ob id desinunt esse officinæ interiores ipsius Monasterii.

7. Item dicta jura habent locum in odiosis, secùs autem in favorabilibus, ut patet in Cœmiteriis. Item dato, & non concesso, quòd Sacristia non sit pars, nec officina Ecclesiæ; non fit illatio, per jura prædicta, quòd membrum Clausuræ, ut patet de Cœmiteriis, & aliis Ecclesiæ Monasterii.

8. Quæ magis certa redduntur, si recordemur, quòd Clausura incipit à Janua custodita à Janitore, & designatur à Superioribus: sed inter membra à Janitore custodita non reperitur Sacristia, nec ad id fuit à Superioribus Visitatoribus designata, ergò nunquam veniet nomine Clausuræ, prout benè notat *Bonac. de Clausf. q. 5. punct. 1. num. 4.* ubi latè de prædictis, & quid si Sacristia duas habeat Portas, unam in Ecclesia existentem, & alteram in Claustro, & *Laym. in lib. 4. Merol. tract. 5. cap. 12. num. 5.*

Quæst. 13. Mulier Medica; an possit introduci, vel admitti sine metu d. Bullæ?

1. ET dico, quòd sic, si Religiosus infirmus reperiatur in tanta extrema necessitate gravissimi morbi, ut nequeat aliter curari: nisi ope, & arte illius, & quòd non possit à septis extrahi, nec ad illam venire, nisi in Sacristiam, vel Ecclesiam ascendere.

2. Quod non reputes impossibile, ut si infirmus pro extrema curatione sui morbi indigeat lacte mulieris, vel ejus arte pro revocatione ossium, Cruris, vel Brachii confractorum, vel affectus tali morbo, cui mederi, præter illam, vel nullus reperiatur in illo loco, vel nemo sciat: & sic de aliis. 3. in quibus standum est judicio Medicorum, tam quoad necessitatem Patientium, quàm quoad scientiam Mulierum introducendarum, *Sorbus ver. Ingredi Monast. in d. mot. Pii V. & Greg. XIII. num. 6. Rodr. in explicat dub. 3. num. 13. Sanchez in d. lib. 6. decal. cap. 17. num. 20. Bonac. de Clausf. q. 5. punct. 4. num. 4. Alphons. de Leon. de censur. Recoll. 4. ver. Mulieres, pag. 360. col. 1. in fine, & Coriol. p. 2. de casib. casu 3. nu. 20. fol.* mihi 189.

3. Quam conclusionem *Rodrig. tom. 1. q. 46. art. 7. in fin. ver. & idem omninò dicendum,* ampliat ad casum moralis indigentiæ, ut si in aliquo Conventu sint septem, vel octo Fratres, quorum aliqui absint, alii tempore æstatis colligant eleemosynas, vel annuos redditus, alii sint senes, & ibidem aliqui infirmentur, & nullus sit infirmarius, qui eis valeat ministrare. 3. Sed de hac ampliatione est valdè dubitandum, ut doctè motivat *Sanchez loc.* cit. dicens, esse casum metaphysicum.

4. Quod limita, dummodò talis ingressus fiat de licentia Provincialis, vel Prioris Conventualis, cum consensu sui Capituli, & cum debita Comitiva sæcularium, ad hoc, ut absit infamia Religiosorum, & sciatur causa talis admissionis, & introductionis.

5. Et hoc ideò, quia defensio vitæ propriæ est de jure naturæ. Tùm etiam, quia necessitas non habet legem. Tùm item, quia sicut Monialis à Clausura, justa de causa, ab Episcopo approbanda, potest exire, juxtà *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* Ita à pari poterit Mulier ingredi septa masculorum ex causa rationabili, à Provinciali, vel Priore, ut suprà approbanda. Tùm deniq;, quia dicti *Motus* loquuntur de præsumentibus, in casu autem, de quo agitur, nulla est præsumptio, quæ malitiam includit, & dolum, sed necessitas, quæ præsupponitur. Tùm item, quia leges humanæ non censentur obligare cum tanto periculo vitæ; juxtà illud *Matthæi, Jugum meum suave est, & onus meum leve, Sorbus* cit. *loc.*

6. Proinde, si quis Regularium ex aliquo accidenti abscondat mulierem confugientem in Monasterium pro aliquo bono fine, nempe ne occidatur à suis, vel ne violetur ab hominibus, vel pro quavis alia justa, ac decenti, & urgenti necessitate, quæ moram non patiatur: non incidet in pœnas appositas contrà introducentes, quia, ut dixi, *Decreta* prædicta imponuntur contrà eos, qui ausu temerario, & præsumptione introducunt, vel admittunt.

7. Quapropter, in inquirendis hujusmodi rebus Prælati debent esse cauti, ne inquietent eos, qui bono fine fœminas admiserunt, *Navarr. Comm. 4. de Regul. num. 19. q. 5. & num. 62. Coriol.* cit. *loc. num. 20. in fine, & Sorb.* cit. *loc. nu. 4.*

8. Quippè qui, deducto malo fine, si reperiantur Mulieres admisisse ex quadam levitate, vel curiositate, aut ex ignorantia sufficienti ad excusandum à peccato mortali, in casu punitionis debent puniri, non rigorosè, juxtà *Decreta* prædicta, quæ locum habent duntaxat in præsumentibus; sed extraordinariè, prout prudenti videbitur Prælato, quod est mente tenendum, *Navarr.* cit. *loc. num. 62.*

Quæst. 14. Mulieres bajulantes, seu portantes onera, etiam ex consuetudine loci, an possint introire Monasteria Virorum cum licentia Superioris Monasterii?

1. REmigius Scrofa nostræ familiæ in suis *Moral. q. 5. in addit. nu. 4.* affirmat, dummodò intret de licentia Superioris Monasterii, & quòd non reperiatur alius, qui posset illa onera introducere: quia sicut Episcopus, vel Superior Religionis respectivè dat licentiam Viris, ut ingrediantur Monasterium Monialium, ad illud onera deferendum, juxtà dispositionem *Sac. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* ibi, *ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia*, & prout Sacr. Congreg. plures declaravit; & refert *Farinac. & Barbosa in Collect. d. cap. Trid.* multis cit. *num. 97.*

2. Ita à pari fœmina de licentia Superioris Monasterii poterit intra septa Virorum onera portare, quod probatur ex eo, quia ubi est eadem ratio, & idem jus servandum erit: eò magis; quia Clausura Monialium est magis stricta, & periculis obnoxia, prout latè ostendit idem *Scropha ubi suprà*, & nascitur ex eisdem rationibus, positis in præcedenti. Sed de hac opinione ego dubito, primò; quia non potest esse talis; & tanta necessitas personæ mulieris, secundò, quia potest deponi onus ante portam Clausuræ, & à Monachis deferri intrà Clausuram, & ubi opus fuerit; & ita suadet ratio decentiæ, & modestiæ, &c.

Quæst. 15.

Quæst. 15. Atrium Collegii, seu Scholarum Illustrissimæ Religionis Societatis Iesu, & consimilium, an comprehendatur sub Clausura?

1. NEgativè dicendum videretur; tum quia, ea loca censentur esse sub Clausura, quæ fuerunt à Prælatis designata: tum etiam, quia Clausura incipit à Porta, in qua est sedes Janitoris, ad Clausuram servandam, quod non potest dici de Atriis, tam prædictarum Scholarum d. Illustriss. Societatis, quàm aliorum Regularium; proinde possent in illa intrare Mulieres, absque metu *Bullæ*.

2. Nec obstat, quòd habeant Portas, quibus claudantur: quia hæ Portæ patent quotidiè omnibus, nec fuerunt appositæ pro Clausura, sed pro custodia bonorum, ut liquet in Portis Ecclesiarum. Tamen in praxi videmus, nunquam Mulieres fuisse ingressas Atrium Scholarum Societatis Jesu, nec aliorum Regularium, & ratio esse potest, quia licet non sit de Clausura strictè loquendo, est tamen destinatum pro ornamento Clausuræ; & propter Decentiam non licet mulieres introire, ubi tantùm homines, & Regulares practicare solent, ita tenet doctissimus, & piissimus *Pater Thomas Sanchez tom. 2. summa lib. 6. cap. 17. nu. 18.* cum quo Ego concurro.

Quæst. 16. Mulier, an possit ingredi Clausuram, si in ea nullus Religiosus sit?

1. ET dico, quòd non, quia in tali casu faceret contrà legem, quæ sub gravissimis pœnis prohibet mulieres introire Conventus: nec obstat, quòd in casu posito cesset finis legis, nempè, Regulares perturbari, vel incitari ad peccandum; dum, ut supponitur, in Monasterio nullus existit. Quoniam hoc est per accidens, & de raro contingentibus. Lex autem respicit id, quod est per se, vel quod sæpius accidit.

2. Nec dices, quòd cessante causa prohibitionis, cessat ipsa prohibitio, *cap. cùm cessante, de appellat.* quia procedit, quando causa cessat per se; secùs si ex aliquo accidenti: ut si Fratres omnes egrediantur à Monasterio ratione alicujus solemnis Processionis, vel alterius gravis negotii, *Bonac. de Clauf. quæst. 3. punct. 1. num. 7.*

Quæst. 17. Mulier ingrediens Claustrum sine dolo, fraude, & malo fine: sed ex quadam simplicitate, vel inadvertentia; an incurrat pœnas?

1. NEgativè: quia d. *Bulla* loquuntur de audentibus, & præsumentibus ingredi. Etenim verbum, *Audeo, & Præsumo*, arguunt Dolum, & Temeritatem, ex c. 1. *& cap. Monasteria, de Vit. & Honest. Cler. cap. fin. ne Prælati vices suas, Navarr. in cap. statuimus, 19. q. 3. num. 62.*

2. Idem procedit in eo, qui inadvertenter, vel ignoranter sepelit hæreticum in loco sacro; item de Confessario absolvente à casibus reservatis; non enim incidunt in excommunicationem, *Vulpes in sua Praxi cap. 4. nu. 9.*

Quæst. 18. Mulieres introeuntes Monasteria, quæ sunt in fieri: an incidant in pœnas d. Bullæ?

1. NEgativè; quia carent Clausura, quod procedit, etiam si ibidem habitent Fratres, ut deserviant fabricæ; secùs autem; prout Sacra Congregatio declaravit, anno Domini 1584. teste Eminent. Cardinali Alexandrino Cribello, qui sub tali forma verborum, nomine ejusdem Sacræ Congregationis respondit; *in Monasteriis, seu locis, quæ sunt in fieri, vel in quæ, dum fabricantur, adhuc Conventus ad illa morandum non fuerit introductus, sed solùm ibi aliqui habitaverint Fratres pro fabrica potius servitio, quàm aliter, Clausuram nullam esse talem, ut si mulieres in eis intrarent, pœnas propterea in supradicto Motu Pii V. contentas incurrerent.* Idemque debet dici, de Domibus, seu Infirmariis publicis, in Civitate positis, cùm nec Ecclesiam, nec Conventum habeant; & refert per extensum *Sorbus in Compend. ver. Ingredi Monasteria, in annotat. d. Bull. Pii, & Greg. num. 13. ver. est advertendum, & Festus in 1. p. summ.* nostrarum *Constitutionum, cap. 16. de ingressu Mulieribus interdicto,* propè *finem fol.* mihi 25.

Quæst. 19. An causa Processionis possint Mulieres licitè ingredi septa Monasterii?

1. REspondeo, quòd in multis casibus Mulieres ex nova concessione sibi facta à *Pio V.* teste Eminent. Cardinali Alexandrino nostri Ordinis, & constat ex *Bulla* Declaratoria dicti Pontificis, quam, & quas habes hic in *q. 3.* possunt licitè ingredi Claustra Religiosorum, primò, quando in eis Missæ, & alia Divina officia celebrantur: secundò, dum fiunt in eis Processiones: tertiò, quando ibidem cadavera Christi fidelium sepeliuntur, & quando pro eis suffragia fiunt: quartò, quando Divinum Verbum proponitur in Claustris: quintò, quando tantus concursus Populi fuerit, quòd commodè ingredi non possunt, & egredi per Portam Ecclesiæ, in tali casu possunt ingredi, & egredi per Portam Claustri Monasterii: dummodo recto tramite accedant ad Portam, quâ exitur à Monasterio.

2. De qua *Bulla, & Oraculo* Vivæ Vocis multa dixi in *d. q. 3.* & notat *Rodr. tom. 1. q. 48. art. 3. & in exposit d. Motus propriu Pii V. num. 15. Sorbus ver. Ingredi in addit. ad d. Motum num. 7. Sanchez lib. 6. decal. cap. 17. num. 22. q. 2. Taxeda* nostræ familiæ in *contr. moral. tom. 1. lib. 2. tract. 1. contro. 17. n. 8. Festus in 1. p. sum. c. 16. Alph. de Leone de censuris, Recoll. 4. ver. Mulieres, pag. 360. col. 2. & P. Diana p. 7. moral. tract. 12. Miscell. resolut. 6.* & est communis.

3. His tamen se opponunt *Joannes Antonius Novarr. par. 2. summ. Bull. ver. Clausura, num. 6. & Marcellus Vulpes* in sua *Praxi judiciali cap. 4. num. 7.* dicentes, quòd supradicta Declaratio mentis *Pii V.* cessat ex *Decreto* Sac. Congregat. Rituum: etenim fuit datum Memoriale Emin. & Rever. Cardinalib. pro Reverendiss. Episcopo Oriolens. sub hac forma verborum.

4. *Illustriss. & Reverendiss. DD. Archidiaconus Oriolen. DD. VV. Illustrissimis, & Reverendiss. qualiter in Civitate Oriolan. usu, seu forsan consuetudine immemorabili introductum est in aliquibus Monasteriis Regularium, scientibus, & non contradicentibus Episcopis pro tempore, ut annatim faciant suas Processiones, tam solemnes Rogationum, Candelarum, Palmarum, de Sanctissimo Sacramento, ac alias, quam privatas de Cruce tempore Passionis, de Rosario, de Carmine, de Cingulo Sancti Francisci, de Corrigia Sancti Augustini, cum similibus singulis mensibus per Claustra dictorum Monasteriorum comitantibus, undique devotionis, & Religionis causa utriusque sexus fidelibus, quod cùm videatur contrarium Constitutionibus Sanctæ mem. Pii V. & Greg. XIII. quibus præcluditur aditus Mulieribus accedendi ad Claustra Regularium; ideò Orator supplicat, declarari, an hoc jure liceat.*

5. Sacra Rituum Congregatio respondit, *Non licere Mulieribus comitari processiones per Claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit in hoc expressa licentia Sedis Apostolicæ die 3. Septembris 1628. Fulvius Beng. Secretarius. Unde hodiè stante dicto Decreto non licet Mulieribus ingredi Claustra Monasteriorum, comitando Processiones, absque expressa licentia Sedis Apostolicæ.* Hæc ille.

6. Verùm tamen d. Declaratio Sacræ Congregationis non censetur vera, & authentica: quia eadem Sacra Congregatio Rituum decrevit, ut ad hoc ei credatur in judicio, vel extrà, sive sit impressa, sive manu scripta, oportet

ret, ut sit solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarii ejusdem Congregationis, pro tempore munita, ut constat ex *Decreto* jussu *Urb. VIII.* edito die 11. Augusti 1632. & per extensum refert *Barbosa in Coll. Bull. ver. Congregatio, pro Sanctis Ritibus, num. 2. & Lezana tom. 3. summ. verb. Sacra Congregatio, num. 5.* & notat *Diana* cit. *resolut. & Alphons. de Leon.* cit. *loc. de censuris*, ubi ait, quòd dicta petitio per Illustrissimum Episcopum Oriolens. exhibita, fundatur in consuedine, & nullum verbum facit de nova concessione Mulieribus facta per *d. Pium V.* ut constat ex authentica attestatione facta per Emin. Cardinal. Cribellum, quam habes suprà in *q.* 3. & referunt *Stephan. Quaranta ver. Monasteria, & Conventus, Bonac. q. 5. de Clauf. punct. 4. num. 4. Portellus ver. Clauf. Monach. num. 5. Campanilis cap. 12. num. 37. subr. 12. & Lezana tom. 2. c. 10. nu. 12.*

7. Quibus additur nova *Constitutio d. Pii V.* quæ incipit. *Decret. Romanum Pontificem.* & refert per extensum *Confectinus* inter *Bullas* ejusdem *Pii, pag.* 179. & *Cherub.* in suo novo *Bullar.* post *vigesimam* ejusdem Papæ *pag.* 199.

Nec non & universalis Praxis omnium Religiosorum, & præcisè Civitatis Romanæ, cui nullum adversari cognovi, *Dian.* cit. *loc.*

Quæst. 20. *Quid veniat, & intelligatur nomine Divini, & Pii officii?*

1. RESpondeo, quòd Romanus Pontifex in re, de qua agitur, debet intelligi de Divinis officiis communibus, ad quæ plures solent admitti: dum publicè peraguntur à Ministris Ecclesiæ, *Bonac.* cit. *loc.*

2. Et dicuntur Divina, quia includunt, & exigunt aliquas sacras Orationes, Cæremonias, & Ritus, ab Ecclesia approbatos.

3. Et sunt multa, quibus, quamvis fiant in Religiosorum Claustris, possunt tamen adesse mulieres: quemadmodum sunt Missæ, si ibidem celebrentur; benedictio Candelarum; Horæ Canonicæ, si ibi recitentur; susceptio habitus Regularis; vel Professio Novitiorum, Conciones, vel Spirituales sermones, qui solent fieri in Sextis feriis Adventus Domini, vel Quadragesimæ; lotio pedum, quæ fit in die Cœnæ Domini, & similia, de quibus *Sorb.* cit. *loco nu. 7. Rodriq. quæst. 48. art. 3. not. 3. & Taxeda ubi suprà.*

4. Limita, ingredi non licere, tempore, quo habentur lectiones per RR. PP. Lectores, nec quando fiunt ibidem electiones Prælatorum, vel defenduntur Theses, seu Conclusiones Theologicæ, nec in aliis actibus studiorum, nec si ibi fiant Tragediæ, vel Comediæ, quia hæc non computantur inter Divina officia, *Sanchez* cit. *loc.*

Quæst. 21. *Prælatus præcipiens fieri Processionem insolitam, & extraordinariam, ad hoc, ut illius occasione Mulieres possint intrare intrà septa: an incurrat in pœnas d. Bullæ?*

1. RODriquez *tom. 1. q. 48. art. 3. ver. circà quam declarationem*, dicit, quòd Prælatus non potest mandare, ut aliqua fiat Processio extraordinaria, ut illius occasione possint Mulieres dicta loca intrare, quia Summus Pontifex in sua declaratione intendit tantum scrupulos removere, & illud tantùm concedere, quod recta ratio dictat, & non dare relaxationis incentiva, nec libertatem abusus.

2. Quod confirmat ex eo, quia quando Summus Pontifex concedit aliquod faciendum *toties, quoties*, videtur concedere discretum & prudentem usum, ut ait *Michael de Palatio 4. senten. distin. 20. disp. 3. fol. 433. & Corduba* in suo *Quæstionario q. 37. proposit. 3.*

3. Per quæ verba retractat, quæ dixerat in expositione *d. Motus propriu, dub. 1. num. 15. in fin.* etenim *ibi* dixerat, quòd ubi lex non limitat, nec nos limitare debemus; igitur ex quo Declaratio *Pii V.* dicit, Mulieres posse licitè intrare intuitu Processionis; non distinguendo de Processione ordinaria, vel extraordinaria, nec nos distinguere debemus, quia etsi lex generaliter loquatur, debet tamen semper intelligi, secundùm Epikeyam humanam, ut correspondeat bono, & æquò, & sit rationi consona, *Sanchez lib. 6. decal. cap. 17. num. 23. dub. 1. & Sorb. in annot. d. Motus, num. 7.*

4. Proinde, si in aliquo Conventu Claustrum ornetur Tapetis, & similibus, ut solet fieri in Processione Corporis Christi, & manè per Claustrum fiat Processio, non poterunt fœminæ Vesperi intrare ad videndum ornamenta Claustri prædicti, sine nova Processione: secùs erit abusus intolerabilis, contrà quem validissimis rationibus invehitur *Portellus in resp. p. 3. casu 37. n. 3.* usque in *finem, & Rodr. in d. exposit. num. 20.* quia integrum est fœminis ingredi intuitu Processionis tantùm, ut constat ex *d.* Declarationibus, & non aliàs, nec alio modo, sine incursu dictarum pœnarum.

5. Nec Prælatus debet instituere novam, vel insolitam Processionem pro satianda levitate, vel curiositate Mulierum, nempè, ut videant novam fabricam, & similia.

6. Quia sic saltem abuteretur sua potestate, & ob id esset puniendus; non illa pœna præscripta in *d. Bullis* contrà admittentes, vel ingredi facientes. Quia in tali casu Prælatus non admittit fœminas illicitè ingredientes, sed licitè: hoc est, intuitu Processionis, hinc non incurrit in pœnas *Bullarum*, sed in alias arbitrarias, ob abusum potestatis, ut notat *Coriolanus p. 2. de casibus, casu 3. num. 23. in fin. Bonac. q. 5. de Clauf. punct. 4. n. 14. & Alphons. de Leon. de censuris, verb. Mulier recoll. 4. pag. 361. col. 1.* ubi probat, Prælatum, ob processionem insolitam, vel extraordinariam institutam non incurrere excommunicationem Papalem.

7. Dixi, peccare saltem, & debere puniri ratione abusus suæ authoritatis, quia *Rodriq.* cit. *loc. Joannes la Crux in Epitom. lib. 1. cap. 5. conclus. 3. & Villalob. 2. p. sum. tractat. 35. diff. 27. de Clauf. Monach. num. 4.* tenent, Prælatum non posse indicere insolitam, nec extraordinariam Processionem, ad hoc, ut Mulieres possint, causa Processionis intueri ornamenta Claustri, vel novam fabricam, absque peccato mortali, & sine incursu pœnarum præscriptarum in *d. Bullis.*

8. *Portellus* autem in *dub. verb. Clauf. Monach. num. 6. §. scio* tuetur contrarium: nempè, posse Prælatum instituere novam Processionem, ad finem prædictum, quod probat multis argumentis, desumptis ex doctrina *Rodriquez*, & adaptatis contrà eundem, quibus studet satisfacere *Hier. Rodr. in comp.* vide *illum.*

9. Sed his prætermissis clarum est, quòd lex, seu præfata Declaratio *Pii V.* introducendi Mulieres causa Processionis loquitur absolutè, & verè, & realiter debet intelligi secundùm Epickeyam humanam, qua si Prælatus abutatur, peccat proculdubio, & debet puniri à suis Superioribus, ut dictum est.

Quæst. 22. *Mulieres scientes, talem Processionem fieri à Prælatis illicitè, & ad hoc, ut ipsæ possent ingredi intrà septa, an incurrant pœnas d. Bullæ?*

1. RESpondeo negativè, tum quia, ad ipsas non pertinet judicare de justitia Processionis, tum etiam, quia ingrediendo utuntur jure suo; quod procedit, etiam si sciant, processionem fieri à Prælatis ad malum finem, *Bonac. de Clauf. q. 5. punct. 4. num. 14.*

Quæst. 23.

Quæst. 23. Mulieres intrantes cum processione, si ingrediantur ob pravum finem, vel ob curiositatem videndi novam fabricam, aut ornamenta Claustri: an peccent mortaliter, & sint excommunicatæ?

1. RODriquez *in d. q. 48. art. 3. not. 2.* cum suo *Comp. num. 4. in medio, Sorb. ubi suprà, num. 25. Sanchez in d. lib. 6. cap. 17. nu. 28. Tertia difficult. & Bonac. q. 5. de Claus. punct. 4. num. 14.* ajunt, non incurrere in pœnas dict. *Constit.* nec Superiores admittentes, etsi aliundè peccent. Quia quoties ingressus fit intuitu Processionis, vel animo interessendi Divinis Officiis, toties erit licitus: sed ita est, quòd pœnæ in *d. Bull.* statuuntur ingressui illicito, seu interdicto, ergò.

2. Nec nocet dicere, quòd fuit ingressa, vel admissa in malum finem; tum quia Ecclesia non judicat de occultis, tum etiam, quia satis est, quòd ingressus sit licitus, quamvis illi adjungatur malus finis, ut clarè patet ex illis verbis, ibi *quando in eis Missæ, & alia Divina officia celebrantur, concedit, ut ad illa loca accedere liberè, & licitè possint*: ergò in tali casu cessat prohibitio humana.

3. Proinde, si quis ingrediens Monialium Clausuram in casu urgenti, ex legitima causa, introeat cum animo fornicandi, & de facto fornicetur, non ob id incurrit pœnas *Constitutionum*; etsi ratione pravi finis mortaliter peccet, *Sanch.* cit. *loc.*

4. Benè verum, quòd *Portellus in respons. casu 38. num. 3. in fin.* ex multis non potest credere, aliquem Summum Pontificem concessisse, nec concedere licentiam fœminis, ut intrent ad solùm videndum ornatum Claustri, vel ad aliam vanitatem adimplendam: sed solùm intuitu Piorum Operum, & non, ut sedeant in Claustro conversantes, vel, ut ibidem quid deterius peragant.

5. Hinc, deducto fine intento à *Piu V.* si fœminæ ingrediantur, non animo interessendi Divinis officiis; sed ob aliud humanum motivum, peccant mortaliter, & incidunt in pœnas, quòd habet locum in fœminis ingredientibus, & Religiosis admittentibus; sed *Bonac. & Sanchez ubi suprà* censent, id esse probabile.

Quæst. 24. Fœmina finitis Divinis officiis; an teneantur statim à Conventu exire?

1. REspondeo, quòd sic; verùm istud adverbium, *Mox, & Statim,* debet intelligi, non metaphysicè, sed moraliter: unde si in Claustris, peractis Divinis, brevi temporis spatio demorentur, non sunt damnandæ; *Sanchez* cit. *loc. num. 19. 4. difficult.* & procedit etiam respectu Religiosorum detinentium illas Religiosa conversatione per quartam partem horæ, & minùs, *Taxeda in Controver. Moral. tract. 12. contr. 17. num. 8. & Diana p. 7. moral. tract. 12. Miscell. resolut. 6.* dummodò illa detentio non fiat malo fine, secùs peccarent ratione hujus circumstantiæ.

2. Proinde, recedendum est à *Rodriq. in exposit. d. Motus, num. 19.* ubi testatur, Religiosum, qui finitis officiis, causa est diutinæ fœminarum moræ, & ipsas fœminas diu ibidem morantes, incurrere pœnas.

3. Quia hæ pœnæ non imponuntur moram trahentibus, sed ingredientibus, absque licentia, & dum ingressus fuit licitus, per detentionem, & moram non contradicitur *dict. Bullis,* quæ cùm sint pœnales, non sunt extendendæ, sed restringendæ: secùs autem si Officinas interiores Conventus ingrediantur, quia ad Claustrum solùm, & loca, ubi officia celebrantur, concessit Dominus Papa posse introire, prohibendo ingressum in Officinas interiores, *Sanchez cit. loc.*

4. Verùm plures probabiliter docent, fœminas, quæ licitè in casibus permissis ingressæ sunt in aliqua loca Monasterii, excusari ab excommunicatione, etiam si postquàm ingressæ sunt, ad ulteriora progrediuntur: quia licet peccent contrà violationem Clausuræ, in morando, vel ulteriùs progrediendo: nihilominus pœnam excommunicationis incurrere non videntur, quia hæc lata est contrà Mulieres præsumentes ingredi, sed in morari, vel ad loca Monasterii ambulare, percurrere, aut visitare, non est ingredi, ergò.

5. Nec objices, quòd *Pius V.* in declaratione concessit fœminis facultatem progrediendi ad illa loca, in quibus Missæ celebrantur, Processiones, Conciones, Funera, & alia Divina officia peraguntur, ergò fœmina ulteriùs deambulando afficitur excommunicatione Papali, quia respondet *Bonac. q. 5. de Claus. punct. 4. num. 16. consequentiam non valere: etenim licet fœmina peccet ulteriùs progrediendo, non tamen dicitur ingredi Monasterium; sed Monasterium perlustrare, & consequenter non afficitur excommunicatione data contrà fœminas ingredientes, nam in declaratione non continetur excommunicatio, sed in ea datur facultas ingrediendi in certis casibus, & excommunicatio contenta in Motu Pii V. loquitur dumtaxat de fœminis ingredientibus,* hæc *Bonac. cit. loc.*

6. Quæ opinio multis non placet, & signanter *Dianæ p. 4. moral. tract. 4. Miscell. resolut. 179. ver. not.* nec mihi, ob multa, placere potest; quia Summus Pontifex, nedum prohibuit ingredi januam Clausuræ, sed etiam Officinas interiores, perinde Clausura Monasterii, nedum violatur per ingressum primæ Portæ, sed etiam per ingressum illegitimè factum ad loca interiora, & ad totum illud spatium, quod principalibus muris terminatur, & finitur: etenim totum illud spatium dicitur Clausura, & Monasterium.

7. Secundò, *Pius V.* in suis declarationibus concessit fœminis, ut quando Divinum Verbum haberetur in Ecclesia, ob Populi concursum, possint ingredi, & egredi per januam Claustri, dummodò recto tramite accedant ad Portam, qua exitur à Monasterio: nota quæso ly, *recto tramite.*

8. Tertiò, Dominus Papa dedit facultatem eisdem Mulieribus, ad illa loca licitè accedere, ubi Pia opera exercentur cum aliis Catholicis personis; prout clariùs constat ex Declaratione, & *Bulla* præfati *Pii V.* ergò præter hos casus, & deficientibus his conditionibus, itur contrà primam *Bullam Pii V. & Gregor. XIII.*

9. Confirmatur, quia, ut *Juristæ* dicunt, exceptio firmat Regulam in contrarium, ergò Romanus Pontifex, præter casus declaratos firmavit suam *Bullam* priorem prohibentem omnem alium ingressum ad loca Monasterii.

10. Quod pariter potest confirmari per illud Theorema: quo dicitur, quòd expressum in lege, facit cessare præsumptum, & *Navarr. in cons. 8. de elect. num. 2.* ait, à jure regulari non est recedendum: nisi quoad ea, quæ inveniuntur excepta. Pro quo citat *Glossam,* communiter receptam: ergò exceptis illis quatuor casibus declaratis, non licet priorem *Bullam* in aliis casibus inficere.

Quæst. 25. Mulieres, an possint licitè comitari Eucharistiam ad Religiosos infirmos, publicè, & solemniter delatam: nec non ea omnia adire loca, ad quæ vadit Episcopus tempore consecrationis Ecclesiæ Religiosorum?

1. AFfirmativè dic; dummodò eant cum processione publica, & solemni, quia in tali casu utuntur jure suo: etenim, ut sæpè diximus, ex concessione *Pii V.* ad ea omnia loca licitè, & liberè possunt accedere, in quibus fiunt Pia, & Divina Opera, aut peraguntur publicæ processiones: non autem peractis Divinis Officiis, & pro-

processione finita. *Coriolanus p. 2. de casib. casu 3. num. 23. ibi, idem videtur dicendum in tempore consecrationis Ecclesiæ, s.q. tunc mulieres possunt ire ad omnia illa loca, ad quæ vadit Episcopus cum processione, dum tamen eant simul cum processione, non autem si peractum sit officium, quia si amplius non sit processio, non licet Mulieribus ingredi clausuram*, & *Bonac. de Claus. q. 5. punct. 4. nu. 11. verb. sextò fœminas*, ibi. *Sextò fœminas ingredi posse, causa processionis, ut si Religiosi processionem per Claustra faciant, aut Eucharistiam solemniter, & publicè, ad infirmum deferant*, casus enim processionis, in præfata *Pii V.* declaratione excipitur, & ratio esse potest; quia nomine Divini Officii venit processio solemnis, juxta Ritum Ecclesiæ celebrata, *Bonac. de cens. in gen. disp. 5. punct. 4. nu. 1.*

Quæst. 26. Mulieres temerè intrantes, & Religiosi præsumptuosè eas admittentes, vel introducentes, in quas pœnas incurrunt?

1\. Respondeo, quòd ex *d. Bulla Pii V.* Mulieres à Commissis, & infrà, si audeant ingredi Religiosorum Monasteria, afficiuntur excommunicatione, Papæ reservata, à qua nequeunt absolvi, nisi in mortis articulo; quod habet locum, sive ingrediantur cum prætextu, vel sine prætextu privilegii, juxtà Praxim ab omnibus receptam, & stylum Sacræ Pœnitentiariæ.

2\. Regulares autem, sive sint Superiores locorum, sive subditi, si præsumant hujusmodi fœminas admittere, vel introducere, ipso facto suspenduntur à divinis.

3\. Verùm hæc pœna suspensionis non est Papæ reservata; prout constat ex eadem *Pia Constitutione*, & notant *Sanchez d. lib. 6. decal. cap. 17. n. 36. & Thesaur. verb. Claus. p. 2. Praxis, cap. 1. & 2.*

4\. Item dicti præfati Religiosi privantur officiis, quæ in præsentia obtinent, & inhabilitantur ad illa, & alia omnia, ut in fine *d. Motus proprii* liquet videre.

5\. Ex *Bulla* autem *Greg. XIII.* quam habes suprà, eædem Mulieres excommunicantur eo modo, quo suprà, etenim *Greg.* Papa confirmavit eandem *Bullam Pii V.* eamque extendit ad Moniales.

6\. Et Superiores Monasteriorum, quoquo modo nominentur, nedum suspenduntur à divinis; at etiam privantur officiis, quæ de præsenti retinent, & inhabilitantur ad illa, & alia in posterum obtinenda: insuper, & excommunicantur, excommunicatione latæ sententiæ, Papæ reservata, instar fœminarum præfatarum.

7\. Quæ excommunicatio, respectu Religiosorum non reperitur in *d. Pia Constitutione*: & in terminis *d. Bullæ Gregorii* non afficit subditos, sed Superiores dumtaxat, ut constat ex illis verbis, ibi, *Abbatissis verò, & Abbatibus*, & notat *Rodr. tom. 1. q. 47. art. 7. not. 1. Flavius Cherub. in comp. d. Bull. Gregor. & Sanchez cit. loc. 16. num. 84.*

8\. Nec his nocent illa verba Contextus, *Et personis, quocunque nomine vocentur*, quia hæc verba referuntur ad Superiores Conventus, quovis nomine appellentur, quandoquidem hi Superiores solent dici Abbates, Provinciales, Magistri, Guardiani, Priores, Rectores, Præpositi, Præsidentes, Præfecti, Propositi, & similes, & de his loquitur ille Contextus, non autem de particularibus, & privatis personis Monasterii. Etenim hæ privatæ personæ nominantur Patres, Fratres, vel Moniales: est enim hæc *Constitutio* pœnalis, & non extenditur, nisi ad expressa, *Rodr. cit. loc.*

§:†:§

Quæst. 27. Pœnæ contenta in Bullis; an incurrantur statim admissa culpa, saltem in foro conscientiæ, absque alia sententia declaratoria Iudicis?

1\. Et dico, quòd Censuræ, seu sunt excommunicatio, Suspensio, Irregularitas, & Interdictum, ipso jure illatæ, de usu, & consuetudine Ecclesiæ afficiunt conscientiam, absque alia sententia Judicis. Tum quia pœnæ purè negativæ, quoad forum animæ, nullo indigent ministerio externo. Tum etiam, quia talis fuit usus, & praxis Ecclesiæ. Tum item, quia ita videtur esse mens, & voluntas Superiorum, & ita supponi à *Concil. Tridem. sess. 24. cap. 6.* in quo datur Episcopis facultas absolvendi subditos in foro conscientiæ, secùs in foro externo. Etenim nullus in foro fori potest excommunicari, nec interdici, absque processu, & Judicis sententia.

2\. Aliæ autem pœnæ positivæ, aut mixtæ, ut sunt confiscatio bonorum, propter crimen læsæ Majestatis, privatio vocis activæ, & passivæ, & consimiles; non obstant conscientiæ, ante judicis declaratoriam, per ea multa, quæ dico in *tract. de Recipiendis, q. 2. in Constit. Sixti V.* vide illa, & non pigebit.

3\. Quod amplia ad pœnam inhabilitatis ad officia, & hæc est communis praxis, & usus Ecclesiæ, de qua testatur novissimè *Novar. p. 2. summ. ver. Clausura num. 8.* & antè eum *Portellus in dub. ver. inhabilitas*, quia nullus tenetur spontè se prodere, nec se infamare, nec se vita, aut suis bonis privare: secùs faceret contrà jus naturæ, & habetur expresè in *cap. cùm secundùm leges, de hæreticis, in 6.* ibi, *confiscationis executio non fiat, donec sententia fuerit promulgata super crimine*, hæc *ibi.*

4\. Nec obstant illa verba legis, *absque alia declaratione*, vel *absque ulla sententia*, quia hæc referuntur ad pœnam; adeò, ut non requiratur alia sententia condemnans, vel statuens pœnam; sed benè requiritur alia, qua declaretur, N. fecisse hoc, vel illud, & ob id incidisse in pœnas appositas, quæ solet dici sententia declaratoria facti, *Navarr. de dat. pro inst. & gratia, ob fin. num. 44. Ledesma p. 1. q. 18. art. 2. dub. ult. & Sanchez in decal. lib. 1. c. 39. num. 31.*

Quæst. 28. Pœna privationis Dignitatum, & Officiorum, ad quæ fiunt inhabiles transgressores in d. Bull. quas personas includat?

1\. Dico latè in 4. *par. tract. 2. quæst. 3.* vide *ibi.*

Quæst. 29. Pœna suspensionis à Divinis quid sit, & quomodo officiat?

1\. Respondeo, quòd Transgressores *dictæ Bullæ* suspenduntur à Divinis, & suspendi à Divinis idem est, quòd suspendi ab exercitio Ordinum susceptorum, si quos habent: hinc Rei culpabiles non possunt in Pompa Ecclesiæ aliquod Sacramentum administrare, nec solemniter in Choro Collectas proferre, nec Epistolam, vel Evangelium cantare, nec Cereos deferre, nec tandem aliquid agere, quod sit annexum Ordinibus, licet sint Ordines Minores.

2\. Et hujusmodi connexa exercendo fiunt Irregulares, ut notant *Rodr. in explicat. dict. Bullæ num. 21. ver. suspens. à Divinis. & Sorbo in comp. verb. Ingredi Monasteria, nu. 9.* hæc enim sunt alicui Ordini propria.

3\. Hi pariter Transgressores suspenduntur ab aliis Divinis officiis, quæ non sunt Ordinibus deputata, ut in Ecclesia, vel extrà fiant; exceptis tamen Horis Canonicis, quæ privatim à suspenso dicendæ sunt.

4. Officia autem Divina, Ordinibus non deputata, sunt cantare in Choro cum aliis, cantare Defunctorum Responsoria, seu Litanias, Baptizare sine solemnitate more laicorum, recipere Sacramenta, exceptis casibus extremæ necessitatis, auscultare Missam, acceptare electionem de se factam, excommunicare, beneficia conferre, & similia, quæ non sunt actus proprii Ordinis.

5. Quæ exercendo à divinis suspensi, eorum suspensione durante; licet peccent mortaliter: nihilominùs non fiunt ob id irregulares, *Navarr. in Manual. cap. 27. num. 163. & Covarr. in cap. Alma Mater. 2. p. §. 2. num. 2.* & habetur ex *cap. 1. de sent. excomm. in 6. & cap. 1. de re judicat. eod. lib.* & *utrobique Innoc.* communiter receptus ostendit, quomodò suspensus violando suspensionem, peccet mortaliter, & fiat irregularis, exercendo aliquem actum peculiarem alicujus Ordinis, sive majoris, sive minoris, quod est valdè notandum pro quotidianis occurrentiis.

Quæst. 30. Religiosi prædictis censuris irretiti, & pœnis affecti, à quo absolvuntur?

1. ET quidem, quoad forum conscientiæ absolvuntur, & respectivè dispensantur à suis Superioribus per ea, quæ dico in *tract. de Potestate Prælatorum Religiosorum*, & præcipuè, quia Prælati Regulares, tum supremi, ut sunt Abbates, Generales, & Provinciales; tum infimi, ut Priores Conventuales, Guardiani, & similes, habent in suos subditos jurisdictionem, quasi Episcopalem; prout tradunt *Doctores in Clem. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, ver. propriu*, & colligitur ex *cap. Abbatis, de privilegiis, in 6.* quia cùm hi omnes non subdantur Episcopis, sed immediatè Domino Papæ, loco ipsorum succedunt quoad regimen Religiosorum subditorum; undè dicuntur Episcopi æquipollenter. *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. & 13.* cui favet *Lezana tom. 1. summ. cap. 18. num. 2.*

2. Sed ita est, quòd Episcopi jure *Concilii Trident. cap. 6. sess. 24. de reformat.* possunt in omnibus censuris, irregularitatibus, suspensionibus ex delicto occulto provenientibus & in omnibus aliis casibus Papalibus, ad forum Crepitosum non deductis, delinquentes quoscunque sibi subditos in foro conscientiæ absolvere, & dispensare, ut *ibi* dicitur.

3. Igitur, & Prælati Regulares hoc totum peragere possunt erga suos subditos: quia secundùm probabilem opinionem, comprehenduntur sub eodem *Decreto Trident.* & docet *Rodriq. tom. 1. q. 61. art. 9. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 2. num. 12. Bossius sect. 1. de sub casu 10. num. 220. Beja p. 4. casu 37. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 11. num. 83. Bordon. resol. 2. q. 10.* & alii plures quos allegat *Barbosa in collect. ad d. cap. Trident. & Diana p. 7. moral. tract. 2. de potestate Episcopi, resol. 5.*

4. Secus, Religiosi subditi essent pejoris conditionis, quàm Laici, & in præjudicium Religionis cogerentur vagari, & discurrere, non sine scandalo, & periculo animarum.

5. Hoc item habent, valent, & possunt ex privilegio *Pii V.* Patribus Dominicanis concesso die 21. Julii 1571. forsitan ad majorem cautelam, & ad tollendum omnem scrupulum, quod per extensum pono citat. *loc. de Prælatis.*

6. Benè verùm, quòd Superiores nobiscum communicantes, non possunt prædictam facultatem alteri delegare, sed per se solos exercere, ut *ibidem* dicitur.

7. Item virtute tot privilegiorum, quæ summatim refert *Joannes Crux de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 15.* post *sextam conclus.* ex quibus infert primò, prædictos Prælatos posse dispensare cum sibi subditis in pœnis introducentium Mulieres in Monasteria: & eo fortiùs, quia istæ pœnæ non reservantur Papæ, *Festus in summ. cap. 66. de authoritate Prælat. super Fratres*, *Lezana* cit. *loc. & in 4. tom. ver. Prælatus. Hier. Rodr. in comp. resolut. 25. num. 6. & Bordon. resolut. 3. q. 1.*

8. Quod amplia, etiam si dictæ censuræ, & pœnæ fuerint deductæ ad forum contentiosum, *Sanchez* multis citatis in *decal. lib. 6. cap. 17. num. 42. & Bordon.* cit. *loc. q. 6.* quia prædicta privilegia non distingunt inter forum poli & forum fori, sed loquuntur absolutè; ergò sunt intelligenda pro utroque foro; quia Principis beneficium latissimè est interpretandum, *cap. cùm olim, de verb. signif. & l. beneficium, ff. de Constit. Princip.* ita supradicti DD. quos tantùm refero.

9. Verùm isthæc absolutio exhibita in foro animæ, non refragatur foro contentioso, per ea, quæ immediatè dico.

Quæst. 31. An Prælati possint subditos, non petentes, ab his absolvere: aut cum ipsis nolentibus dispensare?

1. AFfirmativè; quia hujusmodi absolutio, & dispensatio, per ea, quæ refert *Sylv. ver. confessio 1. q. 4. num. 7.* non pendet à præsentia absolvendorum, vel dispensandorum; nec exigit aliquam petitionem, nec contritionem, aut humilitatem eorumdem, nec, ut fiat in Confessionibus Sacramentalibus, ut constat ex quotidiana praxi, & colligitur ex *d. cap. de privil.*

2. Sed sufficit, quòd Prælatus possit, & velit: etenim, posita Superiorum potestate, & voluntate, statim habetur effectus, absque alio adminiculo.

Proinde, solet conferri, nedum subditis præsentibus, verùm etiam existentibus extra Territorium Prælatorum: non solùm non petentibus, verùm etiam invitis, & nolentibus. Quia pœnas dimittere, consurgit ex sola benignitate Principis.

3. Hinc est valdè notandum, quòd Religiosi Irregulares, inhabiles ad officia, suspensi à Divinis, & hujusmodi, à quibus Prælatus potest absolvere; si sint præsentes in Capitulo Provinciali, vel in Visitationibus, aut Festivitatibus, in quibus solent Prælati absolvere subditos, generaliter dicendo: *si tenemini aliquo vinculo excommunicationis, & suspensionis, & interdicti, &c. absolvo vos, & restituo vos Sacrosanctis Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & unitati fidelium. Item eadem authoritate ego dispenso vobiscum super irregularitate, &c.* prout sæpè fit in Dominicana familia, & habetur in *fine* nostri *Breviarii*: Estò, quòd non petierint, vel quòd non fuerint memores censurarum, pœnarum, & similium, quibus erant affecti, manent absoluti, ac dispensati, etenim per hanc generalem absolutionem, tam censuræ, quàm pœnæ censentur sublatæ, nec subditi tenentur aliam absolutionem quærere: sed satis illis erit, sua tantùm peccata, ut decet, ad pedes Confessarii confiteri, *Navarr. in summ. cap. 26. num. 13. in fin. Portell. in dub. ver. Abortus, nu. 11. & ver. dispensa. num. 9. & P. Vincen. Candidus* nostræ familiæ *de absolut. disquis. 3. art. 40. dub. unic.*

4. Nec dices, quod in vim privilegiorum isthæc absolutio debet conferri in foro conscientiæ, & consequenter in Confessione Sacramentali, quæ Confitentium exigit præsentiam, contritionem, & humilitatem, quia fallit consequentia in censuris, nam censuræ, & pœnæ tolli possunt extra sacramentum Pœnitentiæ, quando privilegium ad hoc non astringit, uti esset, si Papa diceret, *Absolvat sacramentaliter*, vel *absolvat in foro Sacramentali, seu Pœnitentiali, vel auditis confessionibus.*

5. Et additur, quòd dantur tres fori: nempè forus sacramentalis, seu pœnitentialis, quo absolutio datur solùm

lùm in sacramento Pœnitentiæ : secundus forus dicitur forus conscientiæ, in quo absolutio fit sine strepitu, & figura judicii, & prodest dumtaxat apud Deum : & tertius dicitur contentiosus, in quo partes litigant ; perinde arguere ab amplo, ad strictùm, fit fallacia consequentis, *Suarez de censur. tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 10. Rodr. tom. 1. q. 20. art. 7. & q. 61. art. 7. Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 35. art. 21. Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 19. num. 7. & lib. 8. disput. 16. Portellus, & Bordonus* cit. *loc.* & novissimè *Dian. p. 7. moral. tract. 2. de potestate Episcopi resolut.* 10. de qua re vide quæ dico in 3. *par. tract. 4. de electorib. quæst.* 44. & 45.

Quæst. 32. Crimen, in quo casu intelligatur esse occultum, vel publicum, notorium, famosum, vel ad forum contentiosum deductum?

1. PRætermissis aliorum placitis, illud dico esse crimen occultum in hac materia absolvendi, vel dispensandi in casibus occultis, quod non est publicum, hoc est, quod non est vulgare, neque in judicium deductum; unde quamvis sit notum duobus, vel tribus, adhuc dicitur occultum, ex *l. eos, §. si quis autem C. de appellat. Farinac. q. 185. num. 85. Thesaur. 1. part. praxis, cap. 2* in multis allegatis *verb. dico primò.*

2. Quod, ut optimè calleas, recordare, quòd occultum dicitur tripliciter ; primò, illud dicitur occultum, quod de natura sua non est probabile, ex quo non cadit sub cognitione hominis, ut sunt internæ nostræ cogitationes; quas Deus tantum novit : secundò, id, quod sua quidem natura est probabile : attamen probari non potest, quia nemo illud vidit, nec de illo notitiam habuit : tertiò, illud dicitur occultum, quod potest probari, quia notum est, sed coram paucis commissum, & usque modo non reperitur deductum ad forum contentiosum : Qualitas occulti, qua suffulti Superiores possunt, ut diximus, absolvere, & dispensare, referri debet ad casus occultos secundo, & tertio modo : quicquid alii dicant : *Sanchez de matrim. disput. 34. num. 55. lib. 8. & in decal. lib. 2. cap. 11. nu. 19. Barbosa in d. allegat. num. 31.*

3. Delictum notorium, & publicum, est duplex: nempè facti, & juris, illud dicitur notorium, notorietate facti, quod evidentia facti, nulla potest tergiversatione cœlari ; ut si fiat publicè, hoc est, in oculis omnium, vel majoris partis Universitatis, Pareciæ, vel Collegii immediatè, quæ sit saltem decem personarum. *Innoc. in cap. sicut, de cohabit. Cleric. Navarr. in summ. cap. 25. num. 70. & Portellus ver. dispensare, num. 9.*

4. Dixi, in conspectu omnium, vel majoris partis Universitatis; quia si crimen committatur in domo, vel familia, non erit notorium simpliciter; quia domus privata, vel familia, non est publica Universitas, seu Communitas, prout est Parochia, & Collegium, *Graff. in 1. lib. de casib. reservat. cap. 10. num. 18. & Avila de censur. p. 2. cap. 6. disp. 2. dub. 4.*

5. Dixi, immediatè & evidenter, quia scientia de fama non facit notorium, nec est scientia, sed opinio, ut ostendunt præcit. *Doctores.*

6. Dixi, quæ saltem sit decem personarum, quia scientia pauciorum, quàm sex, non facit Universitatem, nec factum notorium. Immò si delictum contingat committi in magna Congregatione, & sciatur immediatè, & evidenter ab octo, vel decem illius, etiam si sint Viri magnæ authoritatis, non dicetur simpliciter notorium ; cùm factum ignoretur à majori parte illius Congregationis. *Navarr. & Portell. ubi suprà.*

7. Notorium autem juris, illud dicitur, quod constat, vel ex spontanea confessione Rei, judicialiter facta, vel ex sententia diffinitiva Judicis, quæ transivit in rem judicatam ; ex *text. cap. final. & ibi Glos.* not. *verbo, per sententiam*, & *ibi Canonistæ* communiter, *de cohabit. cleric. & mulier. & Navarr. ubi suprà.* Hinc sententia contumacialis non facit notorium, nec sententia, de qua est legitimè appellatum, quia non transivit in rem judicatam; neque sententia condemnationis ex præsumptivis, nec confessio facta vi tormentorum *Mascardus ver. notorium, conclus.* 1107. per totam, nec convictio, seu plena probatio facta per testes in judicio, quando probationes impugnantur, *Sylv. ver. notorium, q. 3. & Vrvald. de suspens. num.* 50.

8. Delictum famosum est illud, de quo existit publica fama, & manifesta notitia, seu opinio Communitatis immediatæ, in qua saltem sint decem personæ, orta ex indiciis probabiliter, ex *cap. inquisitionis, §. quæsivisti, in fin. & ibi Glos. ver. dicta paucorum, de accus.*

9. Dixi, quòd ista hæc fama debet esse orta ex judiciis probabilibus, quæ possint facere semiplenam probationem, ut si ab uno teste fide digno, & non inimico oriatur, vel ex aliis præsumptionibus, illi æquipollentibus, ut ex *Glos. in cap. manifesta 2. q. 1. & cap. vestra, de cohab. Cler.*

10. Crimen autem publicum tunc dicitur, & deductum ad forum contentiosum censetur, quando fuit in externum forum delatum, sive per accusationem, sive per denunciationem, sive per inquisitionem : dummodò non sit subsecuta sententia absolutoria : etiam si delictum coram Judice delatum, non sit per testes probatum, ex *cap. omnipotens, de accusat.* & docent communiter *Doctores in l. qui à latronibus, §. 1. ff. de testam. & in l. turpia, ff. de legat.* 1.

11. Dummodò delatio sit parti intimata, & judicium sit inceptum per citationem, vel Rei incarcerationem : secùs si informatio capta apud Judicem detineatur secretò, parte non citata, *Sanchez de matrim. lib. 8. disput. 34. num.* 58.

12. Et dummodò concurrat opinio communis, hoc est, ut fama delati remaneat interim aggravata, quia si communiter reputaretur innocens, non noceret delatio, vel si purgasset canonicè indicia, seu delationem, ita *Glos. in cap. accusatum, ver. solemnia, Genuens. in praxi, cap. 27. n. 10. & Diana p. 7. moral. tract. de Potestate Episcopi, resolut.* 17. ubi ex multis defendit, delictum non dici in judicium deductum : nisi lite contestata, post *Barbos. alleg. 39. num. 29.*

Quæst. 33. Mulieres incursæ in excommunicationem præfatæ Bullæ, à quo sunt absolvendæ?

1. REspondeo, quòd mulieres, huic censuræ obnoxiæ, si sit publica, à nemine possunt absolvi, nisi à Romano Pontifice, vel ab ejus Delegato, quia absolutio illius, ipsi soli reservatur, ut constat ex *d. Bulla Pii V.* quam *Gregorius* confirmavit.

2. Verùm, si foret secreta, possent absolvi ab Episcopo loci, vel à Confessariis, ab eodem institutis, talem facultatem habentibus, quia ab excommunicationibus occultis, casibus Papalibus, & consimilibus absolvit Dominus Episcopus, virtute *Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de reformat.* etiam si excommunicatio lata sit post dictum *Trident.* prout ex multis latè probat *Navarr. tom. 2. lib. 5. de sent. excomm. consil.* 43. in 1. edit. *num.* 1. ut resolvit tres quæstiones, *Rodriquez in exposit. d. motus, num. 33. Sorbus in annotat. ver. Ingredi Monasteria Fratrum*, post *num.* 1. *vers. circà autem secundum suprà notatum, Sanchez in summ. p. 2. lib. 6. c. 15. num. 76. & cap. 17. num. 41. Thesaur.* latè in *1. p. prax. de pœnis Ecclesiastic. cap. 23. & 24. Bonacin. de Clausur. q. 1. punct. 5. num. 7. vers. secundò quæritur, & de censur. disputat. 1. q. 3. punct. 2. num. 1. Gavant. in Manuali Episcop. verbo absolut. num. 4. P. Dian.* eruditè *part. 7. tract. 2. de potestat. Episcop. resolut. 20. & Alphons. de* Leon.

Leon. de Censuris, verbo Mulieres, pag. 361. col. 1. qui paucis postpositis ait, hodiè est communis.

3. Dixi, vel à Confessariis, ab eodem Episcopo delegatis, quia hæc prædicta facultas absolvendi intuitu d. *Capituli Concil. Trident.* est delegabilis, quia est annexa dignitati, & officio, & consequenter est ordinaria *Sanchez in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 25. Suarez de censuris disput. 41. sect. 1. num. 8. Duard. in Bulla Cœna, lib. 3. §. 2. q. 11.* cum præcitatis, & maximè *Dian. ubi suprà resolut. 12.*

4. Tunc autem Confessarii censentur potestatem habere, cùm sunt instituti ab Episcopo, sine ulla exceptione, vel cum facultate non absolvendi à sibi reservatis, quia exceptio firmam reddit potestatem, in omnibus non exceptis.

5. Item possunt absolvi à quovis Confessario approbato, virtute *Bullæ Cruciatæ* semel in vita, & semel in morte, prout expressè habetur in *d. Bulla*.

6. Item, secundùm aliquos, à Patribus Confessariis Societatis Jesu, toties, quoties opus fuerit, & hoc, in vim privilegii *Pauli III.* Religiosis Societatis Jesu concessi, ut habetur in *Compendio Privilegiorum* ejusdem *Societatis, verbo absolutio* 1. Quod refert per extensum *Rodriquez tom. 1. q. 61. artic. 5.* & noster *Festus in 2. p. summa Constitution. cap. 68.*

7. Unde *Sanchez in summ. par. 2. lib. 6. cap. 15. num. 76.* ita loquitur. *Præterea quilibet Confessarius potest absolvere ab illa excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ semel in vita, & semel in mortis articulo, quia expressè concedit hanc facultatem illis, quando censuræ sunt reservatæ; posse etiam Religiosos nostræ Societatis Jesu, qui Confessarii approbati sunt absolvere toties, quoties ab ea; quia Paul. III. ita concessit Religiosis Jesu, ut habetur in compendio Privilegiorum ejusdem Societatis §. 1. ut possint toties, quoties, exceptis contentis in Bulla Cœnæ: benè etiam posse per communicationem hujus privilegii, Fratres Minores absolvere ab ea: eodem modo, atque similiter dicendum est, de omnibus aliis Religiosis, qui Mendicantium Privilegiis fruuntur*, hæc *ille*.

8. Neque his obstat *Decretum* Sac. Congregat. jussu *Clement. VIII.* editum anno Domini 1601. die 9. Januar. quo Sacerdotes omnes, tam Sæculares, quàm Regulares prætextu Privilegiorum præsumentes absolvere à casibus Papalibus, graviter puniuntur, & absolutiones nullæ declarantur, ut liquet in *Decreto*, quod per extensum habes infrà in *3. part. tract. 11. de potestate dispens. q. 17.* & in *libello* attitulato *Bullæ, & Decreta Recentiora, fol. 190.* Quia prædictum *Decretum* fuit per secundum *Decretum* ejusdem Sac. Congregat. jussu ipsiusmet *Clement. VIII.* moderatum, sub die 26. Novembris 1602. & declaratum, Privilegia remanere penitùs extincta, quoad septem casus *ibidem* expressos, ut est videre in eodem *Decreto* per extensum posito in *loco* citato. Verùm, quoad alios casus, censuras, & pœnas, *ibi* non expressas, remanere juxtà sui seriem, & tenorem, prout advertit *Laurent. Peyrin. tom. 1. Privilegior. in Constitut. Julii II. §. 32. num. 78.* ubi de re multa loquitur, & idem ostendit in *appendice tom. 1. de subdito*, ibi, *iterum poterunt absolvere mulieres introeuntes Monasteria, & Claustrum Monachorum:* & luculenter *Bonac. tom. 1. tract. de Clausur. q. 1. punct. 5. num. 2. versic. 2. quæritur, & tom. 3. de censur. disput. 1. quæst. 22. punct. 2. num. 18.* ubi examinat dicta *Decreta Clement. VIII. & Lezan. in summ. cap. 19. nu. 15. & in 3. part. verbo clausur. num. 20. in fine, Duard. lib. 3. Bulla Cœnæ §. 2. q. 1. num. 31. &* Diana *p. 3. tract. 2. de dubiis Regular. resol. 13. §. nota etiam, Bordon. resolut. 6. de Confessariis q. 9. & resol. 39. q. 13. num. 36.* ubi exactè explicat dicta *Decreta, & Canonic. Novar. part. 2. summ. Bullar. tit. de casibus reservatis num. 3.*

9. Sed advertendum est, quòd hodiè debet attendi novissimum *Decretum* Sac. Congregat. jussu *Urb. VIII.* latum anno Domini 1628. juxtà declarationem ejusdem Sac. Congregat. factam, instante Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Ascanio Filamarino, dignissimo Archiepiscopo hujus Fidelissimæ Civitatis Neapolis, ac Pastore Vigilantissimo, & Salutis animarum Zelantissimo de anno 1646. quod per extensum habes suprà *par. 1. tract. 13. de revocat. privileg. quæst. 17.*

Quæst. 34. Si hæc excommunicatio sit publica, & notoria, aut deducta ad forum contentiosum; an possint absolvi in foro conscientiæ, virtute Bullæ Cruciatæ, Iubilei, & vi Privilegiorum nostrorum?

1. Sanchez *in d. 2. p. sum. lib. 6. cap. 17. num. 42. Rodr. in addit. ad d. Bullam, num. 49. §. 9.* se corrigens in *exposit. d. Motus num. 34.* cum suo *Comp. de Clausur. Monach. resolut. 25. num. 6. Bonac.* cit. *loc. de Claus. q. 1. punct. 5. num. 3. & Alphons. de Leon. de cens. recoll. 2. de absolutione ab eisdem, non præmissa satisfactione partis, num. 944. fol. 212.* affirmativè respondent; quia in *d. Bulla Cruciatæ, Jubilæi*, & privilegiis, præcipuè *Pauli III.* & aliis, si quæ sint, facultas, de qua agitur, conceditur illimitate, & sine ulla restrictione; & sic absolutè debet intelligi, absque eo, quòd limitetur, fallere, quando delictum est publicum, vel deductum ad forum contentiosum, etenim ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & additur, quòd quando Summus Pontifex intendit, facultatem absolvendi, vel dispensandi limitare: dummodò crimen non sit publicum, vel deductum ad forum externum: solet id exprimere, & declarare, ut est videre in *d. cap. 6. Concil. Trident. sess. 24. de reformat.* & docet *Sotus in 4. senten. distin. 22. art. 3.* Ergò in non declarando, videtur indulgere.

2. Amplia, responsionem prædictam habere locum, etiam si mulieres fuissent ingressæ ad malum finem: nempè ad libidinem satiandam, quia hic casus non comprehenditur sub *d. Decreto 2. Clem. VIII. de non absolvendo à casibus, & censuris Episcopo, vel Domino Papæ reservatis*, quia in *d. Decreto* excipitur casus violationis Clausuræ Monialium ad malum finem, à quo non valent Regulares Confessarii absolvere transgressores intuitu Privilegiorum: nos enim loquimur de violata Clausura Monachorum, non autem Monialium, quæ inter se sunt diversa, & à diversis non fit illatio, & maximè in materia odiosa: *Graff. lib. 1. de casib. reservatis cap. 5. Bonac. q. 1. de Claus. punct. 5. num. 4. ad finem, & Alphons. de Leon. recollect. 4. ver. Mulieres, pag. 361. col. 2. in fine.*

3. Quæ absolutio sic illata, multis modis potest prodesse quoad forum fori, etiam si fuerit exhibita excommunicatis, per cedulones declaratis, prout multis citatis, in facti contingentia ostendit idem *de Leone in recoll. 2. num. 946. & 55. de censuris.* vide illum, ne repetitio fiat inutilis.

4. Nec dices, hujusmodi privilegium esse odiosum, ex quo præjudicat potestati, & authoritati Episcopi ordinarii, & ob id esse strictè interpretandum, ex *cap. olim de verborum significat.* quia per hæc, & similia nullum fit Judicibus præjudicium, ad quos pertinet super delatis judicare; quia absolutio in foro conscientiæ non impedit processum, nec retardat tractum justitiæ, nec ligat manus Judicis; quia taliter absolutus, quoad forum judiciale non censetur absolutus, sed irretitus, sicut, & prius, *Layman lib. 1. tract. 5. c. 7. num. 7. in fin. Sayr. lib. 2. de censur. cap. 20. num. 31. Bartholomæus de Vecchis disput. 9. de Novit. dub. 9. num. 4.*

5. Et eò fortiùs, si simus in lite finita, hoc est, post declarationem Judicis, ex *cap. de his, de accusat. Pegna p. 2. direct. inquisit. Com. 25. vers. rursus, Praxis Archiepiscopalis Neap. c. 26. Aloys. Riccius 1. p. praxis, decis. 462. & Riccullus*

tinllus de jure personarum, lib. 4. cap. 68. num. 12. & sequentib.

6. Proinde, remanet evitandus, nec potest publice in Cœtu fidelium sacramenta sumere, sed debet uti Reus haberi, puniri, & castigari; quamvis cum eo sit mitiùs agendum. *Navarr. consil. 23. de pœnit. & remiss. & consil. 47. de sent. excomm. & Diana 1. par. moral. Resol. 26. de Bull. Cruciat.*

7. Quibus accedit, quòd hæ fœminæ, ut suprà, irretitæ, si reperiantur impeditæ aliquo legitimo impedimento, quo nequeant Sanctam Sedem adire, possunt etiam de jure communi, ab eodem Episcopo absolvi; etiamsi sint publicè excommunicatæ, prout expressè habetur in *cap. 6. de sentent. excomm.* ibi, *mulieres, vel alia persona, quæ sui juris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolvi possunt.*

8. Hæc autem impedimenta, ob quæ excusantur ire Romam, sunt multa, & exprimuntur eod. *lib. & titulo, cap. quod de his 26.* ibi, *nisi fortè sit in articulo mortis, vel paupertate, aut infirmitate, vel senectute tanta gravatus, quòd ad Ecclesiam Romanam, laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur.*

9. Et infrà in *cap. quamvis incidens 58.* ibi, *nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominùs Romanum Pontificem possit adire, vel nisi juris beneficio à labore hujusmodi excusetur*, hæc ibi, de quibus *Glossa ibidem*, & docet *Navarr. lib. 5. de sent. excomm. p. 2. consil. 14. in 1. edit.* in casu cujusdam fœminæ in Cellam cujusdam Monachi introductæ, *Avila de censuris 2. p. cap. 7. disput. 1. dub. 6. conclus. 3. Sylv. verb. absolutio 4. num. 7. & Novar. 2. p. summ. bull. verb. Clausura num. 18.*

10. Nec dices, quòd prædicta jura loquuntur de absolutione censuræ, ob percussionem Clericorum, quia ob eandem rationem, utpotè ratione legitimi impedimenti, & ne anima periclitetur, militant, & procedunt in omnibus censuris Papæ reservatis, ut eleganter docet *Navarr. in summ. cap. 27. num. 90.* ubi respondet ad multas quæstiones propositas, & præcipuè ad illam, quanti temporis debeat esse impedimentum, unius, vel plurium mensium? vide illum.

11. Benè verum, quòd qui ob aliquod impedimentum ex supradictis, nequit personaliter ire Romam; durante impedimento non tenetur procuratorem pro absolutione, nec epistolam mittere. *Henriquez lib. 6. de pœnitentia, cap. 9. num. 7. & lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 1. & Avila* cit. *loc. ver. secundò nota.*

12. Attamen, cessante impedimento tenetur se præsentare Rom. Pontifici, quandoquidem cessante causa, cessat effectus: secùs reincideret in censuram, & est decisio *cap. eos, qui à sententia canonis, vel hominis 22. de sent. excomm. in 6.* ibi, *si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi se illi, a quo, his cessantibus absolvi debeant quantociùs commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi; prout justitia suadebit; decernimus, & in eandem sententiam reincidere ipso jure*, hæc ibi.

13. Et tandem notabis, prædicta circà potestatem absolvendi procedere in illis locis, in quibus Privilegia *Bullæ Cruciatæ, Jubilei*, & alia sunt in observantia prædictæ absolutionis, secùs verò, si aliter servaretur ex contrario usu, vel ordine, juxtà tradita, etiam per nos in 1. *parte tract. 12. de amissione Privilegiorum q. 6. 7. & 12.*

TRACTATUS QUINTUS,

DE TRANSEUNTIBUS EX UNO, IN ALIUD CLAUSTRUM.

Quæst. 1. Episcopi, relicto Episcopatu, & Curati, omissa cura, an possint in Religionem transire?

1. DIxi in *4. par. tract. de Qualit. Recipiend. quæst. 19. & 20.*

Quæst. 2. Conversi, & Oblati; an possint ex una, in aliam Religionem transire?

1. DIxi in *tract. de Convers. quæst. 12. & 15. & de Oblatis quæst. 9. & 10. in 4. p. & infrà quæst. 70.*

Quæst. 3. Novitii; an possint ex una Religione, in aliam evolare?

1. ET dico posse, ex quo sunt sui juris, non minus, quàm laici: & sicut liberè possunt à Novitiatu recedere, & in sæculum remeare, ita, & ad quamlibet Religionem accedere; servatis tamen aliis, de jure servandis; etenim non professus, Religioni non est obligatus, ex *cap. nostram. & cap. statuimus, de Regul.* quandoquidem Professio facit Monachum, & adscribit perpetuò Regulæ; *D. Thom. 2. 2. q. 189. & Paris. cons. 12. num. 18. vol. 4.*

2. Nec comprehenduntur *Constitutione Martini V.* quæ incipit *Viam ambitiosæ cupiditatis, in 6. in fin.* nec *Regula 23. Cancell. Apostolicæ*, ut latè ostendit *Quintil. Mandosi in d. Regul. q. 2.*

3. Quod procedit; etiamsi Novitius vovisset, perseverare in ea Religione; in qua reperitur Novitius, nam quisque, jure naturæ potest suum votum in melius commutare, ut infrà dico.

Quæst. 4. An liceat Professis, ex una, in aliam Religionem transire?

1. NOn licere, ex levitate, & temeritate; secùs ex necessitate, aut magna causa, vel utilitate. *D. Thom. cit. loc. q. ultim. art. 8. ibid. Cajet. Palud. 4. sent. dist. 39. q. 4. art. 4. Sanctus Anton. 3. p. tit. 16. cap. 4. in fin. S. Raym. lib. 3. sum. tit. 28. de transitu Monac. §. 2. in medio, Turrecremata super Decreto 19. q. 3. in cap. nullus, Syl. verb. Relig. 4. q. 1. Tabiena ver. Relig. nu. 25. Armilla eod. tit. nu. 14. Joan. Crux de statu Relig. lib. 1. cap. 7. dub. 3.* & alii plures, tam ex eadem, quàm ex aliena familia.

2. Tum quia, ut plurimum, ob id scandalizantur illi, qui relinquuntur; & hoc erit scandalum datum, nedum acceptum. Item parvipenduntur.

3. Tum etiam, quia faciliùs proficit quis in Religione, quam consuevit, quàm in alia, quam non est expertus; experientia teste.

4. Unde *Abbas Nestorius*, prout in *Collationibus Patrum, collat. 14. cap. 5. in princ.* erat solitus dicere; *utile esse unicuique secundùm propositum, quod eligit, summo studio, atque diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire, ut festinet; & nequaquam à sua, quam elegit Professione, discedat*; Nam subjungit, *impossibile ferè esse, unum, & eundem hominem, omnibus simul esse ornatum, atque fulcitum virtutibus, quod si quis voluerit attentare, in id incidere erit necesse; ut dum omnem sequitur, nullam prorsùs integrè assequatur.*

5. Hinc colligit *D. Thom.* quod non sit utile, nec laudabile, ex una, in aliam Religionem transire; Diversæ enim Religiones, secundùm diversa virtutum opera, & exercitia sibi ipsis præeminent; & quod non habuerit in una, consequetur in alia.

Quæ omnia habes in nostris *Constit. distin. 1. de graviss. culpa, cap. 19. litt. B. col. 4. ver. item declaramus, fol. 87.*

Et docet *D. Bernard. de Præcepto, & Obed.* longo sed aureo sermone; quem per extensum refert *Rodriquez tom. 3. qq. Regul. q. 52. art. 1. & Navarr. Com. 4. de Regul. in cap. statuimus, num. 2.* & novè *Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 24. § 2.*

6. Secunda autem Pars præfatæ Decisionis, probatur per argumentum à contrario sensu; nam si non licet transire ex una, in aliam Religionem, causâ lenitatis, temeritatis, & sine consensu sui Prælati; ergò licebit ex causâ gravi, rationabili, & de licentia Superioris, prout pulchrè de more *D. Thom. in Corp. dict. artic.*

7. Quod procedit, de jure communi Canonico; & habetur expressè in *Decretis 19. q. 3. in cap. statuimus*; ibi *postquam Dei vice, suprà caput, sibi hominem imposuerit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris Religionis obtentu; ex eodem Claustro audeat sine Patris, & totius Congregationis permissione recedere.*

Et in *causa 21. quæst. 4. cap. Virgines Sacræ*, ibi *pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerit.*

Et magis expressè in *Decretal. in cap. licet 18. de Regul.* ibi, *ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, vel injuriam sui ordinis sub prætextu majoris Religionis*; & ibi infrà, *non quidem ut ei transeundi licentia denegetur*; & eod. *tit. in c. sanè, & in c. non est dubium.*

Quæst. 5. Transitus in arctiorem: an competat Professo de jure naturæ?

1. Divus *Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. in princip.* affirmat, & *Cajet. ibidem*; hinc sine dispensatione Prælati, Religiosus Professus potest transire in vitam arctiorem, propria auctoritate: etenim unusquisque propria auctoritate potest votum suum in meliùs commutare; Et hoc, non aliunde, nec ex aliena externa causa, nisi ex natura rei voti, sic existentis; materia enim voti, hoc exigit; ut ex mera voluntate voventis possit in meliùs converti; Nam compertum est, Deo placere, quod meliùs est; igitur, quoties loco promissi datur Deo, quod est melius, graviùs erit, ceu si Vitulum donet ille, qui promisit Arietem, meliùs faciet, magisque merebitur: Insuper, sicut particulare in universali includitur: ita minùs bonum in majori bono, ut patet in numeris, & additur, quòd sicut votum est promissio facta Deo de meliori bono, ita Votum minoris boni, non potest, nec debet esse impeditivum majoris boni; ita *D. Thom. cit. ad tertium.* Proinde in *cap. pervenit, il secondo, extra de jure jur.* dicitur, quòd non infringit propositum, aut promissum, qui in meliùs illud commutat, ut in *cap. scripturus, extrà de Voto*; quòd *cap.* non condit novum jus, sed declarat veritatem, ex natura rei existentem. Hoc item declaratur in *dict. cap. licet, de regul.* ubi licitum fuit transire ad aliam arctiorem Religionem, propter meliorem vitam, non obstante Voto solemni prioris Religionis, quo obligabatur, non solùm Deo; sed etiam Prælatis illius Religionis, cui erat jus acquisitum; *Cajetanus ibid.*

Quæst. 6. Quænam sint justæ causæ transeundi in strictiorem?

1. Plures sunt causæ, quæ requiruntur ad licitè transeundum; & primò, ut transitus sit interdictus, secundò, ut non transeatur ex levitate, temeritate, odio, contemptu, vel alia humana causa, sed zelo melioris, & sanctioris Vitæ; tertiò, ut Religio, ad quam transitur, sit melior, & perfectior illa, à qua receditur; quartò, ut fiat transitus, absque detrimento, & infamia Prioris Religionis; ut sit petita licentia transeundi, licet non obtenta, ut *d. cap. licet.*

2. Nec dicas, quòd *Pius V.* sua *Const. incip. quæcunque Sacrarum* statuit, sub anno Domini 1569. nullum Professum posse recipi, vel retineri ab ulla Religione, sed liberè dimitti; quia, ut dixi, & constat ex tenore ejusdem, non loquitur de transitu; qui fit de jure communi: sed de eo, qui fit sine petita licentia, ex levitate, aut in virtute facultatum concessarum aliquibus particularibus personis, & juxtà hoc dictum intellige Privilegia aliquorum, ob quæ quidam prætendunt, quòd eis invitis non possint eorum Professi in alium Ordinem transire, ut declaratur in *d. c. licet*, causæ autem transeundi in æqualem, vel laxiorem, habentur infrà *q. 21.*

Quæst. 7. Transiens in Religionem sibi vetitam; si ibidem profiteatur, an sit ejus Professio nulla?

1. In facti contingentia quidam de Mendicantibus, se transtulit in Ordinem Montis Oliveti, & in eo Professionem emisit; quæsitum est; an ista secunda professio sit nulla, ex quo transivit contrà dispositionem juris communis? nempè contrà *extrav. Martini V.* incip. *Viam ambitiosæ, &c. inter communes, in 6. in fin.* qua prohibetur Mendicantibus transire ad Monachos, excepta Carthusia; item contrà *Regulam 23. Cancell. Apostol.* Item contrà *Constit. Pii V.* quæ incipit, *quæcunque Sacrarum* 89. inter ejus *Bullas.*

Et resolvitur affirmativè, si prohibitio in se contineat Decretum irritans Professionem; prout habet supradicta *extrav. Martini*, & *Constit. Pii V.* in qua admissiones, receptiones, & Professiones annullantur.

2. Secùs autem; si Prohibitio fiat sine Decreto irritante; quia, ut dicitur in *cap. ad Apostolicam 16. de Regul.* multa jure fieri prohibentur; quæ facta tenent.

3. Adverte tamen diligenter, quòd illud etiam censetur Decretum irritans, quo statuitur, ut translatus revocetur; ut in *cap. mandamus 19. q. 3. cap. non est 7. de regul. & c. licet 18. eod. tit. in fin.*

Ubi prohibetur molestatio contrà illos, qui bona fide se transtulerunt.

Igitur conceditur contrà eos, qui malo animo transierunt; prout docent communiter *Doctores.*

Quæst. 8. Transiens ex malo fine, in arctiorem sibi permissam; an possit in ea validè profiteri?

1. Affirmativè, si translatus abiit cum licentia Prælati sui; tum quia malus finis, si non sit contrà substantiam Professionis, non inficit illam; nec reperitur aliquod jus, quod aliter dicat; tum etiam, quia transitus ex levitate cum licentia Superioris, non prohibetur in *cap. statuimus 19. q. 3.* ergò censetur permissus; per illam Regulam, quòd non prohibita, censentur concessa.

2. Secùs

2. Secùs autem, si licentia non fuisset concessa; nam si licentia in arctiorem ex bono fine, ex quo est à Spiritu Sancto, satis est, quod sit petita, licèt non obtenta.

3. Ergò ex malo fine, in quo nihil operatur Spiritus Sanctus, debet esse obtenta, juxtà communem legem, cui non potest derogare transitus ex levitate, *Abbas consl.95. vol.1.nu.2. & Bordonus,* multis citatis in *tract. de Profess. cap. 2. q.56.*

Quæst. 9. Transiens in arctiorem, sine licentia; si in illa profiteatur; an possit revocari?

1. GLos. in d.cap.licèt. ver. licentiam, & Navar.lib.3. de regul. consl.59. in 1. edit. ubi agit de transitu cujusdam Monachi Cassinensis in Carthusianos, non petita licentia à suis Superioribus, *num.* 2. respondent affirmativè: quibus inhærent *Rodriq.tom.3.q.52. ar.* 20. ubi testatur; ita fuisse à Sac. Congr. decisum, & *Miranda tom.1. Manual.quæst.31.ar.12. Portell.in resp.casu* 10. in facti contingentia multa colligit; *Hieron. Rodr. in comp. resolut.123.num.57 in fin. Panorm.in d.cap.licèt, num.*10. *Cardinal.ibidem.q.*2. & nuper à *Sancto Fausto lib.5.de Stat.Relig.q.*311.

2. Et est manifesta decisio *d cap.licèt* 18. *de Regul.* ubi præscribitur forma transeundi ex una, in aliam Religionem.

Quippè quæ coalescit ex multis; & primò, ut petatur licentia cum humilitate; & inobservantia formæ, seu formæ defectus invalidat actum, adeò, ut nullo tractu temporis possit convalescere, ex *l. quod ab initio, ff. de Reg. jur.*

3. Ergò, talis Professio erit nulla, ex defectu formæ; quia non fuit observata dispositio *d cap. licèt.*

4. Et additur, quod sicut Professio servi facta in Monasterio sine consensu Domini sui, est nulla, quia servus quicquid est, Domini est, & de se non potest disponere; quia non est sui, sed alterius.

5. Et quemadmodum Conjugatus nulliter profitetur, si transeat sine Uxoris licentia, quia Vir non est sui, sed sponsæ.

Ità à pari: & à matrimonio carnali ad spirituale tenet argumentum, ut sæpè habetur in jure.

6. Nullus autem Professus potest, invito suo Prælato, rem suæ Religionis alienare; ergò à fortiori nequibit, se alteri dare; major enim est alienatio personæ, quàm rei 12. *q.1.cap. præcipimus, &* 17.*q.1.cap.*2.

7. Item additur, quod Professus tenetur juramento obedire 8. *q.1. cap. sciendum;* adeò, ut non liceat peregrinari, sine Superioris licentia, *distin.5.de Consecrat. cap. non oportet.*

Quantò magis ergò, non potest quis seipsum à Religione avocare, & alteri tradere? secùs autem nulla erit traditio; & res data debet restitui; quia, ut dixi, aliena est.

8. Dices, quod lex privata publicæ legi præjudicat; & quod Dominus Papa omnium Religionum Generalissimus dat hanc licentiam ex *d. cap. licèt.*

Respondeo ita esse, quando observatur dispositio *dict. cap.* nempè, quod fiat instinctu Spiritus Sancti, & ex charitate non ficta.

9. Sed velle transire cum inobservantia *d. cap.* & in spretum obedientiæ; non video; quod Dominus Papa consentiat, nec quod transitus sit ex charitate, quin potiùs ex levitate: hæc duo (meo videri) stare non possunt; & quod quis recedat ad frugem sanctioris vitæ, & quod propter majus bonum contemnat bonum obedientiæ; etenim contemptus obedientiæ excludit præsumptionem majoris boni, & includit præsumptionem levitatis; prout ex *dict. cap. licèt,* & notat *Riccinllus lib.8 de jure Personarum cap.4.num.*17.*in fin.*

10. Confirmatur ex eodem *cap. licèt;* ubi Dominus Papa supplet Prælatorum negligentiam in uno solo casu; nempè, quandò subditus humiliter petit licentiam; & Prælatus protervè, indiscretè, & irrationabiliter negat: In cæteris autem nequaquam.

Hæc autem non concurrunt in casu, de quo agitur; ergò?

11. Idipsum decisum habes in *Decretis* ab *Urb. II. in cap. mandamus* 19. *q.3* ibi; *universaliter interdicimus, ut quis Canonicus regulariter Professus, fiat Monachus; quod si Decreto nostro contraire præsumens id agere tentaverit, ad Ordinem Canonicum, præcipimus ut redeat; & deinceps memorialem Cucullam deferat, & ultimus in Choro maneat.*

12. Quod procedit, si sine petita licentia discesserit; ut ex nigra rubrica, *ibi* subjuncta colligitur, & *ibid. Glos.* subnectit, *undè satis credo, quod si non petiit licentiam, cogitur redire;* nec obstat *cap. sanè, de Regul.* quia *ibi* dicit, *promittas;* & sic est dispositio; perindè transiens sine licentia, debet puniri, & revocari.

13. Insuper, eodem *loco,* & subsequente c. quod incipit, *statuimus* idem *Urban* prohibet recedere à Claustro sine licentia totius Capituli, secùs, recedentem mandat non esse recipiendum; ibi, *discedentem verò nullus Abbatum, vel Episcoporum, nullus Monachorum sine communi litterarum cautione, suscipiat.*

14. Ex quibus collige, quod recedentium licentia debet esse prævia obtenta, & in scriptis habita; secùs recipientes debent excommunicari, ut in eadem *causa, & quæst.* deciditur in *cap. nullus Abbas,* ibi, *quod, si temerario ausu id agere tentaverint, Anathematis vinculo obligentur.*

15. Et prædicti *Canones* denuò ratificantur in *cap. intelleximus* 12. *de ætate, & qualitate, & ordine præfic.* ubi quidam Regularis rediit ad primum Monasterium, ex quo transivit sine licentia; ubi *Glos. in ver. curam* subjungit, *hinc videtur, quod si aliquis transit ad strictiorem Religionem, sine consensu Prioris, vel Abbatis, quod revocandus sit ad priorem Ecclesiam.*

Quæst. 10. Se transferens in strictiorem, zelo Sanctioris vitæ; an peccet, si omittat licentiam petere à Superiore suæ Religionis?

1. RE vera censeo, peccare mortaliter; nisi aliundè excusetur; quia tenetur ex præcepto hujusmodi licentiam petere; ut constat ex *d.cap. licèt, de regul.* ibi *debet transeundi licentiam postulare;* & magis expressè in *cap. statuimus* 19.*q.*3.

2. Et illud verbum, *debet,* juxtà propriam significationem, non importat debitum honestatis; sed præcepti; prout colligitur ex *cap. sicut Ecclesia.* 12.*q.*2. *& cap. oblatæ, de appellat.* & docet ex multis *Barbos. de dict. & clausul. dict.* 62. *& in d.cap. licèt, num.* 17.

3. Et maximè in materia gravi, qualis hæc, de qua agitur.

4. Et addo, quod isthæc omissio non erit pura, sed admixta commissioni, nam omittens petere licentiam, præsumitur obedientiam contemnere; ut dicitur in *d.cap. licèt;* & docet *D.Thom.* 2.2.*q.*189.*ar.*8. *& Navar.lib.3. de regul. consl.* 59.*num.*4.*ad* 4.*quæst.* in prima editione.

5. Immò sic omittens, quantum in se est, utramque Religionem magnis litibus, & scandalis exponit; *Sanchez lib.6.decal.cap.7.nu.*33. *& Bonac.* post multos *tom.* 1. *de claus.q.2.punct.* 9.§. 3.*difficul.*1.*num.* 1.

6. Et qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, maximè si sit causa proxima, vel occasio immediata.

Quæst. 11. Prælatus, an peccet, si subdito justè petenti, hanc deneget licentiam?

1. PRofectò, Prælatus peccat mortaliter, si absque justa, & legitima causa deneget subdito, licentiam transeundi in sanctiorem; & est decisio *d. cap. licet*, ibi *quocircà noverint Universi, quibus hujusmodi Privilegium est concessum, se de jure teneri; quia sicut subditus à Prelato cum humilitate, & puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum Obedientiæ contemnere videatur. Sic profectò, & Prelatus subdito, sine difficultate, & pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere; ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum*; hæc *ibi*. & docet *Syl. ver. Relig 4. q. 1 not. 5. & Lezana tom. 1. summ. cap. 22. num. 13.* & latè noster *Festus in sum.* nostrarum *Constitutionum de Professis alterius Religionis, cap. 6. per totum.*

2. Dixi, absque legitima causa; nam Prælatus debet interrogare subditum de causa talis transitus; & iste tenetur exprimere; item, & ille super expressis, Peritos consulere, & se certiorare de vita, & moribus volentis transire; an hoc petat ex levitate: item, & de Religione, ad quam anhelat evolare; an sit in praxi arctior, & strictior.

3. Et super his præ requiritur informatio saltem summariè, nam ubi fit translatio ex causa, necesse est, quod de causa constet sufficienter; & non aliundè, quàm ex scriptura translationis, quam solent facere Superiores, dicentes, *ob justas causas moventes mentem nostram, &c.*

4. Secùs, Superiori dicenti, *se dedisse licentiam ex causa legitima*, nisi de illa constet, non creditur, per multa, quæ docet *Navar. lib. 3. de regul. cons. 56. num. 2. & Com. de Spol. super cap. non liceat 12. q. 2. §. 2. num. 8.* & alii, quos sequitur *Anton. Ricciul. lib. 8. de jur. Person. cap. 4. num. 30.* & refert, à Sac. Cong. decisum *Bellarm.* in novis *declar. Conc. Trid. in cap. 19 sess. 25. ver. nemo etiam Regularis.*

Quæst. 12. Licentia transeundi in strictiorem, zelo sanctioris vitæ, an debeat esse obtenta?

1. HUjusmodi licentia, ad hoc, ut Religiosus dicatur debitè, & justè translatus, satis est, quod fuerit petita, licet non obtenta; & est expressa decisio *cap. licèt, de Regul.* ibi *talis ergò postquàm à Prelato suo transeundi licentiam postulaverit, libera potest sanctioris vitæ propositum adimplere: non obstante proterva indiscreti contradictione Prelati; Etenim, qui lege privata ducitur, à lege communi eximitur*; hæc *ibi*, & docet communis sententia *Theologorum & Canonistarum* cum *D. Thoma in 2. 2. dict. q. 189. art. 8. S. Anton d 3. p tit. 14. Anton. Ricciull. in tract. de jure personarum, lib. 8. cap. 4. num. 19.* & alii ferè infiniti, quos sequitur *Barbosa in d. cap. licet, num. 1. & in cap. 19. Concil. Trid sess. 25. de Regul.*

2. Quia talis petitio non fit ad consultandum; an sit gratius Deo sanctiorem vitam eligere; hoc enim caret omni dubio, & manifestum est, etiam naturali lumine, ex *d. cap. licet, & cap. sane, & cap. non est eod. tit.*

Sed propter humilitatem, & ne ex levitate censeatur bonum obedientiæ contemnere; ut in *d. cap. licèt.*

3. Nec his obsunt illa verba *cap. statuimus 19. q. 3. districtioris Religionis obtentu, ex eodem claustro audeat, sine Patris, & totius Congregationis permissione recedere: &c.* per quæ videtur, quod licentia, nedùm debet esse petita, sed obtenta.

Quoniam prædictum *cap.* afficit transeuntes ex levitate, & temeritate, aut in jacturam, vel injuriam sui Ordinis.

Quippè qui sub prætextu majoris Religionis, fictè, & dolosè transeunt, prout *Glos. in d. cap.*

4. Secùs autem transeuntes verè, & puro corde ad frugem melioris vitæ, prout expressè dicitur in *d. cap. licet*, & *ibid.* à Domino Papa declaratur.

5. Quod extende ad privilegia aliquorum Religiosorum, per quæ minimè licet à propria Religione recedere, nec in aliam arctiorem transire invito suo Prælato.

6. Quandoquidem, hujusmodi Privilegia prohibent, & vetant transitum fictè factum, vel dolosè faciendum; secùs autem in transitu, qui fit corde puro, prout clarè dicitur in *principio d. cap. licèt, & ibidem Glos. Hostien.* & alii, quos sequitur *Sanchez tom. 2. Decal. lib. 6. cap. 7. num. 10. & Jacob. Graff. decis. aur. p. 2. lib. 3. cap. 5. de Regul. nu. 98. in fin.*

7. Amplia pariter hoc totum ad *extrav. Pii V.* editam sub anno Domini 1569. incip: *quacunque Sacrarum Religionum*, quæ habetur in 2. *tom. Cherub.* inter *Constit.* ejusdem, *constit. 89. fol. 290.*

Qua revocat, & irritat omnia Privilegia emanata recipiendi Religiosos alterius Ordinis, etiam laxioris, ut in §. 1. & jubet remitti.

8. Quia prædicta *Bulla* non tollit juris communis dispositionem, quod datum est per *Innoc. 3.* & habetur in *d cap licèt 18. de regul.* prout ex eadem *Pii Constit.* colligitur, ibi *præter juris communis dispositionem*; item loquitur de fugitivis, & Apostatis, qui ex temeritate, & sine petita licentia, obtentu strictioris Regulæ, propria relicta, ad alienas Religiones se transferunt, *Rodr. tom. 1. quæst. 52. ar. 1. & 8. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 31. art. 2. concl. 1.*

Et ante eos *Navar. lib. 3. de Regul. cons. 88.* in secunda edit. ubi defendit, transitum cujusdam Carmelitæ in Religionem Minimorum esse justum, & debitum, non obstante prædicta *extrav. Pii V.* ex quo transierat juxtà juris communis dispositionem; & *Peyr. de subdito q. 1. cap. 24. §. 1.*

9. Quæ, nec item habet locum in transitu ad laxiorem, dummodò fiat cum causa, & cognitione; idem *Navar. eod. tit. cons. 56.* in prima edit. & *cons. 72. Fuscus de visit. lib. 2. cap. 17. per totum, & Robert. Bellarm. in cap. 11. conc. Trid. sess. 19. de Reformat.*

Nec iterum officit idem *Conc. sess. 25. de Regul. cap. 19 quod nemo Regularis, &c.* tum quia *ibi* fit sermo de transeundo in laxiorem; nos autem loquimur de transitu in strictiorem.

10. Idipsum dicas ad *cap. 11 sess. 14. de Reformat.* quia *ibi* prohibetur transitus ex levitate, & temeritate, nempè causa vagandi, & standi extrà Claustra, & sæpiùs sine professione, & obedientia Prælati.

11. Nihilominus hodiè, quisquis ille sit, nec ad parem, nec ad strictiorem debet transire: nisi consulta Sacra Congregatione *Conc.* & nisi causa cognita transeuntis, & vitæ, & morum ratione habita, idque ex approbatione Capituli generalis; prout refert decisum *Bellar. in d. cap. 19. sess. 25. de Regul. ver. nemo autem Regularis, Erasmus à Cockier de jurisdict. ordinarii in exemptos, p. 4. q. 12. in princip. nu. 2 in fin.* & refert *Barbosa in d. cap. licet 18. de Regul. nu. 2.*

* * * * * * *

Quæst.

Quæst. 13. Licentia transeundi ex una, in aliam Religionem, an debeat esse in scriptis, & fieri de consensu Capituli?

1. AFfirmativè deciditur in *cap. statuimus* 19. *qu.* 3. ibi *discedentem nullus Monachorum, sine communi litterarum cautione suscipiat*; & ibi, *sine Patris, & totius Congregationis permissione*; *& ibidem* docet *Turremata*, cui subscribit *Peyr. tom* 1. *de subduo, q.* 1. *cap.* 24. *ver. undè colligitur.*

2. Quod item ratione probatur, quicquid alii dicant; nam sicut Abbas, seu Prior Provincialis non recipit ad Ordinem, sine consensu sui Capituli; ità non debet dimittere, sine illorum consensu: si enim alienatio rerum Ecclesiasticarum non debet fieri, sine consensu Clericorum, ut in *causa* 12. *q.* 2. *c. sine exceptione*, ergò multò minùs alienatio personarum, argum. 12. *q.* 1. *c. præcipimus.*

3. Et additur, quod non satis est hodie, ut hujusmodi licentia sit in scriptis, facta de consensu Capituli, sed requiritur, ut fiat cum causæ cognitione, secùs non admittitur, nec valet in foro contentioso, prout dixi suprà.

Nec *d. cap. statuimus* læditur per *cap. licèt*, sed remanet in suo esse:

Quæ quidem decisio, nedùm habet locum in transitu in æqualem, vel inferiorem Religionem; prout multis citatis docet *Ricciull. de jure person. lib.* 8. *cap.* 4. *nu.* 16. & à *Sancto Fausto lib.* 5. *Thes. q.* 304. *&* 316.

4. Verùm etiam & in arctiorem, prout ex eodem *cap. statuimus*: ibi, *vel districtioris Religionis obtentu*, & rationes allatæ vigent utrobique; & maximè in meo Ordine, ubi nihil rectè fieri potest, sine consensu Capituli, prout in 1. *distin. de recipiend. cap.* 13. *fol.* 39. *col.* 3.

5. Etenim, in quolibet Conventu Dominicanæ familiæ debent esse deputati aliqui Patres à Consiliis, Viri prudentia præditi, sine quibus non licet Prioribus graviora Conventus negotia tractare; nec possint Priores ad libitum hos Patres instituere vel destituere, & qui de jure ad hæc debeant vocari, vide *ibi.*

Quæst. 14. Quid agendum; si probabiliter dubitetur, an Religio, in quam transitur, sit strictior, & an transitus appetatur ex charitate, vel temeritate?

1. DOminus Papa respondet in *d. cap. licèt*, quod in tali casu, Superioris judicium est requirendum, supple illius, ad quem de jure appellatur, *Panorm. in d. cap.* cùm aliis *Canonistis.*

2. Quod est omninò observandum, quoties oritur contentio inter Religiosum subditum, & Superiorem, nam debet adiri Superior immediatus, quandoquidem non statur verbo volentis transire, nec Prælati negantis, nemo enim debet esse Judex in causa propria.

3. Perindè ad communem Superiorem est recurrendum, prout multis citatis notat *Syl. ver. Relig.* 4. *q.* 1. *Sanchez ad Decal. lib.* 6. *cap.* 7. *q.* 2. & novè *Layman. lib.* 4. *Moral. tract.* 5. *cap.* 6. *q.* 3. *nu.* 9. *dist.* 5. *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *ar.* 4. *conclus.* 2. *Barbosa in d. cap. licet, num.* 24. *& Ricciull. lib.* 8. *de Jur. Person. cap.* 4. *nu.* 20.

§:†:§

Quæst. 15. Si Superior taceat, vel recuset licentiam concedere, allegando causam frivolam vel falsam, quid agendum.

1. TAcente Superiore, potest subditus in continenti transire, juxtà vulgatam Regulam, qui tacet, affirmat; *Innoc. & Panorm. ubi suprà.*

2. Si verò Prælatus allegaverit causam, etiam injustam suæ negotiationis; debet subditus Superiorem utriusque adire; ut dictum est, & interim morari in suo primo Monasterio, & abstinere à transitu, usque dum per Judicem appellationis fuerit judicatum; an Religio, ad quam desideratur transitus, sit perfectior, & strictior; & quo spiritu petatur licentia; quia lite pendente, potior est conditio possidentis. *Miranda* cit. *loc. concl.* 3 *& Peyr. de subduto q.* 1. *cap.* 24. §. *Ricciull.* cit. *loc.* & est communis, prout colligitur ex *l. lite ordinata, C. de liberal. caus.* quod item est in Praxi servatum, & sæpè à Sacr. Congreg. decisum; *Faustus lib.* 5. *Thes. Relig. q.* 299.

Quæst. 16. Licentia petita, & non obtenta, nisi post transitum; an sanet, & revalidet Professionem Ingressi?

1. NEgo; ex quo ista petitio debet præcedere; secùs non juvat, juxtà *d. cap. licèt*, & docet, multis cit. *Anton. Ricciull.* cit. *loc. & Barbosa in d. cap. num.* 17.

Quæst. 17. Religio, à qua fit transitus in strictiorem, non petita licentia; an possit de facto, & propria manu suum Professum extrahere?

1. REspondeo, quod non potest Professus sine petita licentia transire, nec illum Superiores recipere; secùs Recipientes mortaliter peccant, & Religio, à qua fit discessus, potest illum repetere, per allegata jura.

2. Immò & suum subditum ab illa arctiori Religione, de facto extrahere, omni meliori modo sibi permisso; tùm quia, quæ de facto fiunt, de facto rescindi possunt, tùm etiam, quia licitum est unicuique, rem suam unicuique repertam, propria sibi authoritate recipere; dummodò juridicè non fuerit illa privatus: prout benè notat *Laur. Peyr.* in suo *formul. Prælat. lit. T. cap.* 4. *fol.* mihi 702. *de forma transeundi.*

3. Nec objicies, quod multa, jure fieri prohibentur, quæ facta tenent; quia hoc *Legistarum* dictum fallit, & non procedit, quando lex in agendis præscribit formam, nam factum contra formam in lege positâ corruit; prout in casu nostro: unum etenim de substantialiter requisitis est, ut transitus fiat, petita licentia, & in frugem meliorem atque in Religionem arctiorem, ut in *d. cap. licèt.*

4. Nec item obest, quod in prædictis *juribus* & *Decretis* non sit clausula irritans factum; nam benè constat, mentem Papæ esse, ut transiens contrà præscripta, possit revocari, & puniri quocunque tempore steterit in illa perfectiori Religione; non enim Dominus Papa limitat tempora ad revocandum, quia indiffinitè loquitur; & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

5. Igitur transiens sine petita licentia, in omni statu, & tempore potest revocari & cogi, ut redeat ad suam priorem Religionem, sivè professus fuerit tacitè, vel expressè; & quando constat de mente Principis, non est curandum de verbis; quia hæc per illam, & non illa per hæc regulantur; prout benè notat *Portell. in resp. casu* 10.

6. Et additur, quod revocare & cogere, ut revertatur, sunt effectus Professionis nulliter factæ in Religione adita.

Nec

Nec Papa præciperet, esse revocandum, nisi supponeret, hujusmodi novam professionem factam in secundo Monasterio, esse invalidam ex defectu potestatis disponendi de propria persona, ut dixi.

Et in facto, quandò aliundè actus est irritus, non est necessaria nova clausula annullativa contractus.

Quæst. 18. Licentiatus à Papa ad unum certum Ordinem; an possit transire in arctiorem?

1. RODriquez *tom.3. q.52. ar.13. & Miranda tom.1. Manual. q.31. art.14. concl.1.* ex doctrina *Navarri com.4. super cap. statuimus, not.3. num.10.* negativè respondent, & ajunt, quod non est idem de eo, qui jam professus est; & de eo, qui vovit Religionem intrare: quia, qui vovit Religionem intrare unam laxiorem, potest absque ulla licentia intrare strictiorem; quisque enim jure naturæ potest suum votum transmutare in meliùs, propria authoritate.

2. Secus autem Professus, ut in *cap. licèt*, tùm quia dispensatio est stricti juris; ut dicitur in *Cap. 9. de offic. & potestate Judicis Delegati, in 6.* & docet *Glos. ibidem, ver. commissum*, quorum authoritas non extenditur, nisi ad specialiter expressa.

3. Hinc si Papa det facultatem alicui Cardinali, ut possit licentiare Petrum ad certum Ordinem, non poterit licentiare ad alium; secùs esset transgredi limites suæ commissionis.

4. Ita à pari, licentiatus ad unum certum Ordinem, in vim licentiæ non potest in alium, etiam arctiorem transire; quia causa licentiandi, & transeundi ad unum certum Ordinem, potest esse, ut non sit æqua, & eadem licentiandi ad alium, etiam arctiorem.

5. Dixi, in vim licentiæ sibi concessæ, nam benè poterit aliundè in arctiorem evolare, nempè de jure communi, & juxtà dispositionem *cap. licèt de regul.*

Quæst. 19. Licentia de transeundo indefinitè concessa, an comprehendat transitum in laxiorem, aut in Ordinem Militarem?

1. NAvarr. *lib.3. de regul. consi.57* in 1. editione, & *Rodr. to.3. q.52. ar.11.* & alii multi resolvunt negativè quæsitum, eò, quod privilegium concessum contra jus commune in casu dubii, debet adeò strictè interpretari; ut illud minus lædat.

2. Cæterùm, jus commune in *d. cap. licèt* dat facultatem transeundi in strictiorem: ergò Privilegium illimitatè concessum super transitu, debet intelligi, de transeundo in parem, & æqualem Religionem, & hoc satis est, ut privilegium non dicatur inutile, dum aliquid operatur contra jus.

3. Secùs autem, si in *d. privilegio* foret adjecta clausula generalis, nempè, *ut ad quamcunque Religionem transire posset.*

Quia prædicta dictio universalis comprehendit etiam laxiorem, *D. Barthol. à Sancto Fausto lib.5. Thes. q.327. & Miranda to.1. Manual. q.31. art.14.*

4. Nec virtute præfatæ licentiæ, etiam cum dicta dictione, licèt Regulari professo transire in Ordinem militarem; prout censuit Sac. Cong. Conc. sub anno Domini 1578. die verò 17. Novembris; & refert *Rodr.* cit. *loc. art. 12. & à Sancto Fausto q.328.* quia Religiosi Claustrales, nullo jure permittuntur ire ad non Claustrales: nisi in specie fuerit expressum.

5. Nec valet objectio, quod Ordines Militares sunt verè & propriè Ordines; quia, etsi sint veri Religiosi, non ob id comprehenduntur sub Ordine stantium in Claustro, aliud est, esse in Choro, & Claustro; & aliud in Bello, & Mundo, *Miranda* cit. *loc.*

Quæst. 20. Transiens in arctiorem, bono zelo; sed cum damno notabili, vel infamia Prioris Religionis petita, & non obtenta licentia, an possit revocari?

1. AFfirmativè deciditur in *d. cap. licet, de Regul.* ibi, *nè in jacturam, vel injuriam sui Ordinis, & ibidem Panor. ver. jacturam, & Syl. ver. Religio 4. q.1. in fin. ver. adverte quintò* & colligitur ex *calce d. cap.* ubi dicitur, *non ut Ordini vestro aliquatenùs derogaret*, & subjungitur, *mandamus, quatenùs super eo, quod de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta fecisse dignoscitur, eum nullatenùs molestetis*, hæc ibi.

2. Igitur, ex contrariis circumstantiis potest molestari, ut redeat; & hoc ideò, quia communis utilitas unius Monasterii, debet præferri singulari utilitati ipsius transeuntis; prout docet *S. Augustin. in Regula Clericorum* ex illo *Apostoli, Charitas non quærit quæ sua sunt.*

3. Nec licet locupletari cum aliena jactura. Spoliari autem, & privari aliqua singulari persona, aut fama, est magna jactura; undè integrum est priori Religioni, suum Professum repetere, & habet restitutionem in integrum; ex quo fuit læsa in temporalibus, ut ex *cap.2. de in integrum restu.* & docet *Bonac. de Clauf. q.2. pun.9. §.3. difficul.2. nu.4.*

4. Quod procedit, etiam Professione sequuta; quæ ex inobservantia formæ, erit invalida, nec transeunti illicitè suffragatur dispositio *d. cap. licèt*, adeò ut non dicatur debitè translatus, qui transit in jacturam, vel infamiam sui primi Ordinis.

5. Quamobrem, volens se transferre, si sit Doctor insignis, aut illustris origine, vel in aliqua arte peritus; nisi obtenta licentia, non potest licitè in aliam Religionem transire, *Portell. ver. Relig. transf. num.6.*

6. Hinc, item Dominus Papa non consuevit transeundi facultatem concedere, nisi in *Brevi* adjiciatur clausula, *de sui Superioris licentia*; prout constat ex illis. Princeps enim sine justa causa non debet juri tertii præjudicare.

7. Ob id credo, quod Patres Minimi annis elapsis à nostra Religione avocârunt post longam litem P. Fratrem Gabrielem Lopez de Provincia Castellæ, qui *Brevi Apostolico*, ex illis ad nos transierat, & refert *Peyr.* in suo *Formul. Prælat. cap.4. litt. T. num.1.*

8. Nec objicies, quod Divinum propositum, ob læsionem Monasterii, non debeat retardari, nec impediri; quia non est à Deo propositum illicitum, *Syl.* cit. *loc.*

Verùm, aliter esset dicendum, si scandalum, vel infamia, aut jactura veniret ex parte Monasterii, nam damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputandum.

Quæst. 21. Quænam sint justæ causæ transeundi in æqualem, vel inferiorem?

1. DIxi hic suprà, *q.5.* de causis transeundi in strictiorem, modò eas pono, quæ satis esse poterunt ad transeundum in æqualem, vel laxiorem, quarum Prima, ut si Religio, in qua reperitur Religiosus Professus, sit deformata, & nullius observantiæ, ex *cap. sanè de Regul.*

2. Secunda causa esse potest debilitas, & infirmitas ipsius Religiosi Professi, prout *D. Thom. in* cit. *loc. 2. 2. in fin. Corp. Turrecremat.* cit. *loc. num.1. & Syl. ver. Religio 4. q.1. & 2.*

3. Tertia, ut mala aeris temperies, ob quam non potest Professus in Religione commorari; & maximè, si eadem Religio aliud Monasterium non habeat, à quo possit in aliud transire, *Rodr. tom.3. q.52. art.9. Bordon. resolut. 29. q.14. num.55.*

4. Quar-

4. Quarta, urgens necessitas Parentum; ex quo in Ordine, in quo est, non sit commoditas ad succurrendum illis; secùs autem in Religione, ad quam transire festinat; etiamsi sit laxior, & inferior illa prima; *Bord. cit. loc.*

5. Quinta, ut si quis, ob suam simplicitatem, non sufficienter audierit Regulam, aut Constitutiones, tempore Professionis; & vellet posteriùs laxiùs vivere; prævia dispensatione, potest ad aliam laxiorem declinare; *Ant. Cordub. cap. 2. super Regulam Fratrum Minorum, quæst. 16.*

6. Nam voluntas, & Intentio, non se obligandi in Professione ad tantam vitæ arctitudinem, & duritiam; quata in illa Religione præcipitur; potest esse sufficiens ratio ad dispensandum cum illo.

7. Sexta causa poterit esse passivum odium in Religione; ut si Professus sit omnibus infestus, intolerabilis, & insupportabilis; & aliæ consimiles, quæ poterint movere mentem Domini Papæ ad dispensandum cum ipso.

Quæst. 22. Prælati Regularium, an possint ex una in aliam Provinciam suos subditos transmittere?

1. ET quidem, posse ex speciali jure; hoc est Regulæ, vel Statutorum confirmatorum à Domino Papa: secùs autem de jure communi, *Navar. Com. 4. de Regul. n.* 22.

2. Tùm quia, lex specialis derogat generali argum. *cap. generi, de Regul. jur. in 6. & l. in toto, ff. de regul. jur.*

3. Tùm etiam, quia voventes vivere secundùm Regulam Ordinis, in quo sunt talia statuta, possunt cogi ad illorum observantiam, ex vi Voti, & Obedientiæ promissæ.

4. Proindè, Provincialis potest mutare suos subditos ex uno, in alium Conventum suæ Provinciæ.

5. Item, & Pater Generalis omnes totius suæ Religionis, nedùm de Monasterio in Monasterium; sed etiam ex una in aliam Provinciam, & de uno Regno in aliud Regnum, prout sibi videbitur expedire.

Quoniam, sicut Monasteria unius Provinciæ, respectu Provincialis faciunt unum Corpus; ita omnia loca, omnesque Conventus totius Ordinis faciunt unum Corpus; respectu Generalis, qui est in toto Ordine Moderator.

6. Et habetur expressè in Dominicana Familia; *cap. 1. de instructione Ordinis Fratrum Prædicatorum, in §. circà Capitulum Generale in fin.*

Ibi etiam (supple Generalis) *potest transferre Fratres de Provincia ad Provinciam, pro utilitate, vel Ordinis, vel Fratrum transferendorum, vel Provinciæ, à qua, vel ad quam translatio hujusmodi fuerit facienda:* prout meliùs videbis est videre in *fin. d. cap. fol.* 29.

7. Item in §: *circà potestatem, fol.* 33. subjungitur, *licèt autem Magister habeat plenam, & generalem potestatem in Ordine: tamen nunquàm est ei utendum hujusmodi plenitudine potestatis, ubi causa rationabilis non occurrerit.*

8. Specialiter verò est ei cavendum; nè in temporalibus gravet Provincias, vel Conventus, vel Fratrem aliquem, utputa, Libros, vel Paramenta unius, alteri concedendo; & similia, prout *ibi*.

Quæ Praxis, & Mos rationabiliter debet extendi ad alios Generales Ordinum; per ea, quæ docet *Navarr. cit. loc. ver. 3. in fin.*

* * * * *

Quæst. 23. Quem locum inter se debent tenere translati ex una in aliam Provinciam?

1. RESpondeo, quòd debent tenere locum suæ Professionis; sicut, & cæteri Fratres ejusdem Ordinis, & Provinciæ; quod procedit, etiamsi sint totaliter translati, & simpliciter incorporati Provincialibus, ad quas se transtulerunt.

2. Quandoquidem, hi transferuntur, non ut fiant in Religione Professi; sed ut fiant filii provinciæ, cui incorporantur.

3. Quamobrem, in Ordine Prædicatorum Fratres de una Provincia, in aliam totaliter translati, & illi Provinciæ incorporati; postquàm fuerint in aliquo Conventu illius Provinciæ assignati, absque alia dilatione, intersunt actis Capitularibus, & habent votum in electione Prælatorum; sicut & alii, si aliàs sint idonei; prout habetur in nostris *Constitutionibus, dist. 2. de elect. Prioris Conventualis c. 2. in declarat. litt. P. tex. 6. fol. 115. col. 4.*

4. Et hoc ideò, quia sic translati sunt de illa Provincia, ad quam sunt totaliter translati, & non de alia; tùm quia jus suffragandi, & sedendi in Capitulo, est jus personale in tota Religione acquisitum per Professionem, jus verò personale sequitur personam ubicunque fuerit, Professione constante.

5. Secùs autem, si fuerint duntaxat assignati ad tempus, vel simpliciter in aliquo Conventu alienæ Provinciæ; etenim in tali casu nequeunt suffragari; nisi ultrà requisita, per annum continuum fuerint morati in aliquo uno Conventu Provinciæ: prout planè habetur cit. *loc. tex. 6. in medio.*

Quo autem modo fieri debeat talis incorporatio, vide *ibi*.

Quæst. 24. Prælati Regulares; an possint suos subditos in æqualem licentiare?

1. POsse, respondeo; ex justa tamen causa, & consensu Capituli, secùs autem, & docet *Glos.* de jure communi in *cap. cum singula, de prebend. & dignit. in 6. ver. Canonicæ,* ibi, *sed si transiret ad parem ex causa, poterit de licentia Abbatis, & Conventus,* juxtà *cap statuimus* 19. *q.* 3. ubi in calce *textus* subjungitur, quod in vetustis Codicibus legitur, *Patris totius Congregationis*, & apud *Ivonem, sive Abbatis, totiusque Congregationis.*

2. Et in *cap. non est vobis 7. de Regul. ver. permittatis* ibi, *vel intellige, quod de licentia Abbatis possit transire ad æqualem, justa de causa: secùs autem, ad inferiorem Religionem* ut infrà.

3. In hac materia, ut dixi suprà, Abbas idem est, quod Magister Ordinis, aut Præpositus Generalis, & colligitur ex illo verbo, *Patris totius Congregationis*, quod non potest extendi ad Priores Provinciales, cùm non sint Patres totius, sed alicujus partis Ordinis; & docet *Riccull.* post multos in *dict. lib. 8 de jure personarum, cap. 4. nu. 25.*

4. Confirmatur argum. *cap. sine exceptione 12. q. 2.* ibi, *cum totius Cleri tractatu, atque consensu:* Papa enim *ibi* loquitur de alienatione rei Ecclesiæ; quod magis procedit in alienatione personæ Religiosæ, quæ cum sit melior omni re corporea, fortiùs subjicitur dispositioni *d. cap.* & cùm sit totius Religionis, à tota Religione debet habere consensum: prout hic suprà dixi, cum *Bonac. de clausf. q. 2. punct. 9. §. 3. nu.* 2.

5. Et potest ratione probari, ex eo, quod Rectores multitudinis, ex justa causa possunt dispensare in lege Superioris, prout communiter docent *DD.* immò transire ad æqualem, non est descendere, nec minorare votum; ut dicam de transitu in laxiorem, nec reperitur aliquod jus, quod hoc prohibeat; & non prohibita, censentur concessa.

6. Perin-

Perindè, Generale Capitulum, aut P. Generalis, de jure communi possunt ex justa causa hanc licentiam concedere; secùs autem ad inferiorem.

7. Quæ autem sint justæ causæ dispensandi in his, quæ sunt juris Divini, ceu votum, & juramentum, docet mirificè *Dominicus Soto*, & præcipuè in casu nostro *lib. 1. de just. q. 7. ar. 3. dub. 1. & 2. in fin. d. ar.* cui favet *Rodr. tom. 3. q. 52. art. 9. Miranda tom. 1. Manual. q. 31. art. 6. conclus. 2. & Lezana 1. p. sum. cap. 22. nu. 10. in fin.*

8. Sed hodie obstant propria Privilegia omnium Regularium, quæ, ut infrà dicam, prohibent hujusmodi transitum, & debent omninò observari, eo maximè, quia hodie pro se habent Decreta Sac. Congregationis.

Quæst. 25. Capitulum Generale, vel Magister Ordinis, de jure communi, & legitima causa, an possint licentiare in laxiorem?

1. PRætermissis aliorum placitis, negativa sententia est tutior in conscientia, & praxi, probaturq; multipliciter, & primò ex dictis juribus *cap. statuimus, 19. qu. 3. cap. licèt, de Regul. & cap. Virgines Sacræ 21. q. 4.* in quibus Sancta Sedes concedit Professis licentiam, se transferendi ex una, in aliam arctiorem, pro lucro animæ suæ.

Ergò omnis transitus censetur inhibitus, excepto illo, qui fit in arctiorem, & duriorem.

2. Confirmatur ex *cap. viam ambitiosæ, in extrav. commun. de regul. & transeuntibus in 6, in fin.* quo in *loco* Mendicantes præcipuè sub pœna excommunicationis prohibentur transire ad Ordinem Monasticum, sine licentia Rom. Pontif. excepto Ordine Carthusianorum propter duritiam ejus.

3. Ergò sicut de Jure communi est licitum transire in duriorem. Ità à contrario sensu, inhibitum censetur transire in laxiorem, & inferiorem, sine licentia Papæ; exceptio enim firmat regulam in contrarium; quò fit, ut transitus in laxiorem sit contra prædicta jura; & maximè contrà dispositionem *d. cap. licet de regul. Navar. lib. 3. eod. tit. cons. 56.* in 1. edit. ubi loquitur in propriis terminis; quia nullus Papa inferior potest statuere contrà jus commune canonicum; ut sæpè dixi: Secundò probatur conclusio ex eo, quia licentiare ad laxiorem, est quodammodo dispensare in voto solemni, saltem in parte, ex quo transiens juravit, & vovit suam totam primam regulam observare.

4. Solemnis autem Voti dispensatio spectat ad solum Romanum Pontificem; prout post multos notat *Peyr. de subdito q. 2. cap. 24. ver. dico sextò*; ergò id, quod prius.

5. Quibus accedit *Decretum Concil. Trid. sess. 25. c. 19. de Regul.* ibi, *nemo etiam Regularis cujuscunque facultatis vigore, transferatur in laxiorem Religionem.* Qui quidem modus loquendi, tam generalis, & illimitatus, excludit omnem facultatem, sivè sit à jure communi, sivè à privilegio, sivè aliundè. Non enim utitur nomine privilegii, sed cujuscunque facultatis, ad ostendendum, quod intendit abrogare omne jus, quovis modo prætensum, ut latè *Bon. at. de claus. quæst. 2. punct. 9. §. 3. diff. 1. num. 13.*

6. Quod item colligitur ex illa dictione, *etiam*, quæ non est copulativa tantùm, sed extensiva, & ampliativa; extendit enim Decretum ad casum magis dubitabilem, quod erat jus Privilegiarii, ex *l. 2. C. de testibus*, & notat *Surdus decis. 8. num. 12. Menoch. cons. 336. num. 17. Rot. Rom.* apud *Farinac. tom. 1. par. 1. decis. 367. in princip. & Bellar. in cap. 11. Trid. sess. 14. de reformat. ver. etiamsi.*

7. Nec fit satis *Trid.* si dicatur, quod tollit privilegia dandi facultatem ex levitate; quia nunquam consuevit concedi privilegium dispensandi ex causa levitatis, sed tunc, quando adest causa justa transeundi: prout expressè colligitur ex *d. cap. licet.*

8. Igitur per *Trid.* illæ facultates transmittendi subditum in Religionem laxiorem, abrogantur, quæ fieri solent ex justa & rationabili causa.

9. Nec dices, adest justa causa; nam non reperitur aliquod jus, quo caveatur, ut ex justa causa liceat ex arctiori Religione transire in laxiorem; quoniam nec ista est bona argumentatio. Adest causa, ergò potestas transmittendi in laxiorem spectat ad Capitulum Generale, vel ad Magistrum Ordinis; secùs, ex justa causa posset dispensare cum suis subditis ad omne, lege communi prohibitum; fallit enim consequentia; quia justa causa non dat potestatem; sed movet Principem ad magis promptè dispensandum cum eo, qui petit, & indiget.

10. Quod amplia, etiamsi casus non pateretur moram; nam in tali casu, saltem post translationem factam debet haberi recursus ad Sanctam Sedem. Etenim celeritas causæ operatur, ut actus possit fieri; non quod post factum non sit recurrendum ad legitimum Superiorem; prout expressè colligitur ex *cap. de cætero, & cap. quod de his, de sent. excom.* ibi, *ut quam citiùs opportunitatem habuerit, Rom. Pontific. adeat.*

11. Proindè, Patres Generales Ordinum hodiè, etiam ex justa causa, & privilegio nequeunt subditos licentiare in laxiorem nisi fortè post *Trident.* sint eorum privilegia concessa; etenim prisca censentur abrogata in *dict. cap.*

12. Et quando lex procedit tollendo facultatem, non improbat causam, sed avocat ejus cognitionem ad se.

13. Quid ergò refert justa causa? si Sancta Sedes non confidit de judicio Inferioris? prout latè, ac lepidè disputat *Anton. Ricciull. in d. cap. 4. lib. 8. de jur. Personarum, nu. 9. ver caterùm*, contrà multos, qui se fundant in sola justa causa.

14. Ex quibus omnibus summariè colligo, quod solus Papa licentiat in laxiorem, & quoad reliquos Prælatos sublatam esse facultatem transmittendi; tàm per *Trid.* quàm per *Martinum V.* ut in *extrav. commun. in 6. cap. viam ambitiosæ, de regul.* adeò ut sublata potestate, in nullo casu translatio sit valida, etiam existente justa causa, *Navarr. dict. 4. comm. de regul num. 10. not. 3. in fin.*

Quæst. 26. Superior immediatus, utputà Prior Conventus, aut Guardianus; an possit de jure communi hanc facultatem suis subditis concedere?

1. MUlti dicunt, quod sic loquendo de jure communi; & de transitu in duriorem ex quo jura non distinguunt de Prælato; loquuntur enim indefinitè, ut in *d. cap. licèt*, ibi *de licentia sui Superioris.*

2. Nomine autem Superioris in favorabilibus venit omnis Superior; ità *Syl. ver. Relig. 4. q. 3. Navarr. in d. 4. Com. num. 10, Mirandâ tom. 1. Manual. q. 31. ar. 5. Barbosa*, multis citatis in *d. cap licèt, num. 10. & Bonac. de clausur. q. 2. punct. 9. § 3. num. 9.*

3. Cæterùm, quod nec sola licentia Prioris Conventualis, nec item Provincialis sit sufficiens, ad hoc, ut Regularis subditus dicatur debitè translatus; docent Doctores gravissimi, ut *Marcus Anton. Cucous lib. 3. Major. Instit. tit. de Regul. num. 139. Rodr. tom. 3. q. 52. ar. 3. in fin. & 2. p. sum. cap. 6. conclus. 8. Suarez tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 10. num. 30. Angel. ver. Religio, num. 35. Peyr. de subdito q. 1. cap. 24. ver. dico 2.* ubi concordat discrepantes, *Portell. ver. Relig. transf. num 4.* & novè *Ioan. Bapt. Lezana tom. 1. cap. 22. num. 9. in fin.* & proculdubio hæc sententia est verior, & securior in praxi.

4. Et

4. Et hoc ideo, quia tota Religio per professionem acquirit jus super Professum; ergò non potest alienari in præjudicium illius: nisi ab eo, qui toti Religioni præest. Hic autem non est alius, nisi P. Generalis, & multò meliùs Dominus Papa.

Ergo de hujus, aut illius licentia, poterit à Religione recedere, & in arctiorem evolare.

5. Confirmatur, res Ecclesiæ universalis nequit alienari, nec vendi, aut commutari; sine licentia Domini Papæ, ut ex *cap. ambitiosæ*.

Sed magis est, alienare personam Religionis, quàm res illius, ut hîc suprà dixi, ergo.

6. Item, gravissima negotia, quorum unum est id, de quo agitur; de stylo, & consuetudine omnium Religionum, reservantur judicio, & potestati Capituli, ac Patris Generalis.

7. Stylus autem, & consuetudo dat legem, & privilegium; & est optima legum interpres, *l. si de interpretatione, 37. ff. de legib.*

8. Proinde factum est, ut per Sacram Sedem, nulli regulariter concedatur licentia transeundi ex una, in aliam: nisi in *Brevi* translationis adjiciatur clausula, *de sui Superioris licentia.*

Hoc est, factâ sibi priùs facultate per Patrem Generalem Ordinis; aut ad minùs per Patrem Provincialem totius Provinciæ, *Mandos. de signat. grat. tit. de licentiis, ver. Religioso dari non consuevit, Ricciull.* cit. *loc. num.* 24. *& Bonac. ubi suprà, num.* 12.

9. Dixi, regulariter; nam Papa potest uti latissima potestate super omnibus, quæ sunt de jure positivo; prout communiter *Doctores* in *cap.* 1. *de constit.* & sic, absque alterius licentia, poterit facultatem facere.

10. In mea autem Religione Dominicana ad tollendam omnem præsumptam probabilitatem, multoties prohibitum fuit Prioribus, ac Vicariis Conventualibus, concedere licentiam transeundi ad alios Ordines; prout in declarat. nostrarum *Constit. de gravissima culpa, cap.* 19. *litt. A.* in 1. edit. sub anno 1566. *fol.* mihi 65. *col.* 1. quam per extensum transfert *Festus in summ. p.* 1. *cap.* 6. *de Professis alterius Religionis, in fin.*

11. Nec in tot Generalibus Capitulis, in quibus tot Peritissimi conveniunt, hoc fuisset Prioribus interdictum; si secus, foret de jure communi; nam, ut sæpè dixi, Capitula Generalia non possunt contra jus commune Canonicum aliquid statuere.

12. Nec contradicentium valet objectio, quòd *d. cap. licet*, indistinctè loquatur de Prælato Ordinis, à quo petenda est licentia, & quòd nomine Prælati, veniant etiam Prælati locales, & immediati proprii Monasterii.

Quia, etsi *d. cap. licèt*, loquatur indefinitè; non tamen corrigit jus antiquum, & consuetum; prout benè notat *Rodr. in comp. resolut.* 123. *num.* 59. sed implicitè firmat, & innovat. Nec est verisimile, quòd Dominus Papa vellet suas vices committere, in re tam gravi omnis generis Priori, aut Guardiano exilis Monasterii.

13. Dixi, quòd non erit sufficiens; quia vir spiritualis propter bonum Obedientiæ, & in augmentum meriti non desinet licentiam petere à Guardiano, Ministro, Custode, & P. Generali; ut multifariè, multisque modis transeat in frugem melioris vitæ.

Quæst. 27. *An possit Dominus Papa sine justa causa, quem licentiare in laxiorem?*

1. Quamvis Papa non consueverit concedere licentiam transferendi in laxiorem; nisi ex justis, & legitimis causis; prout pluries in facti contingentia, se vidisse testatur *Anton. Ricciull. lib.* 8. *de jur. person. cap.* 4. *num.* 4.

2. Nihilominùs, si sine justa causa concederet, valida erit dispensatio, quoad forum fori; tum, quia non possumus dicere Domino Papæ, cur ita facis?

3. Tum etiam, quia latissima potest uti authoritate super omnibus, quæ sunt de jure positivo; ceu sunt Religiones, abstrahendo à voto; ut dicitur in *cap. final. de Relig. Domib. & ibi Abbas, & Sanctus Anton. in* 3. *p. tit.* 16. §. 4.

4. Secùs, quoad forum poli; quia licentiare in laxiorem, esset quodammodò absolvere à rigore voti, vel à parte ipsius voti.

5. Dispensatio autem in voto, ex quo est de Jure Divino, nequit fieri sine justa causa, ex *cap. non est, de voto.*

6. Perinde graviter peccaretur in tali casu, foretque dispensatio nulla in foro conscientiæ utriusque: Unde ambo injustè facerent, & petens, & concedens: prout communiter *Doctores, Sylv. verb. Relig.* 4. *q.* 2. *Tabien. eod. tit. q.* 23. *Navarr. in* 4. *tom. de Regul. num.* 10. *not.* 3. *ver.* 2. *addo, Rodr. tom.* 3. *q.* 52. *art.* 10. *Sanchez ad decal. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 67. *Bonac. de clausf. q.* 2. *punct.* 9. §. 3. *diff.* 1. *num.* 14. *Laur. Peyr. de subdito, q.* 1. *cap.* 24. *dict.* 5. *& Barbos.* post multos in *d. cap. licèt, num.* 12. *& in Trid. cap.* 19. *de Regul. sess.* 25. *num.* 29. *&* 30. sed in Papa semper præsumendum est, adesse causam justam, quando dispensat.

7. Benè verum est, quòd prædicta facultas transeundi in laxiorem, concessa à Domino Papa; ad hoc, ut suffragetur, non indiget clausula, quæ in specie, aut expressè deroget *Decretis Conc. Trid.* sed satis est, quòd habeat clausulas generales; nempè, *quibuscunque aliis non obstantibus*, prout dixi suprà *p.* 1. *tract.* 14. *de derogat. Decret. Conc. Trid. q.* 4. ubi hujus generis multa dico.

Quæst. 28. *An Moniales possint ex una, in aliam Religionem transire?*

1. Affirmativè deciditur in *cap. Virgines Sacræ*, 20. *q.* 4. *& ibid. Gloss. & Turrecremata*, ibi, *commanere decreverint, Synodus concedit*, tum etiam, quia dispositio loquens de Monacho, habet locum, etiam in Moniali; nisi repugnet qualitas sexus, ex *cap. final. in fin. de stat. Monach.* tum item, quia rationes *c. licèt, de Regul.* procedunt etiam in Monialibus, *Hostiens. ibid. col.* 4. *& Navarr. cons.* 5. *de stat. Monach. & lib.* 3. *de Regul. cons.* 48. *num.* 6. *&* 7. *Illustr. Reg. D. Carol. Tapia in auth. ingressi, cap.* 9. *num.* 37. *Ricciull. lib.* 8. *de jur. Person. cap.* 5. *Barbosa in d. cap. licèt, num.* 3. *& Natta consil.* 432. *num.* 9. *&* 15. *lib.* 2.

2. Nec his obstat, quòd Moniales ex *Trid. sess.* 25. *cap.* 5. *de Reg.* sint sub arctissima Clausura; nec item *Constitutio Pii V.* quæ incipit, *Decori, & honestati*, sub anno Domini 1569. edita; & est 8. infrà ejus *Constitutiones, in Bullar. Cherub.*

3. Quia, in his prohibetur solus exitus, non autem translatio, & prohibitus egredi, non prohibetur transferri; quia illud includit licentiam vagandi, hoc autem spem majoris perfectionis, ex *d. cap. licet, & cap. sanè, de Regul.* & docet *Navarr. in cap. statuimus, not.* 4. *num.* 48. *Bonac. in* cit. *loc. de clausf.* §. 2. *num.* 4. *& Rodriq. tom.* 3. *q.* 52. *art.* 6. Et ita pluries fuisse à Sac. Congreg. decisum refert *Ricciull.* citat. *loco.*

4. Proinde, Moniales laxioris Regulæ, servatis quibusdam circumstantiis, quas infrà pono, de licentia Superiorum possunt transire in duriorem; nempe ad primam Regulam S. Claræ, quæ vulgò Capucinæ vocantur, *Portell. ver. Relig. transf. num.* 8.

5. Imò, ex justa causa ad laxiorem; & de Monasterio non servante Clausuram, ad Monasterium, in quo servatur Clausura, & Disciplina Regularis; *Turrecremata in d. cap. Virgines*; & ita refert à Sac. Cong. decisum, *Ricciull. ubi suprà.*

6. Limita tamen primò, non procedere in casu patrati criminis, ad cavendum pœnas sibi debitas, ut dicitur in *d. cap. Virgines*, vel si petatur transitus, causâ seditionis; prout censuit ead. Sac. Cong. Regul. sub anno Domini 1603. de Mense Maji, & refert *Novar.* in sua *Lucerna Regul. ver. translatio, num.* 1. 2. & 3.

7. Limita secundò, non procedere in translatione, quæ fieri posset in Monasteria novitere erecta; nisi constet, illa fuisse erecta authoritate Apostolica, & esse capacia, prævia visitatione; & ita esse perfecta, quòd nihil desit de requisitis ad Regularem Disciplinam; juxtà *Decretum* Sac. Cong. editum die 17. Julii, sub anno 1615. & refert *Barbosa de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 149. & *in Collect. Bull. Apost. verb. Monialium translatio.*

8. Limita tertiò, ut Moniales, etiam ex justa causa nequeant transire ex uno in aliud Monasterium, sine speciali licentia Sac. Cong. juxtà *Decretum Paul. V.* editum, & intimatum die 22. Decembris, 1617. *Castell. de elect. cap.* 17. *num.* 6. & *Diana part.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 127.

9. Limita quartò, causâ institutionis Novitiarum, vel ratione Præfecturæ, de sola licentia Domini Episcopi, loci Ordinarii, vel Superiorum Regularium: nisi accedente, & præhabita supradicta licentia Sac. Cong. prout censuit ead. Sac. Cong. in anno 1603. de Mense Maji, in una Tortonen. *Novar.* cit. *loc.*

10. Limita quintò, ut prædicta translatio Monialium, ex uno, in aliud Monasterium, jussu Sac. Cong. nequeat fieri, nisi in aurora, ad hoc, ut Moniales non ab omnibus videantur, & quòd ducantur recto tramite à personis gravibus, honestis, & eis in sanguine conjunctis, *Barbosa de off.* & *potestate Episcopi, allegat.* 102. *num.* 26. *p.* 3.

Quæst. 29. *Transeuntes ex una in aliam; an teneantur novitiare in ea Religione, in quam se transferunt de novo?*

1. EQuidem teneri; docet per multa jura *Navarr. lib.* 3. *de Regul. cons.* 49. *num.* 2. in 1. edit. & *eod. tit. cons.* 60. & 61. *Rodr. tom.* 3. *q.* 15. *art.* 11. & *p.* 2. *sum. cap.* 6. *num.* 10. cum suo *Comp. resolut.* 123. *num.* 81. *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *art.* 21. *Lessius de just. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 13. *à Sancto Fausto lib.* 5. *Thes. q.* 340. *Novar. in Lucer. Regul. ver. translatio, num.* 22. *Barbosa in d. cap. licèt, num.* 25. & novè *Lezana tom.* 1. *c.* 22. *n.* 16. post multos, quos allegant.

2. Tum, quia nullus Regularis potest dici, quòd sit hujus, vel illius Religionis; nisi per Professionem; nam habitus non facit Monachum; sed professio, ex *cap.* 1. *de Regul. in* 6. & *cap. porrectum, de Regul.* & *Gloss. in cap. Vidua, eod. tit.*

3. Tum etiam, quia ex *cap. recolentes, de stat. Monach.* & *c. in nona* 16. *q.* 7. qui similem vitam cum aliis suscipit, similem debet sentire in legibus disciplinam.

4. Hoc autem nequit fieri moraliter sine Novitiatu, qui fuit institutus ad probandum austeritates Religionum, & mores eorum, qui in illis intendunt profiteri.

Ergò non minùs, quàm cæteri laici, qui ad Religionem confugiunt, tenentur translati Novitiatum facere.

5. Tum item, quia ita definitum est per *Sac. Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* ubi irritantur, & annullantur professiones eorum, qui non fuerunt in Novitiatu, ad minùs per annum, post susceptum habitum, & *Conc. ibi* loquitur universaliter; & ratio, ob quam fit Novitiatus, procedit, tam respectu primæ Religionis, à qua Professus intendit recedere, quàm respectu secundæ, ad quam tentat evolare.

6. Quod amplia primò, etiamsi fiat transitus ab una familia in aliam ejusdem Ordinis, ut si aliqui Fratres Minores de familia, vulgo *Zoccolanti*, transeant, ob aliquam causam; vel per quodcunque privilegium, aut facultatem ad Reformatos, tenentur de novo Novitiatum agere, & per annum integrum in probatione esse; prout decretum est à *Greg. XV.* sub anno Domini 1621. die verò prima Septembris, sua *Constit.* incip. *Onerosa*, quæ est 8. inter ejus *Constit. in Bull. Cherub. tom.* 4. *fol.* mihi 79. *in princ.* ibi, *& illi, qui talem licentiam obtinebunt; debeant facere annum Novitiatus integrum; prout alii Reformati faciunt.*

7. Idem dic de Conventualibus, si transirent ad Observantes, vel Capuccinos; quia, etsi sit una Religio, ratione Regulæ, & Fundatoris; tamen simpliciter sunt diversarum austeritatum; & interest, mores transeuntium experiri, secùs pœnitebit recepisse.

8. Amplia secundò ad eos, qui se transferunt, ut sint Prælati in ea Religione, ad quam fit transitus; adeò, ut priùs teneantur profiteri, quàm sibi administratio deferatur; etenim Beneficia Monasterii & Ordinis non possunt conferri, nisi Monachis Professis illius, ex *cap. cum singula, §. final. de præbend. in* 6. *Navar. de Regul. consil.* 61. & *Rodriquez tom.* 3. *quæst.* 52. *art.* 25.

9. Verùm, respectu eorum, qui transferuntur sæpè ex quadam necessitate, ad hoc, scilicet, ut præfigantur certo Monasterio, in Abbatem, vel Priorem; non exigitur, ut Novitiatus sit annalis; sed satis est, ut observetur dispositio, *cap.* 21. *Conc. Trid. sess.* 25. *de regul.*

10. Dixi, ferè ex necessitate; nam esse potest, ut in aliqua Abbatia, vel Prioratu deficiant Professi; & ideo necesse sit, assumere aliquem ex alieno Ordine, in Prælatum illius, cùm Beneficium Regulare debeat conferri Regularibus, sicut Sæculare Sæcularibus, *ut in d. cap. Trid.*

11. Cùm pariter, Regulares unius Ordinis nequeant eligi in Prælatos alterius Ordinis, per *Clem.* 1. *de elect.* & docet latè *Paul. Layman. Canon. Quæst. de Prælat. Eccles. elect.* & *Ascan. Tambur. de jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 5. *quæst.* 11.

12. Oportet enim, ut translati suscipiant habitum illius Religionis, cui præficiuntur, & ibi renovitient, & professionem faciant infrà sex menses; secùs censentur illa Beneficia vacare, ut dicitur in *d. cap.*

13. Undè horum Novitiatus excipitur ab illa universali regula, *cap.* 15. *Conc. Trid.* aliàs sibi ipsi contradiceret, ut notat *Rodr.* 2. *p. sum. cap.* 6. *num.* 10. & *à Sancto Fausto lib.* 5. *Thes. quæst.* 342.

14. Quæ omnia extenduntur ad Moniales; secùs fœmina translata ex uno in aliud Claustrum, non esset Monialis secundi Monasterii: quia, ut dictum est, professio est illa, quæ incorporat Religioni irrevocabiliter, & est decisio *Rotæ Rom. in recent. decis.* 115. *num.* 7. *part.* 2.

15. Secus autem, si fieret translatio Monialis in aliud Monasterium ejusdem Regulæ austeritatum, & cæremoniarum; quia in tali translatione non requireretur Novitiatus, *Novar.* ex eadem Rota Romana in *Lucerna Regul. ver. translatio, num.* 23.

16. Et nota diligenter, quòd ubicunque fit mentio de professione facienda, præsupponitur Novitiatus, nisi aliàs sit ordinatum à Domino Papa, ex *cap. recolentes, de stat. Monac.* & *cap. in nona,* 16. *q.* 7. de qua re vide *Rodr. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 8.

Quæst. 30. *An una tota Religio, vel Domus Religiosa possit de jure in arctiorem transire?*

1. REspondeo, posse, de licentia Sedis Apostolicæ; secùs autem.

Et habetur in *cap.* 8. *de excessibus Prælat.* ibi, *sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere aliena, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur.*

2. Totum autem Monasterium, & eò magis tota Religio, se habet, ut Episcopatus, ergò.

3. Item

3. Item in *cap. unic. de Religiosis domib. in 6. in §. finat.* ibi, *ad hac personis Ordinis, ad quos Constitutio præsens extenditur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos, licentiam concedimus generalem, ità, quòd nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum se, ac loca sua totaliter transferat; Sedis ejusdem super hoc permissione specialiter non obtenta.* & *ibid.* dicitur in *rub.* quòd existens de Ordinibus revocatis, non collegialiter, sed singulariter, ad alios Ordines transire potest.

4. Nec obest *cap. recolentes. 3. de statu Monach.* ibi, *Cæterùm domus illa, quæ de aliis institutionibus, ad vestrum Ordinem se transtulerint*: quia aut in illo transitu intervenerit Papæ consensus, vel erant illæ Domus de aliqua Religione cæpta; sed à Sede Apostolica non approbata; quia in tali casu est, ac si non fuisset instituta; ut in *d. cap. unic.* dicitur, & in *Clem. 6. eod. titul. & in 6. cap. fin. eod. tit.*

5. Nec dicas cum *Sanchez tom. 2. Decal. lib. 6. cap. 7. num. 7. & Bonac.* cit. *loc. de clausq. 2. punct. 9. §. 2. num. 5.* quòd sicut licet singularibus transire ad arctiorem, sine licentia, debet licere omnibus simul; quia eadem ratio, quæ est de parte ad partem, est etiam de toto ad totum, *l. qua de tota, 80. ff. de rei vendicat.*

6. Quoniam fallit argumentum, ut notat *Gloss. in d. cap. unic. de Relig. Domib. ver. totaliter, & Ricciull. lib. 8. de Jur. Person. cap. 4. num. 28.* nam plura licent in particulari, quæ non licent universaliter, ut in *leg. cùm Senatus, C. de reb. dub. & in l. 1. C. de Judæis.*

7. Cives enim ut singuli, possunt sibi multa facere, sine præjudicio Universitatis.

8. Nec valet dicere, quòd *textus d. cap. unic.* debeat intelligi de translatione rerum, non autem personarum; quia ex eodem contextu planè constat, quòd loquitur de utraque, ibi, *nullus Ordo*, & ibi, *se, ac loca sua*: Quæ verba omninò debent referri, non solùm ad res, sed etiam ad personas. Et additur, quòd vis decisionis *d. textus*, non consistit in realitate, vel personalitate; sed in totalitate; ut ibi, *ad Conventum se, ac loca sua totaliter transferat*; prout doctè *Ricciull.* cit. *loc. Illustr. D. R. Tapia in auth. ingressi, C. de Sacrosanctis Eccles. cap. 9. num. 37. & Barbosa in d. cap. recolentes, num. 6.*

Quæst. 31. Transiens in arctiorem, vel laxiorem, sine licentia sui Superioris; an sit Apostata?

1. NEgativè patet ex decisis; & est certum, quia, qui ex una in aliam Religionem transit, non deponit habitum, nec deserit Religionem absolutè, sed commutat; unde non potest puniri ut Apostata, sed ut fugitivus, & si qui sint, qui dicant, esse Apostatam cum *Divo Thom. & Cajet. 2. 2. q. 12. art. 1. & ibi Bannes, Navar. lib. 5. de Apost. num. 7.* debent intelligi largè, & impropriè.

Quæst. 32. Generales Ordinum, & alii Prælati, qui subsunt immediatè Domino Papæ; an possint in arctiorem transire?

1. ET dico, quòd sic; licentiâ tamen à Domino Papa petitâ, licèt non obtentâ; quia prædictum *cap. licet, de Regul.* extenditur ad omnes, solis Episcopis exceptis, ut *ibidem.* Quod procedit, etiamsi Papa taceret; secùs si recusaret licentiam concedere, *Syl. ver. Relig. 4. q. 3. Tabiena eod. ver. q. 24. Illustr. D. Episc. Ant. Ricciull. d. lib. 8. de Jur. Person. cap. 4. num. 25. & Barbosa in d. cap. licet, num. 5.*

2. Nec objicies, *Clem. IV.* hunc eis transitum interdixisse; quia interdictum *Clem.* habet locum, recusante Papâ; prout notat doctissimus *D. Bartholomæus à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 298.* in 2. editione.

Quæst. 33. Professus Choro adscriptus; an possit authoritate sui Superioris, in statum Conversorum transferri?

1. DE hac re multa affirmativè dixi in *4. p. tract. de Conversis, q. 10.* tum, quia status laicorum Conversorum est arctior, & durior statu Clericali, & quivis Professus liberè, ex *cap. licet*, potest in duriorem transire; saltem de licentia Superiorum, & justa causa; tum item, coactè ob demerita, & culpas; nam si Professus ex delictis potest degradari, habitu privari, carceribus mancipari, etiamsi sit sacris Ordinibus insignitus, & ad triremes condemnari: Quantò magis, ad laicorum Religiosorum officia transferri? prout post Priscos advertit *D. Barthol. à S. Fausto, lib. 6. de voto obedientiæ, q. 160.* in novis, & *qu. 161. Peyr. tom. 3. Privil. c. 4. in aeditam ad Constit. Leon. X. num. 58. & tom. 1. de subdit. q. 1. cap. 24. §. 3.* ubi latè respondet ad objecta; & nuper doctissimus *P. Franciscus Bordon. tom. 1. resolut. 30. q. 12. de horis Canon. num. 15.*

Quæst. 34. An autem sic translatus, teneatur ad officium, quod in Choro recitatur?

1. QUoad hoc variant *DD.* sed tu distingue; aut transfertur ex justa causa; nempe ob imperitiam litterarum; & sic absolvitur à Choro, ex causa; & indulto *Clem. VII.* prout *Casarub. in Comp. Privil. Minor. ver. Moniales, num. 30. & Portell. ver. Hora Canonica, num. 13.*

2. Aut item transfertur, ob sui humilitatem; & sic tenetur; quia opus supererogationis ab obligatione non dissolvit; aut item ex delicto, & ob demerita, & maximè, si sit in Sacris constitutus; & sic utique tenetur ratione Clericalis Characteris, aliàs ex delicto reportaret commoditatem.

3. Quod magis patet, si advertas, quòd ad disobligandum quempiam translatum ex justa causa, fuit necessaria dispensatio *Clement. VII.*

Quo ergo jure criminibus obnoxius deobligabitur ab officio Divino, per solum transitum, absque dispensatione Papæ, & sine justa causa?

4. Dices, ratione mutationis status; nam transiens ad secunda vota, non amplius tenetur ad particulares obligationes primæ Regulæ.

Respondeo, quòd non est æqua ratio utrobique, quia aliud est, liberè, & licitè, & legitimè transire; & aliud coactè, & ob demerita; & aliud, mutare substantialiter totum statum, & aliud partem status infrà unum, & eundem Ordinem.

5. Quandoquidem, qui ex uno in aliud transit Monasterium ob demerita, non absolvitur ab obligatione primæ Regulæ, sicut si unus de Mendicantibus transferatur, ob culpas ad carceres Carthusiæ, numquid in carcere non tenetur ad officium Divinum suæ Regulæ?

6. Apostata, vel Professus stans in sæculo, extrà septa sui Conventus, etsi sit in alio statu, nihilominùs tenetur ad officium Divinum sui Ordinis; & sic de aliis, quibus eorum culpa non debet favere, *Navarr. de orat. cap. 7. num. 20. & Rodriquez part. 1. summ. cap. 141. de iis, qui teneantur dicere Horas Canonicas, num. 14.*

7. Igitur translati à Choro, ad Conversorum labores, non dicuntur propriè, & substantialiter mutare statum Religionis; sed statum, & locum in Religione, & novus labor superadditus in pœnam peccati, non absolvit peccantem à primo labore; ut patet in excommunicato, qui etsi sit extra Chorum, tenetur tamen ad officium Chori; & licèt sit extrà Ecclesiam, attamen tenetur ad præcepta Ecclesiæ; nempe, solvere decimas, jejunare, & si-

& similia peragere, nobis praescripta ab eadem Sancta Ecclesia.

Quaest. 35. Una Religio, qua de causa sit altera perfectior?

1. D. *Thomas 2. 2. q. 188. art. 1. & 2. & q. ultim. art. 8. in corpore, & ibi Cajet. & in opusc. 18. & 19. de perfect. Relig. Joan. de Neap.* in utroque jure Doctor Parisien. in suis *quaest. q. ultim.* latè, & eruditè *S. Anton. in 3. p. tit. 16. §. 4. Palud. in 4. sent. distinct. 39. q. 3. art. 1. num. 11. Turrecremata* Magnus Canonista in *cap. 1. caus. 19. q. 3. dub. 1. conclus. 2. Syl.* Magnus Doctor *ver. Religio, Navar. com. 4. de regul. num. 7. Rodr. tom. 3. q. 48. art. 1.* ubi de hac re latè *Miranda tom. 1. Manual. quaest. 31. art. 4.* & alii ferè omnes concorditer docent.

2. Quòd omnes Religiones, quamvis respectu finis, primò primi, & quorundam communium sit una, & eadem Religio, tum, quia ab uno, & eodem Deo sunt institutae, & ad eundem ordinantur: etenim finis omnium Religiosorum est perfectio charitatis, quae amplectitur Dei amorem, & proximi; tum item, quia omnes totaliter se dedicant Divinis obsequiis, essentialia vota observant, à saecularibus negotiis abstinent, & similia, de quibus idem est judicium in omnibus.

3. Nihilominùs, possunt differre dupliciter: primò principaliter ex parte finis secundarii, ad quem ordinantur; nam, ut planè constat, una Religio ordinatur ad suscipiendos Peregrinos in hospitio, alia ad redimendos captivos, & aliae ad alia, ut militares, & consimiles.

4. Secundariò, & minùs principaliter possunt distingui ex parte exercitii; quia diversè se disponunt ad eundem finem: Quare in una Religione custoditur castitas per castigationem corporis, in alia per abstinentiam ciborum, in alia per solitudinem, & in alia per mutuam societatem.

5. Attamen, debet attendi finis, quia cùm sit causa causarum, & omnium actionum objectum, specificat unumquodque, & maximè in esse morali, *D. Thom.* cit. *loc. art. 1. in Corp. & responsione ad secundum, & Cardin. in Clem. 1. q. 12. & 13. de elect.*

6. Igitur, illa Religio praefertur alteri, quae ordinatur ad finem absolutè potiorem, vel quia ad majus bonum, vel ad plura bona; idem *D. Thom.* cit. *loc. q. 188. art. 6. in corp.*

7. Nam sicut actus tantò censetur dignior, quantò tendit ad publicam utilitatem, *cap. licet, in fin. de regul. & cap. scripsimus 8. q. 1.* & colligunt *Doctores ex l. 1. solut. matrim.* & quod pluribus, & communiter prodest, praeponi debet ei, quod quibusdam tantùm prodest, *Auth. ut, qui a, C. commun. de legat.*

8. Quò fit, ut opus vitae activae conjunctae cum contemplativa, dicitur dignius opere vitae contemplativae tantùm, *D. Thom. in dict. art. 6.* ob plura, & publica bona. Ideoque subjungit, summum gradum in Religionibus tenent, quae ordinantur ad docendum, & praedicandum, quae & propinquissimae sunt perfectioni Episcoporum; sicut & in aliis rebus fines primorum conjunguntur principiis secundorum.

9. Ex his colligit *D. Thom. art. 9. q. 189. in corp.* quòd ad effectum transeundi ex una Religione in aliam, non debet attendi dumtaxat rigor, vel arctitudo, sed principaliter id, ad quod Religio quaelibet dirigitur, hoc est, primò, & principaliter debet attendi finis, & secundariò rigor Religionis. Secus autem esset descendere, & non ascendere, minui, & non crescere: Quae Angelica doctrina fuit saepiùs, etiam per Romanos Pontifices canonizata.

10. Nempe, à *Joanne XXII.* qui fuit eximius Jurisconsultus, & omnium sui temporis doctissimus in *extrav. ad Conditorem*; quae asservatur inter alias ejus *in 6. in fin. tit. 14. cap. 3. de verbor. signific.* lite ortâ inter Fratres Minores de Observantia ex una, & Recollectores ex altera; quinam eorum melior, ac perfectior esset modus vivendi.

Decidit, Religionum perfectionem desumendam, & attendendam esse, non ex majori, vel minori arctitudine, & rigore; sed ex perfectione charitatis, & mediorum ad ipsam, ibi.

Quantum ad statum perfectionis, nequaquam prosat reservatio dominii supradicta, cùm enim perfectio vitae Christianae principaliter, & essentialiter in charitate consistat, quae ab Apostolo perfectionis vinculum dicitur, & quae unit, seu conjungit aliqualiter in via hominem suo fini, ad quem disponitur, &c. haec ibi, & notat *Miranda cit. loc. d. art. 3.*

11. Item à *Pio IV.* lite pendente inter Canonicos Regulares S. Augustini, & Monachos Ordinis S. Benedicti: hi quippe praetendebant praeesse, & praecedere in omnibus actibus publicis, ob perfectionem Religionum Monachorum, quam pullulare ex majori arctitudine, & rigore dicebant.

Illi autem, versa vice, ex perfectione Regulae Canonicorum Regularium, ex quo erat magis proxima vitae Christi, & Apostolorum; etenim Christus venit in salutare omnium hominum; unde Ecclesia publicè canit, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis.* Item & Regula Apostolorum fuit, praedicare Evangelium omni populo, & docere viam salutis.

Canonici autem Regulares fuerunt essentialiter, & principaliter instituti ad exhibendum populo Christiano pabula salutis, docendo, Sacramenta administrando, Confessiones audiendo, & similia.

Et tandem, post longam discussionem, hinc inde habitam inter partes, nimis maturè causâ cognitâ, & discussâ, visis prolixis, sed eruditis *allegationibus*, quas per extensum refert doctissimus *Ascan. Tambur. tom. 1. de jur. Abbat. disput. 25. q. 1.* latum fuit Decretum ad favorem Canonicorum, quod confirmatum publicavit idem Papa *Pius IV.* non obstante arctiori vita Monachorum, sua *Const.* incip. *Sedis Apostolicae providentiâ circumspectâ, &c.* quam per extensum habes apud d. *Tambur. & Navar. cit. loc.*

12. Item colligitur à *d. cap. licèt, de regul.* ibi, *sub praetextu majoris Religionis*; & ibi, *ad frugem melioris vitae*, & infrà, *talis ergo, postquam à Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, liberè potest sanctioris vitae propositum adimplere.*

13. Et cùm item Papa in calce *d. cap.* loquatur de arctiori, ibi, *ut apud eos vitam duceret arctiorem.*

Videtur, esse dicendum, quòd ad licitè transeundum, juxta dispositionem *d. cap. licèt*, requirantur ista duo copulativè; & quòd Religio, in quam transitur, sit arctior, & perfectior ex fine; & quòd item sit arctior in Praxi, quod evenit, quando perfectior Regula observatur actualiter, cum omni rigore, ita, ut principaliter attendatur perfectior disciplina ex fine, & secundariò arctitudo ex actuali observantia.

Secus autem non foret progredi, sed regredi, ut dictum est.

14. Et tandem, optima ratione confirmatur; nam certissimum est, quòd S. Joannes Baptista, & sui Discipuli, arctiorem, & asperiorem vitam vixerunt, quàm Christus Dominus, ejusque Discipuli, prout ex Sacra Scriptura, & Evangelio planè constat: & tamen nullus auderet dicere, nisi haereticus spiritus, quòd status Joannis Baptistae, & Discipulorum ejus, fuerit praestantior, & perfectior statu Jesu Christi, & Apostolorum.

15. Ergo magis, & minùs perfectio status Religiosorum, non debet attendi, nec desumi ex majori, aut minori arcti-

arctitudine, & duritia Religionis; sed ex potiori fine, in quem contingit Religionem ordinari.

16. Christus enim venit in salutem Gentium, ad illuminandum nos; inde ejus status fuit perfectissimus omnium; sic enim dilexit nos, ut pro nobis semetipsum morti traderet.

17. Ex quibus duo Corollaria ad Dei gloriam liceat inferre; & quòd Ordo Prædicatorum sit Excellentissimus, tum ex Regula, tum etiam ex fine, quia essentialiter, & principaliter est institutus ad prædicandum, & docendum in salutem animarum; quod constat ex nomine, quod rei essentiam ostendit; & tot Pontifices testantur, quod habes expressè in *Prologo Const. fol. 1.* & expressiùs *fol. 5. col. 4. tex. 3.* ibi, *cùm Ordo noster specialiter ob Prædicationem, & animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse, & studium nostrum ad hoc debet principaliter intendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse.* hæc *ibi.*

18. Adeò, ut talis Ordo ex quadam speciali prærogativa possit dici Coadjutor D. Petri, & Magnus animarum Æconomus, *Sylv. ver. Religio, 4. q. 6.*

Nec dices, quòd cæteri etiam prædicant, & administrant pabula salutis, quia hoc faciunt ex commissione, non autem ex speciali institutione; & naturalis qualitas, & institutio prædicandi, & administrationis Sacramentorum præferri debet accidentali; ex *l. qui habet, de tutelis.*

19. Secundum sit, quod maximè præstat inter Fratres Minores; tum ratione antiquioris institutionis, & approbationis; nam, ut notat *Gloss. in cap. quorundam, ver. Prædicatorum, de elect. in 6.* & *Joan. Andr. in cap. Joannes, de testam.* dicit, quòd Ordo Prædicatorum excedit Ordinem Minorum, ratione antiquioris institutionis, sicut litteræ in prædictis juribus dicunt: nempe in *d. cap. quorundam, & in cap. unic. de excess. Prælat.* ubi semper Prædicatores præcedunt Minores.

Quod item notat *Petrus de Anchar.* assignans tempus institutionis prædictorum Ordinum; nam Ordo Prædicatorum, quantum ad sui exordium cœpit sub S. Dominico in partibus Tholosanis, anno Domini 1203. & fuit confirmatus ab *Honorio III.* anno Domini 1216. 11. Kal. Januarii, apud S. Sabinam.

Ordo autem Minorum incepit sub Sanctissimo Francisco in partibus Tusciæ, anno Domini 1207. & fuit confirmatus ab eodem *Honorio III.* anno Domini 1223.

Quæ tempora supputat *Joan. Andr. in d. cap. quorundam, & Dominicus:* & addunt, quòd per illam *Glossam* haberi potest, qualiter Religiosi debeant ordinari in Processionibus, & in aliis actibus publicis, quibus intersunt.

20. Tum etiam, ratione arctitudinis, & asperitatis; quia parvo utitur cibo, & ferè per totum annum jejunat, non vescitur carnibus, nisi in casu infirmitatis, & non alibi, quàm in Infirmaria, non utitur lineis ad carnes, ubique tenet silentium, & non discurrit, & plùs nimio vacat studio, quod est species martyrii, continuat Chorum, nocte, dieque vacat Confessionibus, Congregationibus, & consimilibus operibus pietatis, ut patet ex praxi, & statutis eorum.

21. Hinc, *Joan. Andr. in cap. sanè, de Regul. in princ.* quem *ibi* sequitur *Cardinal. col. 2. ver. quàro,* & notat *Tambur. de Jur. Abbat. tom. 1. disput. 25. q. 1. num. 94.* ait, *quòd licèt Fratres Prædicatores habeant Regulam S. Augustini laxiorem; tamen propter Constitutiones, quas fecerunt, in tantum se arctarunt, ut eorum vita videatur strictior vita Monachorum. Ita ut dicti Prædicatores transferentes se ad vitam Monachorum, non evitarent Apostasiam:* quod item repetit *Abbas in d. cap. in col. 1. num. 5. ver. secundum.*

22. Et subjungit, *quòd est hic Ordo arctior, quàm appareat, & ejus austeritates magis in existentia, quàm apparentia consistunt;* hæc *ille.*

23. *Clem. IV.* interrogatus à quodam milite, ut sibi consuleret, quem Ordinem deberet intrare; an Prædicatorum; an Minorum? sic respondit: *Sciscitaris, quem tibi ex Fratrum Prædicatorum, vel Minorum Ordinibus præeligendum esse, declarem. Id præcipuè conscientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu scire poteris utriusque Ordinis objectum ... qui non sunt pares in omnibus, & in diversis articulis excedentes sunt, & exceduntur. Alterius quidem istorum Ordinum lectus est durior, nuditas gravior, & ut nonnulli judicant, paupertas profundior: Et alterius cibus est parcior, longiora jejunia, & ut nonnulli autumant, sanctior disciplina:* hæc loquitur Dominus Papa; & alia vide in cit. *loc. Constitutionum,* inter quæ illud expende; *Sanctior Disciplina.*

24. Proinde, Jure antiquo communiter poterant Fratres quorumcunque Ordinum, sive Mendicantium, sive non Mendicantium, ad Ordinem nostrum, propter sui præstantiam, transire: dummodo in praxi regulariter vivat. Et ita fuisse Parisiis in facti contingentia sæpè decisum, testantur plures gravissimi *Doctores,* quos citat, & allegat *Syl. ver. Religio, 4. q. 6.* ubi ex multis colligit, quòd Fratres Prædicatores de jure non possunt ad alios transire, nisi in suo Ordine foret remissa Religio; quod nunquam fiat, & Deus avertat, quod semper absit.

25. Dixi, de jure antiquo, quia hodie obstant Privilegia, & signanter illud nobis concessum à *Bonifacio IX.* quo cavetur, ut nullus ex alio Ordine Mendicantium possit ad nostrum transire, nec ex nostro ad alium evolare, sine licentia Domini Papæ.

26. Idipsum concessit *Martinus V.* sua *Constit.* incip. *Viam ambitiosæ,* quæ, & similia ad alios extenduntur, qui habent communicationis privilegium.

Quæst. 36. Transitus, de quo loquitur c. licèt de regul. an debeat esse in Religionem perfectiorem ex fine; an verò in duriorem, & asperiorem ex praxi?

1. Hucusque Decisis, pro majori claritate subjungo, quòd transitus si fiat absolutè pro majori lucro animæ, & in augmentum sanctioris Vitæ utique debet esse in Religionem, quæ sit perfectior ex fine, & praxi; quia non satis est, ut illa Religio, in quam transitur pro majori bono, sit perfectior de jure, seu theoricè, & secundùm Statuta primæva; sed item practicè, & in actu, seu de facto; adeo, ut ad hoc duo, ut dixi, copulativè requirantur, & potior finis, & actuale exercitium, ad finem benè proportionatum.

2. Quid enim refert, quòd Religio sit instituta ad officiandum in Choro, si ejus Fratres Chorum non adeant? ita *D. Thom. cit. loc. 2. 2. q. ultim. art. 8. in fin. corp.*

3. Et ratione fulcitur, quia secùs esset descendere, non autem ascendere; & potiùs abire in detrimentum, quàm in augmentum Sanctitatis; quod non potest esse contra dispositionem, *d. cap. licèt,* & notat *Gloss. in cap. sanè, eod. tit. in fin. & Navar. 4. com. de reg. num. 3.*

4. Si autem transitus fiat ex causa, licet transire à Religione perfectiori de jure, in duriorem, & asperiorem in facto; nempe, si in Religione, quæ sit perfectior ex fine, laxè, & tepidè vivatur; licet transire in eam, in qua viget Regularis observantia, etsi respectu finis non sit perfectior illa, à qua fit recessus.

Et est decisio *d. cap. sanè, ibi, si locus, ubi nunc permanet, majoris Religionis existat, remanere permittas.*

5. Ex quo colligitur, quòd illa Religio est utilior, & arctior, in qua de præsenti observatur Regula. Religio enim per actus, & actuales operationes suo fini conjungitur: ita ut absoluta ab actu, non juvet, nec dicatur perfecta, nisi in actu signato.

6. Nec obest *extrav. Martini V.* quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis*, qua Religiosi Mendicantes, sub pœna excommunicationis prohibentur convolare ad Religionem non Mendicantium, Carthusiâ exceptâ.

Et hoc, non propter perfectionem ex fine, cùm ex hac parte sit inferior aliis, sed ob duritiem, & severitatem.

Quia prædicta *Constitutio* non loquitur juxtà *cap. licèt*; etenim præsupponit licentiam habitam à Superiore illius Religionis, à qua recedit, prout ex illis verbis, ibi, *virtute alicujus licentiæ, vel indulti.*

7. Tum, quia loquitur de transitu ex causa humana, qua licet transire, etiam in æqualem, aut inferiorem. Secùs ex impulsu Spiritus Sancti, *Syl. ver. relig. 4. q. 6. & Mirandæ tom. 1. Manual. q. 31. art. 10. in fine.*

8. Nec item nocet *cap. Virgines, 20. q. 4.* quia pariter debet intelligi de transitu ex causa, vel in duriorem æquè perfectam ex fine. Nam sæpè occurrit, quòd in una, vel diversa familia sint duæ, vel plures Religiones pares in perfectione respectu finis, cùm ad unum sint ordinatæ. Verùm dispares in observantia, prout est videre in Religione S. Francisci de Assisio, ubi una Regula diversimodè practicatur; adeò, ut hi dicantur Capuccini, illi de Observantia, & cæteri de Familia, aut Conventuales.

9. Si fiat transitus de Familia in Fratres de Observantia, dicitur esse in duriorem respectu exercitii; sed non in perfectiorem respectu finis, *Sylvest. cit. loc. q. 6. & Miranda ubi suprà, in fin. art.*

10. Quibus non displiceat addere, quòd etsi verum sit, quòd Professus in uno Monasterio, si ibidem observetur Regula, non possit transire in aliud strictius, ex *cap. 25. de verbor. signif.* ubi Privilegium non transfertur, ob Regularem observantiam.

11. Item, & quòd si in uno Conventu sit Regula collapsa, & adsint in eadem Provincia, vel Regno Monasteria ejusdem Ordinis, in quibus urgeat Regularis observantia, aut si adsit spes probabilis de reformatione lapsæ Regulæ, non liceat in aliam transire, *Panorm. in d. cap. fanè. Joann. Andr. in d. cap. licèt, Syl. ver. Relig. 4. q. 2. Graff. decis. aur. par. 2. lib. 3. de Apostasia, cap. 25. num. 15. Rodr. tom. 3. q. 52. art. 2. Sanchez 2. tom. decal. lib. 6. cap. 7. num. 25. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 6. de stat. Relig. quæst. 3. num. 10. & Ricciull. lib. 8. de jur. Person. cap. 6.*

12. Nihilominus est aliter dicendum, si loquamur de transitu in perfectiorem, & duriorem simul; ex quo lex privata præjudicat legi publicæ, ob frugem melioris vitæ, juxtà *d. cap. licèt, de regul.*

Quæst. 37. Religio unde sit strictior, & arctior?

1. QUòd Religio sit arctior, vel asperior ex primæva Regula, vel ex novis statutis, parum refert; dummodo de præsenti observetur, ut dixi suprà, & docet multis citatis, *Angel. verb. Relig. num. 23.* & ante eum *Joan. Andr. & Abbas in cap. fane, de regul. in fin.*

2. Ad hoc autem, ut dicatur durior, & asperior simpliciter, & absolutè in actu, oportet, ut in actu observet multa duriora, & arctiora; *Sanchez* post multos *lib. 6. in decal. cap. 7. num. 21.*

3. Hinc, sola Clausura, aut solum silentium non facit Religionem simpliciter arctiorem, & duriorem, *cap. quia in insulis, de Reg.* ibi, *dura est Congregationis conditio*, hoc est, aspera, ob multitudinem duritiei; prout notat *Lap. allegat. 57. Ant. Ricciull. de jur. person. lib. 8. c. 6. num. 7. Graff. decis. aur. part. 2. lib. 3. de Apost. cap. 25. & Zabar. cons. 28.* ubi dicit, quòd secundùm Canones arctitudo causatur ex vita, & observantiis multis, nec item solùm quartum votum facit Religionem arctiorem, ex *Constit. Clem. VIII.* quæ incipit, *Nuper ad nos perlatum est*, edita sub anno Domini 1596. in *Bull. Cherub. fol. 62.* & per extensum refert *Rodr. tom. 3. q. 52. art. 7.*

4. Quò fit, ut Fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, prætextu eorum quarti voti, maxima charitate pleni, quod in Professione emittunt, non possint recipere Fratres Minores, nec alios, ut in §. 1. ubi dicitur, alia ratione, quàm quarti voti, Regulam striciorem esse judicandam.

5. Quod iterum confirmatum est per *Paulum V.* sua *Constit.* pariter incip. *Nuper ad nos perlatum est*, edita sub anno Domini 1608. in *Bull. Cherub. 242.* de qua vide *Flav. Cherub. in comp. Bull. tom. 2. fol. 52. in Bull. Paul. V.*

6. Proinde, cuidam Canonico Regulari Congregationis Sanctæ Crucis Conimbricensis licuit transire in aliquam Religionem Mendicantium, non obstante quarto voto, quod in ejus professione emisit, de perpetua Clausura.

7. Et hoc ex eodem principio, quòd strictior Regula aliunde sit judicanda, quàm ex solo quarto voto: & ita fuisse à Sac. Cong. decisum refert *August. Barbosa in cap. licèt, de Regul. num. 20.*

8. Ex quibus collige, quòd in judicanda Religionis asperitate, non solùm est attendenda asperitas corporis, nuditas, jejunium, & multitudo votorum; verùm etiam requiruntur & aliæ multæ vitæ rationes, fundatæ in charitate, humilitate, & abnegatione voluntatis; quia singula, quæ non probant, unita juvant, *Bonacin. de Clausur. q. 9. punct. 9. §. 3. diff. 3. num. 3. in fin.*

Quæst. 38. Carthusianorum Religio, an sit aliis durior?

1. QUamvis Illustrissima Carthusianorum Religio, ex quo animarum proximi saluti non incumbit, sit ex fine multis inferior; tamen quoad alias exteriores, & corporales pœnitentias, & observantias, ad quas solent Romani Pontifices inspicere; est omnium arctissima, & durissima; *Navar. cons. lib. 3. de Regul. cons. 10. 59. & 68.* & super *cap. statuimus, eod. tit. comm. 4. num. 31.* qui probat ex multis conclusionem prædictam.

2. Et primò ex *extrav. Martini V.* incip. *Viam ambitiosæ cupiditatis*, qua Mendicantes prohibentur transire in aliquem Ordinem Monasticum, Carthusiensium excepto. Quæ exceptio fit ex eo, quia Dominus Papa præsupponit, Carthusianum Ordinem esse omnibus aliis duriorem, & arctiorem. Unde *Glossa ibid.* subnectit in margine, *quòd Ordo Carthusiensium præ cæteris ampliori potitur prærogativa.*

3. Item ex *cap. licèt, eod. tit.* in quo fit sermo de transitu in arctiorem, quam uno ore *Doctores* supponunt esse Carthusiam.

4. Item ex *Constu. Greg. XIV.* incip. *Illius, qui pro Gregis, &c.* & est 17. in ejus *Bull.* qua inhibetur Clericis Regularibus Congregationis Ministrantium Infirmis, ad alios Ordines, præter Carthusianum transire. Et hoc non aliunde, nisi ob duritiam ejusdem, ut in *Bull. Cherub. fol. 706.* sub anno 1591.

5. Item ex Praxi; nam iste Ordo in nullo casu permittit usum carnium, etiam tempore infirmitatis quantumvis gravis, observat perpetuum silentium; adeo, ut ejus Religiosi inter se nunquam loquantur, & cùm sibi obviant, sola capitis inclinatione se salutant, nunquam simul comedunt, nisi in Dominicis diebus, & festis feriis, nec loquuntur in mensa, sed vacant lectioni; & solitariè vivunt, plùs nimio frequentant Chorum, ob longissima officia, quæ tardè, & devotè persolvunt; nunquam quiescunt, de raro dormiunt, nec sine cilicio; hæc, & alia exercitia duriora hujus Illustrissimæ Religionis, refert *Navar. cit. loc. & Miranda tom. 1. Manual. quæst. 31. art. 10.*

6. Ex adverso Mendicantes omni statui Monachali se præ-

se præferri prætendunt; tum, quia eorum vita est mixta, quæ activam & contemplativam complectitur: unde contemplata docent, & prædicant in salutem Christifidelium: & Dei Ecclesiam nocte, dieque defendunt, & protegunt; & labores spirituales magis gravant, & premunt, quàm corporales, magisque valent; sicut modicum pondus auri, in pretio prævalet magno ponderi argenti, & alterius cujuslibet metalli; prout ex multis docet *D. Bonav.* super *Regulam Minor. c. 2. & q. 12. & 13. in ead. regul. & Joan. Andr. in d. cap. sanè, in princ. & ibid. Cardinal. col. 2. ver. quæro. & Abbas in col. 1. num. 1. ver. secundum*, ajunt uno ore, quòd licèt Fratres Prædicatores habeant Regulam S. Augustini, tamen propter Constitutiones, quas fecerunt, in tantum se arctaverunt, ut eorum vita videatur strictior vitâ Monachorum; ità, ut dicti Prædicatores transferentes se ad vitam Monachorum, non evitarent Apostasiam, ut probant alii consimiles peritissimi *DD*, quos allegat *Syl. ver. Relig. 4. q. 6.*

7. Tum, quia pœnalitates, & labores Fratrum Ordinis Minorum, prosunt etiam aliis; hi quippe nihil possident, nec in particulari, nec in communi, vivunt ex eleemosynis emendicatis, quas, etsi quærant hostiatim; tamen cum labore, & sudore, & sæpè non inveniunt; unde coguntur jejunare supra Regulam, non ex repletione, sed egestate, & inopia, & ultrà communia, & vota essentialia, habent viginti quatuor præcepta, quæ obligant ad mortale, quæ solo dictu, vel auditu admiramur, *Miranda* cit. *loc. art. 11. conclus. 2.*

8. Tum, quia Monachorum asperitas non est tanta hodie, sicut olim, quando habitabant in sylvis; ut *c. quia in insulis, de regul.* Sed quodammodo temperata est per accessum ad urbes, ubi ad Dei honorem, & populorum consolationem, præstant exempla sanctissimæ vitæ contemplativæ, quam ducunt.

9. Perinde, statutum fuit in *d. c. sanè*, quòd si Canonicus Regularis se transtulerit ad Monachos, quorum Monasterium sit laxioris Religionis, quòd tenetur redire ad primum, à quo discesserat. Secus autem, ut dictum est, si sit vitæ strictioris, ut *ibi Innoc. Cardin. & Abbas, num. 4.*

10. Et si qua ibidem sint rigida, communi Mendicantium mendicitate compensantur, qui tot alios subeunt labores, *Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 24. §. 1. in object. 4.*

11. Nec adducta jura decisioni officiunt; quia *extrav. Martini V.* non fuit usu recepta; prout *Mandos. in 23. Regul. Cancell. Apostol.* Aut loquitur ex causa, & permissu Superiorum: tùm item, quia *Constitutio Gregorii XIV.* fuit per *Paulum V.* revocata, sub anno Domini 1606. sua *Constit.* incip. *Romanum decet Pontificem, &c.* & est 20. inter ejus *Bull. in Bull. Cherub. pag. 202.* Sed in hoc cùm casus occurrerit, erit diutiùs cogitandum.

Quæst. 39. An Religio Minimorum sit omnibus arctior?

1. De jure, secundùm sua principia, ita est; & extat Decisio *Julii II.* in ejus *Constit.* incip. *Sacer Ordo per quondam Franciscum de Paula*, edita sub anno Domini 1508. die verò 27. Martii, in §. 4. ibi, *& cùm Vita Ordinis Minimorum hujusmodi sit cæteris aliorum Religiosorum arctior, & strictior, &c.*

2. Quam *Constitutionem* per extensum refert *Peyr. tom. 1. de Privil. Minim. Constit. 5. fol.* mihi 395. *& Leonis X.* in ejus *Constit.* incip. *Illius, qui in Sanctis suis mirabilis est, in §. 2.* ibi, *ipseque Franciscus Ordinem ipsum, qui arctior, & strictior cæteris omnibus existit, &c.* & in 6. *Constit.* ejusdem, quæ incipit, *Quamvis alias*, in cujus *principio* subjiciuntur hæc verba:

Providè considerans, quòd Vita, & Observantia Ordinis Minimorum hujusmodi cùm sit continuè quadragesimalis, tam in Conventibus, & Domibus Ordinis hujusmodi, quàm extrà, cæterorum quatuor Ordinum Mendicantium, & aliorum Religiosorum sit arctior, & strictior; prout meliùs est videre in *d. Bullis*, quas per extensum portat idem *Peyrin.*

3. Quæ Decisio comprehendit tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, ut planè colligitur ex illis jam recitatis verbis *Leonis*, ibi, *& aliorum Religiosorum*; tum pariter ex illis verbis *Julii II.* indefinitis, & universalibus; per quæ verba satis constat, se voluisse comprehendere omnes Monachos, *Gloss. in Clem. 1. in princ. Abbas in rubric. de Regul. & Ant. Riccinll.* contra *Navar. lib. 8. de Jur. Person. cap. 7.* ubi latè, & eruditè loquitur de more, & post eum idem *Laur. Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 24. §. 1.* ubi tanquam alumnus, & ejusdem Ordinis filius, sua jura tuetur.

4. Adeò, ut dictis Patribus nullatenùs liceat ab eorum Ordine recedere, nec in alium transire, quantumcunque Privilegiatum, sine speciali licentia Domini Papæ, & cum derogatione prædictarum litterarum.

5. Exinde, existimo, quòd P. Frater Gabriel Lopez de Provincia Castellæ, qui *Brevi Apostolico* ad Religionem Prædicatorum transierat, ad eundem Ordinem Minimorum, à quo recesserat, coactus fuit redire, ex *Decreto* Sacræ Congregationis, lato die 3. Martii, 1636. Quia fortè illicitè abierat, nempe subreptitiè, & obreptitiè Sanctæ Sedi causam transitus exposuit. Idem *Peyr.* in suo *formul. lit. I. cap. 4.*

6. Addo tamen ad prædicta, quòd solùm quartum votum vitæ quadragesimalis non facit Religionem arctiorem in actu, ex *Decreto Clem. VIII. & Pauli V.* ut dictum est de Fratribus B. Mariæ de Mercede, & de Clericis Regularibus, qui habent quartum votum de serviendo perpetuò Infirmis, & de Canonicis Regul. Sanctæ Crucis Conimbricensis, qui faciunt quartum votum de perpetua Clausura, & refert *Barbosa in dict. cap. licèt, num. 20.*

Quapropter sint cauti in recipiendo Professos alterius Ordinis, sine licentia Domini Papæ.

Quæst. 40. Carthusiani, an possunt transire in Mendicantes?

1. De jure antiquo posse, respondeo; si Religio illa, in quam transitur, plenè observet sua Statuta; tum, quia quivis jure naturæ potest propria authoritate votum suum commutare in melius; tum etiam, quia juxta *cap. licèt, de Regul.* potest fieri transitus de bono in melius, licentiâ petitâ, & non obtentâ; & ita fuit decisum Parisiis ex sententia *Theologorum, & Juris Canonici Peritorum, Syl. ver. Relig. 4. q. 6.* ubi in specie refert de Carthusianis; & docet *S. Bonav. in opusc. super Regul. q. 12. & Cordub. in ead. Regul. cap. 2. p. 3. q. 13. Miranda tom. 1. Manual. q. 31. art. 11. conclus. 2.* & multò magis ex causa; cessante tamen scandalo, & infamia illius Monasterii, à quo receditur, *Navar. lib. 3. de Regul. cons. 68.* in 1. edit. *& cons. 63. Rodr. tom. 3. q. 52. art. 19.* cùm suo *comp. resolut. 123.* quia ex causa licet transire, nedum in perfectiorem; verùm etiam in æqualem, vel laxiorem.

2. Dixi, de jure communi antiquo, secus autem hodie, & maximè quoad forum contentiosum; tum, quia non reperitur aliquod jus, quod explicitè Carthusianis hanc facultatem faciat, transeundi in Mendicantes.

Immò contrarium colligitur ex *dict. extrav. Martini V.* qui Mendicantes patitur transire ad Carthusiam, & non è contra.

3. Quod item firmatur ex *Regula 23. Cancell. Apostolicæ*, & latè *ibid. Quint. Mandos.* Tum pariter, ex illorum Privilegiis, quæ hoc prohibent in specie; habent enim hi ultrà propria Mendicantium, etiam Privilegia,

propter communicationem, & participationem, quam habent nobiscum, ut ex illorum *Bullis*.

Hinc, debent abstinere à tali transitu, sine licentia Papæ, & Superiorum permissu.

Quæst. 41. *Canonici Regulares, an possunt hodie de jure transire ad Ordines Monachales?*

1. D. *Thomas* 2.2. *q.*189. *art.* 8. *in respons. ad secundum*, cui subscribit *Navarr. super cap. statuimus. Com.* 4. *de regul. num.* 11. *Turrecremata caus.* 19. *q.* 3. *in cap. nullus Abbas q.* 5. *num.* 5. *Layman. lib.* 4. *tract.* 6. *q.* 3. *num.* 11. *à S. Fausto lib.* 5. *Thes. q.* 294. *in fin. & Lezana tom.* 2. *sum. c.* 3. *de obligat. & Privil. Canonicorum Regul. num.* 8. affirmat; quod intellige verum de licentia sui Superioris, servatisque aliis de jure servandis; secùs autem.

2. Et hoc ideò, quia Religio Monachorum est arctior, & strictior, quàm Religio Canonicorum; prout expressè dicitur in *cap. quod Dei timorem, ad finem, de statu Monach.* & est decisio *cap. mandamus*, 19. *q.* 3. ubi prohibetur recessus absque licentia; ergo de licentia admittitur, ut notat *S. Thom.* cit. *loc. in fin. & Sanchez lib.* 6. *in decal. cap.* 7. *num.* 21.

3. Nec dicas, quòd Canonici Regulares sunt Clerici, & quòd vacant Divinis Ministeriis, quia ratione Clericatus Canonici Regulares habent præcedere in actibus publicis, & Processionibus Ecclesiæ.

4. Quò verò ad reliqua, sunt æquales; nam utraque Religio ordinatur ad opera vitæ contemplativæ, & susceptionem Ordinum, ambæ vacant Sacris Ministeriis, & sic Religio Monachorum habet id, quod est Canonicorum, cum majori arctitudine; & ob id licet ab his ad illos transire, aut ad Ordines Mendicantes, & præcipuè ad Prædicatores; *Turrecremata, & Navar. in cit. loc.*

5. Si autem Monachi essent laici, prout erant in illo tempore, possent utique transire ad Regulares; secundùm illud *Hieronymi ad Rusticum Monachum: Sic vive in Monasterio, ut Clericus esse merearis.*

6. Verùm hodie Monachi sunt plusquàm Monachi, ob Clericatum, in quo administrant; & tenentur observare Decreta Romanorum Pontificum, quæ retuli in praxi, & forma transeundi.

Quæst. 42. *Mendicantes, si transeant in Monachos de licentia Papæ; an possint habere officia in ea Religione, in quam transeunt?*

1. C*Lemens V.* sua *Constit.* incip. *Ut Professores, de Regul. & transf. in Clementinis* Sac. approbante Consistorio statuit, ut Mendicantes transeuntes in non Mendicantes, nempe in Ordinem S. Benedicti, vel Sancti Augustini, non possint in Ordine, ad quem se transferunt, obtinere aliquem Prioratum, administrationem, vel etiam aliquod officium, adeò, ut non possint esse Priores, nec Syndici, aut Procuratores, nec habere curam animarum, nec esse Oeconomi, Sacristani, Castaldi, nec Vicarii Priorum, aliorumque Officialium.

2. Nec item possunt habere vocem activam, vel passivam in Capitulo, sed debent remanere simplices Monachi Claustrales, sine omni cura, officio, & administratione; adeò, ut nec possint esse Vicarii pro aliis.

3. Et hoc duplici de causa; scilicet, ne recedant à prima vocatione, & ut evitetur circuitus Professorum; etenim transeuntes ad secunda vota, si haberent tantam, aut majorem authoritatem, & præeminentiam, ut alii; ipsi nunquam, aut vix per annum essent in eodem Ordine; prout meliùs est videre in *d. Clem.*

4. Nec *extravagans Martini V.* quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis, inter communes, in* 6. aliter determinat, quamvis permittat, Regulares Ordinum Mendicantium posse transire ad Carthusiam; tamen non habilitat eos ad officia, & dignitates Carthusianorum; sed remanent perpetuò inhabiles, juxta dispositionem *D. Clem. ut Professores*, prout censuit Sac. Cong. Conc. & refert *Barbosa* super *Trid. in cap.* 19. *sess.* 25. *de Regul. num.* 36. *& Miranda tom.* 1. *Manual. quæst.* 31. *art.* 8. *conclus.* 2. *in fin.*

5. An autem hi translati, ubi fuerint Professi, possint saltem in Ordine Monachorum esse Prædicatores, Lectores, & Confessores? negat *Gloss. in d. Clem. ver. off.* ex eo, quòd prædicare est officium curæ, & cura est eis prohibita prout est prædicare, & similia.

6. Alii tamen affirmant, ex quo prædicare ex commissione, & Confessiones audire, sunt actiones spirituales; & possent exerceri sine rumore, & absque præjudicio Tertii; nec retrahunt à spiritu devotionis, *Bordon. tom.* 1. *resolut.* 29. *q.* 27. *num.* 81.

Quæst. 43. *Quinam Mendicantes comprehendantur sub d. Clem.* 1. *ut Professores, & extrav. viam ambitiosæ, de regul. in* 6.?

1. S*Unt quidam Mendicantes de facto, non autem ex Constitutione, vel Regula, ceu sunt Laici Mendici, Zerbuitæ, seu Eremitæ, hinc inde discurrentes, & hostiatim quærentes eleemosynas; etenim mendicare nihil aliud est, quàm manu indicere, seu ostendere propriam miseriam.

2. Unde, Mendicantes, hoc est manu revelantes inopiam, & paupertatem, alii sunt ex Constitutione, & Regula, qui mendicant; quemadmodum sunt Religiosi, qui ad congruam eorum sustentationem redditus, aut possessiones non habent; sed per quæstum publicum sibi victum procurant; ex *tex. cap. unic.* § *confirmatos, de Relig. domib. in* 6. *& Glos. cap. unic. de excessibus Prælat. eod. lib.*

3. Unde, aliud est, quòd homo sit Mendicans, & aliud, quòd sit Religiosus de Ordine, & Regula Mendicantium: Ille necessitate mendicat; iste ex voluntate, in observantiam Regulæ, vel Constitutionum, cùm bonis suis abrenunciaverit; ut expeditiùs sequatur Christum, juxta illud: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.*

4. *Clem.* 1. *ut Professores, extrav. viam ambitiosæ, & Regula* 23. *Cancell. Apostol.* loquuntur de Religiosis Mendicantibus; secùs autem de aliis: prout post multos notat *Quintil. Mandos. in d. regul. Cancell. q.* 3. *num.* 1. *&* 2. *& Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *art.* 8. *conclus.* 1. *in fin.*

5. De Jure Canonico, primò, & principaliter quatuor sunt Religiones de Ordine Mendicantium; nempe Fratrum Prædicatorum, Minorum, Hæremitanorum S. Augustini, & Carmelitarum, ut ex *text. cap. nimis prava, de excess. Prælat. in princip.* ibi, *de Prædicatoribus, & Minoribus*, & *cap. ex eo, & Gloss. in dict. Clement. ver. ut Professores, Joan. Andr. de pact. in* 6. *cap. quorundam oculos, ver. volentes, & de elect. in* 6. *cap. sanè, ver. exemptum, & Mandos. in cit. loc. num.* 4.

6. Quorum quidam sunt Mendicantes ex Regula, quidam autem ex Constitutionibus tantùm, quidam etiam ex Regul. & Constit. insimul.

7. Quibus additur Ordo Minimorum, institutus à Patriarcha S. Francisco de Paula, ex *Constit. Pii V.* incip. *Apostolicæ Sedis benignitas*, edita die 9. Novembris, 1567. qui pariter, ante hanc declarationem erat Mendicans; tum, quia actu mendicabat ex Regula, & primæva Institutione; tum, quia Evangelicam Paupertatem profitetur, quod satis est ad rationem Religionis Mendicantis. *Suarez tom.* 4. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *& Peyr. tom.* 2. *Privil. Minim. Constit.* 3. *Pii V.* §. 2.

8. Item Ordo Servorum B. Mariæ, ex *Constit.* ejusdem *Pii*, incip. *Romanus Pontifex*, edita anno 1567.

9. Item

9. Item Fratrum S. Hieronymi Jesuatorum ex *Bull.* ejusdem, *Romanus Pontifex Privilegia, &c.* quam per extensum habes in *Bull. Rodr.* inter *Bull. Pii* 21. *& Cherub. tom.* 2. *Const.* 50.

10. Item Patrum Illustrissimæ, & semper laudabilis Societatis Jesu, ex *Bull.* ejusdem *Pii*, incip. *dum indefessè, in eod. Bull. Rodr.*

11. Item Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, *Bulla Clem. VIII.* incip. *Decet pacem. Rodr.* inter *Bull. Clem. ultim.*

12. Item, & alii plures, ex diversis *Constit.* Rom. Pontif. prout in propriis eorum *Bullis*, de quibus vide *Navar. Cons. lib.* 3. *de regul. cons.* 63. in 1. edit. *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *art.* 8. *concl.* 2. *ver. sed inter Doctores, Hier. Rodr. in Comp. resolut.* 123. *num.* 83. *à S. Fausto lib.* 5. *Thes. q.* 334. & nuper doctissimus *P. Franciscus Bordonus resolut.* 29. *q.* 27. *num.* 81. *ver. nomine Mendicantium.*

13. Nec objicies, quòd prædictorum plures habeant bona, & possideant in communi; quia hoc non derogat Apostolicæ paupertati, cùm hi redditus sint exiles; adeo, ut non sint in considerationes; tum etiam, quia ex Apostolica concessione possidentur nomine Ecclesiæ universalis. Item ex dispensatione *Conc. Trid.* ut in *sess.* 25. *cap.* 2. *de regul. & Pius V.* declaravit sua *Constit.* incip. *Romanus Pontifex, tam universalis,* ibi, *etiamsi in communi propria bona, tam mobilia, quàm immobilia, & stabilia, ac alia quæcumque possederint, Mendicantium vocabulo, omnibus, ac singulis Mendicantium* Privilegiis *uti posse, & debere, nec super præmissis, ullounquam tempore molestari posse*, hæc *ibi.*

Quæst. 44. *An Ordo B. Mariæ de Mercede, vel Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci; sint Mendicantes?*

1. DE hac re vide *Navar.* cit. *loc. Rodr. tom.* 3. *q.* 52. *art.* 28. *in fin. & Bordon. ubi suprà, num.* 81. *in fin.* & conclude, quòd illi sint Religiosi Mendicantes, qui à Regula, vel Constitutione ad mendicandum arctantur, *Lapus allegat.* 4. multis citatis, *Mandos. ubi suprà num.* 5. *in fin. & Festus de Profess. alter. Ordin. recip.* 1. *p. cap.* 6. propè *finem.*

Quæst. 45. *Mendicantes, & non Mendicantes, quo jure nequeant ex uno Ordine in alium transire?*

1. PRo pace, & quiete Religiosorum omnium, multa extant Privilegia de non transeundo, Sacrâ Congregatione inconsulta, aut prætermissa Superiorum licentia, prout latè de multis docet Barbos. *in Collect. Bull. ver. transitus.*

2. Monachi Benedictini, seu Casinenses, non possunt transire ad quemcunque Ordinem, nec etiam ad Carthusiam, sine consensu Capituli Generalis, aut majoris partis Congregationis, ex Privilegio Papæ *Eug. IV.* de quo *Navar. lib.* 3. *de Regul. cons.* 39. in 1. edit. *& Rodriq. tom.* 3. *q.* 52. *art.* 29.

3. Nec etiam authoritate Apostolica, nisi in litteris fiat specifica mentio de persona, ac Religione, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ contra recipientes, seu retinentes, qui intrà triduum à receptione, Monachum receptum non restituerint.

4. Cistercienses idipsum habent ex concessione ejusdem *Eug. Papæ IV.* prout in *Bullis* ejusdem Ordin. sub *in de fugitivis.* §. 1. & 2. adeò, ut nec Carthusiam liceat adire, nec alibi recipi, nec alterius Ordinis Professos recipere, sub gravissimis censuris; cum clausula decretum irritante.

5. Monachi S. Hieronymi in Hispania habent idem Privilegium, ex concessione multiplici; prout in *Bull.* ejusdem, *ver. transitus ad aliam Religionem.*

6. Inter Monachos Carthusianos, & Cistercienses fuit concordatum, ut nullus Monachus suorum Ordinum, de uno ad alium possit transire, sine licentia Prælati Ordinis, à quo receditur.

Quod totum *Pius II.* confirmavit, ut est videre in *d. Bullis Cister.* cit. *loc.*

7. In *lib. privil. Ordinis S. Benedicti*, Romæ impresso, fol. 145. habetur quædam declaratio Sac. Cong. Emin. Cardinal. quòd transitus ad parem, vel ad arctiorem Religionem non fiat, nisi causa cognita transeuntis, & vitæ, & morum ratione; idque ex approbatione Capituli Generalis.

8. Quod item fuit sæpè ab ead. Sac. Cong. *Concil.* sancitum, prout dixi multoties in hoc *cap.* & refert *Rodr.* cit. *loc.*

Quæ quippe Privilegia hodie extenduntur ad omnes Mendicantes, ut dixi in *tract. de comm. privil. q.* 10. & docet *Portell. ver. transf. num.* 10. *& in resp. casu* 10. *num.* 4. *Navar. d. cons.* 59. *Sanchez d. lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 31. *& Suarez de Relig. lib.* 3. *cap.* 12. ubi notat, quòd absolutè non liceat transire ex uno in alium Ordinem, sine licentia obtenta: etiam prætextu majoris perfectionis.

9. Fratres Ordinis Prædicatorum ex *Constit. Bonifac. Papæ IX.* non possunt transire in alium Ordinem, nec recipere alterius Religionis Professos, nisi de licentia Sedis Apostolicæ; prout in *Constit. distinct.* 1. *de recip. cap.* 13. *num.* 45.

10. Item ex *Constit. Greg. IX. & Innoc. IV.* qui in specie mandat Cisterciensibus, ne recipiant Fratres Dominicanos, & receptos restituant; & habetur in *Bull. fol.* 25. *litt.* C.

11. Item ex *Constit. Sixti IV.* quæ dicitur *Mare Magnum*, & incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ*; ut in d. nostro *Bull. fol.* 149. ibi, *inhibentes quoque, ne quis post professionem in Ordine vestro factam, ab ipso Ordine sine licentia Magistri, vel sui Superioris discedat; discedentem verò absque cautione litterarum; alterius ipsorum, prætextu alicujus privilegii Apostolicæ Sedis, nullus audeat retinere; quòd si fortè retinere præsumpserit, vobis (Magistro, & singulis Prioribus dumtaxat, & vestris Vicariis licitum sit, in ipsos discedentes Fratres excommunicationis sententiam promulgare, detinentes verò eosdem sic, vel in Monasteriis, seu in Ecclesiis suis) nisi eos ejecerint, postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiæ volumus subjacere; non obstante, quòd excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, de indulto hujusmodi mentionem.*

Et subjungitur *ibid. Si verò aliqui de Fratribus vestri Ordinis, post obtentam licentiam à Sede prædicta, aut à vobis ad Religionem transeundi, infra duos, aut tres menses se ad illam suæ saluti congruam non contulerint, & ipsi non susceperint habitum Regularem, licitum vobis sit, singulis, Magistro, & Prioribus, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos, tanquam contra alios vestri Ordinis Apostatas procedere, secundùm quod honestati dicti Ordinis videritis expedire.*

Et alia multa hujus generis Privilegia refert *Joan. de Tabiena ver. Relig. num.* 23. *in med. Armill. eod. ver. num.* 14. *& Joan. Crucius de stat. Relig. lib.* 1. *c.* 7. *dub.* 3. *conclus.* 3. & alii plures ejusdem nostræ familiæ.

12. Fratres Minores non possunt transire ad Monachos, nec ad Mendicantes, tum ex *Regula cap.* 2. *& ibid. S. Bonav. q.* 12. *& P. Corduba q.* 17. tum etiam ex *Constit. Innoc. & Alex. IV.* ut in *Bull.* quo prohibentur in specie transire ad Dominicanos, eosque recipere, *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *art.* 12.

13. Nec Minores de Observantia possunt in se recipere

pere Minimos, nec ad illos transire, sine licentia Papæ, ex *Privil. Jul. II.* incip. *Sacer Ordo*, & est 27. inter ejus *Constit.* & *Leon. X. Bull. 42. in Bull. Peyr. tom. 1. Privil. Minim. & de subdito, q. 1. cap. 24.*

14. Nec item Fratres de Familia S. Francisci possunt transire ad Reformatos ejusdem Ordinis: nisi juxtà dispositionem *Constitut. Gregor. XV. Onerosa Pastoralis officii, in 4. tomo.*

15. Nec dicti de Observantia possunt transire ad Capuccinos, & è contrà, quamvis secundùm substantiam sint unius Ordinis, sine licentia Prælati sui, idque sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad officia. *Portell. in dub. ver. transire, & Sorbus Capuc. in Comp. Privil. ver. recipere, §. pariter hic, & §. item in anno.*

16. Capuccini autem nequeunt transire in aliquem Ordinem, & maximè ad Minimos; sine licentia Domini Papæ, ut ex *d. Bull. Jul. II. & Pii V.* edita 1567. ex quacunque causa, etiam justissima, etiam de licentia suorum Superiorum, *Rodr. tom. 3. q. 52. art. 21.*

17. PP. Minimi, Ordinis Sancti Francisci de Paula, non possunt transire, nec recipere, sub pœna excommunicationis, & restitutionis; tum ex *d. Bull. Jul. II.* tum etiam ex *Constit. Leon. X. & d. Pii V.* nisi præhabitâ licentiâ Papæ; *Passarell. in Collect. Privil. Minim. fol. 116.* inter *Bull. Pii V.* quæ incipit, *Sedis Apostolicæ solertia.*

18. Patres Reformatorum B. Mariæ de Mercede, nequeunt transire, absque speciali licentia Papæ, & Sedis Apostolicæ, quovis prætextu, aut ex quavis, quantumvis justa causâ, sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ, & excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ pœnis, ipso facto, absque ulla declaratione incurrendis; nequeunt dico, transire ad Fratres Calceatos, nec recipi, sub eisdem pœnis ex *Constit. Urb. VIII.* incip. *Injuncti Apostolici muneris*, edita die 19. Januarii, 1628. & inter ejus *Bull. 77. in 4. tom. Cherub. fol. 391.*

19. Nec pariter Fratres S. Mariæ de Mercede, etiam prætextu quarti Voti, ex *Constit. Clem. VIII.* quæ incipit, *Nuper ad nos*, edita sub anno 1596. possunt transire, nec alios recipere; nisi de licentia Sedis Apostolicæ.

20. Fratres Carmelitani, nec in arctiorem, nec in parem possunt transire, ex *Privil. Alex. IV. in specul.* ejusdem *Ordinis; Bonac. de clausq. 2. punct. 9. §. 5. & Lezana tom. 1. sum. cap. 22. num. 24.*

21. Et maximè Discalceati, nisi à suis Prælatis obtenta licentia, & causa cognita transeuntis, & vitæ, & morum ratione, in Capitulo generali; tum, ob communicationem Privilegiorum; tum item, ex speciali privilegio sibi indulto à *Paulo V.* 1610. die 3. Aprilis, de quo multa *Suarez, & Sanch. cit. loc. & Rodriq. in compend. resolut. 123. de transf. num. 76. in med.*

22. Clerici autem Regulares Congregationis Ministrantium Infirmis, ad nullum Ordinem possunt transire; nisi præhabitâ licentiâ Papæ; ex *privil. Pauli V.* incip. *Romanum decet Pontificem in Bull. Cherub. fol. 202.*

23. Quæ omnia extende ad Fratres Augustinianos, tum propter mutuam communicationem Privilegiorum, tum etiam, ex speciali *Brevi Joan. 22.* quo item prohibentur in se recipere supradictos, &c.

24. *Greg. XIII.* concessit Patribus Societatis JESU, ne possint in alium transire, nisi petitâ, & obtentâ licentiâ à Prælato, vel à Sancta Sede, *Sanchez d. lib. 6. cap. 7.* cum hac tamen clausula, *quòd alii Religiosi, qui communicant cum prædictis Privilegiis, in hoc nequeant communicare.*

25. Quæ clausula nullatenus nocet, ex quo alii utuntur hoc Privilegio, non eò, quòd fuit concessum Patribus Societatis; sed aliunde, nempe, ex quo eadem concessio identicè fuit facta Carmelitis Discalceatis, & Patribus Benedictinis, *Portell. in resp. cas. 10.* & nos suprà *de Privil. in tract. de commun. privil. q. 14.*

26. Ex quibus omnibus collige, esse derogatum juri communi; tum, quia quædam prædictorum, in specie derogant tali juri; tum etiam, quia alia habent clausulas sufficientes ad derogandum illi, ut dixi in *tract. de Claus. Privil.* tum item, quia Pontifices benè nôrunt tale jus commune, cui præsumitur se velle derogare, dum nobis concedunt ea, quæ illi adversantur.

27. Et consequenter hodie Regularibus non licet ex una Religione in aliam transire, nisi petitâ, & obtentâ licentiâ, & Sacrâ Congregatione consultâ, & cognitâ, & approbatâ causâ hujusmodi transitus; ab eadem Sacra Congregatione, & inventis priùs in Religione, ad quam transire intendunt, benevolis receptatoribus, & servatâ *Constit. Sixti V.* prout decisum est pro Fratribus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, quod procedit, tam in transitu ad Monachos, quàm ad Religiosos Mendicantes; & refert *Barbosa in cap. 19. Conc. Trid. sess. 25. de regul. num. 35.*

Quæst. 46. Transeuntes an subjiciantur Constitutioni Sixti V. de non recipiendis criminosis?

1. NEgativè respondeo, quia *Sixtus V.* loquitur de sæcularibus volentibus habitum Religiosorum accipere, ut planè constat ex illis, & dixi *in tract. de recip. q. 9.* & Constitutio pœnalis non est amplianda; hi enim, qui transeunt ex una in aliam Religionem, non sunt sæculares, sed viri Religiosi, verè, & propriè; proinde possunt admitti absque informationibus, à *Sixto V.* præscriptis; servatis tamen de jure servandis.

Quæst. 47. Transeuntes à quo sunt recipiendi?

1. DIc, quòd debent recipi ab his, qui habent potestatem recipiendi Novitios ad habitum Religionis, de quibus dixi in *tract. de recipiendis.*

Quæst. 48. Quæ praxis sit hodie observanda, cùm transitur in arctiorem, parem, aut inferiorem Religionem?

1. ULtra ea, quæ diximus, debere præcedere de Jure Canonico; debent attendi, quæ sunt de novo Jure *Conc. Trid.* & maximè *cap. 11. de reformat. sess. 14.* quod incipit, *quia verò Regularis.*

Item, *cap. 19. sess. 25. de regul.* quod incipit, *quicunque Regulares.*

Item, *Decretum* Sacr. Congreg. editum jussu *Urbani VIII.* cum aliis *de Regular. Apost. itis, & ejectis, in § 4.* tenoris sequentis:

Deinde, ut Apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur; statuit, ut de cætero nullus admittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petit; tumque Regularis recta via se transferat ad arctiorem, quod, ut re ipsa adimpleatur, idem Superior, omni studio, ac diligentia invigilet. Prout meliùs est videre in ejus *Constit. 26. in 4. tom. Bull. Cherub. fol.* mihi 267. quæ incipit, *Sacra Congregat. Cardinal.* edita sub anno Domini 1624.

2. Item, & alia *Decreta* ejusdem Sacr. Congreg. *Conc. Trid.* quorum unum est, & fuit sæpiùs repetitum, ut introitus ad parem, vel arctiorem Religionem non fiat, nisi cognitâ causâ transeuntis, & vitæ, ac morum ratione, ex approbatione Capituli Generalis, ut refert *Bellarm. in d. cap. 25.* quod est conforme ad *Constit. Greg. XV.* incip. *Onerosa.*

3. Item, & propria Privilegia cujuscunque Religionis, per quæ hodie nulli licet transire, etiam in arctiorem, nisi obtentâ licentiâ à Rom. Pontifice, vel à Sacr. Con-

greg.

greg. prout refert *Armill. ver. Relig.* 14. *& Casarub. in comp. Privil. Minor. ver. Apost. & ver. Relig.*

4. Item, quòd licentia Superiorum sit in scriptis, juxtà *cap. statuimus, causa* 19. *q.* 3.

5. Item, dispensatio à Domino Papa, si transitus fiat in laxiorem, cum prævia supplica, & expressione circumstantiarum, & jurium derogatione, juxta formam, quam de stylo ponit *Quintil. Mandosius in Regul.* 23. *Cancell. Apostol. tom.* 2. *num.* 7. *fol.* mihi 28.

6. Item, quòd in licentia, quæ fit à Superioribus Ordinis, apponatur tempus transeundi, ut volens se transferre, se transferat, recta via, infrà tot dies, quibus transactis, si non fuerit ingressus, potest licentiatus, ut Apostata puniri.

7. Item, quod sancitum est per *Sixtum V.* sua *Bull.* quæ incipit, *Immensa Æterni Dei*, edita 1588. qua statuit diversas Congregationes Emin. Cardinal. & maximè pro consultatione Episc. & Regul. cùm inter alia imposuit, ibi, *concedimus etiam, ut dictis Regularibus, non ad laxiorem, nec ad parem; sed ad arctiorem Religionem transeundi, iis, quos fervore Spiritus Sancti incensos, ad perfectioris vitæ statum transire velle constiterit.*

Quæst. 49. *An transitus eo modo, quo fit ad secundam, possit fieri ad tertiam, & quartam Religionem?*

1. Affirmativè de jure communi; ex quo transitus non limitatur ad secunda vota; sed indefinitè conceditur.

2. Verùm, volentibus sic toties ex una Religione in aliam transire, non debet licentia concedi; cùm tot repetiti transitus, potiùs inconstantiam indicent, quàm zelum Sanctitatis, aut fruges melioris vitæ, quandoquidem, quod omni vento circumfertur, leve est; & colligitur ex *Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 2.

Quæst. 50. *Qui in sæculo vovit unam certam Religionem strictiorem intrare, si postmodùm ingrediatur aliam laxiorem, & in ea profiteatur; an satisfaciat Voto, & valida sit ejus Professio?*

1. Divus *Thom.* communiter receptus in 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *in responsione ad secundum* affirmat, ex eo, quòd votum solemne Religionis derogat voto simplici; prout dixi suprà.

Et est decisio *cap.* 5. *de regul. in* 6. ubi dicitur, quòd qui post votum de certa Religione intranda emissum, Religionem aliam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa; potest licitè manere in ea, voto priori non obstante, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum.

2. Tum, quia unusquisque votum suum potest in melius commutare, ex *cap. pervenit,* 3. *de jure jurando.*

3. Sed meliùs est votum solemne Religionis, quàm simplex ejusdem, etiam strictioris; nam per simplex votum quis promittit, se tradere Religioni; sed per solemne, se de facto tradit.

Et revera promissio, quæ exequitur de præsenti, est perfectior ea, quæ in futurum expectatur.

4. Tum etiam, quia professio in Religione, fortiori vinculo ligat profitentem, quàm matrimonium sponsum; sed matrimonium de præsenti dirimit, seu impedit votum simplex; ergò multò fortiùs professio, quæ dirimit matrimonium; juxtà illud, *si vinco vincentem te, eò fortiùs vinco te.*

In quo autem consistat ista majoritas professionis suprà matrimonium, & quomodo disrumpat vinculum voti simplicis, lepidè de solito more declarat *Emin. Cajet. in d. art.*

5. Benè verum, quòd sic profitens in laxiore, peccat; & de voto non completo tenetur confiteri, & sumere pœnitentiam; prout in *fin. d. cap. & Glos. ibid. ver. pœnitentia, & Clavis Regia,* multis citatis *lib.* 6. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 14.

6. Nec dices, quòd hic Professus potest adire strictiorem, ex *d. c. licet;* quia aliud est, quòd possit, ob fruges melioris vitæ, & aliud, quòd teneatur ex vi voti facti in sæculo; quia ex quo, jus præcedentis voti extinctum est, ampliùs non reviviscit, nec potest obligare.

Quæst. 51. *An liceat alicui in Religione laxiori profiteri, animo se transferendi in arctiorem?*

1. Respondeo, quòd nedum non licet, sed tali fine ingrediens, vel profitens, peccat mortaliter; ex quo mentitur in re gravissima, *Sanchez lib.* 6. *decal. cap.* 10. *num.* 17. *&* 18.

2. Insuper, & tenetur ad damnum passum, quia non licet locupletari cum aliena jactura: etenim injustè acciperet à Monastrio alimenta, & consimilia: Certum enim est, quòd ex acceptatione contra justitiam oritur obligatio restituendi, *Bonac. de clausf. quæst.* 2. *punct.* 9. §. 1. *num.* 2.

3. Nec obstat, quòd Novitius ingrediens bona fide, si postmodùm recedat, non tenetur ad expensas, quia aliud est, ingredi bona fide, & aliud, dolosè habitum suscipere, animo decipiendi Religionem, eamque enormiter lædendi; etenim fraus, & dolus nulli debet proficere, nec patrocinari.

4. Nec dicas, quod jus transeundi in arctiorem, competit Regularibus Professis; quia illis competit, qui transeunt ex puro corde, sine fraude, & damno prioris Conventus; ut in *cap. licèt, de Regul.*

5. Et additur, quòd jus transeundi in arctiorem, est jus professorum, secus autem Novitiorum; non dico, quòd Novitii non possint in arctiorem transire, si vellent. Sed quòd non possunt, juxta dispositionem *d. cap. licèt, Bord. resolut.* 29. *q.* 11. *num.* 50.

Quæst. 52. *Transiens in secundam Religionem, si revertatur iterum ad primam, an debeat recipi, & admitti ad jura primæva?*

1. *Syl. ver. Relig.* 4. *q.* 5. *Tabien. eod. ver. num.* 24. *in fin. Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 31. *art.* 18. *Sanchez ad decal. lib.* 6. *cap.* 7. *Bonac. cit. loc. & Bordon. resolut.* 29. *q.* 16. *num.* 57. respondent affirmativè; si fiat iste regressus, professione non sequutà; secus autem.

2. Tum, quia Professus nunquam desinit esse Monachus primæ suæ Religionis: nisi per professionem ritè factam in secunda, quia sola professio ritè facta transfert Professum de uno statu, in alium statum inrevocabiliter.

3. Tum etiam, quia licentia petita, vel concessa, etiam simpliciter, & absolutè est ex causa, & conditione; nempe validè profitendi: cessante autem causa, ob quam fuit petita, vel concessa, & conditione non adimpleta, cessat, tam petitio, quàm concessio licentiæ; adeò, ut censeatur non licentiatus, nec dimissus.

4. Si autem licentia sit ex odio, vel alia humana causa, non valet; quia hoc esset licentiare ad vagandum, vel apostatandum, contrà *textum cap. Abbates,* 18. *quæst.* 2. & notat *Syl.* citat. *loc.*

5. Quod procedit, etiam in eo, qui transit sine licentia, vel injustè, aut illicitè; quia per transitum illicitum, aut injustum Professus non amitteret jura suæ Religionis, sicut Clericus, per delictum non amittit jura sui Clericatus, quamvis debeat puniri, & pœnitentiari, & potest astringi.

6. Nam quoad hoc, æquiparatur fugitivo, vel Apostatæ,

statæ, largè dicto, qui est requirendus, non autem exterminandus, ex *cap. final. de regul.*

Ergo multò magis admittendus est iste, de quo agitur, & charitativè suscipiendus; quoniam verè non fugit, sed quodammodò solùm Prælati obedientiam contempsit, *D. Ant. p. 3. tit. 16. cap. 4. §. fin.*

7. Et sicut Religio potest cogi, ad hoc, ut recipiat Apostatas, & fugitivos sui Ordinis; multò plùs eos, qui transierunt ad arctiorem, à qua recedunt, vel quia pœnitet, ivisse, vel quia austeritates sufferre non possunt, aut quavis alia causa, adeò, ut non cogantur renovitiare, nec profiteri de novo, quia hujusmodi revertentium mores noti sunt, & professiones eorum non sunt disruptæ.

8. Secùs dixi, professione sequutâ; quia ex vi novæ professionis extinguitur prima professio; unde recedens desinit esse Monachus primæ Regulæ, & efficitur incommutabiliter subditus, pars, & membrum secundæ Religionis, in qua validè profitetur.

9. Nulla autem Religio potest cogi ad recipiendum Professos alterius Ordinis, nisi à Domino Papa; ex causa urgenti, & necessaria.

10. Benè verum, quòd iste Professus potest iterùm ab ista secunda Religione recedere, & ad priorem redire; servatis tamen servandis.

11. Nihilominùs, huic regresso in priori Ordine, ad quem revertitur denuò, non restituitur primogenitura; sed necesse est, renovitiare, si per longum tempus in secunda stetisset; tum, quia tempore longo fieri potest, ut illa prima Religio si reformata, & mutata in arctiorem, & quòd ad austeritates illius, hujusmodi revertentis vires non suppetant. Quamobrem per novissimum regressum antiqua jura non reviviscunt; quia per secundam professionem extincta sunt: sed oportet, ut dixi, incipere de novo.

12. Proinde, fuit nobis Bononiæ, sub anno Domini 1615. benè *statutum*, ibi, *quoniam verò interdum ex Ordine nostro ad alios Ordines, non maturâ inspectione præmissâ, ab aliquibus nostris Fratribus facilem transitum fieri comperimus; unde post brevem lapsum temporis, eosdem ad Ordinem nostrum redire procurantes, & instantissimè petentes, ex fraterna pietate, & charitate recipere compellimur; Idcircò decernimus, & declaramus, ut si quis Fratrum nostrorum, ex nostro Ordine in alium commigraverit, & denuò eo relicto, ad Ordinem nostrum rediens receptus fuerit, à tempore, quo revertitur ad nostrum Ordinem, numerus annorum, & antiquitas, ratione loci illi computentur,* prout *distinct. 1. de gravissima culpa, cap. 19. fol. 37. col. 3. litt.* B. declaratur *ver. quod autem attinet ad licentiam ad alios Ordines transeundi.*

13. Quod *Statutum* habet locum in transeuntibus ex nostra Religione in aliam, & in ea validè profitentibus; secùs in non professis, vel invalidè professis; nam idem est, non agere, & malè agere; & ea, quæ sunt firma, per contractum invalidum infirmari non possunt; ergo prima Professio valida, primævaque jura per subsequentem Professionem invalidam non extinguuntur.

Quæst. 53. Si prima Religio non vult hunc invalidè professum de novo acceptare; quid agendum?

1. Respondeo, quòd potest iste reclamare apud Superiores primæ Religionis, dicendo, quòd ad priorem spectat; ex quo sua secunda Professio invalida non potest præjudicare primæ validæ: verùm deberet præcedere sententia declaratoria super nullitate Professionis prætensæ.

2. Item potest in secunda Religione, ad quam transivit, suam invalidam Professionem validare; nempe ratificando, vel renovando; prout dixi in *Bull. Urb. VIII.* edita pro validitate Professionis nullæ.

3. Aut potest ex dispensatione in aliam laxiorem transire; quia commutatio voti in minus bonum, indiget causa, & dispensatione. Secus autem conscientia laborat, *Azor. moral. instit. lib. 12. cap. 15. q. 2. & Sanchez lib. 6. decal. cap. 7. num. 16.*

Quæst. 54. Translatus ad secunda vota, quomodo sedeat in Capitulo?

1. Respondeo, quòd Translati, tam in suffragando, quàm in omnibus actibus Capitularibus debent tenere locum suæ ultimæ Professionis; quia legitimè translatus perdit omnia jura prioris; ut dicitur in *cap. si quis translatus 21. q. 2. & cap. ne pro cujuslibet 16. p. 1.*

2. Et hoc ideò, quia priori moritur Ordini, qui item in secundo de novo Professionem emittit, *Navarr. lib. 3. de Regul. consil. 61. & Rodriq. 2. par. summ. cap. 6. num. 10.*

3. Limita, ut hæc decisio non procedat in eo, qui se transtulit in Præfectum, Abbatem, seu Priorem; & maximè, si ob id renunciasset propriam Prælaturam. Nam sic translatus, perfunctâ Præfecturâ, debet sedere in primo loco, post Abbatem, in memoriam honoris, quem gessit, si alii non sint, qui talem Præfecturam habuissent; nam si adsint consimiles, debent post actualem Priorem sedere, eo ordine, quo fuerunt Præfecti; nam aliud est, se transferre, ut sit subditus, & filius; & aliud, ut sit Prior, vel Abbas, *Navar. eod. tit. consil. 60. Rodr. tom. 3. q. 52. art. 26.* cum suo *comp. resolut. 123. num. 81. & à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 343.*

Quæst. 55. Translatus in secundam Religionem, si profiteatur in ea; an perdat Gradus, Dignitates, & omnia alia jura, quæ habebat in prima?

1. Et dico, quòd sic, respectu eorum, quæ à sola Religione dependent, aut conferuntur, ceu sunt Prælaturæ, administrationes, jus suffragandi activè, vel passivè, & consimilia, quæ fiunt in Capitulo.

2. Secùs autem, respectu illorum Jurium, & Dignitatum, quæ extra Religionem accipiuntur; licèt de consensu Superiorum Ordinis accedant; ut est potestas suscipiendi sæcularium Confessiones Sacramentales, absolvendi à peccatis, sacrificandi in Ecclesia, & similia peragendi, quæ secundæ Religioni non repugnent; quia translatus, ut dixi suprà, per Professionem subsequutam in secunda Religione, moritur primæ, quoad omnia jura sibi ab illa collata; etenim destructo fundamento, destruitur superædificatum; Jura autem Professorum, ut Tituli, & Dignitates in Ordine Religiosorum, fundantur, & eriguntur in Professione eorundem.

3. Secunda autem Pars est per se manifesta; quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: Ordines, & aliæ Dignitates externæ non nascuntur, nec pullulant à Professione Religiosa, nec dependent ab illa. Ergo non possunt destrui, nec tolli ad destructionem illius; Religiosus Sacerdos, si post mortem resurgeret, foret Sacerdos; sed non Professus hujus, vel illius Religionis, & hoc ideò, quia Ordo, ut Ordo, non dependet a Professione, nec fundatur in illa.

4. Benè verum, quod hujusmodi Gradus, & Dignitates quiescunt, & suspenduntur in novitiatus anno, nec post professionem debent habere locum in secunda Religione, etiamsi illi non repugnant; nisi de commissione, & voluntate Prælatorum secundæ Religionis.

5. Quod extende ad Doctoratum, seu Magisterium Sac. Theol. vel Juris Canonici, aut Cæsarei; & ad quamvis aliam facultatem, *Miranda, & Sanchez,* cit. *loc.* & latè *Bordon. tom. 1. resolut. 29. q. 35. à num. 96.* usque *in finem.*

Quæst. 56.

Quæst. 65. Translatus legitimè; an teneatur ad specialia vota primæ Religionis.

1. Negativè dicas, per ea, quæ suprà dixi; tùm quia, cessante causa, cessant effectus, qui in fieri, & conservari dependent ab illa, ut dicunt *Philosophi*, & habetur in *l. quod dictum, de pactis, & cap. cùm cessante de appellat.*

2. Vota autem specialia, & speciales observantiæ sunt annexæ tali statui, & consequuntur ad professionem, quæ fit in illo statu.

3. Igitur, sublato statu, & ejus vinculo disrupto, corruunt omnia; etenim abrogato principali, accessoria penitùs extinguuntur, tùm etiam, quia legitimè translatus, censetur mortuus respectu prioris Regulæ. Mors autem omnia solvit, etiam civilis respectivè. Perindè, Religiosus Ordinis Minimorum, si debitè se transferat in Religionem Fratrum Minorum, licitè poterit vesci carnibus, & lacticiniis, etiam tempore Novitiatus, quia specialia primæ Regulæ, per novum Novitiatum in secunda suspenduntur, & per professionem honorificè tumulantur, *Suar. tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. cap. 3. num. 7. Barbosa in cap. licèt, de Regul. num. 28. & Bonac. de clausu. q. 2. punct. 9. §. 4. difficul. 1. num. 1.*

Quæst. 57. Bona Translatorum liberè, ac licitè; an transeant in secundam Religionem bonorum capacem?

1. Nequaquàm respondeo; sed remanent penes primum Monasterium, in quo translatus professionem emisit; etiamsi sint minima, & quomodocunque acquisita, usque ad secundam professionem, quæ fit in secunda Religione, in quam transitur, *Syl.* latè in *sum. ver. Relig. 4. q. 10. in fin. Navarr. lib. 3. de Regul. cons.* 14. in 1. edit. *num.* 11. & amplè in 2. *com. eod. tit. in cap. non dicatis, num.* 30. & 31 & *com. 4. de regul. super cap. statuimus, nu.* 24. §. 11. *Megal. p. 2. lib. 2. cap. 27. q. 3. num.* 38. *Rodr. tom. 2. q. 79. ar. 2. & tom. 3. q. 5. ar. 5. & q. 52. ar.* 27. sibi contrarius in *addit. sum. tom. 4. cap. 53. num. ultim. & cap. 11. num.* 17. cum suo *comp. resolut.* 123. *num.* 82. ubi concordat contraria, *Portell. ver. bona transeunt. num.* 1. *Miranda tom. 1. Manual. q. 31. ar. 24. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 13. Sanchez lib. 7. decal. cap. 32. à. S. Fausto lib. 5. Thes. q.* 344. in novis, *Barbosa in d. cap. licèt, num. 26. Bonac. de clauf. q. 2. punct. 9. §. 4. proposit. 2.* à *num.* 2. usque *in fin.* & latè ante eos *Didac. Covar. tom. 1. de testam. cap. 1. num. 21 in fin. ver. hactenùs.*

2. Et est decisio *cap. unic. seu statutum,* 18. *q.* 1. ibi, *sed quicquid acquisierit, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat.*

Et *Conc.* loquitur generaliter absque ulla limitatione, & sic generaliter debet intelligi, & magis expressè in *c. non dicatis* 12. *q.* 1. ibi *certum est, eos nihil habere, possidere, dare, nec accipere debere, sine Superioris licentia.*

3. Undè fit, ut nec etiam injustè habeat proprium, ut *ibid. Glos. ver. possidere, & in c. quia ingredientibus* 19. *q.* 3. ibi, *sed res eorum ejusdem Monasterii juris fiat, aperta legis definitione decretum est.*

4. Hinc, Religiosus quicquid acquirit, suo Monasterio acquirit; & de acquisitis nullatenùs potest disponere, ut deciditur in *auth. ingressi, C. de Sacrosanctis Eccles. cap. in præsentia, de probat. & in d. auth. de Monachis*, ibi, *si verò relinquens Monasterium, ad aliud transeat; etiam siquidem ejus substantia maneat, & vendicetur à priori Monasterio, ubi abrenuncians hanc reliquit.*

5. Et additur *Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap.* 2. quod incipit, *nemini igitur Regularium, & Privil. Eug. IV.* concessum Patribus S. Hieron. ut in *compend.* ipsor. *verb. bona, & verb. Episcopus*

6. Ex quibus clarè colligitur, quod hujusmodi transeuntes, nihil secum possunt deportare de bonis primi Monasterii, sivè sint stabilia, sivè mobilia, quovis modo quæsita, & parta, proprio labore, vel alieno, jure hæreditario, vel donationis titulo, nec etiam propria scripta; nisi sibi fuerint concessa à Capitulo prioris Monasterii.

7. Dixi, liberè, nam si Religiosus transferatur coactè ad peragendam pœnitentiam in diversa Religione, aut Monasterio, habebit alimenta, & cætera necessaria à suo priore Conventu; prout habetur in nostris *Constit. fol.* 81. *col. 2. cap. 18. tex. 5. de grav. culpa*; & docet *Navar. in d. 4. com. nu.* 24.

8. Dixi, licitè, quia transiens illicitè, tanquàm fugitivus semper omnia quærit priori Monasterio; ut in *cap. Abbates* 18. *q.* 1. ibi, *aut per loca vagare, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia, quæ acquisiverit, ab Abbatibus auferantur, secundùm Regulam Monasterio profutura.*

8. Dixi, bonorum capacem, quia translatus, & professus in Religione incapaci bonorum, censetur mortuus primæ, & secundæ Religioni omninò.

10. Amplia, ad eum, qui se transfert de licentia Papæ; etenim Privilegium à Papa non conceditur cum damno Tertii, ex *l. 3. §. si quis à Principe, ff. ne quid in loco publico fiat.*

11. Ergò, facultas concessa eundi ad alium Ordinem æqualem, vel arctiorem capacem bonorum, non potest, nec debet intelligi cum damno primi Monasterii, cujus erant jam illa bona, nisi expressè in privilegio dicatur; ut per multa jura docet *Navar. de voto, lib. 3. conf. 14. nu.* 8. & 9. in 1. edit. ubi mirificè examinat omnia de Veste, Breviario, & Scriptis transeuntis, si sint utilia, vel inutilia primo Monasterio, & *Miranda* cit. *loc. conclus.* 2.

12. Nec dices, quod bona erant effecta prioris Monasterii in consequentiam personæ, & accessoriè, & quod translato principali in aliud Monasterium, transferantur pariter bona successivè.

13. Quia, etsi bona obvenerint primo Monasterio intuitu personæ, nihilominùs illius effecta sunt omninò, absolutè, & simpliciter per professionem, ibi validè factam; prout *Navar.* in cit. *conf. de Voto, & Sanchez ubi suprà, num.* 18

14. Et adverte, quod aliud est, acquiri intuitu personæ professi, & aliud est, quod penès Monasterium perseverent. Etenim bona acquiruntur Monasterio intuitu profitentis; sed non perseverant ratione illius; sed ratione professionis validæ, qua subsequuta, professus respectu bonorum acquisitorum, se habet ut extraneus, *Megal. par. 2. lib. 2. cap. 27. q. 3. num.* 46. contra *Menoch.*

Quæst. 58. Monialis ad sui instantiam translata de licentia Papæ ex uno in aliud Monasterium; an secum deferat dotem?

1. Ex jam decisis respondeo negativè; tùm quia Religiosarum bona, per professionem earundẽ absolutè, & simpliciter transeunt in proprietatem, possessionem, & dominium illius Monasterii, in quo profitentur: Undè non possunt ampliùs avocari; nisi de expressa, & declarata voluntate Papæ.

2. Tùm etiam, quia Puellarum dos sub hac tacita conditione censetur collata, si professio sequatur.

3. Ergò, professione subsequuta, remanet perpetuò illius Monasterii. *Navar. d. com. 4. de regul. nu. 24. in fin. Rodr. tom. 2. q. 79. ar. 2. ver. ex quibus, & Bonac.* cit. *loc. nu. 6. diff.* 2.

4. Ità quod, nec minima bona, utputa Vestes, & Breviarium, ipsi post professionem quæsita, poterit secum ferre; nisi accedente licentia superiorum, *à S. Fausto lib. 5. Thes. q. 344. ver. hinc Monialis, & Ioan. Mar. Novar. in loc. Regul. ver. translat.*

5. Nec inferas; ergò Monialis nuda transibit, contrà Regulam, quod concesso transitu, ea omnia censeantur concessa, sine quibus transitus nequit licitè fieri; quia etsi secum deferat vestes, & alia minuta ad transeundum honestè juxtà decentiam sui status;

Nihilominus suscepto habito secundæ Religionis; vel ejus in eadem professione facta, omnia sunt restituenda priori Monasterio, tantò minùs, quantò per ejusdem Superiores fuerit indultum.

6. Nec dices, quod dos tradita Monasterio, vicem gerit dotis traditæ marito, ad sustinenda matrimonii onera; & quod dos tradita marito, eo mortuo restituitur; ex quo dos ibi debet esse, ubi sunt onera matrimonii, ex *l. is, qui 57. ff. de Jur. Dot.* & quod dos traditur sub conditione, ut soluto matrimonio restituatur.

8. Nam hæc jura fallunt in casu nostro, ex quo Monasterio traditur dos absolutè, vel sub conditione, ut subsequuta professione Monialis, intelligatur perpetuò, & inrevocabiliter incorporata Monasterio; ut dixi suprà, & notant præcitati *Doctores*. Et post hæc scripta vide omninò ad comprobationem nostræ opinionis. *D. Regent. Sanfeluc. dec.* 323. *lib.* 2. *& Ill. D. Marthion. Regent. Capyc. Latro dec.* 193. *lib.* 2. ubi an saltem debeat habere alimenta, ex dote data primo Monasterio.

Quæst. 59. Bona acquisita per Translatos in cursu Novitiatus; an acquirantur primo, vel secundo Monasterio?

1. NAvar. *in d. com.* 4. *de regul. num.* 24. §. *undecimo*, cum aliis præcitatis dicit, semper acquiri priori Monasterio, usque ad professionem in secundo, tùm quia per professionem desinit esse Monachus prioris Religionis; tùm etiam, quia translatus, quamvis sit Novitius in secunda Religione; adhuc tamen est verus Religiosus primi Monasterii, nec dicitur perfectè, & completè translatus, nisi per subsequutam professionem in secundo.

2. *Cardinalis* autem ex adverso in *Clem.* 1. §. *quia verò, de regul. q.* 12. *num.* 14. dicit, acquiri secundo Monasterio.

3. Verumtamen *Rot. Rom. in recent. p.* 2. apud *Farinac. decis.* 109. *&* 115. *Barbosa in d. cap. licet, num.* 30. *& Novar.* in sua *Lucer. Regul. ver. translat. num.* 26. *in fine* cum distinctione respondent, quod ista traslatio, aut fit ad effectum peragendi pœnitentiam pro culpis debitam, vel quid simile, ob quod persona translata non absolvitur à filiatione, & consortio primi Monasterii; & sic bona post talem translationem acquisita, primo Monasterio acquiruntur, deductis expensis, & alimentis, quæ ex primo debentur secundo Monasterio, *Bonac.* cit. *loc.*

4. Secùs autem, si Professus, vel Professa transferatur ad effectum, ut liberetur à consortio, & filiatione primæ Religionis; tùm quia, quæ proximè instant, inesse videntur, *l. lecta, ver. dicebam, ff. si certum petat.* & paria sunt, aliquid esse factum, vel proximè fieri destinatum, *l. vestimentum, ff. de auro, & argento leg.*

5. Tùm etiam, quia Novitius dicitur esse in statu medio, dum peragit Novitiatum, & magis dicitur esse de secundo Conventu, quàm de primo; quemadmodum Sæcularis effectus Novitius, magis dicitur esse de Religione, quàm Sæculo.

6. Tùm item, quia ex quo non tenetur ad observantias primæ Regulæ, cujus habitum deposuit, censetur esse de secunda Regula, cujus habitum portat; tum item, quia qui sentit incommodum, debet sentire commodum; sed secunda Religio nutrit, & alit translatum; ergò sibi debentur acquisita per illum in tali statu; quia non licet locupletari cum aliena jactura.

7. Nec dicas, quod non est perfectè translatus, & quod sit Religiosus primi Conventus; quia hoc est verum respectu professionis, nondum factæ, sed quoad alia fallit.

8. Et addas, quod prius Monasterium ex quo illum licentiavit, censetur cessisse omni futuro juri quærendo, secùs autem quæsito.

Quæst. 60. Hæreditas delata, seu devoluta Professo, an transeat cum ipso, si transferatur ad aliam Religionem?

1. REspondeo, quod non; sed remanet penès primum Monasterium, *Covar. tom.* 1. *de testam. d. cap.* 1. *num.* 21. post multos *Paul. Layman lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 5. *q.* 5. *num.* 7. *ver. etiamsi, & Bonac. tom.* 1. *de claus. q.* 2. *punct.* 9. §. 4. *diff.* 2. *num.* 2.

2. Quod procedit, etiamsi hæreditas non fuerit adita, *Bordon.* multis citatis *resolut.* 29. *q.* 27. *num.* 88.

3. Et hoc ideò, quia ipsa Professione, veluti morte quadam Religiosi Profitentis, omnia ejus bona, jura, & actiones transeunt in ipsum Monasterium immediatè, simpliciter, & absolutè, quod est ob multa mente tenendum.

Et colligitur ex *auth. de Monachis,* §. *illud quoque auth. si qua Mulier,* C. *de Sacrosanct. Eccles. & auth. ingressi eod. tit.* ibi *Ingressi Monasteria, ipso ingressu*, hoc est, eo ipso, quod Monachi fiunt, ut *ibi Gloss.* se, suaque dedicant Deo.

Et habetur in *cap. quia Ingredientibus* 19. *q.* 3. & docet *Gloss. in cap. statutum* 18. *q.* 1. *ver. legitimus.*

4. Hæreditas autem delata, seu devoluta Monasterio, intuitu personæ professæ adstipulatur inter cætera quæsita jura primi Monasterii.

5. Sed jura Monasterii non transeunt, nec possunt in aliud transire, sine speciali licentia Domini Papæ.

6. Dixi, etiam non adita, quia hæreditas alia dicitur delata, & alia adita. Hæreditas delata, seu devoluta est, & fit, ipsa morte ejus, in cujus bonis est succedendum ex testamento; vel ab intestato; tunc enim statim sequuta morte testantis, vel consanguinei, hæres comparat jus ad rem, seu actionem petendi hæreditatem, salvâ potestate deliberandi.

7. Idcircò, potest hæreditatem delatam repudiare, si eam sibi non expedire cognoscit.

8. Adita autem hæreditas non dicitur, cùm statim hæres in eam consentit, & acceptat: undè jus in re, & dominium omnium rerum hæreditariarum acquirit, antè apprehensionem earundem; prout ex multis colligit *Molina tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 174. *ver. quoad posteriorem, & Layman.* cit. *loc. cap.* 7. *quæst.* 4. *num.* 12.

9. Si roges ad acquirendam hæreditatem Professo; an sit necessaria ipsius aditio; an verò Monasterium illo ignorante, vel invito, vel mortuo adire possit?

Covar. citat. *loc. de testam. num.* 21. dicit, quod si eo tempore, quo Monachus est in primo Monasterio, ei ex morte alterius deferatur hæreditas, ipsi Monasterio fit acquisitio; nec transit hæreditas ad secundum, cum Monacho ipso & mortuo Monacho, hæreditate non adita, poterit aditio fieri à Monasterio.

10. Nec translatus si vivat, potest in præjudicium primi Monasterii adire, quod probat ex multis, & per multa jura.

11. Et hoc ideò, quia hæreditas proximè, & immediatè defertur Monasterio, quia Religiosus professus, propter votum paupertatis est incapax acquirendi; sed omnia ejus jura ad Monasterium transierunt.

12. Perindè, Religiosus comparatur servo; quia quicquid acquirit, Monasterio acquirit; tùm rei proprietatem, tùm usumfructum, & dominium.

13. Pro-

13. Professus item comparatur filiofamilias, quo recusante potest ejus pater adire hæreditatem, ad acquirendum sibi usumfructum, ex *l. ultim. C. de bonis, quæ liberis*, *Rodr. tom.* 2. *quæst.* 77. *art.* 1. & *Sanchez lib.* 7. *cap.* 12. *quæst. ultim.* & est communis sententia *Canonistarum*.

14. Quamobrem, nullus Religiosus professus potest hæreditatem adire, nec possessionem apprehendere, sine licentia Prælati sui; prout latè dico in *tract. de successione Monasterii in bonis Professorum*.

Quæst. 61. Ususfructus, Livelli, seu Census, & Pensiones professorum transeuntium; an sequantur Translatum ad secunda vota?

1. HAc in re diversificant *Doctores*, & intricatè loquuntur: Tu verò distinguendo resolve, quod usus fructus, census, & reditus illorum bonorum, quorum proprietas per professionem validam professorum fuit acquisita, & incorporata incommutabiliter priori Religioni; nequaquam transeunt, sed remanent apud prius Monasterium, tùm quia fructus sequuntur proprietatem illius rei, cujus sunt fructus; ergò Patronus fundi, & proprietatis ejusdem, erit Dominus fructuum, & censuum dependentium ab illa, prout docet per multa jura *Covar. var. resolut. lib.* 1. *cap.* 15. *de fructibus rei venditæ*.

2. Et est decisio *cap. statutum* 18. *quæst.* 1. ubi Monachus translatus, nihil secum portat; sed omnia relinquit priori Monasterio.

Et nota, quod ille *Textus* loquitur generaliter; & sic debet intelligi, absque ulla limitatione.

3. Nec nocet, quod *ibid.* sit sermo de Monacho translato in Episcopatum, quia idem judicium fit de transunte in Episcopatum, vel in diversam Religionem, ut *ibid.* notant *Doctores*, & meo videri est decisio *Conc. Trid. cap.* 16. *sess.* 25. *de Regul. in fin.*

4. Ubi loquens *Conc.* de Novitiis abeuntibus ante professionem, vult, ut omnia illis restituantur, quæ sua erant.

5. Ergò, si post professionem abierint, vel si ad aliam Religionem transiverint, quæ sua erant, illis restituenda non sunt; etiam cum de uno dicat, de alio negare videtur, ex *cap. nemo, de præsumpt. l. cùm prætor, ff. de judic.* & notat *Megal. p.* 2. *instit. confess. lib.* 2. *cap.* 27. *q.* 3. *num.* 45. *ver.* 3. *probatur, Sanchez lib.* 7. *decal. cap.* 32. *n.* 11. & *Suar. tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 13. *nu.* 14.

6. Perindè, si Monachus vadat ad Curiam Regiam, & lucretur in ea multa; & ingrediatur aliud Monasterium, etiam legitimè; lucra facta antè ingressum cedunt priori Monasterio, *Cardinal. in Clem.* 1. § *quia verò q.* 10. *de stat. Monachorum, Navar. com.* 2. *de regul. nu.* 38.

7. Adeò, quod etiam fructus industriales, quos licitè, & honestè Professus acquirit, pingendo, prædicando, docendo, & similia exercendo, in casu transitus in Religionem capacem bonorum, debentur priori Religioni, *Portell. ver. bona transeunt.* & *Rodr. in comp. resol.* 123. *nu.* 82.

8. Quod amplia ad legatum factum Monacho, sub conditione; quia acquiritur illi Monasterio, in quo Monachus vitam agit, tempore legati facti, non verò in promissione; *Felin. in cap. an præsentia, de probat. num.* 56. & *Covar. tom.* 1. *de testam. cap.* 1. *n.* 19. *in fin.*

9. Secùs autem ususfructus, & census bonorum, quorum dominium, & proprietas per Religiosorum professionem non quæritur priori Religioni; & ratio est, quia hujusmodi ususfructus, vel livelli sivè antè, sivè post Professionem sint acquisiti, non perfectè acquiruntur Monasterio; quia deest Proprietas, ut supponitur; tùm etiam, quia acquiruntur per tractum successivum, & ex mora, & mensione personæ Monachi in illo statu; tùm quia hi fructus sequuntur personam, & pendent à vita Monachi: undè Ususfructus hujusmodi dicitur servitus personalis, *l.* 1. *ff. de usu, & usufruct.* Ergò translata persona in secundum Monasterium, si sit capax bonorum, transferuntur hi census, & ususfructus.

10. Si verò secundum Monasterium sit incapax bonorum, consolidantur cum proprietate; adeò ut transeant ad eos, qui habent dominium rerum, non autem ad primum Monasterium, quia per secundam professionem disrumpitur prima professio; & disrupto principali, auferuntur fructus subsequuti ad illam, *Sanchez* cit. *loc. cap.* 13. *n.* 63. *Bonac. de clausf. q.* 2. *punct.* 9. §. 4. *diff.* 2. *num.* 9. *ver. sequitur septimò.*

11. Hinc, fructus feudales, & census emphyteusis concessi Religioso à suis parentibus, vel amicis, transeunt in Monasterium, durante vita naturali ipsius professi, quo mortuo redeunt ad eos, qui habent rerum dominium. Et transeunte in Religionem capacem, transeunt; adeò, ut primum Monasterium possit hos fructus amittere, per mortem naturalem, & civilem, quæ est professio subsequuta in secundo Monasterio.

Et hoc ideò, quia horum censuum, & fructuum proprietas non fuit perfectè priori Conventui acquisita.

12. Idem, ob eandem rationem procedit in peculio concesso alicui, cum onere solvendi singulis annis tot N. professo talis Religionis; etenim Canon iste transit cum persona.

13. Vel si fiat legatum, sub hac conditione, *ut ejus Monasterium non debeat se intromittere*; per hæc enim verba legans, vel testator voluit, quod nullum dominium transeat in Monasterium; sed tantùm inspexit personam, & indigentiam illius legatarii, ubicunque contingat reperiri, *Megal.* cit. *loc. nu.* 48.

14. Nec contrà primò decisa objicies, dicens, quod si de jure alimenta debentur Religioso translato in aliud Monasterium ob demerita, & culpas; *cap. de lapsis* 16. *q.* 6. *cap. quod à te, de Clerico conjugato.*

15. Eò fortiùs debentur illi, qui non ob demerita, sed assequendæ perfectionis in arctiorem se transfert; juxtà *d. cap. licèt*; vel de licentia Papæ.

16. Nam fallit paritas & ratio utrobique non est eadem; etenim Monasterium recipiens quem ob demerita, invitè recipit, & coactè: undè non debet duplici onere gravari; nempè ad exhibendum illi alimenta; damnatus enim ad carceres alicujus Monasterii, non debet esse illi onerosus in expensis, secùs injustè agit, per citata jura.

17. Bonus autem Religiosus si licitè, & liberè transferatur, non erit onerosus; tùm quia servire potest Monasterio, & victum ex Altari, sibi quærere. Tùm etiam, quia liberè recipitur, & recipienti imputandum, si ineptum, vel inutilem recipiat; nam volenti, & consentienti nulla fit injuria.

Quæst. 62. Si Ususfructus, Census, & Livelli, intuitu Monasterii acquirantur Religioso Professo, an transeant cum ipso, si se transferat ad secunda Vota?

1. ET dico, quod non; sed pertinent ad primum Monasterium per centum annos, ex quo Ususfructus alicui Monasterio, aut Ecclesiæ, vel Communitati relicti, durant de jure centum annis, ex *l. Ususfructus, ff. de Usufruct.*

2. Et hoc ideò, quia ususfructus est jus personale, pendens à vita hominis, quippè qui ad summum, & regulariter non potest vivere suprà centum annos, quod est spatium longioris vitæ.

3. Si roges, quomodo possit discerni; an hi fructus sint relicti intuitu Monasterii, vel contemplatione personæ.

Respondeo, quod in dubio debet attendi tempus Indulgentiæ, & Concessionis; prout ex *Covar.* dixi suprà: Nam si tempore concessionis persona, cui relinquitur sit professa. Certum est, quod quicquid fuerit relictum, relinquitur Religioso Professo, intuitu Monasterii; nam Donator, seu Testator, ex quo benè scit, quod Religiosus Professus est incapax bonorum, ob votum paupertatis; & quod ejus Monasterium tantùm est capax acquirendi; ergò dum relinquit, præsumitur Monasterio relinquere, sicut ususfructus relictus Servo, in dubio præsumitur relictus contemplatione Domini, cui servus omnia acquirit; ità *Bart. in l. fin. C. de usufruct.* & ususfructus relictus filio familias, in dubio præsumitur relictus contemplatione supervirentis patris, si vivat ex *dict. l. final. C. de usufruct.* & *ibi Bald. num. 5. Sanchez d. lib. 7. cap. 13. num. 61, & Bonac.* multis citatis *ubi suprà, num. 9. in fin.*

4. Secùs autem, si essemus in claris; utputà, si Donator dicat. *Volo, quod tale quid per me relictum N. non transeat in dominium Monasterii*, vel si dicat, *volo, quod Monasterium non debeat se intromittere*, sic enim transit cum persona affecta tali beneficio; ut suprà dixi, si licitè transferatur ad secu ida Vota.

Quæst. 63. Ius succedendi, an transferatur cum translato ad secunda vota?

1. IUs succedendi antè mortem eorum, quibus succedendum est, non est jus, sed sola spes, opinio, & expectatio futuri boni; prout communiter *Doctores.*

2. Spes autem, & expectatio de futuro competens Professis non potest computari inter acquisita jura eorundem; quia hæc duo sese evertunt, est jus acquisitum, & est spes, & expectatio futuri boni; quia quod fuit, & quod erit, diversa sunt in moralibus.

3. Igitur, sicut jus futurum non competit Religiosis Professis; nisi in spe, & expectatione; ità nequit adstipulari inter jura quæsita primæ Religioni; nisi eo modo, quo suis Professis, quorum intuitu acquiruntur primo Monasterio.

4. Proindè, si Professus sperans, & successionem expectans, recedat à primo Monasterio, & desinat esse filius illius, cum ipsomet transit, & evanescit illa spes futuri boni; quia, ut dixi, inter acquisita non computatur.

Et est decisio *cap. unic. 18. q. 1.* quo Monachus, ubi transivit in Episcopatum, adeptus est jus succedendi hæreditati paternæ, in beneficium, non prioris Monasterii; sed suæ Ecclesiæ Episcopalis, ibi.

Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem, posteà jure vendicandi potestatem habeat, & *Glos. ibidem* per multa jura *ver. restituat.*

5. Et hoc ideò, quia in *d. c. statutum* Pater Monachi non obiit tempore, quo Monachus prioris Monasterii, Religionem profitebatur; sed ubi factus fuerat Episcopus; prout advertit *Coreus cons. 88. vol. 2.* cum prædicta *Glos. & Covar.* cit. *loc. de testam. nu. 20. in fin. & Syl. ver. relig. 4. q. 10.*

6. Sed sequuta morte illorum, quibus succedendum, jus quæritur illi Ecclesiæ, in qua vitam agit Professus, causa cujus, jus illi quæritur succedendi, *Megal. p. 2. instit. confess. lib. 2. cap. 27. q. 3. num. 48.*

Quæst. 64 Translatus, seu Transfiliatus de licentia Superioris, ex uno Monasterio, in quo habet filiationem, in aliud ejusdem Ordinis; an secum transferat ususfructus, vel pensiones, si quas habebat in primo Monasterio?

1. DE jure communi, & juxtà *Cap. statutum* 18. q. 1. dico, quod de acquisitis priori Monasterio, cujuscunque sint qualitatis, nihil potest secum deferre; sine speciali licentia Prælatorum, & filiorum primi Monasterii.

2. Secùs esset, rapere, & furtum committere, vel unam Ecclesiam, pro alia spoliare, quod non licet, quamvis sint ejusdem Pareciæ.

3. Tum quia acquisita per Professum cedunt suo originali Conventui; sicut quæsita per servum, suo domino, & per filium, suo patri; ut per multa dixi suprà. Et est decisio *Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 2. nemini igitur.*

4. Nec dicas, quod Professis sæpiùs conceduntur introitus, census, & similia per Prælatos Ordinum, qui juxtà *d. cap. Trid.* hoc non potest fieri licitè, etsi fiat, adusum fit, & conceditur ad usum incertum, seu avocabilem, & amovibilem, ad libitum, & beneplacitum eorundem Prælatorum.

5. Nec Prælatus potest cum suo subdito dispensare in solemni voto Paupertatis, & additur, quod Professus respectu bonorum primi Monasterii, & totius suæ Religionis, se habet, ut extraneus, sive illa bona illi obvenerint, titulo donationis, sivè ab intestato, sivè jure legati, aut proprio, aut alieno labore.

Nihilominùs, absolutè, & incommutabiliter sunt quæsita primo Monasterio.

6. Nec dices, quod translatus debeat secum ferre census, & ususfructus, ne sit onerosus secundo Monasterio, prout multi, quos immeritò sequitur *Rodr. tom. 3. q. 52. ar. 27. ver. secundum dubium.*

Tùm quia, nullo jure hoc cavetur, tùm etiam, quia ista translatio, seu transfiliatio de uno, in aliud Monasterium, non fit coactè, sed liberè; & benè scitur, quod hujusmodi transeuntes nihil secum possunt deportare.

7. Ergò sibi imputandum, si consenserint in acceptando sic se transferentes in filiationem secundi Monasterii, in eorum præjudicium, & gravamen, quoniam volenti, & consentienti nulla fit injuria.

8. Dixi, de jure communi; nam in hujusmodi transfiliationibus debent attendi propria statuta, à Domino Papa confirmata, quæ prævalent juri communi; lex enim generalis per specialem limitatur.

9. In Dominicana Familia hæ translationes, aut ex *decreto Clem. VIII.* sunt omninò prohibitæ; aut faciendæ cum multis requisitis; prout declaratur in *distin. 2. de student. cap. 14. tex. 6. litt. H. fol. 181. col. 4. & fol. 182. in col. 2. & litt. F. ibi declarantes, quod si quis professus filius Conventus, fiat posteà, ex concessione Magistri Ordinis filius alterius Conventus, bona immobilia, ad Ordinem spectantia, per talem Fratrem, debent ad primum Conventum pertinere. Bona verò mobilia erunt secundi Conventus, ad quem aggregatus est*; hæc ibi.

An autem monetæ censuatæ, & res pretiosæ computentur inter bona mobilia; dico infrà in *tract. de rebus regul. non alienandis.*

Quæst.

Quæst. 65. Professus invalidè, si se transferat in sæculum, vel in aliam Religionem; an possit secum deferre ea bona, quæ priori Monasterio obtulerat?

1. Affirmativè ex *cap. 16. Conc. Trid. sess. 25. de regul. in fin.* & ratione probatur, quia bona Religiosorum sequuntur professionem eorundem; ergò nulla existente professione, nulla pariter erit acquisitio bonorum, adeò, ut nulliter professus transeat, sicut unus de laicis, in sæculo stantibus: undè poterit de suis bonis ad libitum disponere.

2. Quod limita, non procedere, si infrà quinquennium à die factæ professionis desinerit reclamare, juxtà *cap. 9.* ejusdem *Trid. sess. 25. de Regul.* nam post lapsum quinquennium præsumitur ratificasse, & consequenter bona ejus censentur acquisita primo Monasterio.

3. Limita secundò, non procedere in bonis, quæ non intuitu ingressus fuerunt concessa; sed aliis de causis, nempe ob alimenta, vel causâ restitutionis, aut eleemosynæ, & similium: hæc enim pertinent ad prius Monasterium.

Quæst. 66. Professus in Religione incapaci bonorum, si transeat ex indulto Apostolico in Religionem capacem; an acquirat bona sibi post translationem delata, ad utilitatem secundi Monasterii?

1. Affirmativè respondet *Rot. Rom.* coràm Emin. *Cardinali Viridi*, sub anno Domini 1627. die verò 26. Novembris; & refert post multos *Joan. Mar. Novar. in lucer. Regul. ver translatio, num. 6. ver. licet.*

2. Et colligitur ex *dict. cap. unic. 18. q. 1.* ubi Monachus translatus in Episcopatum, non acquirit priori Monasterio, sed suæ Ecclesiæ secundæ; & hoc ideò, quia per hujusmodi transitum omninò subtrahitur ab obedientia primi Monasterii, & desinit esse Religiosus, & Monachus illius, quod, totum procedit in casu, de quo agitur; nam translatus, per novam professionem valdè factam in secunda Religione absolvitur ab obedientia Prælati, & eximitur à vinculo prioris Monasterii; undè quicquid acquirit, huic secundo Monasterio acquirit, non illi priori: quia est, & dicitur professus hujus Religionis, & non illius, *Sanchez* latè in *sum. cap. 32. num. 22. lib. 7. & Bonac. de claus. q. 2. punct. 9. §. 4. diff. 2. num. 12.*

3. Nec obstat incapacitas acquirendi, in prima Religione contracta, quia aufertur per secundam professionem, & mutationem status; etenim illa incapacitas est annexa illi statui, non autem huic.

4. Nec illa extinguit capacitatem profitentium in ea; sed tantùm suspendit, & impedit in illo statu, *Syl. ver. Relig. 4. q. 10. Tabiena eod. ver nu. 29. & Baldus in auth. ingressi, C. de Sacrosanctis Eccles.*

5. Proindè, Professus Fratrum Minorum Observantiæ, si ex justa causa, & indulto Apostolico transfertur ad tertium Ordinem S. Francisci, recuperat jus succedendi in bonis, sibi ex testamento, donatione, vel intestato, post translationem delatis, ad beneficium secundi Monasterii; prout in facti contingentia decrevit Sac. Cong. Conc. die 22. Januarii sub anno Domini 1628. & refert per extensum *Novar.* cit. *loc.*

6. Quod amplia, & extende ad Fratres Capuccinos, si licitè transferantur in Religionem capacem, saltem in communi.

* * * *
* * * *

Quæst. 67. An item ad beneficium secundi Monasterii, ea omnia acquirat, quæ priori Monasterio acquisita fuissent eo tempore, quo in eo extitit, si incapacitas illius status non obstasset?

1. Negativè dicas; quia in jus extinctum non datur actio, & est decisio Sac. Cong. *Concil. Trid.* facta sub die 17. Junii, sub anno Domini 1617. sub hac forma verborum.

Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Sac. Conc. Trident. interpretum, censuit; si Orator in Religione incapaci, nulla facta dispositione bonorum, validam professionem emiserit, bona ipsa fuisse acquisita venientibus ab intestato, ac proindè, nec successioni secundæ Religionis capacis, ad quam fuit translatus, esse ampliùs locum, nec bonorum renunciationi, & refert *Novar.* cit. *loc. ver. at quatenus.* Quandoquidem donatarii, vel hæredes venientes ab intestato, aut ex testamento non sunt privandi jure suo, ob supervenientem capacitatem secundi Monasterii.

2. Quod habet locum, etiamsi hæreditas fuerit tantùm delata, & non addita; *Bonac.* cit. *loc. num. 21.*

3. Quia Professus per suam primam professionem moritur mundo, & ejus bona cedunt laicis venientibus ab intestato, si aliter ipse ante professionem non disposuit, ob incapacitatem status, in quo reperitur.

4. Proindè, Translatus, authoritate Apostolica à Religione incapaci ad capacem, non recuperat bona, quæ antè professionem obtinebat, ut dixi suprà, & docet *Buratt. decis. 756. & decis. 576. & Novar.* cit. *loc.*

Quæst. 68. Religiosus Professus, si fiat Episcopus, an possit secum ferre libros prioris Monasterii?

1. Et dico, quod non; nisi de licentia Prælati, & consensu filiorum Conventus, cujus sunt libri, juxtà *cap. unic. 18. q. 1.*

2. Nec filii Conventus habent potestatem dandi, aut alienandi libros, quovis modo Conventui acquisitos; nisi ad usum incertum commodandi, servatis tamen Regulæ statutis.

3. Et constat ex eo, quod in facti contingentia nuper occurrit in morte Patris Fratris Lucæ Castellini, ex Ordine nostro assumpti in Episcopatum Catanzarii; etenim omnes ejus libri, quos secum in Episcopatum transtulerat, habita priùs licentia prædicta, fuerunt redditi, & reconsignati Conventui Originali, etiam jussu Rever. Cameræ Apostolicæ.

Quæst. 69. Translatus ad carceres secundi Monasterii, si ibidem acquirat, quæsita cui cedunt?

1. Respondeo, quod absque omni dubio, prius Monasterium tenetur ad expensas, quæ fiunt pro captura & alimentis hujusmodi Translatorum, si sint ejus filii, & Religiosi Professi; ut dixi hic suprà, & habetur expresse in *cap. de lapsis 16. q. 6.* ibi, *ad usum suum accipiant, undè ad pœnitendum subsistant, nè si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, onerosi sint*, & *cap. quod à te, de Clerico conjugato. & extrav. de renunc. cap. 3. & causa 27. q. 1. c. si quis rapuerit.*

2. Ita certum est, debere consequi quæsita per illos, deductis expensis, quæ debentur secundo Monasterio.

Quia per conjectionem in carcerem, Religiosus Professus non desinit esse filius prioris Monasterii, cui filiorum bona qualitercumque quæsita debentur, ut dictum est ex *d. c. statutum*, & *cap. de lapsis*, ibi *dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum Ecclesiastico juri non subtrahi*; & ibi *Glos. in ver. sed res eorum, & d. cap. si quis rapuerit, ver. cautiori.*

3. Et adde, quod delictum personæ non redundat in damnum Ecclesiæ delinquentis.

Verùm, expensæ carceratis exhibitæ per secundum Monasterium, non sunt ad libitum taxandæ in præjudicium prioris Ecclesiæ, sed ad arbitrium boni viri, & compensatis servitiis, & laboribus carceratorum, si quos impenderint, ad utilitatem secundi Monasterii, juxtà Regulam, qui sentit commodum, debet pariter sentire incommodum, & operarius, sententia *Domini*, dignus est cibo suo.

Quæst. 70. Oblatus, qui se, & sua obtulit Ecclesiæ Sæculari; an transiens ad aliam, bona illi possit secum deferre?

1. POsse, docet *Covar. tom. 1. de testam. cap. 1. num. 19.* si licitè transferatur: secùs autem illicitè, quod intellige, accedente voluntate Superiorum, & Capituli ejus Ecclesiæ, de cujus præjudicio agitur, & consulto Romano Pontifice; quia sicut res magni momenti nequit alienari, sine assensu Apostolico; ità nec potest donari, nec commutari, ut dico in *tract. de non alienandis rebus Ecclesiæ.*

2. Et adde, quod quando quis suo juri cum juramento renunciat, non potest regulariter redire ad illud. Item & adde, quod res translata in Ecclesiam, transit ad manus mortis, à qua non potest revocari; & quod actio semel extincta non reviviscit: Quod magis procedit in rebus Ecclesiæ datis cum juramento, & titulo donationis irrevocabiliter inter vivos, quæ de sua natura est irrevocabilis.

3. Et subjunge, quod aliud est, posse transire in meliorem statum, & aliud, transire cum bonis datis, & Ecclesiæ priori acquisitis, in præjudicium illius: sunt enim hæc duo diversa, & à diversis non fit illatio, & dixi in *tract. de oblat. q. 9. & 10.*

TRACTATUS SEXTUS,

DE APOSTATIS.

Quæst. 1. Apostasia quæ, quotuplex, & undè dicatur?

1. APostasia græcè, latinè idem est, quod retrostatio, vel retroabitio, vel remissio: & venit ab Apo, quod est, re, & sto, vel stolos, quod est amissio, *Sylv. ver. Apostasia*: at secundùm usum loquentium importat retrocessionem à Deo, juxtà illud *Joan. 6. multi Discipulorum ejus abierunt retrò*, quod est apostatare, teste *D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. § sed contrà*; & habetur expressè in *cap. non observetis 26. q. 7*, ibi, *& ut Paganum, & Apostatam*, id est retrò abeuntem, prout *ibi* dicitur.

2. Hæc autem retrocessio à Deo secundum tres modos conjunctionis ad illum, prout eruditè ostendit idem *D. Thom. cit. loc. S. Raymundus in summa de apost. Cajet. in sum. ver. apost. fol. 18.* & docet *Glossa in cap. 1. de apostatis*, potest esse triplex, hoc est, à fide, ab obedientia, & Religione.

3. De recessu à fide, quamvis primum locum habeat; nihilominùs nos hic de eo non intendimus loqui, sed dumtaxat de recessu, qui solet fieri à Religione & Claustro.

Quæst. 2. Ratio formalis constituendi Apostatam à Religione, in quo consistit?

1. IUlius Clarus in sua *pract. crim. lib. 5. § final. q. 78. num. 4. ver. Apostata* dicit, quod ad faciendum Professum verè, & propriè Apostatam à Religione, requiruntur duæ conditiones copulativè: nempè, & quod sit vagus, & quod habitum dimittat & dicit, hanc esse communem opinionem *Doctorum*, teste *Calderino cons. 1. de Apostatis* ubi consuluit; quod Monachus vagabundus, qui tamen non dimisit habitum suæ Religionis, non dicitur propriè Apostata: quia Apostata propriè dici non potest, nisi qui ad sæculum omnimodè redit, ex *cap. 1. de Apostatis*, quod dici non potest de eo, qui defert habitum Monachalem, qui est peculiare signum Religionis, ex *cap. Clerici officia, de vita, & honestate Clericor. & cap. in nonnullis num 6.*

Quorum fundamentum esse potest *Capitulum, ut periculosa 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* cujus verba sunt hæc.

Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque Religionem tacitè vel expressè Professus in Scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, nec accedat ad quævis studia litterarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui Conventus, vel majoris partis ejusdem, sibi eundi ad studium licentia primitùs sit concessa. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam, ipso facto. hæc ibi.

2. Ex quibus *Cajet. in summula ver. Apostasia* colligit, quòd Apostatæ sunt excommunicati, ob habitus dimissionem, quod repetit in eadem *summ. ver. excommunicatio, cap. 61. & Joan. Bapt. Corradus in responsis casuum conscientiæ 1. p. q. 249. ver. Apostata, & in addit.* ejusdem *quæstion. & Dominicus Bannes 2. 2. q. 12. ar. 1. in disput. de Apost. à Religione, concl. 2. ver. circà* ait, quod in jure nulla extat excommunicatio latæ sententiæ adversùs Apostatas à Religione, nisi illa, quæ habetur in *d. cap. ut periculosa*, quæ quidem excommunicatio eos tantùm afficit, qui temerè habitum suæ Religionis dimittunt; & cùm sit constitutio pœnalis, non debet extendi ad casus non expressos, & *Rodriq. tom. 1. q. 30. ar. 1.* cum suo *compend. resolut. num. 1.* & in *summa latina de Clausura, cap. 45. conclus. 1. in fin.* dicit, *notetur ampliùs, quòd omnes Religiosi Professi, qui deserunt Religionem animo non redeundi in illam, & deferunt habitum, sunt Apostatæ, si hoc fiat sine licentia Superioris.*

3. Eminent. autem Cardinalis *Cajet. in d. loc. 2. 2. super D. Thom.* cui subscribit *Navar. 2. p. cons. lib. 5. de Apostasia, consil. unic. num 6. Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8.* multis allegatis *n. 4. Graffius p. 1. aurearum decis. lib. 3. de regul. num. 99. in fin.* & ante eos *S. Raymun. in cap. de Apost. Syl. eod. ver. q. 4. num. 6.* & consimiles asserunt, quod ratio formalis Apostasiæ à Religione consistit in retrocessione ab illa, cum animo non ampliùs redeundi in eam; etsi fiat cum habitu: hoc enim parùm refert, quod probat à simili: etenim certum est, (ait ipse) quod qui existens in Monasterii Claustro, si pertinaciter nollet obdire præcepto Prælati, justè aliquid præcipientis; quamvis dicendus sit obstinatus, seu rebellis, non tamen potest, aut debet dici propriè Apostata à Religione, nihil ob aliud, nisi quia non habet animum retrocedendi ab illa.

4. Item discedere à Monasterio sine licentia Prælati, & sine habitu propriæ Religionis, cum animo tamen rever-

revertendi in illam: non erit propriè apostatare à Religione, ut patet in illis, qui noctis tempore egrediuntur à Clausura sine habitu, & licentia, ad libidinem explendam, furandum, occidendum, vel quid simile peragendum: qui non uti Apostatæ puniuntur.

5. Vice versa, discedere à Claustro sine licentia Prælati, cum habitu tamen; sed sine animo ampliùs revertendi, erit à Religione apostatare, quamvis deferat habitum. Igitur formalitas apostatandi à Religione, verè, & propriè stat in retrocessione, cum animo, vel sine animo redeundi, *Megal.* in suo *Promptuario Juris, ver. Apost. nu.* 11.

6. Et additur, quòd sicut habitus non facit Monachum, sed Professio Regularis, ex *cap. porrectum, & cap. ex parte de Regul. & c. consuluit, qui Clerici, vel voventes*: hinc valet Professio facta sine susceptione habitus, ex *d. cap. porrectum.*

7. Ita retentio habitus tantùm, non debet facere quem esse in Religione, ut æqualiter fiat dissolutio, & colligatio vinculi, *l. nihil est, de regul. jur. l. ab exemptione, C. quando licet ab emptione discedere*: nec non, quia habitus non est de substantialibus, sed de accidentalibus Monachatus, ut omnes docent.

8. Apostatare autem, est recedere à substantialibus Regulæ: ergò quoad hoc nihil refert detentio, vel dimissio habitus.

9. Immò, cùm cætera opera laicalia, & præsertim conversatio sæcularis, Religioni non congruant; Habitus delatio potiùs videtur redundare in Religionis contemptum, quàm in decus, & honorem, ex *cap. decus, & cap. ad decorem, & cap. Clerici officia, de vit. & honestat. Cleric.* & ex *Clem. 2. eod. tit.* ergò.

10. Nec dices, quòd pœnæ *Capituli, ut periculosa*, sunt præscriptæ contrà Professos dimittentes habitum temere, quia finis legis debet attendi, quo cessante, cessat legis dispositio, & quo posito, ponitur, ex *cap. Cùm cessante, de appellat.* & qui legis verba observat, & mentem legis offendit, reprehensibilis extat, ex *l. contra legem, & l. fraus, ff. de legib. & l. non dubium, C. eod. tit. & cap. cæterum, de regul. jur. in 6.*

11. Finis autem *d. cap.* est, ut occasio vagandi à Religiosis præscindatur, ob quam, illis habitum dimittere prohibetur: ut *ibidem* est videre, & constat ex ejus *proœmio.*

12. Verùm, si Religiosus extrà suum Monasterium, sine licentia sui Prælati vagetur, sive deferat habitum palam, sive occultè, sive deferat illum, dum huic adest animus ampliùs non redeundi, facit contrà *d. legem*: & consequenter incidit in pœnas Apostatarum, *Azor. instit. moral. 1. p. lib. 12. cap. 16. & 17. num. 6. in fin. & Aloys. Ricc. 3. p. Prax. Apost. Crim. Resolut. 10. nu. 4. & resol. 14.*

13. Benè verùm est, quòd hæ opiniones possunt adinvicem conciliari, dicendo, quòd prima procedit in Apostasia vera, & propria, quæ solet examinari in foro exteriori: secunda verò in foro interiori, & in Apostasia minus propria, & per quam sola excommunicatio contrahitur; non illa apposita in *d. cap. ut periculosa*, quia hæc est posita contrà dimittentem habitum temerè; sed alia, quæ fortè est ex peculiaribus Constitutionibus, vel Apostolicis Diplomatibus, quæ notantur in *Compen. Privil. Minor. ver. Apostata ab Ordine*, & docet latè *Miranda tom. 1. Manual. q. 31. conclus. 2. Rodriq. in Comp. resolut. 11. de Apost. in addit. num. 11. in fin. & Peyr. de subdito q. 1. cap. 26.*

14. Et est *Decisio Rot. Rom.* edita die 11. Februarii 1555. coram *Oradino*, post longam concertationem, quà fuit dictum, quòd ad effectum, ut dicatur contracta Apostasia vera, & propria, quæ inferat inhabilitatem ad obtinendum beneficia, requiritur recessus sine licentia, & dimissio habitus, animo illum ampliùs non resumendi: adeò, ut si appareret, habitum esse dimissum cum voluntate illum resumendi, non censeretur contracta Apostasia, quæ infert inhabilitatem, sed tantùm illa, quæ infert excommunicationem, & refert per extensum *Achill. decis. 1. tit. de Apost. Ricciull. in tract. de jur. personarum, lib. 8. cap. 1. in fin. Laureth. de Franchis in controver. inter Episc. & Regul. fol. 224. Farin. in tract. de hæres. q. 123. Riccius in praxi for. Eccles. p. 3. eod. tit. de Apost. Crim. Megal. in Prompt. ver. Apost. & Novarr. in lucerna regul. eod. ver.*

Quæst. 3. Animus ad crimen Apostasiæ requisitus, an debeat esse effectuatus; & quomodò cognoscatur?

1. Respondeo, quòd sic; & constat ex *cap. relatum, de Cleric. non resid. & l. 1. §. hac verba, ff. quod quisque jur.* quia vera Apostasia exigit actualem recessum à Religione, cum animo vivendi perpetuò laicaliter, ex *c. 1. de Apost.* ergò solus animus, quantumvis deliberatus, & resolutus non sufficit inferre crimen Apostasiæ pro foro externo: sicut non potest dici fugitivus, qui habet resolutum animum fugiendi, nisi actualiter fugiat; *l. fugitivus, & l. sæpè, in fin. de verb. significat.* & notat *Ricciullus de jur. person. lib. 8. cap. 1. num. 36. & Bordonus resolut. 41. q. 5. num. 9.*

2. Benè verum est, quòd debet effectuari, ac poni in actu in re notabili, hoc est, ad multos passus, & ad longam moram, secus si fieret per aliquot passus, vel ad brevem moram, tum quia, de minimis non est curandū, *l. scio, ff. de in integrum restit. & C. etsi quæstiones, de Simon.* tum etiam, quia parvitas materiæ, excusat à peccato mortali, quod requiritur pro base, & fundamento Apostasiæ, *Navarr. in d. cons. unic. de Apost. num. 8. in fin. & Graff. de casib. reser. lib. 3. eod. tit. cap. 2. num. 12.*

3. Nec obstat dicere, quòd is, qui aliquantisper egreditur, vel ad breve tempus moratur extrà septa, peccaverit mortaliter, ex firmo proposito, & resoluta voluntate, quam habuit egrediendi perpetuò, etsi postmodùm voluntatem mutaverit: quia nos loquimur de peccato mortali, quod necesse est, ut etiam exteriùs consumetur in ratione Apostasiæ, quæ formaliter consistit in retrocessione, & animo non revertendi: quidquid sit de illo, in sola mente concepto, *Bordon.* cit. *loc. q. 3.*

4. Hic autem animus laicaliter vivendi ad Apostasiam requisitus, ex habitus dimissione probatur, *Ricc. in dict. 3. par. praxis de crim. Apost. resolut. 11. num. 16.* quia habitus est peculiare signum Religionis, ex *cap. Clerici officia, de vita, & honestate Cler. & cap. in nonnullis, in 6. eod. tit.* & qui illum dimittit, præsumitur Religionem omninò respuere.

Quæst. 4. Tempus ad redeundum intrà septa Monasterii, quanti esse debeat, ad hoc, ut Religiosus possit in foro externo suum recessum disculpare ab Apostasia?

1. Sæpè diximus, quòd dimittentes habitum ad breve tempus non feriuntur gladio excommunicationis, positæ in *d. cap. ut periculosa*, ratione parvitatis materiæ; quale autem sit hoc breve tempus, non est facilè judicare, *Graffius lib. 3. decis. aur. cap. 5. num. 76.* ex nostro *Cajet. ver. excommunic. cap. 61.* attestatur, modicum tempus esse spatium unius horæ.

2. Alii autem existimant, hujusmodi temerè dimittentes, non incurrere in censuram prædictam, nisi post tres horas, à dimissione computandas, quia hoc tempus censetur notabile ad se præsentandum hominum conspectui, *Bonac. de Claus. disput. 2. punct. 2. nu. 21.*

Verùm, de tempore requisito ad purgandam discessionem prædictam in foro contentioso nihil dicunt.

3. *Ricciullus* verò *lib. 8. de jur. person. cap. 2. num. 31.* dicit, quòd tempus trium dierum conceditur hujusmodi egre-

egredientibus ad purgandam discessionem prædictam, adeò, ut si infrà triduum non docuerint de tali absentia, vel non fuerint reversi, censentur Apostatæ, quod colligit ex *cap. ad nostram, & ibid. Glos. in ver. triduum, de regul.* & ex *l. 3. C. de errore advocat.* & *l. final C. de judic. Bonac. de Clausur. disput. 2. punct. 2. nu. 21.*

4. Verùm hoc triduum non amplectitur diem discessus à Religione, nec diem recessus à sæculo, quia dies termini non computantur in termino.

5. Dixi, in foro exteriori, quia ad incurrendam censuram in foro conscientiæ satis erit, ut sit facta dimissio per horam, quod censetur tempus notabile ad se præsentandum conspectui hominum.

Quæst. 5. Religiosus, an teneatur semper portare Habitum suæ Religionis?

1. Affirmativè dic, & constat ex *cap. sanctimonialis Virgo 24. distin. 23.* ibi, *in talibus Vestibus applicetur, qualibus semper usura est, Professioni, & sanctimoniæ aptis*, & *cap. Vidua 20. q. 1.* ibi, *tunc accepta à Sacerdote apta Religionis Professioni veste in quocunque loco consistens, constanter ea utatur*, hæc ibi.

2. Verùm ly, *semper*, debet intelligi moraliter, hoc est, seclusis causis rationabiliter occultandi, vel dimittendi habitum Religionis propriæ, ut infrà dico.

3. Nec obstat illud dictum, *quòd habitus non facit Monachum sed Professio Regularis.* Quia ex quo est signum protestativum propriæ Religionis, astringuntur Professi illum semper, & in omni occasione portare, ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 6.*

Quæst. 6. Religiosus dimittens temerè habitum suæ Religionis; an sit ipso facto excommunicatus?

1. Affirmativè deciditur in *cap. ut periculosa, in 6. ne Clerici, vel Monachi*, cujus propria verba habes hic suprà in *q. 2.*

2. Attamen plures conditiones exiguntur ad incurrendam excommunicationem prædictam. Et primò, ut hujusmodi dimissio sit facta à Religioso Professo; secundò, ut sit dimissio habitus propriæ Religionis; tertiò, ut illa dimissio sit temeraria, hoc est, sine rationabili causa, quartò, ut talis dimissio, attentis circumstantiis, sit apta ad periculosè vagandum, ut colligitur ex *d. cap.* & advertit *Cajet. in summula cap. 61. & Bannes* cit. *loc. 2. 2.*

3. Hinc, si Novitii, Oblati, Tertiarii, Bizochæ, quas Vulgò Beatas nominamus, recedant ab Ordine nostro, etiam si matrimonio copulentur, non dicuntur Apostatæ, quia nunquam Religionem solemniter sunt professæ.

4. Nec item recedentes ex ignorantia invincibili, *Navar. cap. 27. num. 27.* aut ex ignorantia crassa, vel supina. Quia hi sic recedentes, non dicuntur recedere temerè, ut dicitur in *d. cap.* nam temerè recedere est contravenire scienter, *Suar. tom. 5. de cens. disputat. 23. sect. 10. num. 3. Sanchez de matrim. lib. 9. disput. 32. num. 36.* aut ex contemptu legis, teste *Cajet. 2. 2. q. 53. art. 3.* qui ex ignorantia crassa aliquid facit, dicitur quidem ignoranter facere; non tamen temerè, hoc est, cum audacia, & præsumptione, vel ex contemptu: nisi velis dicere, quòd ignorantia crassa sit temeritas, & audacia.

§:†:§

Quæst. 7. Professus dimittens habitum in casu illicito; an incurrat in excommunicationem d. cap. ut periculosa?

1. Negativè; quia non quælibet habitus dimissio dicitur temeraria; prout requiritur ex *d. cap. ut periculosa*, sed illa, quæ fit ex contemptu, vel ad finem vagandi, ut *ibid.* & docet *Navarr. cap. 27. nu. 131. in summa, & Rodriq. tom. 2. q. 76. art. 6.*

2. Perinde, Professus, qui intrà, vel extrà septa ex quadam levitate dimittit habitum suæ Religionis, ut puta, ut quietius dormiat, vel ut expeditiùs currat, aut saltet, vel ut lapidem projiciat, ut se in Balneo meliùs lavet, & similia, non incidit; quia non censetur facta dimissio habitus ex contemptu legis, *Suar. tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 4. num. 29.*

3. Nec item, si fiat ad finem domesticè manendi per totam diem in Camera, vel alibi, *Cajet. ver. excomm. cap. 61.* dummodò sæcularium conspectui non se exhibeat; quia non dicitur facta, ad finem vagandi: nec item, quod majus est, si fiat animo eundi ad lupanar, vel ad quid turpius peragendum: quamvis aliunde mortaliter peccet, propter eandem rationem.

Quæst. 8. Professus temerè exiens à Claustro, cum Habitu tamen abscondito: an incidat in excomm. d. cap. ut periculosa?

1. Cajet. *in summ. ver. excomm. cap. 61. Navarr. in Manual. cap. 27. nu. 131. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 2. Megal. 3. p. Instit. Confess. lib. 5. cap. 6. de excomm. num. 53.* & alii novissimi affirmant; dummodò totum habitum deferat absconditum; adeò, ut à circumstantibus cognosci nequeat; etenim sic exiens, licet non dimittat habitum materialiter, dimittit tamen formaliter, in quantum est talis Religionis protestativus; & sine illo, sive dimisso, sive abscondito, non cognoscitur, nec potest cognosci, quòd sit hujus, vel illius Religionis, sed reputatur, ut laicus in præjudicium suæ Religionis.

2. Confirmatur: quia sicut paria sunt, deformare edictum Prætoris, ut legi non possit, & totum illud delere, ut dicitur in *l. si. quis id. ff. de jurisdict. omnium judic.* ob quod auferentes, vel deturpantes, pari pœna puniuntur.

3. Ita, habitum dimittere, & illum omninò occultare æquipollent; & quod fit æquipollentibus, idem operatur, *Riccius 3. p. Praxis de Apost. Crim. resolut. 17.*

4. Verùm, hujusmodi egrediens non posset dici, nec puniri, ut verè Apostata, ex *Decisione Rotæ Rom.* quam refert *Lud. Mirand. tom. 1. Manual. Prælat. q. 50. art. 3. conclus. 2.*

5. Immò, nec incidere in excommunicationem, si cognosceretur à circumstantibus, vel videretur ab aliquibus, dum hoc facit: nec peccaret mortaliter, si ex justa causa sic exiret; nempè, ad cavendum aliquod vitæ periculum, vel si aliquam partem habitus discopertam portaret. Quoniam in his, nec materialiter, nec formaliter habitum dimitteret, *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 5. num. 11. & Lezana tom. 1. cap. 13. n. 18. in fine.*

Quæst. 9. Professus dimittens Habitum temerè, sed intra Claustra: an incidat in excommun. d. cap.

1. Et dico, quòd non; quia excommunicatio *d. cap. ut periculosa* incurritur ob dimissionem habitus, factam ad finem liberè vagandi, ut apertè colligitur ex ejus *Proœmio*, & cessante causa finali, cessat legis dispositio, maximè si sit pœnalis, ceu illa, de qua agitur, quæ nullatenus potest extendi ad casus non expressos, etiam per identitatem rationis.

2. Hic

2. Hic autem Religiosus, de quo quæritur, dum existit intrà septa Monasterii, ut supponitur, non potest dici, quòd actu vagetur extrà illud: perinde, minimè afficitur pœna prædicta.

3. Confirmatur ex illis verbis, ibi *in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat*, quæ verba non possunt adaptari ad Religiosum existentem intrà Claustrum; etiamsi ibidem habitum dimisisset temerariè, ut patet consideranti, ly *in scholis, vel alibi*, *Angel. ver. excomm. 7. casu 27.*

4. Benè verum, quòd hujusmodi dimittens habitum suæ Religionis, quamvis à Claustro haud discesserit; nihilominùs potest puniri juxtà statuta sui Ordinis, vel juxtà jura allegata hic suprà. Examinando circumstantias facti, an hæc dimissio fuerit temeraria, scandalosa, mortifera, an verò venialis? in re levi, vel gravi? uti foret, si habitu exuto, se exhibeat oculis laicorum existentium intrà, vel extrà septa Monasterii.

Quæst. 10. Religiosus dormiens sine habitu; an peccet mortaliter, & consequenter incidat in censuram d. cap. ut periculosa?

1. RESpondent *Doctores*, quòd de jure communi non licet Religioso Professo sic dormire, sine peccato, nisi ab eo excusetur ex aliqua causa rationabili, ut colligitur expressè ex *cap. vidua 20. q. 1.* ibi, *seu in lectulo quiescens*, & *cap. sanctimonialis, distin. 23.* cujus propria verba posui suprà.

2. Hoc autem peccatum, an veniale, vel mortale sit, non conveniunt: etenim *Graff. lib. 3. decisio. aur. cap. 5. nu. 76.* post Priscos ait, *quòd Religiosus debet esse cum habitu, etiam in lecto, causa infirmitatis*. & movetur ex *d. cap. qui tamen ad modicum tempus dimittit, dicitur continuè deferre, quia aliquid dicitur continuè fieri, etiam si aliquod intervallum habeat, ex cap. præsenti de prabend. in 6.*

3. *Verùm, hoc modicum tempus Doctores intelligunt ad horam; hinc qui proprium suum habitum dimitteret ad horam, non dolosè, sed voluptuosè, nullo alio sumpto, vel sumpto alio non ad usum, sed ad solatium ex jocosa familiaritate, & hujusmodi: ut si in honesta recreatione Frater Minor induat habitum Religiosum alium, quàm suum, non peccaret mortaliter*, hæc *ibi*, ex quibus videtur inferre, quòd dormiens in casu posito peccet mortaliter.

4. *D. Barthol. à S. Fausto de voto obed. lib. 6. q. 191.* negat, peccare mortaliter, quia hoc nullo jure cavetur, nec obstat *d. cap. ut periculosa*, quia clamat contrà temerariam dimissionem, quando scilicet Religiosus habitu exutus, alioque assumpto oculis Sæcularium patet ad tollendum scandalum, ergò eo cessante, non erit temeraria dimissio.

5. *Joan. Bapt. Lezana 1. p. sum. cap. 13. n. 7.* admittit opinionem *Jacobi Graff.* respectu eorum, qui omninò nudi, etiam sine Camisia, causa aliqua non urgente in lecto dormirent: alios autem, qui aliqua decenti veste, aut tunica induti dormiunt sine habitu suæ Religionis, solùm credit peccare venialiter; quia *Decreta* adducta non ampliùs petunt, immò etiam à veniali peccato excusare illos, qui ob rationabilem causam, solùm parvo habitu suæ Religionis cum tunica interiori induti dormiunt, quia ita videtur consuetudine introductum, etiam inter magis timoratos.

6. Ego autem dico, quòd in hoc duo jura sunt examinanda; nempè commune, & particulare, scilicet propriæ Regulæ, seu Constitutionis, quam quis juravit observare; & ubi lex municipalis loquitur, silet, & tacet universalis, volo dicere, quòd unusquisque tenetur observare sua Regularia statuta, quæ si de hoc, quod quæritur, nihil dicant, recurrendum est ad jus commune, nempè ad *d. cap. vidua, & Sanctimonialis*, non autem ad *cap. ut periculosa*, quia non facit ad casum nostrum, sicut nec *cap. 6. Conc. Trident. sess. 14.*

7. Illa autem duo *Capitula*, meo videri, non sunt præceptiva, sed consultiva; & inter Consilium, & Præceptum magni interest, ergò dempto contemptu, & scandalo, penso, hujusmodi nec quidem venialiter peccare, etsi aliàs sint castigandi. Etenim in Dominicana Familia Fratres dormiunt præcincti cum tunica, & caligis, ut dicitur in *cap. 9. de lectis, text. 1. lit. B. pag. 54. col. 2.* & *ibidem* declaratur quod constitutio ista non dicit, *quod debemus dormire cum scapulari, quod est habitus Ordinis nostri, quòd semper debemus deferre, quando procedimus in publicum cùm sit protestativum nostræ professionis, non peccat Frater nostri Ordinis, si sine scapulare dormiat. Ideo possunt licitè Fratres nostri sine illis dormire; debent tamen cum tunicella, cingulo, & caligis dormire, quia tunicella videtur pertinere ad habitum nostrum de nocte, qui semper debet ossibus nostris adhærere*, hæc *ibi*.

8. Transgressores autem, deducto contemptu, & scandalo, non peccant, nec quidem venialiter, ut dixi; quia præter essentialia non habemus præceptum in Regula, nos obligans ad mortale, nec ad veniale; quia nostra statuta, seclusis votis, ad nullam obligant culpam, sed ad solam pœnam: nihilominùs sunt graviter puniendi, juxtà seriem nostrarum *Constitutionum*, quia non debemus minima negligere, ne fortè paulatim defluamus.

Quæst. 11. Transgressor d. cap. ut periculosa; an incidat in excomm. ex uno, vel ex duplici capite?

1. SUppono, quòd in *d. cap.* duo nobis sub pœna excommunicationis prohibentur, nempè, ne fiat temeraria dimissio habitus, nec recessio à Claustro sine licentia, ut liquidè constat ex verbis ejusdem *cap.* hinc quæsitum est inter *Doctores*, an unum istorum satis sit ad incurrendam excommunicationem prædictam?

2. Ad quod affirmativè respondeo ex prædicto *cap.* ibi, *si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto*: hæc ibi, & docet ibidem *Glossa in verb. horum*, ubi ait, quòd Apostata incurrit d. excommunicationem, dimittendo habitum, vel quia vadit ad studiū sine licentia, *Riccius 3. p. praxis de Apost. resolut. 18. & Miranda tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 51. art. 1. conclus. 2. in fin.* expendit ly *horum*, quod verbum ex vi vocabuli, oportet, ut referatur ad singula prædictorum.

3. Proinde, in *Declarationibus textus cap. 1. de Apostatis* nostrarum *Constitutionum col. 4. fol. 88.* declaratur in *verquicunque, quòd ille, qui per se Ordinem egreditur, & subitò revertitur, non est judicandus Apostata, nec incidit in pœnas nostrarum Constitutionum: quia tamen actum Apostasiæ commisit, id est, quia discessit sine licentia Prælati, debet ab excommunicatione absolvi*, hæc *ibi*.

4. Igitur, excommunicatio *d. cap. ut periculosa*, ut benè vides, ad hoc, ut incurratur, non requiritur, ut sit conjuncta cum vera Apostasia. Quandoquidem esse potest, ut præfatus egrediatur, habitu non dimisso; sine tamen licentia Prælati; & quòd habet animum revertendi in Religionem, ob quod non potest dici verè Apostata, sed erit excommunicatus, eò, quòd sit egressus sine licentia sui Prælati.

5. Item fieri potest, quòd dimittat habitum temerè, sed non animo vivendi perpetuò in sæculo, ob quod saltem in conscientia non erit propriè Apostata, ut benè notat, multis allegatis *D. Barthol. à S. Fausto de voto obedientiæ, lib. 6. q. 186.* latè noster *Festus in summa de Apost. cap. 28. fol. 345. & Aloys. Riccius 3. p. praxis. de Apost. crim. resol. 14.*

Quæst. 12.

Quæst. 12. Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis, si dimittat habitum suæ Religionis: an incidat in excomm. d. cap. ut periculosa?

1. DIdacus Covarruvias tom. 1 de testam. cap. 1. nu. 18. Emanuel Rodr. tom. 2. q. 58. art. 3. ver. ex quibus infertur in fine, D. Barthol. à S. Fausto de Religioso statu, q. 180. Sanchez in decal. lib. 6. num. 22. Riccius 3. p. praxis de Apost. resol. 18. num. 5. Barbosa in remission. ad Sac. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 19. in fin. Zacharias Pasqualigus latè decis. 266. Bonac. de Clausura q. 2. punct. 2. nu. 26. Diana tract. 2. de dub. Regul. resol. 50. Lezana tom. 1. summ. cap. 17. num. 9. in fin. & Paulus Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 1. nu. 10. respondent ob multa negativè, & primò, quia nullo jure id cavetur, & consequenter non dicendum: ubi enim lex non loquitur, nec nos loqui debemus 2. q. 5. cap. consuluisti, & cap. 2. de translat. Prælat.

2. Eo magis, quia Episcopi sunt particulari nota digni, & non comprehenduntur sub odiosa generali constitutione, nisi in specie exprimantur.

3. Secundò, quia d. cap. ut periculosa loquitur de Religioso subdito, constituto sub potestate Superiorum Regularium, prout expresse constat ibi, *nisi à suo Prælato cum consilio Conventus, vel majoris partis ejusdem sibi eundi ad studium licentia primitùs sit concessa*: Episcopus autem est exemptus, maximè ab obedientia Regularis Prælati, ut constat ex cap. statutum 18. q. 1. ibi, *quem* (intellige Monachum Episcopum) *canonica electio à jugo Monasticæ professionis absolvit.*

4. Nec per hoc jugum, à quo absolvitur Regularis per Episcopum sibi traditum: intelligitur absolutio ab accidentalibus Regularium solùm, & tantùm, quæ repugnant, & repugnare possent Episcopatui, ut ibid. Glos. videtur annuere.

5. Verùm etiam à voto obedientiæ promissæ in ordine ad Regulam, ratio enim formalis Jugi Regularis stat in ratione voti obedientiæ, quod facit; ut cætera onera portari debeant: quonam modo Professus absolveretur per Episcopatum à jugo obedientiæ, si in ipso remaneret votum obedientiæ? nec in dict. cap. fit aliqua limitatio: sed loquitur illimitatè.

6. Ob quæ, & similia multa Pasqual. ubi supra nititur probare, & contendit, statum Monachalem per assumptionem in Episcopatum mutari, nedum accidentaliter, sed etiam substantialiter; & sic mutato statu, oportet ea omnia immutari, quæ sunt in illo statu; etenim accessorium sequitur naturam sui principalis; quo extinguitur, & mutato, mutatur.

7. Et tandem, excommunicatio d. cap. ut periculosa fertur, ne detur Religioso materia vagandi dimisso habitu, eo, quòd à nemine cognosceretur; quod in casu nostro non potest habere locum: quia Religiosus induens habitum Episcopalem, minus aptus erit ad vagandum; &, ut sæpè dictum est, deficiente causa finali, deficit legis dispositio.

8. Nec his obstant verba cap. 15. de vita, & honestate Cleric. ubi cùm de vestibus Episcopalibus sermo fiat, & quas Episcopus induere debeat, sic habetur.

Pontifices autem in publico, & Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur: nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. hæc ibi.

Nec quòd in Rituali Romano per Clem. VIII. reformato, concessum sit Episcopis Regularibus, ut retento colore habitus suæ Religionis, possint se conformare cum Episcopis sæcularibus in forma, seu figura, & quod ita modò servetur in praxi, Sanchez cit. loc.

9. Quia prædicta omnia intelliguntur de solo debito honestatis, & reverentiæ, quam quivis Regularis Episcopus gerere debet erga suam Religionem, non enim decet, respuere media, per quæ pervenit in finem meliorem; seu ex Discipulo factus est Magister, prout ait ibid. Glossa in princ. d. cap.

10. Secùs autem dicendum de debito legali, teste subtilissimo, & doctissimo nostro magno Doctore Cajetano, opuscul. tom. 1. tract. 25. q. 2. qui de solito more eleganti; ac claro stylo, in propriis terminis examinando quæsitum; distinguit de duplici debito, morali scilicet, & legali, & docet, quid intersit inter hoc, & illud, & quomodò debitum morale nascatur ex dictamine rationis, seu naturali discursu: *Princeps enim tenetur observare leges communes, juxtà illud, patere legem, quam ipse tuleris; extra de Constu. cap. cùm omnes, quamvis non teneatur ad legis observantiam ex debito legali, quia lex non habet vim coactivam super Principem, sed super subditos duntaxat, ex eo, quòd ipsi soli incurrunt pænas legis. Religiosus factus Episcopus non subjacet pænis Regulæ, aut statutorum Regularium, & patet ex eo, quia si puniendus est, non punitur secundùm* Regularia statuta, *sed secundùm Sacros Canones, sicut reliqui Episcopi, & consequenter ex debito legali non tenetur Episcopus* Regularis *ad observantias* Regulares, *nec eas transgrediendo incurrit in earum censuras, nec in aliquam culpam, quia pæna censurarum, & peccati mortalis spectat ad vim coactivam legis à qua est absolutus per Episcopatum.*

11. *Hinc licitè potest carnibus vesci in sexta feria, quando Nativitas Domini in illa die evenit; quia à debito legali, quo sub jugo prohibentis Regula adstringebatur absolutus est.* hæc ille, per quæ videtur quodammodò retractare, quæ dixerat in 2. 2. q. 185. art. 8.

Quæst. 13. Religiosus, si ex una in aliam Religionem transeat laxiorem, vel arctiorem, sine licentia sui Prælati; an sit Apostata?

1. NEgativè, per ea, quæ dixi in tract. 5. de transeunt. q. 31. & quomodò possit, & debeat revocari q. 9. & quomodò hodiè à nullo possit licentiari, nisi à Romano Pontifice, vel ab ejus Sacra Congregatione, q. 38. & latè Riccius par. 3. praxis de Apost. crimine, resolut. 19.

Quæst. 14. Apostata de jure communi; an sit ipso facto excommunicatus, ob solam Apostasiam?

1. GLossa in cap. 1. ver. Apostata, de tempor. ordinand. in 6. Hostiens. in summa tit. de Apostatis, nu. 4. Sylv. q. 8. num. 11. Tabiena q. 12. num. 35. eod. ver. respondent negativè; & est communis, quia id in nullo jure Canonico reperitur expressum. Nec capitulum, ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6. nocet responsioni prædictæ; quoniam Apostasia solitariè accepta, consistit in retrocessione facta ab Ordine, cum animo ampliùs non redeundi in illum, quæ retrocessio, seu discessio à Religione, sive fiat habitu dimisso, sive retento, vel occultato, parùm refert, quoad Apostasiam, maximè quoad forum conscientiæ; Cajet. 2. 2. q. 12. art. 1. & in eodem punct. art. ibid. Bannes conclus. 6. Remigius Seraphin in moral. q. 59. num. 2. & alii plures.

2. Capitulum verò, ut periculosa loquitur de Professis, qui dimittunt habitum temerè, vel egrediuntur à Conventu sine licentia Prælati; non autem de Apostatis; & d. cap. est magna differentia: Sanchez in decalog. lib. 6. cap. 8. num. 20. & à S. Fausto lib. 6. de stat. Relig. quæst. 186.

3. Proinde, Cajet. in summula, ver. Apostata dicit, quòd Apostatæ sunt excommunicati, ob dimissionem habitus, & eod. ver. Portellus in addit. num. 4. ait, quòd Pontifices non excommunicant de facto Apostatas, sed concedunt Prælatis, ut excommunicent.

4. Dixi, de jure communi, quia secus est dicendum de jure speciali, etenim in Ordine Prædicatorum dist. 2. cap. 1. de Apostatis excommunicantur de facto, ibi, *quicunque apostaverit, ipso facto sit excommunicatus, quam senten-*

sententiam ferimus ex nunc praesenti statuto: haec ibi: quo in loco nulla fit mentio de habitus dimissione, vel retentione, aut occultatione, sed verba posita sunt simpliciter, & absolutè, ob quod sunt generaliter intelligenda, ex *Glos. in cap. praetereà, ver. simpliciter, de off. delegat.*

5. Ita pariter excommunicantur de facto ex *Bulla Pii V. & Gregorii XIV.* incip. *Ascendente Domino*, de quibus fit mentio in *Privil.* Societatis Jesu *ver. Apostata*, & constat ex illis verbis, ibi, *ita quoque excommunicationis majoris lata sententiae, & aliis poenis Apostatarum, si qui à Societate deficient*, subjacere, & tanquam veros Apostatas puniri posse.

Innocentius Octavus §. 22. excommunicat de facto Minoritas Apostatas, sed non reservat sibi excommunicationem.

Julius Secundus §. 27. excommunicatione reservata Sedi Apostolicae punit Augustinenses Apostatas, qui infrà octo dies, mandante Generali ipsorum, ad Conventum non redierint, ut in *Comp. Privil. Mendicant. ver. Apostata*, quae *Privilegia*, uti concessa favore Religionis, sunt communia.

6. Unde, eadem *Glossa* communiter recepta in *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6. ver. ipso facto*, testatur, Apostatas de jure communi non esse excommunicatos de facto, sed esse excommunicandos, ex *c. si quis ex Clericis, de vita, & honest. cler. in ver. relaxaverit*: ubi exponit ly *Anathema sit*, idest fiat, id ipsum dicit in *distin. 23. eod. cap. Si quis ex Clericis, & in d. cap. saepè contingit, de temp. ordinand. in verb. Apostata*, ubi subnectit: *qui excommunicati non sunt, nisi in d. cap. ut periculosa*, quod capitulum non obstare diximus suprà, & ostendit ex multis *Riccius 3. par. Praxis de Apostat. resolut. 12.*

Quaest. 15. Apostatae, an singulis annis sint requirendi, ac revocandi à Superioribus suis?

1. AFfirmativè deciditur, & constat ex Decreto Sacrae Congregationis *Concilii*, edito die 21. Septembris, sub anno Domini 1624. & habetur in *Decretis de Regularibus Apostatis, Constit. 26* inter *Bullas Urb. VIII.* §. 4. ibi, *rursus statuit, ut fugitivi, & Apostatae, sive habitum Regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundum Regularia statuta puniendi; utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atque efficere, ut apprehendantur, salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa Decreto Conc. Trid. cap. 3. sess. 6.*

Id ipsum habetur in *cap. ne Religiosi, ultimo de Regular.* ibi, *Patres, Abbates, seu Priores, fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo requirant sollicitè annuatim, qui si in Monasteriis recipi possunt, secundùm Ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione praevia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina, quòd si hoc Regularis Ordo non patitur, authoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi poenitentiam, talibus vita necessaria ministrentur: si verò hujusmodi fugitivos vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant, ab Ecclesiarum Praelatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.* haec ibi.

Quibus inhaeret Declaratio facta in nostris *Constit. cap. 1. de Apostatis pag. 89 col. 1.* ibi, *admonemus universos Priores Provinciales, & Conventuales, & eorum Vicarios, ut diligentiùs laborent pro Apostatis reducendis ex quorum praesentia, & discursu Conventibus; & Fratribus scandalum generatur, ubicunque infrà suos terminos poterunt invenire, quòd si facere non poterunt, sententiâ excommunicationis innodatos publicè denunciari procurent, ut sic saltem ab aliis evitentur.*

2. Sed diligenter adverte, quòd Praelati Religionum non tenentur indifferenter, & sine discrimine omnes, & quoscunque Apostatas perquirere, & recipere, sed eos tantùm, de quibus emendationis vitae propositum concipere, & sperare probabiliter possunt, & etiam qui Religioni possunt esse utiles, ut Eminent. Cardinalis Alexandrinus, posteà *Pius V.* declaravit in *Declaratione Bull. Pii IV.* quam pono hic immediatè *q. 18. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 5. Miranda tom. 1. Manualis q. 51. art. 4. & Riccius 3. par. Praxis de Apostat. crim. resolution. 16.*

Quaest. 16. Monasterium revocans Apostatas, aut fugitivos; an teneatur solvere expensas, & debita per eosdem contracta tempore Apostasiae, forsitan ob causam alimentorum, aut vestium, vel similium?

1. VNanimiter respondent *Doctores* negativè: tum quia Religio non tenetur alere Professum, dum est in fuga, sed tantùm illum, qui actualiter deservit, & subest obedientiae, ut constat ex contractu inito tempore professionis inter Professum, & ipsum Monasteriū: quo quidem contractu Religiosus se obligat, deservire suae Religioni toto tempore vitae suae, & è contrà Monasterium se obligat illum alere, sicut, & caeteros, juxtà statuta Regulae, hoc est, dum stat sub actuali obedientia, est enim ille contractus onerosus, ultrò, citroque obligatorius, ut patet per ea multa, quae dixi in *tract. de professione Novitiorum part 4.*

2. Tum etiam, quia ex contractu, vel delicto Professi, ad nihil tenetur Monasterium, ex quo enim Religiosus sua professione transtulit in Monasterium omnia sua jura, adeò, ut post illam sit incapax cujusvis dominii, & potestatis, non potest dicto juri quaesito Monasterio, suo contractu, nec debitis, aut delicto derogare, ex *cap. non dicatis 12. q. 1.* ubi *Glossa in ver. possidere* subnectit, *quòd Monachus ratione contractus, nec agere potest, nec conveniri, sicut ille, qui cessit bonis, ut ex ff. de ambit.*

3. Quod item dixit in *cap. de persona 11. q. 1. ver. aut Monachum*, ibi, *actio non competit contrà Monachum, cùm nihil habeat*, & subjungit, *quòd si Monachus contrà aliquem deliquit, ipse Monachus conveniendus est, non Ecclesia*, juxtà *cap. hoc tantùm sibi*, quod est *primum q. 2. caus. 18.*

4. *Sicut Servus convenitur, qui deliquit, non autem ejus Dominus, C. de noxa, l. penul. in fin. & ultim. & sicut Pater non tenetur stare contractibus sui filii, initis sine sua licentia, prout exprefsè deciditur in l. 1. §. cum impubere, ff. de peculio: at Monachus aequiparatur servo, & filiofamilias, ut dicitur in cap. multos, 54. distin. ergò non habet liberum arbitrium, ut 32. q. 1. unico, nec enim velle, quia ex necessitate obtemperat, ff. de Regul. jur. l. velle.*

5. *Item agere non potest de injuria sibi illata, instar filiifamilias ff. de injur. l. sed si unus, § ait Praetor*, quae repetit in *dict. cap. non dicatis in fine. & Sanchez in decal lib. 7. cap. 31. num. 9. & sequen. & Peyr. tom. 2. de Praelat. cap. 5. num. 11.*

Et est expressa decisio *cap. quod quibusdam 4. de fidejussoribus*, ibi, *ne quis Religiosus absque majoris partis Capituli, & Abbatis sui licentia pro aliquo fidejubeat: vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultrà summam à Capitulo constitutam: alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere; nisi fortè in utilitatem Domus ipsius manifestè constiterit redundasse*: haec ibi.

6. Ex quibus benè vides, quòd duo exigit solemnitas, seu forma jubendi, vel contrahendi debita, nempè exigit utilitatem Monasterii, & licentiam Praelati cum suo Capitulo: secùs nihil, quia forma contractus est indivisibilis, ob quod, etiam si in minimo laedatur, vitiat actum.

7. Pro-

7. Proinde, recipiens Ecclesiasticam rem sine solemnitate, tenetur eam restituere cum fructibus, absque eo, quòd possit repetere pretium ab Ecclesia 12. q. 2. *can. non liceat*, & docet post multos *Sylv. ver. alienatio q.* 14. *Rodriq. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 11. *in fin. & à S. Fausto de relig. stat. q.* 235.

8. Quod limita, nisi constet, pretium ejus redundasse in utilitatem Ecclesiæ, quia eo casu teneretur pretium restituere, non ex vi contractus, quia ex defectu formæ nullus est, nec item credendum est Monacho stipulanti sine licentia Capituli. Sed ex Regula juris in 6. qua dicitur, quòd qui sentit commodum, debet sentire & incommodum, ex actione de in rem verso, ut infrà.

9. Benè verum est, quòd creditor in casu, de quo agitur, tenetur probare, credidisse in utilitatem Monasterii, & perinde, agere actione de in rem verso, ut dicitur in *d. cap. quod quibusdam*, ut patet ex *ff. de in rem verso l.* 1. *& l. si pro parte*, & notat *Gloss. in d. cap. ver. utilitatem*.

10. Ita à pari, si Apostata in sæculo multa habeat, quæ redeundo in Claustrum secum ferat, & suo Prælato consignet, absque dubio Monasterium tenetur ejus debita solvere, juxtà quantitatem bonorum receptorum, non ex vi contractus; at ratione utilitatis habitæ.

11. Dico, juxtà vires receptorum; quia Monasterii obligatio non debet esse amplior quantitate receptorum; prout ex multis ostendit *Sanchez* cit. *loc.* secùs læderetur Monasterium in juribus suis, quod nullatenùs est faciendum, maximè intuitu Apostatarum.

12. Nec objicies, quòd Monacho per Monasterium debentur alimenta usque ad mortem, ut ajunt *Canonistæ in cap. ut periculosa, ne Clerici in* 6. & in *cap. quanto, num.* 2. *de off. Ordin.* & docet *Surdus de alimentis tit.* 1. *q.* 75. *num.* 1.

Adeò, ut si quis Monacho infirmanti extrà Monasterium alimenta subministraverit, poterit ea à Monasterio repetere, ut *ibidem* docent *Doctores*.

13. Quia non est novum, ut alimenta denegentur contumacibus, refractariis, & inobedientibus, quamobrem negantur etiam liberis, §. *aliud quoque capitulum, authen. ut cum de appellat. cognosc.* & tamen constat, liberis alimenta deberi de jure naturæ, ex *l.* 1. § *huius studii, ver. illinc descendit, ff. de inst. & jur.* & ob alia, quæ notat *Ricciullus lib.* 8. *de jur. personar. cap.* 10. *num.* 13. *in respon. ad* 3. *Lezana tom.* 1. *cap.* 16. *num.* 19. *& Bonac. de Clausq.* 2. §. 3. *punct.* 11. *nu.* 4.

14. Quæ omnia, quamvis sint vera respectu prædictorum; dum sunt in fuga, aut stant extrà Conventum, inconsulto, vel neglecto Prælato; nihilominùs fallunt in expensis, quæ necessariò fieri solent pro captura, & incarceratione eorundem, cùm invitè trahantur in Monasterium, hæ quippè debentur à Conventu, qui suis simptibus utique tenetur hæc mala semina in Claustri horreum reducere, ut par est, *Faustus in d.* 235.

Quæst. 17. *Prælatus, an possit ubicunque Apostatam, & fugitivum incarcerare, si post monitionem renuat reverti?*

1. Navarr. *in comm.* 3. *de Regul. num.* 50. cui subscribit *Rodr. to.* 1. *de Regul. q.* 30. *ar.* 6. ait, quòd Prælatus habet talem, & tantam authoritatem suprà suos subditos, ut possit sui Ordinis Apostatas incarcerare, etiam extrà territorium, ubicunque manentes, benè, & malè facientes, & vinctos reducere in suum Monasterium. Tum quia, quicunque possidet aliquam rem, potest propria authoritate, ubicunque invenerit, illam accipere, & tenere; quia habet jus insistendi rei, ex *l. si quis, in* §. *differentia, ff. de acquir. possessione*, & *ibidem* ex multis ostendit *Bartol.* quod item dixit idem *Navarr. in comm.* 1. *num.* 11. ubi docet, quomodò rei dominium, proprietas, & possessio possit esse idem, vel differre, tum etiam, quia Dominus potest capere servum fugientem, ubicunque illum invenerit, ex *l.* 1. §. *per servum, qui in fuga, ff. de acquir. poss. & l.* 1. *C. ubi Curialis, vel Cohortalis*, & ex aliis *legib.* quas *ibidem Navar.* allegat.

2. Ex quibus *Baldus* singulariter determinat, quòd hoc totum potest facere Prælatus, etiam antequam moneat Apostatam fugitivum, redire sub pœna excommunicationis, & ob contumaciam excommunicet, & antequam brachium sæculare imploret, ea ratione, quia Prælatus eum possidet, possessor rem suam authoritate propria capere, & tenere potest, quod est valdè notandum, quia sæpiùs occurrit.

3. Nec obstat dicere, quòd ex citatis *legibus*, ad prædictorum executionem requiritur authoritas Judicis Ordinarii, saltem ad urbaniùs, & quietiùs agendum; quia Prælati Regulares virtute Privilegiorum majora valent, ut patet ex illo *Innocent. VIII. & Clem. IV.* quod habetur in *Monum. Ordin.* in prima impress. *fol.* 37. & in secunda *fol.* 121. & constat ex illis verbis, *in quocunque loco, & invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis*; & alia hujus generis refert idem *Rodr.* cit. *loc. & à Sancto Fausto lib.* 6. *de stat. Relig. q.* 233.

Quæst. 18. *Apostatæ spontè revertentes, sub qua forma, & praxi sunt recipiendi?*

1. Passarellus in suo *formular. Peyrinus eod. tit. litt. A cap.* 20. *Joannes Baptista Confectius in summario Privil. Mendicantium tit.* 13. *cap.* 23. & *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *ar.* 10. inquiunt, circà modum, & formam recipiendi Apostatas, ultrò in Religionem revertentes, nihil reperiri in jure cautum.

2. Hinc ex *Constitutione* 2. *Pauli IV.* quam per extensum ponit *Peyr. in tom.* 2. *Privil. Minim.* formant praxim recipiendi Apostatas; juxtà tamen declarationem, quam fecit *Emin. Cardin. Alexandrinus*, postmodum *Pius V.* sanctæ mem. super *d. Bull. Pauli IV.* die 10. Aprilis 1559. & est tenoris sequentis.

Michael Ghislerius miseratione Divina tituli Sanctæ Mariæ suprà Minervam, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Alexandrinus vulgariter nuncupatus, hæretica pravitatis in tota Republica Christiana Supremus Inquisitor, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatus, Reverendis Patribus Ordinis Minorum Sancti Francisci de Paula, suum Generale Capitulum feliciter celebrantibus salutem in Domino, & Spiritus Sancti consolationem ingens devotionis affectus, quem erga Ordinem vestrum gerimus efficit, ut omnibus, quæ ad prosperos successus vestræ regularis observantiæ attinet, auxilium, & concilium quicquid sumus, & possumus, cùm ratio postulat, & exigit vobis libenter impendimus. igitur nobis in Christo carissimus Frater Mathurinus Arbertus, Zelosus vester, humiliter, & instanter supplicavit, ut sicut illi verbotenus declaravimus, quomodò de mente, & intentione Sanctissimi Domini nostri Papæ recipi, & à vobis recepti tractari debeant Apostatæ, qui post emanatam contrà eos ex die decima tertia Kalendas Augusti, anni præteriti novissimam ejusdem suæ Sanctitatis Bullam, ad vos redeunt, vobis quoque in unum pro Religionis vestræ tractandis negotiis, capitulariter congregatis, exponere, & testimonialibus nostris ad vos litteris denunciare dignaremur, ne in re tanti momenti à voluntate, & recto instituto ejusdem Sanctissimi Domini, vel in minimo recedatis. Nos quibus hujusmodi Apostatarum negotium per suam Sanctitatem speciali cura demandatum est, vivæ vocis oraculo desuper nobis facto, notum facimus, & tenore præsentium certiores reddimus, non fuisse, nec esse intentionis ejusdem Sanctissimi Domini ut quicunque hujusmodi Apostatas sine discrimine, & absque ullo delectu recipiatis, & vestræ Societati admisceatis, sed eos tantùm, de quibus emendationis vitæ propositum concipere, & sperare proba-

probabiliter poteſtis, & qui veſtræ Religioni poſſunt eſſe bono uſui, quos in primis oportet cogere ad renunciandum omnibus, & ſingulis Apoſtolicis litteris, contrà profeſſionem ſuam, vel quovis modo contrà Regularem obſervantiam in forma Brevis, vel etiam plumbatis, aut ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ; ac quibuſvis privilegiis, & exemptionibus per eos hactenus impetratis, præſtito etiam per eos juramento in manibus Generalis, vel Provincialis, aut eorum, quibus commiſerint, quòd talia, aut ſimilia impetrare nunquam attentabunt, ſed in ſtatu profeſſionis ſuæ, cui per ſolemne votum, ſe addixerunt, poſthac ſtabunt, & perſeverabunt juxtà Regulæ, & Statutorum Ordinis exigentiam. Quos ſic per vos receptos, quamvis non ut inimicos habere, ſed de eorum reſipiſcentia gaudere, & lætari debeatis; probandi tamen veniunt à vobis in camino patientiæ, & humiliationis, utrum pœnarum timore, an virtutis amore, & vitæ melioris propoſito ad Religionis ſuæ gremium recipiantur. Ideò de ejuſdem Sanctiſſimi mente, & voluntate eſſe, tenore præſentium declaramus, hujuſmodi Apoſtatas per vos (ut præmiſſum eſt) receptos, & Religioni iterum inſertos, activa, & paſſiva vocibus, jureque ſuæ primogenituræ, nec non publica ad populum prædicatione, & confeſſionis ſæcularium audientia privatos eſſe per nullos Superiores, nec etiam per Generale, ſeu Provinciale Capitula rehabilitandos, donec ad minus per quadriennium benè, & laudabiliter ſub correctionis, & diſciplinæ ferula patienter, & humiliter vixerint, quo quidem quadriennio ſic expleto, poterunt ex hujuſmodi Generalis, vel Provincialis Capitulorum, duarum ex tribus partium vocalium accedente conſenſu rehabilitari, & ad omnes, & ſingulos Religioni legitimos actus reſtitui, ejuſdem Sanctiſſimi Domini noſtri Pauli Papæ Quarti auctoritate, & gratia permittimus, & indulgemus, dummodò tempus, quo manſerunt extrà Religionem, inter ſuæ profeſſionis annos non computetur: etiam hactenùs contrà præſcriptam formam per vos receptos, non niſi duarum præſentis Capituli Generalis partium ſuffragante illis conſenſu eſſe pro receptis habendos, ſed habitu Religionis exuendos, & à ſocietate veſtra ejiciendos, & ſic electos nihilominùs pœnis in Bulla prædicta contentis remanere obnoxios. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes literas, manu noſtra ſubſcriptas per noſtrum infraſcriptum Secretarium fieri fecimus. Datum Romæ in Sacro Apoſtolico Palatio, in ædibus ſolitæ reſidentiæ, die decima menſis Aprilis, anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi novi, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli Papæ Quarti anno quarto, ſub ſolito ſigilli noſtri appenſione. Frater M. G. Cardinalis Alexandrinus. Joannes Matthæus Arbertus Secretarius. Et habetur apud *Confect. ubi ſuprà pag.* mihi 350.

2. Verùm, in Ordine Prædicatorum in *cap. 1. de Apoſt. diſtin. 1. fol.* 88. *à tergò* conſimilis praxis habetur ibi, *ſi verò miſertus ſui redierit, depoſitis in Clauſtro veſtibus, nudus cum virgis in Capitulo veniat, & proſtratus culpam ſuam dicat, & humiliatus veniam petat, & quamdiù Prælato placuerit, pœnæ gravioris culpæ ſubjacebit, & in Capitulo nudus ſe præſentabit, ſemel in ſingulis ſeptimanis infrà hoc tempus pœnitentiæ, ubique in Conventu noviſſimus erit, & duobus diebus in qualibet ſeptimana per annum in pane, & aqua jejunabit, & peracta pœnitentia, ad priorem locum non redeat, niſi per Magiſtrum Ordinis, vel per Diffinitores Capituli Generalis, vel Provincialis cum eo fuerit diſpenſatum, quæ diſpenſatio non fiat per eoſdem ante tres annos ad minus: ita tamen, quòd anni, quibus fuerit in Apoſtaſia, non computentur ei, quoad locum, ſed ſit ſub illis omnibus, qui habent plures annos in Ordine, quàm ipſe habuerit, quando exivit, quòd ſi ſecundò fugerit, & iterum redierit, ſupradicto modo pœniteat, & priori anno ſecundus annus addatur, ſi tertiò tertius, ſi quartò quartus, omnibus autem Fratribus pro hujuſmodi pœnitentibus humiliter deprecantibus, Prælatus cùm eorum pœnitentiam perſpexerit, eis indulgere, vel remittere poterit, ſecundum quod ſuæ diſcretioni viſum fuerit vel placitum*; hæc ibi, pro quorum captu declarationes *ibidem* poſitas legere non diſpliceat.

Quæſt. 19. *Apoſtatæ & fugitivi, ſi ultrò revertantur; an ſint benignè recipiendi?*

1. Navarr. *lib. 3. de Regul. conſ. 69. num.* 1. ait, quòd ſi hi in mentem ſanam redeant, & convertantur, & humiliter petant in Religionem admitti, debent recipi, & benignè amplecti, inſtar filii prodigi, & conſtat ex *Gloſſa in cap. à nobis, de Apoſtatis, ver. reſipiſcant.* quia Eccleſia nunquam conſuevit redeuntibus claudere gremium ſuæ miſericordiæ: etenim in fronte illud inſcriptum habet Adagium, *qui venit ad me, non ejiciam foras*; quod totum inhæret *Decretis* Sacræ Congreg. *Concil. in* § *ultim. de Apoſtatis, & ejectis, Conſtit. 26. Urban. VIII. tom. 4. Bull. Cherub.*

2. His tamen non obſtantibus, debent recipi, juxtà *textum l. inter claras, C. de ſumm. Trinit. & fid. cathol.* ubi habetur, quòd Eccleſia Dei nulli viſcera miſericordiæ ſuæ claudit, utcunque peccator ſit, id eſt: dummodò convertatur, & pœnitentiam agat. Intellige juxtà *cap. ſi quis omnem 1. q. 7.* ubi ex multis *Sacræ Scripturæ locis* probatur, quòd peccatores poſt pœnitentiam ſunt recipiendi, & juxtà prædictam *Declarationem Pii V.* ibi, *quòd ſic per vos receptos, quamvis non ut inimicos habere, ſed de eorum reſipiſcentia gaudere, & lætari debeatis; probandi tamen ſunt à vobis in camino patientiæ, & humiliationis, utrum pœnarum timore, an virtutis amore, & vitæ melioris propoſito ad Religionis ſuæ gremium recipiantur, &c.*

3. Igitur, non ſunt recipiendi cum tanto rigore, ut cogantur iterùm Apoſtatare, ſed cum juſtitia, dulciter, & amicabiliter adminiſtrata, nam vera juſtitia compaſſionem habet: eiſque dicere non erit inutile, quòd non eſt contrà rationem amicitiæ, petere, ut damna reſarciantur: Deus enim, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, etſi peccatoribus peccata dimittat, nihilominùs in Purgatorii flammis per multum temporis, ab eiſdem pœnas exigit. Nec homines, licet piiſſimi, poſſunt totaliter in lege pœnali diſpenſare, & legem ſolvere; & quòd nemò poteſt ſolvere leges, ſummo Principe excepto, & eo inferiores debent ſecundùm leges judicare: ſecùs peccarent.

4. Et addere, quòd apoſtaſia à Religione ob tot ſcandala, & infamiam contractam, eſt digna omni pœna, & vituperio; & maximè ob alia peccata in ea commiſſa, quæ, teſte *D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 9.* graviora ſunt, quàm ſæcularium errata; & quòd peccata publica exigunt publicam vindictam: expedit enim Reipublicæ, ut delicta puniantur, quandoquidem diligit Deus portas Sion ſuper omnia Tabernacula Jacob, quia ad exemplum cæterorum hominum tranſeuntium, juſtitia executioni mandata ſolet ibidem apponi, ut cæteri videntes, timorem habeant; nam, ut inquit *Apoſtolus*, publicè peccantes, ſunt palam corripiendi; etenim vitium, cui non reſiſtitur, approbatur; nec decet, ut Reus de ſuo reatu commoditatem portet, adeò, ut poſt tot commiſſa crimina, ubi vindicta, & pœnitentia ſperabatur, promoveatur ad Ordines, officia aut dignitates: hoc enim non foret vitium punire, ſed præmiare, ob quod delinquentes audaciores fierent.

5. Caſtigentur ergò Apoſtatæ, & recipiantur in ſpiritu lenitatis, ut cæteri, ſicut dictum eſt, videntes, timorem habeant, & ſpiritus patientium pœnas, ſalvi fiant, *D. Barthol. à S. Fauſto de Relig. ſtat. lib. 6. q. 234. Bordon. reſolut. 41. q. 11. & Peyr.* in ſuo *formul. litt. A. cap. 20. num. 5. & 6.*

§:†:§

Quæst. 20. Pœna Apostatarum, quænam sint?

1. DE jure communi, verè Apostata, si habitum dimittat, afficitur excommunicatione latæ sententiæ, ut ex *c. ut periculosa 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* verùm non est reservata: in qua tamen si celebret, efficitur irregularis.

2. Secundò, Religiosus, si in statu Apostasiæ suscipiat Ordines Sacros, incurrit suspensionem à Divinis, ex *cap. fin. de Apostatis*; & amplia, ut reversus in Religionem, nec posset ministrare in Ordinibus susceptis tempore Apostasiæ, sine dispensatione Domini Papæ; quoniam ex *d. cap.* est perpetuò suspensus, ut *ibidem Glossa, verb. dispensat, & Sanchez lib. 6. in decal. cap. 8. num. 24.* post multos.

3. An autem fiat irregularis Religiosus, si habito retento in dicta suspensione, ut suprà contracta, celebret; negat Bonac. *de Clausf. q. 2. punct. 2. §. 4. num. 10.* quia prædicta suspensio non est propriè suspensio respectu omnium; sed quoddam impedimentum, & species irregularitatis: hoc est respectu ordinum, sic malè susceptorum tempore Apostasiæ: at quoàd alios benè susceptos, non est suspensus, *Sanchez ubi suprà, num. 24.*

4. Tertiò, Apostatæ, habitu dimisso suscipientes ordines, etiam minores, remanent perpetuò suspensi ab exercitio ordinum susceptorum, ex *cap. cùm illorum, de sent. excomm.* Bonac. *de Sacr. Ord. punct. 5. §. 1. num. 11.* & super ea solus Papa dispensat. Secùs si sit occulta, quia potest Episcopus ex *Trid. sess. 24. cap. 6. de reformat.* Verùm, Religiosus celebrans in ea, non efficitur irregularis, quia non est vera, & universalis suspensio, ut dictum est suprà.

5. Quartò, Apostatæ suspenduntur perpetuò ab omni exercitio cujusvis Ordinis Ecclesiastici, ex *Bulla Pauli IV.* quæ incipit, *postquam divina, Constit. 14.* confirmata à *Pio V.* sua *Constit.* incip. *quæcunque sacrarum*: sed non est usu recepta, *Rodr. p. 2. summ. cap. 6. num. 7. & tom. 1. de Regul. q. 30. ar. 4. & Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. num. 30.*

6. Quintò, Apostata semper erit irregularis, dum manet in eo statu, & constat ex *Can. final. 50. distin. & cap. cùm illorum, de sent. excom.* de qua *Garzias de benef. p. 6. cap. 8. num. 65.*

7. Sextò, Apostatæ incurrunt inhabilitatem perpetuam ad omnes gradus, & beneficia, ex *d. Bulla Pauli IV. & Pii V.* sed dicunt, non esse in usu.

8. Septimò, ex jure communi, etiam ubi fuerint reversi, manent inhabiles, etiam in foro conscientiæ, per ea jura, quæ allegat *Sanchez* cit. *loc. num. 31.* de quibus vide *Bonac. de Clausur. quæst. 2. punct. 11. §. 3. in fin.* quia negat.

9. Octavò, Apostata, durante ejus Apostasia non gaudet privilegiis suæ Religionis, cui subjectus esse non vult, ex *Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de Regul.*

10. Hinc est, quòd Religio, durante Apostasia non tenetur ei alimenta præstare, nec expensas reficere, *Sanchez, & Bonac. ubi suprà.*

11. Nonò, delinquens extrà Claustra amittit privilegium exemptionis; potest enim ab Episcopo puniri, ex *Trid. sess. 7. cap. 7. & 15 & sess. 25. cap. 14. de Regul. & sess. 6. cap. 3. Barbos. allegat. 105. num. 14.*

12. Decimò, potest ab Episcopis incarcerari, & reduci ad Claustra, ex *Declaratione* Sacræ Congregationis *Concilii*, ut in *Decret. de Apostatis, & ejectis*, editis sub anno 1624. die verò 21. Septembris, & habetur in *Bull. Cherub. tom. 4. Constit. 26. Urb. VIII.* de quibus vide *Thesaurum de pœnis Eccles. p. 2. praxis, ver. Apostasia, cap. 2.*

13. Apostata, ultrà prædicta, in Dominicana familia, ex speciali jure, est ipso facto excommunicatus, ut constat ex *cap. 1. de Apostatis, distin. 2. cap. 20. fol. 89.* in quo *loco* nihil dicitur de dimissione habitus; & nostra *Constitutio* apertè connumerat fugitivos inter Apostatas, quia apud nos pejùs est, ab obedientia retrocedere, quàm habitum dimittere, ut ex multis ostendit noster *Festus in summ.* nostrarum *Constit. p. 2. de Apostatis, cap. 28.* quia censetur desertor sui instituti, & habitus Monachum non facit, *pag.* mihi 346. *in fin.*

14. Item Prælati nostræ familiæ cujusvis status, etiam Vicarii locorum, possunt excommunicare, capere, & ligare, ac carceri tradere, si videbitur expedire, Apostatas nostros, & Rebelles ab obedientia, ex concessione *Innoc. IV.* sua *Constit.* incip. *provisionis nostræ*, & habetur per extensum in nostris *Privil.* authenticè editis, labore, & jussu Reverendissimi Patris, tunc tempore Generalis *Fratris Stephani Ususmaris* Genuens. *fol. 16. à tergo.*

15. Item ampliori modo ex *Mari magno* nobis concesso à *Sixto IV.* quod per extensum ponitur in *d.* nostro *Bull. fol. 153. litt. B.* ibi, *Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & aliàs subdere disciplinæ rigori, possitis per vos, ac etiam alios, in quocunque habitu contingerit eos inveniri, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis.* hæc ibi.

16. Quibus accedunt Privilegia aliorum Ordinum, quæ ob communicationis Privilegium, communia sunt, & summatim ponit *Cæsarub. in compend. privil. Minor. ver. Apostata, Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. nu. 11.* ubi inter alias *Constitutiones* ponit *Bullas Pii V. & Gregor. XIII. Laur. Peyr. tom. 1. de subdito, cap. 28. de Relig. Apostatis, ver. dico primo, Naldus ver. Religiosus, nu. 32. Riccius 3. p. praxis de Apostatis, resol. 12.* & alii plures, de quibus dixi hic suprà *q. 14.*

Quæst. 21. Apostatæ, à quo absolvendi, ac dispensandi in d. pœnis, & maximè, si in Apostasia sacros Ordines susceperint?

1. ET dico, quòd de jure communi, ab excommunicatione illata per *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, in 6.* possunt absolvi à quovis Confessario approbato, quia nemini est reservata, ab aliis verò censuris, & pœnis possunt absolvi, & dispensari ab eorum Superioribus, virtute tot Privilegiorum, maximè quoad forum conscientiæ, ut omnes ferè docent.

2. Nec his obstat dicere, quòd Apostata suscepit ordines in Apostasia, perinde incidit in irregularitatem, à qua non potest dispensari, nec absolvi: nisi à Romano Pontifice, ex *cap. consultationi, de Apostatis*, ubi dicitur, *quòd recipiens ordinem sacrum in Apostasia sit suspensus, & irregularis, nec cum eo, etiam ad pœnitentiam redacto, possit quispiam dispensare: nisi Romanus Pontifex.* hæc ibi. Et in *cap. cùm illorum, de sent. excomm.* habetur, quòd ordinati in excommunicatione, sint ipso facto irregulares, & suspensi, & quòd cum istis non possit dispensare, nisi Romanus Pontifex, quia hæc procedunt de jure communi, secùs autem de jure speciali, Prælati enim Regulares virtute tot Privilegiorum possunt dispensare cum suis subditis super omni irregularitate, quomodocunque contracta; excepta tamen irregularitate homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum, prout latè refert *S. Anton. in 3. par. tit. 28. cap. 7. §. ultim. in fin.* cui inhæret *Miranda tom. 2. Manual. Prælat. q. 8. ar. ultimo, Cæsarub. in comp. ver. dispensatio, Peyr. to. 1. de subdito, q. 1. cap. 26. ver. sed quæres*, & in suo *formul. litt. A. cap. 20. & Sorbus in d. comp. ver. ordines sacri, pag.* mihi 282.

3. Amplia, ut Prælatus Regularis possit dispensare cum suis subditis malè promotis, tam in Apostasia, quàm ante legitimam ætatem, prout ex multis ostendit *Portellus in dub. ver. ordinis sacri suspensio.*

4. Item in omni alia irregularitate: dummodò non sit *Bulla Cœnæ*, quod procedit, tam in delictis occultis, quàm publicis, *Rodr. to. 1. q. 20. ar. 14. in fin.* etiam deductis ad forum contentiosum, quia Privilegia loquuntur illimitatè,

tate, & Principis beneficium est largè interpretandum *l. beneficium, ff. de constit. Princip.* & verba simpliciter posita, generaliter sunt intelligenda, *cap. quia circa, de Privil. & Glos. in cap. præterea. ver. simpliciter, de off. delegat.* & habetur expressè in nostris *Constit. distin. 1. cap. 1. text. 3. fol. 91.* Hodiè verò advertendum est, ad novissima *Decreta*, si quæ sunt, & observandum, quòd usu receptum est.

Quæst. 22. Recipientes, Retinentes, aut Occultantes Apostatas, in quas pœnas incurrunt?

1. RESpondeo, quòd Regulares, cujuscunque sint Ordinis, vel status, non possunt admittere, nec recipere, neque occultare Professos alterius Ordinis, sine peccato mortali, & pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, & constat, tum ex tot Privilegiis, quæ summatim habentur in *Comp. Privil. Cæsarub. verb. Apostata ab Ordine*, tum etiam, ex *Bulla Pii V.* quæ incipit, *quæcunque Sacrarum Religionum*, edita sub anno Domini 1564. qua *Bulla* Privilegia in contrarium concessa revocavit, & strictè, quod diximus præcepit, & secùs facientes, de facto excommunicavit; & per alia multa, quæ allegat *Bordon. resolut. 41. quæst. 12.*

2. Tum quia hodiè nullus ferè transitus fieri potest ex una, in aliam Religionem, sine licentia Sedis Apostolicæ, ut patet ex tot Privilegiis, de quibus dixi hic suprà in *tract. de transeunt. q. 38. & Riccius 3. p. Praxis de crim. Apost. resolut. 19.* tum etiam, quia hoc expressè habetur in *Decret.* Sacræ Congregationis *de Regul. Apostatis, & ejectis, Constit. 26. Urb. VIII. tom. 4. Bull. Cherub. §. 3.* ibi, *ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire: nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis rectà se transferat via ad arctiorem; quod, ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio ac diligentia invigilet.* hæc ibi.

3. Tum etiam, quia Sæculares in suis Domibus hujusmodi Apostatas, vel fugitivos tenentes, occultantes, aut favorem impendentes, ut in tali statu permaneant, peccant pariter mortaliter, & sunt ipso facto excommunicati, ut constat ex præcitatis Privilegiis, quæ quamvis videantur loqui principaliter contrà Fratres unius Ordinis, detinentes Professos alterius Ordinis, ad hoc, ut eorum alumni fiant: secundariò tamen, & ob majorem rationem habent locum in laicis, ut notat *Miranda tom. 1. Manual. q. 51. ar. 2. conclus. 2.* tum quia Privilegia loquuntur simpliciter, & absolutè, tùm etiam, quia ita deciditur ex *Privil. Innoc. VIII.* ut habetur in *d. comp. ver. prædicto, in §. 4.* ibi, *qua statuit, & ordinavit, ut detinentes quoscunque Minores Fratres, è suis Conventibus sine licentia suorum Prælatorum recedentes, sint ipso facto excommunicati*; quod Privilegium extenditur ad alios, ob communicationem Privilegiorum.

4. Dixi, ut in tali statu permaneant, quia si hujusmodi recipientes, occultantes, aut auxilium præstantes, non eo malo fine recipiant, vel occultent, sed quia sunt ipsorum Consanguinei, Amici, aut in necessitate constituti, non incidunt in censuras appositas, nec quidem peccant mortaliter.

5. Et constat ex eo, quod dicitur de fautoribus hæreticorum, quia, licet hi excommunicentur quotannis in *Bulla Cœnæ Domini*; nihilominùs recipientes hæreticos, aut detinentes eos, non ut hæreticos, hoc est, non ad finem adjuvandi, vel fovendi eorum hæresim; sed ut amicos, aut consanguineos, vel in necessitate constitutos: non comprehenduntur sub dicta excommunicatione lata contrà faventes, vel auxilium præstantes, quia mutato fine, mutatur legis dispositio, prout eleganter dixit noster Magnus *Cajet. in summ. ver. excomm. in hæreticos, & fautores, receptores ac defensores, cap. 1. in fin.* ibi, *& scito, quòd propriè loquendo, fautor hæretici solus est, qui favet hæretico, ut hæretico, & similiter defensor hæretici solus est, qui defendit hæreticum, quatenùs hæreticum: quoniam ex intentione, & proposito maleficia distinguuntur apud jura, & formaliter sunt termini intelligendi apud Sapientes in qualibet facultate*, hæc ille, quem sequitur *Navarr. in Manual. cap. 27. num. 55.* quod item probat ex *l. in delictis, §. si detracta, ff. de noxal.* ubi addit, quòd hæretico extremè indigenti, etiam ex præcepto Divino tenemur subvenire.

6. Quod magis debet procedere in Apostatis, & fugitivis à Religione, quia sicut apostatare à fide, superat omne malum, ita debet majori pœna puniri.

Quæst. 23. Bona acquisita ab Apostatis Religiosorum, an debeantur Cameræ Apostolicæ?

1. DE jure communi certum est, quòd bona quæsita per Apostatas, vel fugitivos à Religione, debentur eorum Monasteriis, & habetur expressè in *cap. Abbates 18. q. 2.* ibi, *Monachi autem Abbatibus omni obedientia, & devotione subjaceant, quòd si quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per loca aliqua vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia, quæ acquisiverit, ab Abbatibus auferantur, secundùm Regulam Monasterio profutura*, & ibidem *Glossa in ver. quæ acquisierit*, subnectit, *ergò fugitivi, & vagabundi acquirunt Ecclesiæ suæ quicquid acquirunt, ut hic, & C. de Episcopis, & Cler. §. hoc etiam, sicut servus fugitivus domino acquirit, ff. de acquirenda possessione, l. 1. §. per servum*, hæc illa, cui favet *Sanchez in decal. c. 33. num. 1.* & est communis: unde proverbium est, quòd quicquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit.

2. Hinc, noster Ordo Prædicatorum *c. 1. de Apostatis, distin. 1. textu 2. in declarat. litt. D. fol. 90. col. 3.* sancivit, ut res, & bona ipsorum Apostatarum liberè pertineant pro æquali portione ad Conventus originales, & Monasteria, in quibus reperiebantur assignati tempore, quo apostataverunt.

3. Hoc autem jus commune fuit reformatum per varias *Bullas* Summorum Pontificum. *Paulus* enim *Tertius* sua *Constit. 29. in Bull. Cher. pag. 658.* incip. *Romani Pontificis providentia, &c.* quamvis alia generali *Constitutione* cautum non sit, statuit, spolia quarumcunque personarum Ecclesiasticarum Sæcularium, & Regularium, ubique locorum morientium, absque sufficienti facultate testandi, ad Cameram Apostolicam pertinere, & non ad successores in beneficiis, prout meliùs est videre in eadem *Const.* quam per extensum refert *Navarr. tom. 2. Commentariu de spoliis Clericorum, §. 5. fol.* mihi 413. & fuit publicata sub anno Domini 1542.

4. Nomine autem spoliorum hac in parte veniunt omnia à Clericis acquisita ex fructibus bonorum Ecclesiasticorum, & non consumpta, tempore obitus relicta; nec non bona, quæ Prælati, & Beneficiarii Regulares relinquunt, ut suprà non consumpta, mortis tempore, prout ex *d. Bullis* latè colligit *Navarr.* cit. *loc. de spoliis, num. 3. & consil. 15. de regul. lib. 3. nu. 2. & nu. 14.* ubi per plura ostendit, quòd Clerici in vita possunt expendere fructus suorum beneficiorum in casus honestos, & superflua in pios usus per dispositionem inter vivos, quod est certissimum apud omnes. Etenim prædictæ Constitutiones de spoliis sunt pœnales, & consequenter strictè intelligendæ. Sed ita est, quòd loquuntur de remansis post mortem, & quòd non possunt causa mortis de illis disponere prædicti Ecclesiastici, sine sufficienti licentia testandi: ergò sub *d. Bullis* non comprehenditur donatio inter vivos.

5. *Julius Tertius* in alia sua simili *extrav.* edita sub anno Domini 1550. quæ incipit, *cupientes, ut Alma Urbs* nostra,

nostra, &c. confirmavit prædicta: verùm in solis Urbis, seu Romanam Curiam sequentibus, concessit, ut si in d. Curia, & districtu decesserint, de eorum bonis, etiam ex fructibus Beneficiorum, licitè tamen acquisitis, liberè disponendi, etiam ad favorem incapacium, & ab intestato eos hæredes exclusa Rev. Camera, succedere, & super his ab Officialibus non posse molestari.

6. Et nota, quòd districtus iste, de quo loquitur *Constit.* tunc temporis se extendebat ad quadraginta milliaria, ex *Decis. Rotæ* 24. hodiè verò ad decem millia, ex dispositione *Bullæ Paul. V.* 14. seu 18 *in Bull. Cher.* in qua agit de materia spoliorum.

7. *Paulus Quartus*, sub anno 1558. sua *Constit.* incip. *postquam divina Bonitas* 14. ejusdem in *Bull. d. fol.* 372. invehitur contrà Apostatas, & fugitivos à Religione, & quemcunque Religiosum, etiam militarem post emissam professionem, quavis de causa, & prætextu, extrà Claustra suæ Religionis, temeritate propria degentem, omnibus Beneficiis, & Dignitatibus privat, & ad obtinenda inhabilitat, & ab omni ministerio Ecclesiastico suspendit, & ad beneficia præsentari vetat: & voluit, ut ipsi Apostatæ, biretum nigrum, duabus lineis albis suffultum, & prætendentes, posse stare extra Claustra, agant coram eorum Superioribus, &c. & per eos acquisita extrà Claustra Monasterii, quibus primò professi sunt, applicat, & ita judicari mandat.

8. *Pius IV.* sua *Constit.* 3. *in d. Bull. Cherub.* edita sub anno 1560. quæ incipit, *Sedis Apostolicæ solertia, &c.* ex quo viderat, multas lites ortas esse occasione *dict. Bullæ Pauli Quarti*, ad eas tollendas, reducit eandem *Constit.* ad terminos juris, & sacrarum *Constitutionum*, hoc est, ad *cap. penult. de Apostatis*, quo cavetur, ut Apostatæ incarcerentur, & affligantur sub gravi custodia, ad hoc ut habitum dimissum reassumant, & ad *capitulum ultimum, de Regul.* quo Religiosi fugitivi annuatim sunt requirendi, & cogendi, ut ad Monasterium revertantur, prout notat *Flav. Cherub. in Comp. d. Bull. & Navarr. p.* 1. *summ. de Apostatis à Religione*, *super* Bull. *Greg. XIII. num.* 1.

9. *Pius V.* sanct. mem. sua *Const.* incip. *Cum itaque sicut accepimus*, quam meritò valdè nimis laudat, & per extensum ponit idem *Navarr. in d. Comm. de spol.* §. 8. edita sub anno Domini 1567. 3. Kal. Septembris, Pontificatus sui anno primo, prædicta confirmavit, & de novo statuit, ut omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, Missalia, & Gradualia, cæterique libri, & res sacræ, etiam auri, & argenti, & alia quæcunque bona, ad usum, & cultum Divinum deputata, & relicta, minimè comprehendantur sub appellatione spoliorum, quod optimè declarat idem *Navarr.* cit. *loc. num.* 2.

10. *Greg. XIII.* anno Domini 1577. sua *Constit.* 43. incip. *Officii nostri partes*, declarat, *Constitutionem Pauli IV.* qua bona Apostatarum fuerunt applicata Monasteriis, in quibus ipsi Apostatæ primo erant professi, fuisse, & esse revocatam à *Pio IV. & bona quæcunque per Regulares extrà Claustra Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & quomodocunque Regularium locorum degentes, quocunque jure, & actione, sive ex causa testati sive intestati, acquisita, & in posterum acquirenda, vel ad eos delata, in quibusvis Provinciis*, Dominiis, *Regnis, & Locis consistant: nisi iidem, ad quos illa spectaverint, sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eaque legitimè usi fuerint, ad eandem Cameram Apostolicam, pleno jure pertinuisse, & spectare, ac bona quæcunque eorundem, sub spoliorum nomine comprehensa, per ipsam Cameram, ejusque nomine, à quibusvis illa quandoque occupantibus, & detinentibus recuperari, & vindicari potuisse, & posse, ac juxtà Pauli III. & aliorum Prædecessorum nostrorum literas eadem Camera Apostolica, in hujusmodi bonis spolia nuncupatis, verè, universaliter succedente, &c.* hæc ibi.

11. Quæ quidem *Constitutio*, hodiè ad unguem practicatur, tum quia, fuit particulariter edita ad declarandum, quòd bona Regularium extrà Claustra degentium, veniunt sub nomine spoliorum, & spectant ad Reverendam Cameram Apostolicam: tum etiam, quia solvit dubia, & Prædecessorum Rom. Pontif. *Constitutiones* amplectitur.

12. Ex quibus collige primò, quòd Regularis Vagus, & Profugus, quantumcunque ubi rediit Monasterium, ibique decedit, non afficitur *Constitutione* prædicta, quia ipsa loquitur de Vagantibus, & Morantibus, ac Morantibus extrà Claustra, ut colligitur ex illis verbis §. 3. *si decesserint sine facultate testandi*, & ex aliis ibi, *extrà Claustra degentium*, & ibi, *post eorum obitum*: siquidem verbum *eorum* est repetitivum præcedentium, cum omnibus præcedentibus qualitatibus, quarum una extat, ut morantur extrà Claustrà.

13. Et versa vice, si unus Regularis transivit ex uno in alium Ordinem, & ab illo rediit in sæculum, in quo post multa quæsita moriatur, facit spolium; propter eandem rationem, quia nempè obiit extrà Claustra.

14. Secundò, quòd prædictum spolium debetur Cameræ Apostolicæ de bonis Religiosorum, ex illicita negotiatione, aut aliàs contrà Sacros Canones quomodolibet acquisitis, ut dicitur in *d. Bull. Paul. IV.* nedum respectu bonorum, quæ tempore mortis Religiosorum remanserint inconsumpta: verùm etiam, & quibus fuerunt in vita privati, dum erant in sæculo, ut *ibidem* advertit *Navarr. num.* 4. ubi dicit, quòd hoc est jus novum, quod nullibi reperitur, & quod est magna ampliatio, cui favet *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 13. *& Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 51. *art.* 7. *conclus.* 2.

15. Et quidem meritò, tum quia negotiatio illicita, teste *D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. dupliciter esse potest; vel quia exercetur contrà virtutem justitiæ specialem, quæ non solùm inducit peccatum, sed etiam obligat ad restitutionem: vel quia exercetur contrà virtutem moralem, ut quæ fit à Regularibus, & personis Ecclesiasticis contrà Sacros Canones, quæ inducit peccatum, sine obligatione restituendi; *Navarr. cap.* 25. *summ. num.* 100.

16. Nihilominùs, ex d. novo jure utraque bona debentur Cameræ Apostolicæ; nempè tam acquisita per injustam negotiationem, quàm per illicitam, hoc est prohibitam à Sacris Canonibus, perinde, censentur reservata Domino Papæ.

17. Item, acquisita ex beneficiis contrà jura retentis, item, ex officiis sæcularibus contrà jura exercitis, vel provenientia ex arte medica, aut Chirurgia: item, à servitiis indecenter Regibus, Imperatoribus, & aliis Sæcularibus, contrà Canones exhibitis: vel ex quacunque alia via hujus generis prohibita, uti est, conducere villas, possessiones colere, prout faciunt alii laici, *Navarr.* cit. *loc.*

18. Tum etiam, quia acquisita per Monachum sunt sui Monastarii à principio, ex *d. cap. Abbates* 18. *q.* 2. nec Professus habet aliquid proprium, ex *cap. non dicatis caus.* 12. *q.* 1. nec delictum personæ Ecclesiasticæ potest redundare in damnum suæ Ecclesiæ, ex *cap. cùm olim, il secondo, de Privil.* nec quidem Prælatus in quæsitis potest præjudicare suo Conventui, ut omnes sciunt.

19. Attamen, ex d. novo jure hæc omnia cadunt, nec possumus dicere Domino Papæ, cur ita facis? est enim plenissimus Administrator omnium bonorum Ecclesiæ, & Generalissimus omnium Religionum, ad quem pertinet, de illis pleno jure disponere, *Navarr. lib.* 3. in 1. edit. *de Regul. conf.* 80. & in 2. edit. *tit. de stat. Monach. conf.* 17. *& in d.* Bull. *Pii Quarti*, *Sanchez in decal. lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 9. *Portellus in dub. ver. Apost. num.* 7. *&* 8. *Hier.* Rodriq. in suo *Comp. resol.* 11. *de Apost. num.* 9.

Leo

Leo in Theſ.for. Eccleſ.p.3.c.3. latè per totum, *& Zach. Paſqual.deciſ.37.& ſequent.*

Quæſt.24. Apoſtata,an poſſit doctorari; aut Iudex fieri?

1. BArthol. maximus Juriſta in *l.prima,C.de novo Cod. faciend.num.12.& Rota Romana* apud *Verall.deciſ. 219.num.3.par.3.* reſpondent negativè, quia excommunicatus nequit eſſe Judex,nec Eccleſiaſticus, neque Sæcularis, & ubi taliter fuerit electus, non poterat exercere juriſdictionem,ut clarè liquet ex *cap.venerabilem,de election.* de qua re latè *Suarez tom.5.de cenſuris,diſput.16.ſect.2. & Ricciullus lib.4.de iur.perſon.cap.17.*

2. Et hoc ideò, quia cùm excommunicato ſit interdictum exercitium juriſdictionis, ex *cap.intelleximus, de iudic.& cap.ad probandum,de ſent.excomm.* ex quadam neceſſitate conſequenti ad illud antecedens tenemur dicere, quòd omnia media,per quæ ad tale exercitium perveniatur,ſint eidem interdicta,*l.2.ff.de iuriſdict.omn.iudic.l.oratio, ff.de ſponſalibus,& cap.ſuper his,de accuſat.*

3. Etenim,media induunt rationem finis;adeò, ut eo licito,licita ſint media,per quæ itur ad talem finem, ſunt enim relativa.

4. Sed Apoſtata eſt excommunicatus, ſaltem ex tot Privilegiis,& Conſtitutionibus, quæ Apoſtatas excommunicant,ipſo facto,ut dictum eſt ſuprà,ergò.

5. Nec dices,quòd licet excommunicatus non debeat doctorari,ſi tamen doctoretur, actus tenet, ex quo jura allegata per *Doctores* non habent Decretum irritans: quia ob hoc non eſt recedendum à communi ſententia,& maximè; quia ubi lex prohibet ſubſtantiam actus; tunc ſola prohibitio ſufficit ad invalidandum actum, etiam ſi lex ſpecialiter non dixerit hoc,*cap.quæ contrà, de Regul.iur. lib.6.l.non dubium,§ ad omnes, C. de legibus, ibique Baldus,* & alii.

6. Ergò,cùm habeamus *textum* clarum in *d.cap. venerabilem*,prohibentem excommunicatum eligi in dignitatem ſæcularem: iſta ſola prohibitio ſatis eſt ad reddendum actum nullum ipſo jure, *Ricciullus ubi ſuprà, num.6.*

7. Quibus additur,quòd Apoſtata eſt infamis,ut omnes fatentur,& infamis non poteſt ad honores, vel dignitates aſſumi.

8. Et eſtò,quòd Doctoratus per Apoſtatam adeptus teneat, quid operatur, dum caret omni effectu; etenim, nullatenus poteſt exerceri per talem infamem, & ex omni latere excommunicatum.

TRACTATUS SEPTIMUS,

DE FUGITIVIS A CLAUSTRO.

Quæſt. I. Fugitivus quis ſit,& quomodò differat ab Apoſtata?

1. SApientiſſimus *Syl. in ſum.verb.Apoſt.q.4. num. 9.& Caiet.in comm.2.2.q.12.art.1.dub.2.* quibus inhærent *Navarr.2.p.lib.5.conſil. unic.de Apoſt. num.6.Sanchez in decal.lib.6.cap.8.nu.2. Bonac. de Clauſ.q.2.punct.11.§.1.nu.5.Riccius 3.p.praxis de Apoſt. crim.reſolut.15.* & alii plures inquiunt, quòd fugitivus à Religione dicitur, qui à Monaſterio ad tempus,diſcedit, ſine licentia Prælati, non animo recedendi à Religione, ſed poſteà revertendi,ceu eſt ille,qui fugit à Clauſtro, ob metum Superioris,rigorem,vel ne fuſtibus cædatur, vel ob vagandi voluntatem, aut ſimili de cauſa; & conſtat ex *l.quis ſit fugitivus,ff.de ædilitio edicto.*

2. Apoſtatæ autem ſunt illi,qui recedunt à Monaſterio ſine licentia, cum animo non ampliùs redeundi in illud: quamobrem,hoc nomen fugitivus eſt commune fugitivis, qui non ſunt propriè Apoſtatæ à Religione, & iis,qui verè Apoſtatæ ſunt: omnis enim Apoſtata eſt fugitivus,ſed non omnis fugitivus eſt Apoſtata à Religione, *Rodr.tom.1.qq.regul.q.30.art.1.*

3. Proinde, fuga ab obedientia Prælatorum Ordinis importat quandam particularem ſpeciem,condiſtinctam contra Apoſtaſiam à Religione, quandoquidem aliud eſt,recedere ab obedientia hujus, vel illius Superioris, & aliud,recedere ab omnibus,& aliud,recedere à Religione ad tempus, & aliud, abire in perpetuum, *Peyr.de ſubdito,tom.1.cap.26.q.1.*

Quæſt. 2. Religioſus quando dicatur Vagus,& Profugus,ad hoc,ut poſſit puniri?

1. ET quidem, ille Regularis,uti vagabundus poteſt puniri,qui à domicilio certo, & habitatione, in Monaſterio ſibi aſſignata recedit abſque licentia Superiorum, etiam ſi per varia loca, vel Monaſteria ejuſdem Religionis moram trahat,vel diſcurrat, per ea, quæ notat *Jul.Clar.in Praxi Criminal.q.39.verſ.ſed hic quæro,Farinac. tit.de Inquiſ.q.7.num.15. Maſcard. de probat.concluſ.1397 & Navarr. 1. p. ſumm. de Relig. indebitè vagan. ſuper Bull.Paul.IV.*

Quæſt.3. Religioſus recurrens ad Superiores ſupremos ſine licentia; an dicatur fugitivus?

1. REſpondeo,quòd regulariter,& de jure communi, vadens ad Superiorem non dicitur fugere, *l.quis ſit fugitivus, §.apud labeonem,ff.de ædil.edict.*

2. Immò recurrens ad Principem non punitur, *§.ſit tibi quoque tertium ſtudium, authen. de mandat. Princip. De Ponte de pot. Proreg. §.7. num.3. & Garz. Maſtrill. deciſ.217.*

3. Proinde, ſi vaſalli fugiant à carceribus Baronum, & rectà via veniant ad Magnam Curiam Vicariæ, non tenentur de fuga,ex *d.§.apud labeonem Anna ſingul. 561. Giurb.conſ.66.& D.R.Carol.Tapia deciſ.9.*

4. Secùs autem dicendum de novo jure *Concilii Trid. cap.4.ſeſſ.25.de Regul.* ibi, *Nec liceat Regularibus à ſuis Conventibus recedere,etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi; niſi ab eiſdem miſſi,aut vocati fuerint.Qui verò ſine prædicto mandato,in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam Deſertor ſui Inſtituti puniatur.Illi autem,qui ſtudiorum cauſa ad Univerſitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent;alioquin ab Ordinariis contrà eos procedatur.*hæc *ibi.*

5. *Sixtus V.* ſua *Conſtit. cum de omnibus*, edita 6. Kal. Decembris 1578. quam per extenſum ponit *Stephan. Quaran. in* ſua *ſum.Bullar. ver. Monaſteria, & Conventus,fol.*mihi 307.ſanxit,ut Religioſus,nec quidem ad modicum tempus,nec tanquam hoſpes poſſit divertere,ex uno in aliud Monaſterium ejuſdem Provinciæ,nec ibidem recipi

recipi sine licentia Superioris; & habetur in §. *sed, & quia*, ibi, *Prohibemus eodem modo, atque interdicimus, ne quis Regularis ex una Provincia, ad aliam Provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere intrà aliquod Monasterium, Domū, vel locum alterius Provinciæ ad habitandum, vel tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere possit, nisi à Superiore ejus loci, ubi residet, expressam licentiam discedendi, in scriptis obtentam, seu litteras obedientiæ, vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omninò dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur. Ideòque præcipimus universis, & singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus, ut per suos Officiales, Ministros, vel Executores curent ab omnibus personis Regulari habitu indutis, quas per suas Civitates, vel Diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcunque Hospitia, vel Diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujusmodi litteras obedientiæ, seu commendatitias secum deferant; quòd si eos dictas litteras non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contrà ipsos, etiam tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur, & tamen volumus, ut ii, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, Regulares alterius Provinciæ ignotos, aut sine licentia, vel litteris, ut suprà receperint, dictas pœnas privationis vocis activæ, & passivæ, nec non Officiorum, Graduum, Honorum, & Dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus per quoscunque judicari debere. Nec non irritum, & inane, si secùs à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Hæc ibi.

Id ipsum habetur in subsequenti *Constitutione* ejusdem Papæ *Sixti*, quæ incipit, *ad Romanum spectat Pontificem*, quam pariter extendit idem *Quaranta fol.* mihi 312. & habetur in §. *postremo*, *dum interdicimus*, ibi.

Ne quis Regularis alterius Provinciæ intrà aliquod Monasterium, Domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tanquam hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore loci, ubi residebat, & à quo discessit. licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id observari volumus, non solum in Religiosis itinerantibus de una in aliam Provinciam, sed in iis quoque, qui proficiscuntur de uno in aliud ejusdem Provinciæ Monasterium, tam sui, quàm alterius Ordinis. Quòd si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina, à suis Superioribus, licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non proptereà ullo modo recipi valeant, nisi fide digno testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit.

In Alma verò Vrbe nostra Religiosi Advenæ, & Peregrini de gravaminibus sibi illatis conquærentes nullibi sine hujusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, ubi ipsis auditis, pro rerum & personarum qualitate, quid agendum sit, statuetur, hæc ibi.

Et refert *Cherub.* in suo *Bull. Constit.* 71. ejusdem Pontif. pag. 601. & 603. *Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 13. Leon. X. §. 1. & 3. Lezana 1. p. summ cap. 10. num. 14. & Bordon. resolut. 41. q. 12 num. 59.*

6. Quæ quidem *Constitutiones* ampliant dispositionem *Concilii Trid. in cit. loc. de Regul.* Nec sunt revocatæ per *Constitutionem Greg. XIV.* incip. *Circumspecta*, quoniam hic Pontifex solùm moderavit *Constitutionem Sixti V.* quoad illegitimos, nec per *Bullam Clem. VIII.* incip. *in suprema*: de quibus vide, quæ dico in *tract. 2. de recip. 4. p. Clemens* enim solùm eas moderavit quoad nullitatem professionum, in cæteris autem remanserunt in suo robore. Immò in Ordine Prædicatorum factæ sunt propriæ *Constitutiones in dist. 2. c. 13. de itinerantibus*; ubi multa sanciuntur ad cavendum inutilem discursum, *fol. 166.*

Id ipsum habetur per *Decretum* Sacræ Congregationis, tenoris sequentis.

Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina causati non ad immediatè sui Ordinis Superiores; scilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cujuscunque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam, absque licentia sæpius fugiunt, potiùs, quàm recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt; placuit Sacræ Congregationi Regularium ex ordine Sanctissimi, statuere, ut si quis Regularium temerè, levivè ex causa hanc Vrbem Romam, sive Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad eosdem Superiores saviori pœna plectendos remittatur.

7. Hinc, si quis Regularium hodiè Romam adeat, prætermisso prædicto *Decreto*, nedum non auditur, sed etiam remittitur ad suum Superiorem puniendus, prout de praxi docet *Joan. Anton. Novar. 1. p. summ. Bull.* sub titulo *de Religiosis indebitè vagantibus vel recurrentibus ad Curiam Romanam pro eorum gravaminibus exponendis, fol.* mihi 535.

Quæst. 4. Licentia eundi ad Superiores, qualis esse debeat?

1. ET dico, quòd prædicta licentia debet esse in scriptis concessa à Superiore loci, à quo fit discessus; quia petita, & non obtenta, sufficit fides de denegata licentia, quæ quippè fieri debet à Religiosis, vel ab aliis, qui fuerunt præsentes, prout colligitur ex eisdem *Bullis.*

2. Sed quid si literæ fuerint in itinere amissæ? Respondeo, quòd in tali casu, satis erit fides sibi facta à secum peregrinantibus de amissione prædicta, vel alterius Viri gravis scriptum testimonium, vel aliquod aliud signum, quo demonstretur, quòd non sit Profugus, vel Vagabundus, *Scort. in select. Bull. Theorem.* 374.

3. Vir autem gravis censetur ille, qui est, vel fuit honorificè in aliqua dignitate constitutus, vel qui honestos habet mores ab adolescentia sua, vel tandem qui ab omnibus, ut talis reputabatur, ex *cap. miramur, distin.* 61. & docet *Peyr. in d. Const. Leon. X, num. 4. & Menoch. lib. 2. de arbitr. cas.* 69.

Quæst. 5. Pœnæ contentæ in dictis Decretis; an comprehendant Superiores recipientes fugitivos ejusdem Provinciæ?

1. NEgativè dic; quia hæ pœnæ in duobus tantùm casibus habent locum; nempè in recipiendo Itinerantes ignotos, vel deambulantes sine licentia, ut benè liquet ex *d. Bull.*

2. Fugitivi verò unius Monasterii, censentur noti Superioribus Conventuum ejusdem Provinciæ, ideoque si hi illos recipiant, non incurrunt: eò maximè; quia causa finalis *d. Bullæ* locum non habet in casu, de quo agitur; Causa enim finalis fuit, evitare, ne facinorosi homines hac illac oberrantes, assumpto Religiosorum habitu, evaderent manus Curiæ sæcularis, quod non potest procedere in Religiosis fugitivis, quippè qui cùm verè, & propriè sint Personæ Ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori, *Rodriq. tom. 1. q. 30. ar. 8. ver. secundò est notandum.*

Quæst. 6.

Quæst. 6. Regulares, an possint sine Superiorum licentia ad Urbem accedere; & quomodo sint recipiendi, & puniendi?

1. RESpondeo, quod in his debet observari *Decretum Sixti V.* expressum in ejus *Bulla ad Romanum spectat Pontificem*, quod habes hic suprà in *q.* 3.

Nec non *Decretum* Sacræ Congregationis, contra hujusmodi Regulares editum sub anno Domini 1587. quod per extensum ponit *Quaranta* in sua *summ Bull. ver Monasteria, & Conventus, in fin. pag.* mihi 327. sub hac forma verborum.

Quoniam nonnulli Regulares, &c. ut hic suprà in *d. q* 3.

Nec non *Decretum Clementis VIII.* expressum in *Decretis pro Reformatione Regularium* §. 22. approbatis ab *Urb. VIII.* ibi *nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in scriptis impetraverint*, & egomet posui suprà in *fine tract. de Clausura Monasterii.*

Quæ quidem facultas concedendi supradictam licentiam fuit per aliud *Decretum* Sacræ Congregationis extensa ad Patres Provinciales, pro communi bono Provinciæ, & est tenoris sequentis.

Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ità ut Provincialis ipse ex causa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujusmodi facere valeat; declaravitque pœnam privationis activæ, & passivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reservatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illa moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. *Martii* 1601. & habetur *in* 4. *to. Bull. Cherub. fol.* mihi 273.

Quæst. 7. Regulares opem præstantes iis Religiosis, qui adeunt Romanam Curiam, contra dispositionem d. Decreti: an sint punibiles, & quomodo?

1. CUm de hac re nullum verbum fiat in *d. Decreto*, restat quæsitum in dispositione juris communis. Jus autem commune non prohibet, nec punit recursum ad Principem, nec item vetat opem, vel auxilii præstationem.

2. Perindè, sicut licitus est recursus ad Principem; ità mihi licet volentibus recurrere, auxilium præstare: quamobrem opem præstantes carceratis aufugientibus à carceribus Baronis, fracto carcere, accedentibus ad Magnam Curiam Vicariæ, non puniuntur: etiamsi hi coadjutores sint vasalli, *Fab. Anna in additio. noviss. ad repet. rubric. de vasall decrep. ætat.* & refert decisum *Ioan. Bapt. Thoro in comp. decis. aur. tom* 1. *ver. opem præstans.*

3. Benè verum, quod idem *Thoro tom.* 2. *comp. decis. ver. opem præstans*, ex multis refert decisum, qualiter multi opem præstantes ad fugiendum à Regiis Triremibus, fuerunt condemnati ad ultimum supplicium, vel perpetuum exilium.

4. Et hoc ideò, quia aliud est, fugere à carceribus Baronum, & aliud, à carceribus Regiis, etenim fuga à carceribus Baronum regulatur à jure communi: fuga autem à carceribus Regiis cum fractura regulatur à speciali Jure.

5. Ità pariter, & respectivè est dicendum ad quæsitum, quod scilicèt debet regulari à supradicto *Decreto*; quoniam sicut per supradictum *Decretum*, & consimilia prohibetur recursus ad Superiores, ità censetur prohibita auxilii præstatio, & omne aliud, quod tendit in præjudicium *Decretorum* Rom. Pont. *Novar.* 1. *part. summ. Bull. de Relig. recurrent. ad Rom. Cur. num.* 4. *in fin.*

6. Hinc, hujusmodi opem, vel auxilium præstantes sunt puniendi, saltem aliquo modo extraordinariè si in casu posito desint propriæ Constitutiones.

Quæst. 8. Recessus à Conventu sine licentia Superiorum, animo eundi in Rom. Cur. vel ad supremos Superiores pro gravaminibus exponendis; an æquo modo puniatur?

1. REspondeo negativè: etenim recursus, de quo agitur, in Romana Curia debet puniri juxtà prædicta *Decreta* Sac. Congreg. Recursus autem, intuitu eundi ad Superiores debet castigari juxtà *Decretum Sacri Concilii Trid.* quod habes hic suprà *q* 3.

Quæst. 9. Recessus hujusmodi factus à Conventu absque Superioris licentia, an sit punibilis, si Religiosus egressus statim revertatur.

1. NEgativè; tùm quia discedens animo redeundi in pœnam minimè incidit, *Novar. in forens. q.* 28. *tom* 1. post multos allegatos; tùm etiam, quia qui sponte statim redit, non præsumitur habuisse animum recedendi; *l. nihil interest, ff. de capt. & postlimin. revers.* Tùm item; quia nec carcerum fractor est, qui revertendi animo ab eisdem exierit, *Boer. decis.* 215. *num.* 17. & alii multi, quos allegat *Riccius p.* 4. *praxis, resol.* 333. tum item; quia brevis mora, & momentanei actus in pœnalibus non sunt in consideratione, *Novar.* cit. *loc. n.*7. & in rei veritate satis durum est, si ex brevi intervallo temporis committatur pœna, adeò, ut mora purgari non possit, *Giurba consil.* 34.

Quæst. 10. Recursus hujusmodi, quanti temporis esse debeat, ad hoc, ut possit purgari, & exculpari?

DIxi in *tract. de Apost. quæst.* 4.

Quæst. 11. Religiosus à suo Prælato injustè gravatus, an possit illo inconsulto, à Monasterio exire, & accedere ad supremum Superiorem, absque metu Apostasiæ?

1. ET quidem, licitè posse, affirmat *Bald. in cap. ad nostram, de appellat. Navar. comm.* 2. *num.* 61. *de Regul & comm.* 3. *nu.* 51. *in responsione ad quartum, eod. tit. Sanchez in decal. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 17. *Rodriquez tom.* 1. *q.* 30. *ar.* 3. cum suo *comp. de Apost. resol.* 11. *nu.* 3. *& num.* 27. latè *Antonius Ricciullus de jur. person. lib.* 8. *à num.* 24. *& sequent. Franciscus Longus à Coriolano de casib. reserv. p.* 2. *cas.* 2. *de Apost. num.* 13. *Merolla tom.* 2. *de leg. disput.* 4. *dub.* 6. *num.* 127. *Diana p.* 3. *moral. tract.* 2. *de dub. Regul. resolut.* 56. *&* 115 *in fin. Laur. Peyrinus tom.* 1. *de subdito quæst.* 1. *cap.* 20. *Barbosa* multis relatis in *collect. Doct. ad* 4. *cap. Trid. sess.* 25. *de Regul num.* 10. *& ibidem* Emin. *Bellarmin. Marcell. Megal. in Promptuario* suo *ver appellatio, num.* 10. *& sequentibus, & tom.* 2. *variar. Resolut.* 195. *Bonac. de Clausf. q.* 2. *pun.* 11. *num.* 9. *Sayr. in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 4. *Bordon. de secundo casu, resolut,* 41. *q.* 8. *num.* 14. *& sequen. à S. Fausto lib.* 6. *q.* 240. *& Novar. p.* 1 *summ. Bull. de Relig. recur. nu.* 6. & est communis, atque indubitata de jure communi, sivè subditus fugiat intuitu illati, vel inferendi gravaminis, sivè prætextu appellationis, vel exponendæ querelæ.

2. Tùm quia, adire Superiorem ob injustum gravamen, habet vim appellationis, ex *cap. de priore, de appellat.* in quo quidam Regularis appellavit à suo Priore, qui me-

recipi sine licentia Superioris; & habetur in §. *sed. & quia*, ibi, *Prohibemus eodem modo, atque interdicimus, ne quis Regularis ex una Provincia, ad aliam Provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere intrà aliquod Monasterium, Domũ, vel locum alterius Provinciæ ad habitandum, vel tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus divertere posit, nisi à Superiore ejus loci, ubi resìdet, expressam licentiam discedendi, in scriptis obtentam, seu litteras obedientiæ, vel commendatitias secum deferat, atque exhibeat, vel nisi ita cognitus sit iis, ad quos diverterit, ut de ejus persona nullus omninò dubitationi, aut suspicioni locus relinquatur. Ideòque præcipimus universis, & singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus, ut per suos Officiales, Ministros, vel Executores curent ab omnibus personis Regulari habitu indutis, quas per suas Civitates, vel Diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcunque Hospitia, vel Diversoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num hujusmodi litteras obedientiæ, seu commendatitias secum deferant; quòd si eos dictas litteras non habere, vel ignotos esse deprehenderint, possint contrà ipsos, etiam tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere, donec certa de eisdem notitia habeatur, & tamen volumus, ut ii, qui etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu, Regulares alterius Provinciæ ignotos, aut sine licentia, vel litteris, ut suprà receperint, dictas pœnas privationis vocis activæ, & passivæ, nec non Officiorum, Graduum, Honorum, & Dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus per quoscunque judicari debere. Nec non irritum, & inane, si secùs à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* Hæc ibi.

Id ipsum habetur in subsequenti *Constitutione* ejusdem Papæ *Sixti*, quæ incipit, *ad Romanum spectat Pontificem*, quam pariter extendit idem *Quaranta fol.* mihi 312. & habetur in §. *postremo, dum interdicimus*, ibi.

Ne quis Regularis alterius Provinciæ intrà aliquod Monasterium, Domum, vel locum alienæ Provinciæ, etiam tanquam hospes, & ad modicum tempus recipi posit, nisi à Superiore loci, ubi residebat, & à quo discessit. licentiam expressam in scriptis exhibuerit, vel nisi satis cognitus sit, id observari volumus, non solum in Religiosis itinerantibus de una in aliam Provinciam, sed in iis quoque, qui proficiscuntur de uno in aliud ejusdem Provinciæ Monasterium, tam sui, quàm alterius Ordinis. Quòd si dicerent, se ad Apostolicam Sedem confugere ob gravamina, à suis Superioribus, licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non propterea ullo modo recipi valeant, nisi fide digno testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit.

In Alma verò Urbe nostra Religiosi Advenæ, & Peregrini de gravaminibus sibi illatis conquerentes nullibi sine hujusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, ubi ipsis auditis, pro rerum & personarum qualitate, quid agendum sit, statuetur, hæc ibi.

Et refert *Cherub* in suo *Bull. Constit.* 71. ejusdem Pontif. pag. 601. & 603. *Peyr. tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit.* 13. *Leon. X.* §. 1. & 3. *Lezana* 1. *p. summ cap.* 10. *num.* 14. & *Bordon. resolut.* 41. *q.* 12 *num.* 39.

6. Quæ quidem *Constitutiones* ampliant dispositionem *Concilii Trid. in cit. loc. de Regul.* Nec sunt revocatæ per *Constitutionem Greg. XIV.* incip. *Circumspecta*, quoniam hic Pontifex solùm moderavit *Constitutionem Sixti V.* quoad illegitimos, nec per *Bullam Clem. VIII.* incip. *in suprema*: de quibus vide, quæ dico in *tract.* 2. *de recip.* 4. *p. Clemens* enim solùm eas moderavit quoad nullitatem professionum, in cæteris autem remanserunt in suo robore. Immò in Ordine Prædicatorum factæ sunt propriæ *Constitutiones in dist.* 2. *c.* 13. *de itinerantibus*; ubi multa sanciuntur ad cavendum inutilem discursum. *fol.* 166.

Id ipsum habetur per *Decretum* Sacræ Congregationis, tenoris sequentis.

Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem admissorum criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina causati non ad immediatè sui Ordinis Superiores; scilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, prout cujuscunque Religionis Constitutionibus disponitur, sed ad hanc Romanam Curiam, absque licentia sæpiùs fugiunt, potiùs, quàm recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt; placuit Sacræ Congregationi Regularium ex ordine Sanctissimi, statuere, ut si quis Regularium temerè, levivè ex causa hanc Urbem Romam, sive Curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad eosdem Superiores sæviori pœna plectendos remittatur.

7. Hinc, si quis Regularium hodiè Romam adeat, prætermisso prædicto *Decreto*, nedum non auditur, sed etiam remittitur ad suum Superiorem puniendus, prout de praxi docet *Joan. Anton. Novar.* 1. *p. summ. Bull.* sub *titulo de Religiosis indebitè vagantibus vel recurrentibus ad Curiam Romanam pro eorum gravaminibus exponendis, fol.* mihi 535.

Quæst. 4. *Licentia eundi ad Superiores, qualis esse debeat?*

1. ET dico, quòd prædicta licentia debet esse in scriptis concessa à Superiore loci, à quo fit discessus; quia petita, & non obtenta, sufficit fides de denegata licentia, quæ quippè fieri debet à Religiosis, vel ab aliis, qui fuerunt præsentes, prout colligitur ex eisdem *Bullis*.

2. Sed quid si literæ fuerint in itinere amissæ? Respondeo, quòd in tali casu, satis erit fides sibi facta à secum peregrinantibus de amissione prædicta, vel alterius Viri gravis scriptum testimonium, vel aliquod aliud signum, quo demonstretur, quòd non sit Profugus, vel Vagabundus, *Scort. in select. Bull. Theorem.* 374.

3. Vir autem gravis censetur ille, qui est, vel fuit honorificè in aliqua dignitate constitutus, vel qui honestos habet mores ab adolescentia sua, vel tandem qui ab omnibus, ut talis reputabatur, ex *cap. miramur, distin.* 61. & docet *Peyr. in d. Const. Leon. X. num.* 4. & *Menoch. lib.* 2. *de arbitr. cas.* 69.

Quæst. 5. *Pœnæ contentæ in dictis Decretis; an comprehendant Superiores recipientes fugitivos ejusdem Provinciæ?*

1. NEgativè dic; quia hæ pœnæ in duobus tantùm casibus habent locum; nempè in recipiendo Itinerantes ignotos, vel deambulantes sine licentia, ut benè liquet ex *d. Bull.*

2. Fugitivi verò unius Monasterii, cen[illegible] ti Superioribus Conventuum ejusdem Provi[illegible] que si hi illos recipiant, non incurrunt: eò max[illegible] fi-nalis *d. Bullæ* locum non habet in casu, d[illegible] Causa enim finalis fuit, evitare, ne facinoro[illegible] illac oberrantes, assumpto Religiosorum [illegible] rent manus Curiæ sæcularis, quod non po[illegible] Religiosis fugitivis, quippè qui cùm verè [illegible] sonæ Ecclesiasticæ, gaudent privileg[illegible] *q.* 30. *ar.* 8. *ver. secundò est notandum.*

Quæſt. 6. Regulares, an poſſint ſine Superiorum licentia ad Vrbem accedere; & quomodo ſint recipiendi, & puniendi?

1. RESpondeo, quod in his debet obſervari *Decretum Sixti V.* expreſſum in ejus *Bulla ad Romanum ſpectat Pontificem,* quod habes hic ſuprà in *q.* 3.

Nec non *Decretum* Sacræ Congregationis, contra hujuſmodi Regulares editum ſub anno Domini 1587. quod per extenſum ponit *Quaranta* in ſua *ſumm Bull. ver Monaſteria, & Conventus, in fin. pag.* mihi 327. ſub hac forma verborum.

Quoniam nonnulli Regulares, &c. ut hic ſuprà in *d. q* 3.

Nec non *Decretum Clementis VIII.* expreſſum in *Decretis pro Reformatione Regularium* §. 22. approbatis ab *Vrb. VIII.* ibi *nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetraverint,* & egomet poſui ſuprà in *fine tract. de Clauſura Monaſterii.*

Quæ quidem facultas concedendi ſupradictam licentiam fuit per aliud *Decretum* Sacræ Congregationis extenſa ad Patres Provinciales, pro communi bono Provinciæ, & eſt tenoris ſequentis.

Decretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia dumtaxat permiſſum eſt, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ità ut Provincialis ipſe ex cauſa communi totius Provinciæ dumtaxat facultatem hujuſmodi facere valeat; declaravitque pœnam privationis activæ, & paſſivæ contrafacientibus inflictam Sanctitati Suæ reſervatam eſſe, interdicta omninò eorum Superioribus ſingulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illa moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. *Martii* 1601. & habetur *in* 4.*to. Bull. Cherub. fol.* mihi 273.

Quæſt. 7. Regulares opem præſtantes iis Religioſis, qui adeunt Romanam Curiam, contra diſpoſitionem d. Decreti: an ſint punibiles, & quomodo?

1. CUm de hac re nullum verbum fiat in *d. Decreto,* reſtat quæſitum in diſpoſitione juris communis. Jus autem commune non prohibet, nec punit recurſum ad Principem, nec item vetat opem, vel auxilii præſtationem.

2. Perindè, ſicut licitus eſt recurſus ad Principem; ità mihi licet volentibus recurrere, auxilium præſtare: quamobrem opem præſtantes carceratis aufugientibus à carceribus Baronis, fracto carcere, accedentibus ad Magnam Curiam Vicariæ, non puniuntur: etiamſi hi coadjutores ſint vaſalli, *Fab. Anna in additio. noviſſ. ad repet. rubric. de vaſall decrep. ætat.* & refert deciſum *Ioan. Bapt. Thoro in comp. deciſ. aur. tom* 1. *ver. opem præſtans.*

3. Benè verum, quod idem *Thoro tom.* 2. *comp. deciſ. ver. opem præſtans,* ex multis refert deciſum, qualiter multi opem præſtantes ad fugiendum à Regiis Triremibus, fuerunt condemnati ad ultimum ſupplicium, vel perpetuum exilium.

4. Et hoc ideò, quia aliud eſt, fugere à carceribus Baronum, & aliud, à carceribus Regiis, etenim fuga à carceribus Baronum regulatur à jure communi: fuga autem à carceribus Regiis cum fractura regulatur à ſpeciali Jure.

5. Ità pariter, & reſpectivè eſt dicendum ad quæſitum, quod ſcilicèt debet regulari à ſupradicto *Decreto* quoniam ſicut per ſupradictum *Decretum,* & contra prohibetur recurſus ad Superiores, ità cenſetur [illegible] ta auxilii præſtatio, & omne aliud, quod [illegible] judicium *Decretorum* Rom. Pont. [illegible] *Bull. de Relig. recurrent* [illegible]

6. Hinc, hujuſmodi opem, vel auxilium præſtantes ſunt puniendi, ſaltem aliquo modo extraordinariè ſi in caſu poſito deſint propriæ Conſtitutiones.

Quæſt. 8. Receſſus à Conventu ſine licentia Superiorum, animo eundi in Rom. Cur. vel ad ſupremos Superiores pro gravaminibus exponendis; an æquo modo puniatur?

1. REſpondeo negativè: etenim recurſus, de quo agitur, in Romana Curia debet puniri juxtà prædicta *Decreta* Sac. Congreg. Recurſus autem, intuitu eundi ad Superiores debet caſtigari juxtà *Decretum Sacri Concilii Trid.* quod habes hic ſuprà *q* 3.

Quæſt. 9. Receſſus hujuſmodi factus à Conventu abſque Superioris licentia, an ſit punibilis, ſi Religioſus egreſſus ſtatim revertatur.

1. NEgativè; tùm quia diſcedens animo redeundi in pœnam minimè incidit, *Novar. in forenſ. q.* 28. *tom* 1. poſt multos allegatos; tùm etiam, quia qui ſponte ſtatim redit, non præſumitur habuiſſe animum recedendi; *l. nihil intereſt, ff. de capt. & poſtlimin. reverſ.* Tùm item; quia nec carcerum fractor eſt, qui revertendi animo ab eiſdem exierit, *Boer. deciſ.* 215. *num.* 17. & alii multi, quos allegat *Riccius p.* 4. *praxis, reſol.* 333. tùm item; quia brevis mora, & momentanei actus in pœnalibus non ſunt in conſideratione, *Novar.* cit. *loc. n.*7. & in rei veritate ſatis durum eſt, ſi ex brevi intervallo temporis committatur pœna, adeò, ut mora purgari non poſſit, *Giurba conſil.* 34.

Quæſt. 10. Recurſus hujuſmodi, quanti temporis eſſe debeat, ad hoc, ut poſſit purgari, & excuſpari?

DIxi in *tract. de Apoſt. quæſt.* 4.

Quæſt. 11. Religioſus à ſuo Prælato injuſtè gr[illegible] *an poſſit illo inconſulto, à Monaſterio ex*[illegible] *cedere ad ſupremum Superiorem, ab*[illegible] *Apoſtaſiæ?*

1. ET quidem, licitè poſſe, affirmat [illegible] *noſtram, de appellat. Novar.* [illegible] *Regul & comm.* 3. *nu.* 51. [illegible] *tit. Sanchez in decal. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* [illegible] *q.* 30 *ar.* 3. cum ſuo [illegible] 27. latè *Antonius* [illegible] *& ſequent. Franciſcus* [illegible] *p.* 2. *caſ.* 2. *de Apoſt.* [illegible] 4. *dub.* 6 [illegible] *gul. reſolut.* [illegible]

[illegible]

[illegible] *fin. Na*- [illegible] tè diſpu- [illegible] *vi Reg. lib.* [illegible] e, ac juris ordine ſerva-

modum excessit in correctione, & ex quo recusavit tali appellationi deferre, fuit punitus, & docet *Bald. in d. cap. ad nostram, de appellat.* & maximè, si exiret, ut liberaretur à tali gravamine.

3. Tùm etiam; quia dicens se gravatum, & ob id ire ad Superiorem, videtur manifestè appellare, *Navar.* cit. *loc.* appellatio enim fit voce, vel facto, & illa huic æquipollet.

4. At Regulares quoties viderint, Superiores excedere modum in corrigendo, totiès licito jure possunt appellare, & huic appellationi est deferendum, prout expressè deciditur in *d. cap. de priore, de appellationibus, & cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de accusat.* etiamsi in d. appellatione non exprimantur gravamina, ut *ibidem* notant *Doctores*, quia cùm appellans sit Monachus, non tenetur esse litteratus, ex *Glos. in cap. legi 16. q 1.* & testatur post multos *Megal. in d. resol. num. 6.*

5. Tùm etiam, quia animus eundi ad Superiorem, ob illatum gravamen, vel metu futuri gravaminis, excludit rationem formalem Apostasiæ, qui stat in animo, & voluntate, non ampliùs revertendi in Religionem; ut dixi suprà.

6. Hic autem animus revertendi, vel non revertendi, probatur ex multis conjecturis, *l. 1. §. Divus. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* ex *cap. significasti, il secondo de homicid. & ibid. Doctores* docent, quod ex verbis, anteà prolatis, & factis; & maximè ex dimissione, vel retentione habitus attenditur animus; quandoquidem recessus à Monasterio non debet intelligi, nec pensari à fuga; sed ab effectu animi regulatur, ex *d. l. quis sit fugitivus, §. item apud Vivianum, & Bald. ibid. & in cap. ad nostram, n. 4. de appellat.*

7. Religiosus autem in casu posito fuit protestatus de animo, & constat, quod vadit ad Superiorem sublevandus à gravamine; ergò non potest præsumi, habuisse animum perpetuò laicaliter vivendi extrà septa Monasterii, ergò, nec Apostata, nec fugitivus potest dici.

8. Tùm etiam, quia procedere per viam quærelæ, & proponere gravamen sibi illatum coràm Superiore majori, omnibus subditis convenit, ad finem castigandi culpatum, *Navar. comm. 2. de Regul. num. 64.* & docent indifferenter *Doctores*.

9. Etenim, Monachus potest accusare Prælatum suum, prout expressè habetur in *cap. ex parte tua 11. de accusat.* nedum super mala administratione bonorum Monasterii; verùm etiam indiscreta correctione habita ergà subditos; quia Religiosi subditi sunt pretiosiora bona Monasterii.

10. Et est de jure communi, quia sicut licitum est servis per fugam & recessum quærere auxilium à Superiore majori, contra severitatem, & asperitatem Domini, ex *l. 2. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, §. sed major, Inst. eod. tit.* ergò hoc ipsum licitum erit Religioso subdito; quia ea, quæ dicuntur de servis, aptissimè transferuntur ad Monachos, *Bald. in d. l. quis sit fugitivus. ff. de edil. edicto, & Ricciullus* cit. *loc. num. 26.*

11. Nec in his requiritur consensus Domini, ad hoc, ut excusetur à servis, nec licentia Prælati, ut inculpetur à subditis, quia nec Superiores, de quorum præjudicio agitur, sunt ita mente capti, ut contra se exhibeant arma, vel moveant castra; nisi miserabiliter vellent dicere: *heu patior telis vulnera facta meis.*

12. Nec est æquum, & rationi consonum, velle cogere Prælatos ad exhibendum sui consensum contra se; immò Prudentum more, ex omni latere tractabunt illos impedire, juxtà regulam, quod cessante actore, cessat Judicium.

13. Quæ adeò vera censent *Portell. ver. Habitus, in Addit. nu. 3. Diana & Peyr.* cit. *loc.* ut dicant habere locum, etiamsi hæc fuga, vel accessus ad Superiorem fiat sine habitu, quod prius docuit *Glossa in c. ut periculosa. ne Clerici, in 6. ver. temere*, ubi ait, *licitum esse dimittere habitum ob timorem*, quem timorem explicat *Azor. tom. 1. lib. 12. Cap. 12. q. 8.* dicendo, *Glossa per timorem intelligit timorem mortis, periculi mali gravioris, captivitatis, servitutis, carceris, ignominiæ, dedecoris, & similium*, *Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 37. num. 3.*

14. *Hinc, Religiosus injustè, & notabiliter gravatus à Prælato, & majus adhuc timens gravamen, nec habens aliud remedium; si fugiat ad Prælatum Superiorem longe distantem, in ista fuga, nullo modo peccat, nec venialiter, ut suppono (quod fieri posse multi dicunt)* & addit, *quod si in hac tamen fuga, & longo itinere, certò moraliter sciat, se fore detinendum, & comprehendendum ab Inferiore injustè gravante, si portet habitum Ordinis, per Custodes, in viis adhibitos,* in quo casu ait, *posse prædictum cum supradictis circumstantiis habitum dimittere; donec tutò accedat ad Prælatum, ad quem appellat.*

Et hoc ideò; quia portare habitum Ordinis, est præceptum humanum tantum, quod non obligat cum tanto periculo famæ, carceris, & injusti gravaminis sperati certò moraliter.

Et quia necessitas facit Religiosum justè extre à Claustro, absque licentia Prælati localis, & sine peccato, hæc *ille.*

15. Nec his obstant, illa verba *cap. 4. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* quæ habes suprà *q. 3.* quia *Concilium in d. cap. 4.* prohibet exire de Monasterio sub prætextu eundi ad Superiores ex levi, vel sine causa; non autem vetat, quin Religiosus subditus graviter gravatus possit appellare, & in casu appellationis non admissæ, pergere personaliter ad Superiorem majorem: vel quod non possit exire ad se eximendum à manifesto, & gravi gravamine, vel ad sibi majus gravamen cavendum, vel ad exponendum quærelam contra Prælatum de indebita vexatione, carceratione, & excessu in modo corrigendi; etenim aliud est, quod Religiosus non debeat exire è Conventu ex levi causa, & aliud, quod gravatus non possit appellare, nec se defendere, sed more Bidentium mori. Et aliud est, exire sub prætextu, & liberè, & aliud est, ex necessitate cogente, vel ex veritate illati, vel futuri gravaminis certò moraliter, prout *Bald. Navar. Ricciullus, Sayrus, Barbosa, & Bellar.* cum aliis prænominatis in dictis *locis*; & à diversis non fit illatio.

16. Nec obstat dicere, quod hujusmodi exitus fuit scandalosus, vel quod Religionem inquietavit. Tum quia defensio famæ, & vitæ propriæ præfertur omnibus; tùm quia, jure naturæ quisque magis sibi, quam alteri tenetur, tùm item, quia qui fungitur jure suo, nulli præjudicat: tùm etiam, quia qui intendit suam vitam tueri, si exindè etiam mors alteri inferatur, non est sibi imputandum, cùm per accidens id eveniat, *Sanchez* cit. *loc.*

Quæst. 12. An prædicta decisio locum habeat in foro exteriori?

1. NEgativè *Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 51. ar. 1. concl. 2.* ubi ait, quod in foro exteriori quicunque Religiosus à suo Monasterio recedit, invito, vel inconsulto Prælato, judicatur Apostata, ex *cap. ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in 6.* & ex *dict. cap. 4. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* ibi, *ut desertor sui instituti puniatur*, id est, ut Apostata.

2. Sapientissimus *Dominicus Bannes 2. 2. q. 12. ar. 1. in disput. de Apost.* post conclusionem 6. *Coriolanus* cit. *loc. num. 12. Peyr. tom. 1. Privil. in constit. 13. Leon. X. num. 3. §. 1. & Portellus in dub. ver. Apostata, in addit. num. 6.* testatur, ita tempore sui Provincialatus fuisse à Sacra Congreg. decisum, de qua declaratione authenticum non apparet, sed credo, tantùm Virum non mentiri, & *Hier. Rodr.*

Rodr. in compend. qq. regul. resolut. 11. *de Apost. num.* 27.

3. Et hoc ideò, quia Ecclesia non judicat de occultis, sed ea examinat, quæ foris videt, an Sacris Constitutionibus sint conformia, & juxtà illas transgressores punit; ut est videre in *Constitutionibus Ordinis Prædicatorum, distin.* 2. *cap.* 13. *text.* 2. *lit. C. fol.* 167. *col.* 1.

4. *Riccius* 4. *part. Praxis resolution.* 328. ubi ex multis testatur, hoc procedere; maximè, si adsit scandalum, & desit gravamen.

5. Ego autem existimo, habere locum in utroque foro, quandò sumus in notoriis, & manifestis; adeò ut certò, ac evidenter constet, Religiosum à suo Prælato iniquè, ac injustè gravari, nec illi aliud remedium superesse: nisi ad Superiorem confugere, *Rodr. in summ. p.* 1. *cap.* 43. *num.* 1. *& Sanchez* citat. *loc. num.* 17. *in fine.*

Quæst. 13. *Pœnæ prædictæ, an afficiant Superiores, qui in suis Conventibus recipiunt euntes Romam, titulo appellationis?*

1. NEgativè; si constat de appellatione adhibita, & non admissa: secùs autem; quia discurrere titulo gravaminis, vel titulo appellationis idem est. Etenim, adire Superiorem, ob injustum gravamen, habet vim appellationis, seu est appellatio expressa facto; appellare enim verbo, vel facto æquipollent, ut dictum est suprà.

Quæst. 14. *Episcopus loci, an possit incarcerare, & detinere hujusmodi Recedentes à Conventu, intuitu gravaminis, vel justæ appellationis?*

1. ET dico, quod sic, juxtà *Decretum c.* 4. *Conc. Trid. sess.* 25. *de Regul. & Decreta* Sacræ Congregationis *de Apostatis, & ejectis*, edita jussu *Urb. VIII.*

2. Benè verum, quod ubi constiterit Illustrissimo Loci Ordinario de gravamine illi illato, vel inferendo, vel quod ejus Superior, à quo appellavit, in scriptis licentiam concedere recusavit, vel quod justè metuit, licentiam petere, ex quo forsitan injustè reperiebatur in carcere, & aufugit, vel ob quid simile, non debet hujusmodi Religiosum detinere, nec impedire, quin adeat Superiores; secùs malè ageret, & peccaret, quia sicut iste recursus ad Superiores non est prohibitus, ita nec debet impediri, ex textu *l. cujusque* 3. *respons. ff. ad l. Jul. Majest.*

3. Ex quo inferunt *Doctores*, quod Barones non possunt prohibere eorum vasallos, ne Regem adeant, & qui eos prohibuerit, Crimen læsæ Majestatis committet, *Anna singul.* 62. *Afflictus decis.* 265. *num.* 97. *& ibidem Ursillus num.* 101. *Capyc. decis.* 130. *num.* 10. & alii plures insignes *Doctores*, quos sequitur *Aloys. Riccius p.* 4. *praxis resolut.* 130. *Novar.* 1. *p. summ. Bull. tit. de Relig. recurrentibus, nu.* 9. *& Diana* 3. *p. moral. tract.* 2. *de Dubiis Regul. resolut.* 51.

Quæst. 15. *Religiosus gravatus, si à Conventu recedat, absque licentia; cum appellatione tamen ad supremum Iudicem; an debeat puniri?*

1. NAvarr. consil. 4. *de appellat.* in 1. edit. & *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *ar.* 3. negativè respondent, quia adire Superiorem, intuitu justi gravaminis, habet vim appellationis inter Religiosos, ut dictum est suprà, & habetur in *cap. dilecti, de appellat.* quæ quippè appellatio nobis convenit de jure naturæ, cui non possumus obviare sine titulo violentiæ, *l.* 1. *de appellat. & cap. suspicionis, eod. tit. & cap. ex parte, de rescriptis.*

2. Adeò, ut non sit petenda licentia ab eo Superiore, ad cujus gravamen tollendum itur ad Superiorem majorem, per ea, quæ docet *Gloss. in cap. cùm Pastoris, caus.* 2. *q.* 7. ubi ostendit, quod subditis volentibus Abbatem accusare, non est necessarius consensus illius, sed poterunt Fratres à Conventu recedere, sine Superioris licentia, juxtà dispositionem *cap. ex parte, de accusat. Rota Rom. in decis.* 3. & alii plures, quos sequitur *Riccius* 4. *p. praxis, resol.* 329. *de Recedentibus à Conventibus.*

3. Immò Superior tenetur appellationem admittere, & non admittendo, debet castigari ex *c. de priore, de appellat. Scaccia in tract. de appellat. lib.* 2. *q.* 2. *n.* 16. *& Gloss. in cap. cum appellationibus, de appellat. in* 6. *Quaranta in sum. ver. Archiep. authoritas, q.* 3. *& Achyll. de Grassis in Decis. Rot.* 7. *de appellat.*

4. Nec his nocet *Tridentinum in d. c.* 4. *de Regul. sess.* 25. quia (ut dictum est suprà *q.* 11. appellationem non tollit, nec aufert jus exponendi quærelam contrà proprium Prælatum de injusto gravamine; secùs autem, si fieret hujusmodi Recessus ex levi, aut frivola, vel ficta causa, ut diximus suprà, & docet *Navarr. in comm.* 4. *de Regul. in casu* 3. *num.* 51. in 1. edit. & *Bannes ubi suprà.*

Quæst. 16. *Religiosus prætendens, se Professum per vim, & metum, vel ante legitimam ætatem, si lite pendente dimittat habitum, & fugiat à Conventu; an sit Apostata?*

1. AFfirmativè; in foro externo, & cum eo est procedendum, juxtà *Decretum Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 9. *de Regul.* ubi cavetur, quod ad Monasterium est cogendus redire, juxtà *textum cap. à nobis, de Apostatis*, & tanquàm Apostata puniendus, & juxtà novissimum *Decretum Urb. VIII.* editum quoad Apostatas, & ejectos; & habetur in 4 *tom. Cherub.*

2. Secù autem quoad forum animæ, quia talis egrediens non habuit intentionem absolutam egrediendi, sed conditionatam, quatenùs scilicet per sententiam fuerit judicatum, suam Professionem esse nullam, nulliusque roboris, & obligationis, *Graff. de casib. lib.* 3. *cap.* 2. *de Apost. nu.* 42.

Verum, Ecclesia non judicat de occultis, sed de his, quæ extrinsecè fiunt.

Quæst. 17. *Religiosus ad evitandum pœnam delicti recenter commissi, si fugiat à Conventu; an sit Apostata?*

1. ET dico, quod non; quia censetur arripuisse fugam, ob metum pœnæ, non autem ut desereret Statum Religiosum: hinc non ut Apostata, sed ut fugitivus puniendus venit, *Bald. in cap. ad nostram, de appellat.* & constat ex suprà decisis.

Quæst. 18. *Religiosus Carceri addictus jussu Prælati, an possit ab illo licitè fugere?*

1. REspondeo quod non, sed uti Fugitivus puniendus est, tùm quia ex vi obedientiæ solemniter juratæ, tenetur obedire Prælato, *Bannes* 2. 2. *q.* 69. *ar.* 4. post 5. *conclus. ver. circà, & Ledesma tom.* 2. *summ. tit.* 8. *cap.* 24. & ita est communis sententia.

2. Tum etiam; quia illi obstant tot suprapositá *Decreta Conc. Trid.* Sacræ Congreg. & Summ. Pontif. prohibentium sub gravissimis pœnis egredi à Monasterio sine licentia Prælati.

3. Amplia, ut Carceri mancipatus, ob prædicta teneatur ibidem permanere, etiam antè sententiam condemnatoriam, *Cajet. in d. loc.* 2. 2. *ad secundum dub. in fin. Navarr. comm.* 4. *de Regul. num.* 63. ubi de hac re latè disputat ad partes, & solvit objecta, & *Sayr. in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 9.

4. Quod intellige: dummodò justè, ac juris ordine serva-

servato sit in Carcerem conjectus, secùs si injustè, ac indebitè; quia in hoc casu posset fugere, absque culpa, & recto tramite adire Superiores, ad se liberandum à tali gravamine, vel quærelandum illum de excessu habito in corrigendo,, ut dictum est, *Hier Rodr.* in suo *Comp. resol.* 48. *num.* 6. *& à S. Fausto de voto solemni lib.* 6 *q.* 241.

5. Quod idem limitat *Sanchez in decal. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 12. & alii plures. Dummodò eidem Religioso non immineat sententia privationis vitæ, vel abscissionis, vel mutilationis alicujus membri. In hoc enim casu potest fugere licitè de jure naturæ, quo fulcitur, suam vitam, & personam defendere ab omni malo.

6. Verùm credo, hanc hodie limitationem non esse necessariam, quia hæ pœnæ privationis vitæ, vel mutilationis membri, inter Religiosos locum non habent: nisi forsitan post eorundem degradationem (quod absit,) & & ubi servatis servandis fuerint traditi Curiæ sæculari, *Miranda tom* 1. *Ordin. Judic. q.* 15 *ar.* 6. *concl.* 1. *& Covar. lib.* 1. *var. cap.* 2. *nu.* 14.

7. Nec dices, quod teste *D. Thom. in* 2.2. *q.* 69. *ar.* 4. *in respons. ad secundum*, Laici, & Clerici possunt licitè fugere à Carcere, si ibidem detineantur, ob aliquod grave delictum, ob quod timent mortem pati, aut libertatem debere deperdere, quia jure naturæ tenentur, & possunt, vitam, famam, & libertatem defendere, & ad illius custodiam habent jus fugiendi ab omni periculo, quod fallit in Nobis, qui tali libertati abrenunciavimus in solemni Professionis voto, qua Professione Mundo mortui sumus, quamvis Deo vivamus.

Quæst. 19. *Religiosus ad perpetuum Carcerem justè damnatus, & in eo inclusus; an possit ab illo aufugere, sine peccato?*

1. REspondeo, quod nemini justè, ac juridicè condemnato licet se sine culpa mortali à legitimo Judice defendere, per ea multa, quæ docet uterque *Thomas in* 2.2 *q.* 69. *art.* 4. *& ibid. Bannes*, & latè noster *Sotus de just. lib.* 5. *q.* 6 *ar.* 4.

2. Tum quia, teste *Apostolo ad Rom. cap.* 13. qui Potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & ipse sibi damnationem acquirit. Tùm etiam; quia nequit esse bellum justum ex utraque parte. Sed Judex justè Reum damnavit, & in Carcerem conjecit, & detinet, ergò Reus injustè resistit, & peccat mortaliter aufugiendo.

3. Tùm item; quia si omnis Laicus justè condemnatus tenetur post condemnationem solvere pœnam, secùs mortiferè agit, ex *D. Thom.* 2.2. *q.* 62. *art.* 3. *in corp. in fin. & ibid. Cajet.* quantò magis Regularis, qui solemni juramento promisit obedire, & spontè se sua libertate privavit, prout eruditè docet idem *Cajet. in d. q.* 69 *ar.* 4. *ad dub. secundum, in respons. ad confirmationem ejusdem, in fine*, cui subscribit *Navar. comm.* 4. *de Regul. num.* 63. *q.* 16. ubi solvit contraria, & validè invehitur contrà hos Religiosos, qui seras frangunt, rumpunt vincula, & in Urbem vadunt, in 6. *illat. & Sayr. in Clavi Regia lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 9. ubi de hac re agit per totum *capitulum*.

4. Dixi, justè, quia injusta sententia non obligat in foro conscientiæ, nec meretur nomen sententiæ, nec debet executioni mandari, ex *cap. quia plerique de immunit. Eccles.* nisi ad id magnum sequeretur scandalum, argum. *cap. nihil cum scandalo, de Præscriptionibus.*

5. Amplia, idem procedere, si sententia sit justa, & ejus executio injusta, ut si Custos sua voluntate, vel injusto jussu alterius, Carceratis subtrahat cibum, vestitum, ignem, & similia ad victus necessaria, vel si illos in loco subterraneo, vel nimis humido, aut frigido crudeliter detineat, ut indè mors quantocitiùs sequatur, *D. Thom.* 2.2. *q.* 157. *& q.* 159. *& Navar.* cit. *loc. illat.* 8.

Quæst. 20. *Fugere ab Ergastulo; an possit aliqua lege prohiberi?*

1. EMinent. *Cajet. in d. q.* 69. *ar.* 4. *ad secundum dub.* respondet affirmativè; quia etsi Reus condemnatus censeatur damnatus ad pati, non autem ad agere, ut ait *D. Thom.* in cit. *loc.* 2.2. *in respons. ad secundum*, hoc tamen intelligitur, quoad mortem, & corporale supplicium tantùm, ex quo nemini licet seipsum occidere, vel facere aliquid, undè mors sequatur: nihilominùs, quoad alia culpatus potest condemnari ad pati, & agere simul, seu ad cooperari pœnæ sibi illatæ, ut patet de exilio, & pœna pecuniaria; etenim damnatur quis, ut eat in exilii locum, & ut ibi, infrà præfixos sibi terminos, maneat ad tempus, vel in perpetuum; vel, ut solvat hanc, vel illam determinatam summam, & in his omnibus tenetur obedire, & facere, quod sibi injunctum est, *Sotus in d. lib.* 5. *q.* 6. *ar.* 4. *de just. dub.* 2. in quo quærit, an quis simul possit condemnari ad carcerem, & ad mortem, quem sequitur *Gregorius Sayr.* in sua *Clavi Regia lib.* 12. *cap.* 18. *num* 25.

2. Nec dices, quod leges hujusmodi, hucusque latæ non sunt; nec quidem ferri possunt, quia essent injustæ, ex quo nullus Reus potest privari hoc jure fugiendi, cùm hoc ei competat de jure naturæ; quandoquidem hoc debet intelligi de fuga ad cavendum sibi mortem. Secùs verò respectu libertatis humanæ, vel ratione fortunarum, quia etsi ad horum custodiam habeat jus naturale: tamen in pœnam culpæ, hoc jure privatur, ut patet de exilio ad tempus, vel in perpetuum, & de solvendo aliquam pecuniarum quantitatem.

Quæst. 21. *Religiosus damnatus ad Triremes ad tempus, vel in perpetuum; an possit ab eis aufugere, tuta conscientia?*

1. BAnnes 2. 2. *q.* 69. *ar.* 4. post 6. *conclus.* ait, *quod quandò Religiosus est condemnatus ad perpetuum carcerem, vel ad durissimam pœnam, ceu est illa triremium, tunc fugere licebit, non ad vagandum, neque ad dimittendum habitum: sed ad quærendum aliquod remedium à Superiori Prælato, vel à Summo Pontifice.*

Et hoc ideò, quia nimis durum extat, asperum, & inhumanum, privare Religiosos recursu ad supremum Prælatum, in tanta angustia constitutos; satis est in favorem Religionis, & voti solemnis, quod non concedamus illis licentiam vagandi, sed quod teneantur præsentare se Superiori Prælato, ut dictum est, hæc *ille*, quem sequitur, *Peyr. de subdito q.* 1. *cap.* 27. *ver. dico sextò, & Lezana* 1 *p. sum. cap.* 16. *num.* 10. ad quod inclinat, nedum quia pœna triremium est gravissima, & veluti quædam perpetua mors; sed quia illa, punire Religiosum delinquentem, esse videtur contrà decorem, & honestatem Religionis.

2. Verùm negativa sententia est verior, & tutior, quam docet *Navar. comm.* 4. *de Regul. num.* 63. *in* 2. *Coroll.* ibi, *tenetur tamen ad executionem aliarum pœnarum, quas justè potest exequi, si ad id expressè, vel tacitè fuerit condemnatus, & consequenter jejunare, orare, abstinere ab aliquo genere cibi, vel potius, infligere sibi disciplinam impositam, ire ad Insulam, vel alium locum sibi exilio destinatum, vel exire Territorium, & manere ibi, & servare carcerem perpetuum, vel temporalem sibi impositum, vel permanere in Triremibus, si ad eas fuerit justè damnatus.*

Quæ sententia pendet ex doctrina utriusque *Thomæ*, & illi favet *Greg. Sayr. in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 18 *de obedientia Rei, num.* 8. multis citatis, *Sanchez lib.* 6. *dec. c.* 8. *n.* 16. post multos, & *D. Barthol. à Sancto Fausto lib.* 6. *de voto obed q.* 243.

3. Tùm quia quilibet tenetur obedire justitiæ legali in illis actionibus, quas licitè exercere potest, ut patet de exulare, vel de non exire de Civitate. Secùs foret resistere

sistere Potestati, quod si proculdubio locum habet in laicis, quantò fortiùs in Regularibus, qui sua sponte se libertate privarunt, & juraverunt Prælatis obedire? nec potest negari, quod Religiosus fugiens à destinato sibi Carcere, vel à Triremibus, in quibus reperitur, nedum omittit facere actum à Prælato sibi injunctum; verùm etiam contrarium operatur.

4. Nec valet dicere, quod Religiosi culpabiles non damnantur ad Triremes, ut ibi spontè maneant, sed ut patienter ferant, si detineantur, ut dictum est de condemnato ad mortem: quippè qui, teste *D. Thom. in* cit. *loc.* 2. 2. condemnatur ad pati, non autem ad agere.

Quia antecedens fallit, respectu Religiosorum, qui ex voto obedientiæ se obligaverunt, ibi manere, ubi dictum eis fuerit à prælato, esse manendum: quidquid sit de sæcularibus.

5. Et eò magis, quia damnari ad carceres hujusmodi, non est damnari ad pati, & ad agere simul, ut dictum est suprà.

6. Et quamvis hæc pœna Triremium sit perpetuò mori; est tamen quoddam veluti mori, non in sola passione consistens, sed etiam in actione illorum hominum, ut patet, *Sanchez* cit *loc. in fin.*

7. Nec dices, quod sicut Servi in bello justo capti, possunt licitè fugere, non obstante, quod sunt Servi; ita condemnati ad Galeas, non obstante, quod sint justè condemnati; quia Servi, etiam in justo bello, cum hac conditione facti sunt Servi, ut solùm maneant in servitute illa, quousque commodè fugere possint: Galeotæ autem damnantur ad hanc pœnam, ratione delicti, quam propterea patientes tolerare debent, *Sayr.* cit. *loc.*

8. Nec pœna Triremium est contrà jus naturale, aut canonicum, si justè imponatur, ut dixi, tùm quia, quod jure fit, licitè fit, *Rodrid. tom.* 2. *q.* 22. *ar.* 6. tùm etiam, quia damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputandum.

Quæst. 22. *Fugam à Carceribus persuadentes, adjuvantes, aut cooperantes, an peccent, & sint puniendi?*

1. HAc in re unum est certissimum apud omnes, quod scilicet, nulli Officialium, licèt justè capto, vel condemnato fugam consulere, vel instrumenta præbere, quia hi non possunt agere contra officium, in quo ratione justitiæ tenentur invigilare: sed eorum officium est, curare, ne carcerati fugiant, aut muros, vel vincula rumpant; ergò.

2. Verùm, quoad reliquos *Cajet.* 2.2 *q.* 69 *ar.* 4. *dub.* 5. inquit, quod integrum est unicuique laicorum, fugam persuadere, & ad rumpendum vincula carceris instrumenta porrigere, quoniam sicut ipse Carceratus habet à natura jus fugiendi; ergò possum & ego pariter illi arma, & instrumenta, quibus fugiat, præbere, secus, inane, & futile foret illud jus fugiendi, si per alios non posset adjuvari, dum ipse solus non sufficit ad fugiendum. *Sot. lib.* 5. *de justit. q.* 6. *ar.* 4. *Navar. in Manuali cap.* 17. *num.* 102. *& Sayr. in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 18. *num.* 24.

3. Nihilominùs, respectu Religiosorum totum contrarium est dicendum; quoniam Religiosi Professi in carceribus constituti propter votum Obedientiæ, sunt privati præfato jure fugiendi, & cæteri Religiosi non sunt illis potiores, nec magis absoluti à voto obedientiæ, ergò. Secùs autem foret cooperari in crimine aliorum, ac votum obedientiæ contemnere.

4. Proindè, hujusmodi Persuasores, & Cooperatores peccant, & in Ordine Prædicatorum sunt ipso facto privati voce activa, & passiva, & pœnæ gravioris culpæ subjacent per dies decem, intra mensem adimplendæ, ut constat ex *cap.* 18. *tex.* 5. *litt. P. distin.* 1. *fol.* 81, *col.* 2.

Quæst. 23. *Fugientes ab obedientia quorumcunque Prælatorum, habitu retento; an sint puniendi ut Apostatæ?*

1. FEstus in 2. *p.* nostrarum *Constitutionum, in cap.* 28. *in fin. pag.* mihi 346. affirmativè respondet, tùm quia, hi recedentes, communi sententia censentur Apostatæ; quia, ut dictum est, habitus non facit Monachum, sed Religiosa Professio, in qua Religiosus jurat obedire, ergò recedens ab obedientia, sine controversia dicitur, ab illa apostatare; tùm etiam, quia peius est, retrocedere ab obedientia, cui primus locus, inter vota Religionis debetur, quàm habitum dimittere: quia obedientia est de essentialibus, habitus verò de accidentalibus.

2. Et hæc conclusio (quidquid sit de jure communi) apud Dominicanos est certissima, quia in eorum *Constitut.* nullum verbum fit de habitu dimisso; vel retento, sed de recessu ab obedientia, ut est videre in *cap.* 20 *de Apostatis* 1. *distin. text.* 1. *fol.* 89. *& in cap.* 3. *de elect. Prioris, tex.* 10. *distin.* 2. *fol.* 120. *col.* 4. ibi, *nisi super Apostatas, & Vagos, hoc est sine Ordinis licentia, extrà Ordinem commorantes, quamdiu sic extrà manent*, hæc *ibi*. In quibus verbis benè vides, nullum verbum fieri de habitu, sed de sola licentia, juxtà *Decretum Tridentini*, ut hic suprà expressum habes in *q.* 3.

3. Per quæ clarè constat, quod aliud est, esse Apostatam ab Ordine, & aliud, ab obedientia hujus, vel illius Prælati: benè verum, quod cum hæc fuga soleat fieri triplici de causa; nam aliqui fugiunt à Prælato minori ad majorem, ob gravamen injustum, alii fugiunt, quia nulli Superiori subesse volunt, & alii fugiunt, vano prætextu, hoc est, ob frivolas causas: partes erunt prudentis Judicis examinare causam, seu causas finales, & secundùm illas judicare, absolvendo, vel condemnando.

Quæst. 24. *Fugitivus, qui habitum non dimittit, an incidat in excommunicationem, c. ut periculosa, ne Clerici, vel Monachi, in* 6.?

1. NEgativè respondet *Navarr. comm.* 2. *de Regul. num.* 61 *in fine*, ex quo id nullo jure cavetur, cui favet *Sanchez lib.* 6. *ad decal. cap.* 8. *q.* 3. *num.* 6. dicens, quod fugitivi non excommunicantur in *d. cap.* sed qui habitum dimittunt.

2. Verùm, *Rebuffus in praxi Benef. tit. de dispensat. cum Regul. nu.* 17. ait, Religiosum exeuntem à Monasterio, absque Superioris licentia incurrere prædictam excommunicationem, quod veriùs putat *Laur. Peyr. tom.* 1 *de subdito q.* 1. *cap.* 26. §. 1. *de pœnis fugitivorum, ver. quares, in fin.* quia fugitivus, maximè ad longum tempus, & Apostata, (ut dixi) in foro saltem exteriori, sola intentione differunt: nam ad veram Apostasiā nihil refert, quod habitus Religionis dimittatur, vel retineatur; etenim omnis recedens à Religione, cum animo non redeundi ad illam, licèt habitum retineat, adhuc censetur verè Apostata, *Sanchez* cit. *loc. num.* 3. post multos allegatos per eundem *Peyr. ubi suprà, cap.* 26. *conclus.* 1.

3. Quandoquidem habitus non facit Monachum, sed Professio Religiosa, ut dictum est suprà; ergò temerarius recessus à Regula facit non Monachum, sed Apostatam, & Rebellem, etiamsi habitus non deponatur, teste *Cajetano* cum Asseclis 2. 2. *q.* 12. *ar.* 1 quia in casu, de quo agitur non attenditur materialis depositio habitus; sed formalis, quæ fit animo, & voluntate dimittentis: ergò sic recedens erit obnoxius, tàm pœnis *d. cap. ut periculosa*, quàm aliis pœnis Apostatarum, de quibus in *tract. de Apostatis q.* 20.

4. Et additur, quod in *d. cap. ut periculosa* duo nobis sub excommunicatione latæ sententiæ imponuntur, licèt non

non sit reservata Domino Papæ; nè scilicèt fiat temeraria dimissio habitus, nec recessio à Claustro sine licentia Superioris illius; & ob id Transgressor *dict. cap.* incidit in excommunicationem ex duplici capite, nempè, vel dimittendo habitum temerè, vel egrediendo sine licentia, ut dixi in *tract. de Apostatis.*

5. Quamobrem, quidquid sit de dimissione habitus, negari non potest, quod si exierit sine licentia, ut Fugitivus, & Rebellis erit dicta censura irretitus.

Quæst. 25. Pœnæ fugitivorum quænam sint?

1. Cum fugitivi, & Apostatæ, ut constat ex decisis, sola intentione differant, & quoad forum Ecclesiæ ferè æqua lance librentur; videtur dicendum, quod de utrisque idem sit judicium: quapropter fugitivi, paulò minùs subjiciuntur pœnis Apostatarum, & de jure communi incurrunt in excommunicationem *dict. cap. ut periculosa, ne Clerici in 6.* etiam habitu retento, ob defectum licentiæ; item in omnes alias censuras, & pœnas sibi præscriptas à Regula, vel à Constitutionibus à S. Sede approbatis.

2. *Eugenius* Papa *Quartus* pro conservatione Congregationis Cistercii, & Congregationis Sancti Benedicti in Hispania, in anno 1406. & *Cœlestinus* Papa *V.* pro sua Congregatione prohibuit cuicunque ex Monachis, Conversis, & Personis Religiosis Monasteriorum eorum, ne sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ sine Generalis, Reformatoris, vel etiam Abbatis, & Conventuum, quorum tunc Religiosus fuerit, petita, & etiam obtenta licentia, à Monasterio exire possit, &c. de quibus latè *Casarub. in comp. tit. fugitivus, §. 1. & Rodr. tom. 1. q. 30. ar. 8.* ubi habes propria verba prædictorum, quæ privilegia ob eorundem communicationem sunt communia:

3. His adduntur *Constitutiones Sixti V.* suprà positæ, *Decreta* Sac. Congregationis, nec non & *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 4.*

Item, & *Mare magnum Prædicatorum* sibi concessum à *Sixto IV.* ibi, *inhibemus, ne quis Professus in Ordine vestro, ab ipso Ordine sine Superioris licentia discedat*, & hoc sub multis pœnis, quas vide *ibi.*

4. *Leo X.* suo *Privilegio* 12. incip. *Accepimus non sine animi displicentia, &c.* quod per extensum habes in nostro *Bullario, pag.* 188. in quo omnes ferè ponuntur occasiones vagandi, & *ibi, quodque unusquisque vestrum in sua Provincia,* (loquitur enim *ibidem* Dominus Papa ad PP. Generales Ordinis, Provinciales, Priores, & Vicarios, prout ex *Rubrica*, & *Summario Bullæ* prædictæ) *dùm, & quoties opus fuerit, Fratres extrà Ordinem prædictum quavis occasione, vel causa commorantes, ad Ordinem hujusmodi redire, cogere, & compellere possitis, Apostolica authoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus, &c.*

5. Et tandem, *Paulus IV.* sua *Bulla* incip. *Postquàm Divina Bonitas, &c.* prohibuit Religiosis post emissam Professionem extrà Claustra indebitè vagari sub variis pœnis, nempè privationis Beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, fructibus, redditibus Ecclesiasticis, & Baccelaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magisterii, & quibusvis gradibus, tàm in jure Canonico, vel Civili, quàm Theologia, seu Medicina, vel Artibus, tam obtentis, quàm obtinendis, inhabilitationis ab assecutione quorumcunque Ordinum, etiam Sacrorum, & præsertim Presbyteratus, nec non suspensionis ab omni Ministerio Ecclesiastico, & aliis, de quibus vide in *d. Bulla*, & docet *Clar. in praxi Criminal. q. 39. ver. sed hic quæro, Farinac. tit. de Inquis. q. 7. nu. 15. & Mascard. de probat. conclus.* 1397.

6. Et in Dominicana familia, hi Fugitivi, Viatores, & Gyrovagi severè puniuntur, & condemnantur ad pœnas Gravioris Culpæ, prout in *distin. 2. cap. 13. de itinerantibus, text. 2. fol. 166. col. 3.* etenim ex nimio, & inordinato discursu, dispendia, & perturbationes, ac distractiones plurimæ oriuntur, & Regularis observantia plurimum relaxatur, ut *ibid.* dicitur in *principio, col. 2.*

Quæst. 26. Recipientes hujusmodi Fugitivos, qua pœna puniuntur?

Dixi suprà in *tract. de Apost. q. 22.* & latè *Rodr. tom. 1. q. 30. ar. 9.*

Quæst. 27. Fugitivi à Religione, an pertineant ad Episcopum loci, in quo moram trahunt?

1. Et dico, quod sic, ut patet ex *Decreto Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de Regul.* ubi loquens de iis, qui confugiunt ad Superiores sine licentia, ait, *qui verò sine prædicto mandato, inscriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tanquam desertor sui Instituti puniatur.* Quod item patet ex *Decreto* Sac. Congregationis, registrato inter *Constitutiones Urb. VIII. Constit. 26. in 4. tom. Bull. Cher.* quæ incipit, *Sacra Congregatio, §. 4.* ibi, *rursus statuit, ut Fugitivi, & Apostatæ, sive habitum Regularem deferant, sive non, possint, ac debeant, ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia statuta puniendi.*

2. Benè verum est, quod in casu deficientiæ Episcoporum, hujusmodi Fugitivi spectant ad Illustrissimum Nuncium Apostolicum loci, à quo possunt incarcerari, & puniri, juxtà seriem narratorum.

Quæst. 28. Monasterium, an teneatur ad debita contracta per Fugitivos?

Dixi in *tract. de Apostatis, q. 16.*

Quæst. 29. Prælati, an teneantur annuatim perquirere Fugitivos?

Dixi affirmativè suprà in *tract. de Apostatis q. 15.* & habetur clarè in *d. Decretis Urb. VIII. & in cap. finali, de Regularibus.*

Quæst. 30. Si Fugitivi redire recusent, an debeant ab eorum Prælatis excommunicari, & per Episcopum loci publicari?

1. Affirmativè deciditur in *tract. de Apostatis q. 17.* & habetur expressè in *cap. finali, de Regul.* ibi, *si verò hujusmodi fugitivos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiasticis Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter convertantur,* hæc ibi, & *Glossa additio* subjungit, *quod hi fugitivi, ubi se humiliaverint, debent recipi, salva Regulæ Disciplina, hoc est imposita eis pœnitentia, secundùm quod ejus Regula requirit, & præcipit,* hæc *ibi*: & notat *Sanchez in decl. lib. 6. cap. 9. num. 19. in fin.*

Quæst. 31. Bona Fugitivorum, in sæculo morientium; an debeantur Cameræ Apostolicæ?

Dixi suprà in *tract. de Apostatis q. 23.*



TRACTA-

TRACTATUS OCTAVUS.

DE EJECTIS A CLAUSTRO.

Quæst. 1. *Ejectus à Religione, quis dicatur, & quomodò differat ab Apostatis, & Fugitivus?*

1. PAnormit. *in cap. final. de regul.* ait, quòd ille dicitur Ejectus, qui ab alio ejicitur; & tunc propriè ità censetur, quando, servatis servandis Religiosus Professus exutus habitu Monachali, à Corpore Religionis dimittitur. *Farinac. decis.* 109. *p.* 2. *in recent. & Graff. decis. aur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 7.

2. Fugitivus autem est is, qui de se, & per se exit de Monasterio, & stat extrà illud, ut se cœlet Abbati; licèt posteà, pœnitentia ductus, redeat ad illum, *ff. de adil. edict. l. quis sit fugitivus*, & dixi suprà.

3. Apostata tandem ille extat, qui recedit à Monasterio cum animo non redeundi, sed semper esse extrà obedientiam Prælati, ut *Glos. cap.* 1. *de Apost. Riccius p.* 3. *decis.* 176. & ex quibus causis possit excusari, idem *Ricc. decis.* 177. *par. ead.* & an Regulares Apostatantes sint, si Clerici sæculares fiant, *ibid. dec.* 201.

Quæst. 2. *Ejectio à Religione, quæ de causa permittatur?*

1. REspondeo, quòd finis ejectionis ab Ordine potest esse duplex; alter ex parte ipsius Religionis, nempè, nè Ejectus suo malo exemplo plurimos Religiosorum perdat, dùm in Religione existit, *cap. licuit* 17. *distin. cap. nemo* 83. *distinct.* & magis clarè patebit ex infrà dicendis.

2. Alter verò ex parte ipsius Ejecti: etenim hujusmodi Religiosus, ob sua demerita expulsus, potest à Consanguineis, & Amicis libentiùs objurgari; adeò, ut pudefactus citiùs resipiscat, ultrà quòd solet hæc mutatio, mentis affectus mutare, *cap. valet* 81. *distin.*

3. Perindè, Ejectio, de qua agitur, dicitur Remedium salutare, *Ricciull. in tract. de jur. person. lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 8.

Quæst. 3. *Religio, an licitè possit à se expellere Professum Incorrigibilem?*

1. PRætermissis quorundam Placitis, *D. Thom. in quodlib.* 12. *ar.* 37. affirmativè respondet, quod probat authoritate *Apost.* 1. *Corint.* dicentis, *auferte malum ex vobis, modicum enim fermentum, totam massam corrumpit, &c.*

2. Malus autem Religiosus aufertur per pœnam corporalem, ut docet *ibid.* & concludit, *& ideò non debet Religio infligere talem pœnam, quandiù vult corrigi: quoniàm sicut est excommunicatio in Ecclesia, ità est expulsio à Religione: igitur nullus est expellendus, nisi propter contumaciam, sed est sequestrandus in Carcere, vel in alio loco*, hæc ille, cui subscribit *Turrecremat. in Exposit. Regula Sancti Benedicti, tract.* 88. *Beatus Humbertus in expofit. Regulæ S. August. cap.* 99. *Sylv. in ver. Religio q.* 17. *& ibid. Tabien. q.* 45. *Armilla q.* 28. & omnes alii *Thomistæ*, quibus favent *D. Bonaventura opuscul. de term. quæst. circa Regulam Sancti Francisci, cap.* 14. *Angelus in summ. ver. Abbas q.* 18. *Navar. in cap. non dicatis*, seù *Comm.* 2. *de Regul. q.* 1. *num.* 36. *& eod. tit. cons.* 50. *&* 65. *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *ar.* 14. *à S. Fausto*, multis citatis *de voto obedientiæ lib.* 6. *q.* 203. *Ricciullus* latè, & eruditè *de jur. person. lib.* 8. *cap.* 10. *Graff. lib.* 3. *tom.* 1. *de regul. cons.* 3. *Laur. Peyr. de subdit. q.* 1. *cap.* 25. *Paul. Layman. lib.* 4. *moral. cap.* 13. *per totum, Sanchez in* 6. *decal. cap.* 9. & antè eos *D. Bernard.* quòad hoc ex *Sacra Scriptura* multa adducit, & miranda narrat sua *Epist.* quam *Coriol. de casib. reser. p.* 2. *cas.* 2. *de Apost. dub.* 4. *num.* 2. refert, & admiratur, & alii ferè omnes, & maximè hodiè, ob *Decreta* Sacræ Congregationis, quæ infrà habes.

Et habetur in *Decretis, causa* 24. *q.* 3. *can.* 16. *resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, nè tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant, Arrius in Alexandria una scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totum Orbem, eius flamma populata est.* hæc ibi.

Et fuit sententia *B. Hieronymi in cap.* 5. *ad Galatas*, ut in *fine dicti: cap.* subjungitur, & *ibi Glossa* subnectit, *quòd inobediens à consortio bonorum est repellendus*, quinque exemplis à *B. Hieronymo* adductis: nempè *ovis scabiosæ, & putridæ carnis, & fermenti, & Arrii hæretici, & scintillæ.*

Et in *Can.* 34. incip. *Illud sanè*, eiusdem *quæstionis, & causæ*, majestosis verbis id ipsum deciditur, ibi, *ità ut in his, quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio*; & est Decisio *Leonis Papæ*, *Epistola* 74. *ad Anatolium.* & *ibi Glosa* ait, *quòd hoc intelligas de penitùs incorrigibilibus.*

3. Et hoc totum, tanquàm certissimum, & practicatissimum supponitur in *cap. nè Religiosi vagandi occasionem habentes* 24. *de Regul.* ubi ex *Decreto Greg. Papæ IX.* Priores coguntur annuatim quærere Ejectos, & Fugitivos recipere, nec non & in *Decretis* Sacr. Congregat. *de Apostat. & Eject.* quæ infrà habentur, & longè priùs hoc clarè legebatur in *Regula S. Augustini cap.* 20. ibi, *si quis emendatoriam subire vindictam recusaverit, de vestra Societate projiciatur, non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, nè contagione pestifera plurimos perdat.*

4. Et est Juri, & Rationi consonum, tùm quia bonum commune Religionis est præferendum bono particulari; tùm etiam, quia Clerici facinorosi, & incorrigibiles deponuntur, & traduntur Curiæ sæculari, *cap. cum non ab homine, de Judic.* ergò tantò magis Religiosus incorrigibilis potest Habitu, & Consortio Religionis privari, quia hoc est minus malum.

5. Tùm item, quia æquitas postulat, & ratio dictat, ut liceat Superioribus suam familiam purgare, per ea multa jura, quæ allegat *Ricciullus* cit. *loc. num.* 10.

6. Nec dices, quòd huic malo potest subveniri, si isti Incorrigibiles detineantur in Carceribus, ut in *cap. Impudicus* 27. *q.* 1. quia nos loquimur de Incorrigibili, qui non desistit obesse Consiliis, & Persuasionibus, ex *l. omne delictum, ff. de re milit. & §. sed, & si credat, ver. licet. num. Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.* Et additur, quòd per tale Remedium, Monasterium gravatur expensis, & Communitas perturbatur; quia interdùm caret Ergastulis, & sæpè sæpiùs Custodibus.

Quæſt. 4. Ejectio ab Ordine, qua de cauſa comparetur excommunicationi?

1. NOn ſine cauſa *D.Thom.* in cit. *loc.* expulſionem ab Ordine excommunicationi comparavit; tùm quia, ſicut excommunicatio ex *Concilio Tridentino ſeſſ.25. cap.3.* quamvis ſit gladius, & nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio Populos valdè ſalutaris; ſobriè tamen, magnaque circumſpectione exercenda eſt, cùm experientia doceat, ſi temerè, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem; ita, & expulſio; Tùm etiam, quia ſicut excommunicatio, non niſi in Contumaces, & Incorrigibiles ferenda eſt, & tunc quando alia remedia non proſunt; ſic & expulſio. Tùm item, quia ſicut excommunicatus, ad hoc, ut ſit tutus in conſcientia, tenetur adhibere omnem diligentiam, ut abſolvatur. Ità & Ejectus ſe corrigere, ut de novo recipiatur. Tùm item, quia ſicut Judex Eccleſiaſticus tenetur Excommunicatum abſolvere, toties, & quando eſt paratus ſatisfacere, & obedire; ità & Prælatus Expulſum recipere, & in Religionem admittere; quando ſe offert, emendatoriam ſubire vindictam, ac parere Ordinis diſciplinæ, prout dicitur in *cap. ult. de Regul.*

Quæſt. 5. Religioſus, an poſſit expelli ab Ordine ob enormia delicta?

1. DOctiſſimus *Syl. in ſumm. ver. Abbas, q.3 num. 6.* reſpondet affirmativè, ibi, *ſed intellige, quòd Abbas, vel Prælatus non poteſt expellere Monachum, quod tamen poteſt facere Regula, vel Conſtitutio Privata, probata per Papam, aut jus commune, aut ipſe Prælatus his juribus regulatus.*

2. Et ſe fundat in *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monach.* ubi deciditur, quòd Monachus proprietarius debet expelli à Monaſterio, ibi, *ſi verò poſt hoc proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere, Regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur, nec recipiatur ulteriùs, niſi pœniteat ſecundùm Monaſticam diſciplinam*, hæc ibi.

3. *Pius V.* anno Domini 1566. Pontificatus ſui anno 1. die verò 19. Septembris, conceſſit Ordini D. Hieronymi in Hiſpaniis, ut Capitulum Generale, aut Privatum, Fratres delinquentes in caſibus, quibus quis de jure communi ad mortem damnatur, poſſit perpetuò incarcerare, vel eoſdem in perpetuum, ſeù ad tempus ad Triremes relegare, & condemnare, & in aliis delictis gravioribus, aut graviſſimis, velut inobedientiæ, & contumaciæ, ſeù incorrigibilitatis etiam eos, uſquè ad privationem habitus incluſivè punire, & caſtigare, &c.

4. Quod Privilegium poſtmodùm conceſſit Priori Generali ejuſdem Ordinis, advertens, Patrem Generalem in d. Ordine habere tantam poteſtatem, quantam habet Capitulum Generale, ibi *dict. P. Generali concedimus facultatem relegandi, & condemnandi præfatos delinquentes ad perpetuas Triremes, ſeù ad tempus, nec non privandi habitu, & ipſum habitum extrahendi & auferendi, per ſe, vel per ſuos Miniſtros, dum tamen id faciat de Conſilio Fratrum Monaſterii S. Bartholomæi de Lupiana*; prout meliùs eſt videre in *Comp. dicti Ordin. D. Hieron. ver. condemnatio*, & refert præciſa verba *Rodr. tom.1. q.30. art.16. & Ludov. Miranda tom.1. Manual. Prælat. q.52. ar.1. concluſ.2.*

5. Quod Privilegium, ob mutuam communicationem convenit omnibus; ut teſtantur iidem.

6. Sed multa ſunt delicta, quibus in ſæculo de jure communi debetur pœna mortis; niſi ex aliqua circumſtantia minorentur, etenim homicidium, furtum famoſum, & ſimilia ſecundùm leges civiles puniuntur pœna capitis. Sic item Sodomia, ex *Conſtit. Pii V.* incip. *cùm primum*, edita anno Domini 1566. Kal. April. ibi, *Curiæ ſæculari puniendus tradatur, etſi fuerit Clericus, omnibus ordinibus degradatus ſimili pœnæ ſubjiciatur*; quod pariter confirmavit ſua ſecunda *Conſtit.* quæ incipit. *Horrendum ſcelus*, edita 1568. 3. Septembris, de qua *Conſtit.* & dd. latè idem *Miranda* cit. *loc. ar.2. concluſ.3. & Azor. tom. inſtit. moral. lib.12. c.16. q.3. Sanchez lib.6. in decal. cap. num.5.* & alii plures, qui tradunt, non ob ſolam incorrigibilitatem, ſed etiam ob alia gravia delicta poſſe Profeſſum à Religione expelli.

7. Nihilominùs, hodiè nullus Profeſſus ejici poteſt à Religione, niſi ob ſolam incorrigibilitatem, & juxtà *Decreta* Sac. Congr. juſſu *Urb. VIII.* edita, quæ ad omnem bonum finem hic immediatè pono.

8. Et quamvis verum ſit, quòd de jure communi Religioſus, ob crimen proprietatis poteſt è Religione expelli: hoc intellige, quando in illo crimine eſt incorrigibilis, quod pariter procedit in omni alio crimine, & tranſgreſſione Votorum, & conſtat nimis clarè ex principio *d. cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum* ibi, *Regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur*, ergò ubi monitus ſe correxerit, non ejicietur, & ità debet intelligi *Sylv.* ſuprà citatus.

9. Dixi, hoc procedere in omni tranſgreſſione Votorum, quia quod à Summo Pontifice dictum eſt de voto Paupertatis, cui directè adverſatur, habere proprium, debet extendi ad votum obedientiæ, & caſtitatis; tum quia, in eadem radice, & cauſa fundatur; etenim ratio formalis faciendi Religioſum perfectum omninò, eſt ſola trinitas Votorum inſimul accepta, quorum unum ſi deficiat, nequit Religioſus dici verè, & propriè perfectus, *D.Thom.* communiter acceptus 2.2. *q.186. ar.6.* tum etiam, quia omnia ſunt pariter annexa Regulæ Monaſticæ, ut dicitur in *d. cap. cùm ad Monaſterium.* Ea autem quæ in radice, & cauſa conveniunt, etiam in effectu convenire debent, ex *l. de quibus, ff. de leg. ibiquè Doctor.* & notat *Marcell. Megal.* in ſua *praxi crim. Canonicà cap. 21. de Regul.* & de connexis idem eſt judicium, ergò quod de uno dicitur, ad aliud extenditur.

10. Amplia deciſionem prædictam ad Regularem Incorrigibilem in crimine adulterii, ob quod, etiam Clericus Sæcularis deponitur ab officio, & in Monaſterio detruditur pro toto tempore vitæ ſuæ, per illa Jura, quæ allegat *Diaz in Pract. Crimin. Canonica cap.84. num.2.*

11. Item amplia ad Incorrigibiles in crimine Sodomiæ, quod etiam de jure Divino punitur pœna mortis, *Gen.19. Levit.20. & Exodi 22.* cui ſubſcribit jus civile in *l. cùm vir, ad leg. Jul. de adult.* & inolevit praxis, ut horum cadavera comburantur. *Clar. in §. Sodomia. & Menoch. de arbitr. jud. caſ.286.* & hodiè etiam eſt de jure Canonico, ex *Conſtit.* prædic. *Pii V.*

12. Amplia ad illos, qui cum Fœminis ſodomiam committunt, quod *Clar.* teſtatur de communi in *cit. loc. num.2. & Riccius 1.p. praxis reſolut.302. num.2.*

13. Amplia ad Patientes, *Clar. ubi ſuprà, ver. quæro, & Afflict. in 3.p. Conſtit. Regni, Rubric.42.* adeò, ut ipſe Patiens, ſeù ſodomitatus incorrigibilis, ſit etiam è Religione ejiciendus, eò maximè, quia huic ſceleri dediti, experientia teſte, difficillimè emendantur, *Megal.* cit. *loc. num. 7. in fin.*

Quæſt. 6. Quænam ſint iſta Gravia, & Graviſſima, ob quæ Profeſſi, juxtà Declarationem Pii V. poſſunt à Religione expelli?

1. REſpondeo, quòd Regularis Profeſſus non pro quolibet crimine eſt à Religione ejiciendus, ſed pro Gravibus, & Graviſſimis, juxtà *cap. final. de ſtatu Monachorum* ibi, *ità tamen, quòd Monachos delinquentes*

tes corrigi faciant, juxtà modum culpæ; ubi *Glosa* subjungit, *ut in quo major fuerit culpa, major exerceatur vindicta, nè pœna ampliùs extendatur, quàm delictum*, per ea multa jura *ibid.* allegata.

2. Quæ autem sint ista Delicta Gravia, & Gravissima, ob quæ datur ejectionibus locus. *Pius V.* ubi suprà declaravit, esse illa, in quibus de Jure communi imponitur pœna mortis, aut perpetui Carceris, aut Triremium, sivè in perpetuum, sivè ad tempus, & alia delicta gravissima inobedientiæ, & contumaciæ, ut *ibid.* est videre.

3. *Julius Clarus in Pract. Crimin.* §.1. *num.* 9. cui subscribit *Portellus in Dub. ver. ejicere ab ordine, in Add. num.* 1. ait, *ista delicta esse gravia, & atrocia, ob quæ quis Incorrigibilis potest ejici ab Ordine, nempè læsa Majestas. Homicidium ex proposito; Falsificatio monetæ, Vulnus illatum cum sclopeto, etiam morte non secutâ, si fiat proditoriè, Raptus Virginis, honestis Parentibus ortæ, Coitus cum Moniali intrà septa Monasterii, Sodomia; Latrocinium in Viis, Falsificatio sigilli Principis, vel Senatus*, hæc *ille*, & per summam subnectit idem *Clarus*, sibi videri atrocia omnia illa Crimina, pro quibus lex, vel statutum imponit pœnam mortis naturalis, vel civilis, scilicet Triremium perpetuò, dummodò talis pœna sit in usu. Et *Portellus* ait, quòd pro delicto atroci reputari debet Apostasia, saltèm habitu dimisso, vel cum habitu, *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *art.* 15. respondet, quòd de his non potest dari certa Regula, sed relinquitur arbitrio Judicum, qui tenentur examinare Crimina, & secundùm eorum circumstantias judicare: ubi etiam per multa jura notat, quòd illa Dictio, *Aliis*, significat similitudinem, refert diversum in substantia, sed idem in qualitate.

4. Quod item ex multis colligit *D. August. Barbosa dict.* 17. *fol.* mihi 10. & ait, quòd illa dictio, *Aliis*, similitudinem denotat, & est repetitiva similium, ex *text. l. quidam relegatus, & ibi Bartol. ff. de reb. dubiis, & fol.* 18. examinando illam dictionem, *aut*, num. 1. inquit, quòd natura hujus dictionis est, exponi alternativè, & est disjunctiva, & ad verificationem illius sufficit, alteram partem esse veram, ex *text. l. si hæredi plures, ff. de condit.*

5. Quamobrèm, Prælati juxtà dictam Declarationem *Pii V.* possunt Professum expellere ab Ordine; nedùm propter gravissima crimina, uti est incorrigibilitas; sed etiam propter gravia, hoc est, ob crimina, incorrigibilitate non affecta, *Rodr.* cit. *loc.*

6. Verùm, hodiè nullus potest è Religione projici, nisi solo titulo incorrigibilitatis, & juxtà infrascripta *Decreta* Sacræ Congregationis, ut dixi.

7. Benè verum est, quòd quia expulsio à Religione correspondet quodammodò Depositioni, & Degradationi ab Ordine, & Officio, quibus Clerici depositi, & degradati, servatis servandis, traduntur Curiæ sæculari; debent Judices examinare delicta, ob quæ prætendunt facinorosum Religiosum expellere; an sint talia, ob quæ Clerici in sæculo mereantur deponi, & degradari; de quibus latè, multis citatis *Sayr. decens. lib.* 5. *cap.* 21. & 22. & *Barbosa p.* 3. *de officio Episcopi, allegat.* 110. *per totam*, & conclude, quòd si hujusmodi Regulares delinquentes, talia patraverint, & fuerint in illis Incorrigibiles reperti, absquè dubio poterint expelli, servata forma *Decretorum*.

Quæst. 7. Religiosus, an ob conspirationem, vel injuriam factam adversus suum Priorem, vel Provincialem, aut Generalem, sit à Religione expellendus?

1. *Alphonsus Vivaldus* in suo *Candelabro Aureo, p.* 3. *tract. de depositione, & degradatione, num.* 22. respondet affirmativè, eò quia Religiosus magis tenetur obedire Superiori suo, quàm Clericus sæcularis tenetur Episcopo; etenim majorem authoritatem habet Pater Generalis super suos subditos, quàm Episcopus super Clericos, sed Clericus conspirans contrà Episcopum, deponitur, ergò, & Religiosus paritèr repellitur, quod item amplectitur *Diaz. in practica crim. canon. cap.* 90. ubi refert, Archiepiscopum Hispalensem Cardinalem, anno Domini 1536. in mense Julio, in Civitate Hispalensi, virtute Apostolicæ Commissionis ei factæ a *Paulo Papa III.* quatuor Religiosos ejusdem Civitatis degradasse publicè, eosque statim Curiæ sæculari tradidisse, qui omnes furca suspensi sunt, eò quòd diabolica fraude decepti, Magistrum Provincialem suum occiderunt.

2. Et idem *Vivaldus* cit. *loc. num.* 24. testatur, quendam Religiosum, annis præteritis, Romæ capitali pœna fuisse affectum, eò quòd Monialem quandam violaverit.

3. His tamen non obstantibus, hodiè, & maximè Sacerdotes, ob nullum crimen, quantumcunquè qualificatum, & famosum, debent à Religione expelli, nec degradari, aut deponi, nisi sint Incorrigibiles in illis, prout multis citatis ostendit *Sayr. d. lib.* 5. *de cens. c.* 22. *n.* 29. In quo etiam, quid Jura, Decreta Summorum Pontificum, Constitutiones Religionum, facti gravitas, & usus requirunt, observandum sit, ac prudenter sequendum, ut mox subjicimus.

Decreta Sac. Congregat. Concilii de Regularibus, Apostatis, & Ejectis.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, Regularium Ejectorum, & Fugitivorum statui consulere, illorumquè scandala summovere, & succrescentem numerum frangere opera pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum Sanctissimo D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infrascripta Decreta edidit.

§. 1. *Ac primò ut infecta semina, è quibus pravi ejusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps nè serantur in Vinea Domini, censuit, esse innovandas, & Sanctissimi authoritate innovdi Constitutiones, & Decreta generalia San. Mem. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtèque præcipit Generalibus atq; aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exactè observent, atque ut observentur, efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus.*

§. 2. *A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, nè in Conventibus, seù Monasteriis, ad Novitios recipiendos hactènus designatis, & approbatis, seù in posterum designandis, & approbandis, Novitii ad habitum nullatenùs recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem Decreti observatione, Sacra Congregatio justis de causis censuit, Regulares esse absolvendos, prout authoritate Sanctissimi Domini Nostri absolvit, atquè eximit.*

§. 3. *Deindè, ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tùmque Regularis recta via se transferat ad arctiorem. Quod ut re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.*

§. 4. *Rursus statuit, ut Fugitivi, & Apostatæ, sivè habitum Regularem deferant, sivè non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia Instituta puniendi, utquè ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate*

Ordinariis locorum attributa decreto Concil. cap. 3. sess. 6.

§. 5. Quòd si Apostatæ hujusmodi citrà Montes infrà quatuor, ultrà Montes verò infrà octo menses, à præsentis Decreti publicatione inchoandos, suâ sponte ad suam quisque Religionem redierit, tùm pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ità tamen, ut debeant à Superiore absolutionem humilitèr petere, & coràm eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contrà, benignè illos teneatur ab hujusmodi pœnis absolvere, & paterna charitate complecti.

§. 6. Ad hæc, ut in posterùm è Religionibus nullus legitime professus ejici possit, nisi sit verè Incorrigibilis; verè autèm Incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujuscunque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindèque unaquæquè Religio privatos habeat carceres, in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, nè contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum, de consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis, eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, tùmque non nisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Intereà tamen usquè ad primum Generale Capitulum, seù Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit à Generali, cum consilio, & assensu sex Patrum, ut suprà, quos indemmet Generalis eligere debeat infrà quatuor menses à præsentis Decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma superiùs præscripta.

§. 7. Sic verò Ejecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atquè Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindèque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. 8. Cæterum, Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, ferè in profundum malorum delapsas antequàm gravissimum, atquè extremum expulsionis remedium experiantur; Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum Regimine peribunt, Dominus Noster Jesus Christus in supremo Dei Judicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. 9. Prætereà statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§. 10. Item, ut Ejecti extrà Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§. 11. Ac postremò censuit esse innovandam, & Sua Beatitudinis authoritate innovat Constitutionem fel. record. Greg. IX. relatam in c. final. extrà de Regul. ac prætereà declarat, eam Constitutionem in iis quoquè vendicare sibi locum, servandamquè esse, qui justè, diffinitivèque ac juris ordine servato expulsi fuerint, dummodò tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens, ex literis saltèm testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio seriò oneravit.

§. 12. Nè qua verò difficultas in suprascriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus quorumcunquè Ordinum, vel Congregationum; Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium, ubique locorum existentium injungit, serioque mandat, ut illa diligentèr observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quorumcunquè Monachorum, ac Regularium, ubiquè locorum existentibus, efficiantque ut tàm Decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltèm in anno legantur in publica mensa.

§. 13. Si quis verò ipsorum adversùs ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterùm obtinenda, pœnaque hujusmodi, sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus, & Generalibus, & Protectoribus, illam moderandi, seù relaxandi potestate penitùs interdicta, & nihilominùs sit irritum, & inane quicquid secùs à quoquam actum extiterit.

§. 14. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque Personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque nec non illorum etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seù Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunquè tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibèt, etiam per viam communicationis, seù extensionis concessis; & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autèm per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent: præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ suprà dictis quomodolibèt adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialitèr, & expressè Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisquè contrariis quibuscunquè. Dat. Romæ die 21. Sept. 1624. C. Card. de Torres. Prosper Fagnanus S. Congreg. Secretarius. Et habentur in 4. *tom. Bull. Cherub.* inter *Const. Urb. VIII. Const.* 26. *fol.* 267.

Quæst. 8. *Incorrigibilis quis dicatur secundùm Constitutiones aliquarum Religionum, ad finem expellendi?*

1. IN Ordine Prædicatorum *dist.* 1. *cap.* 19. *tex.* 1. *de Gravissima Culpa*, ille dicitur Incorrigibilis, qui nec culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpiùs repetita inflictione, Judicio Discretorum, cognoscitur non proficere, quod *ibidem fol.* 87. optimè declaratur.

2. Et

2. Et hæc Definitio desumitur ex *Regula S. August. cap.* 20. ibi, *si emendatoriam recusaverit subire vindictam, ex vestra societate projiciatur*, *&c.*

3. Et ex *D.Thom.* 2.2.*q.* 186.*art.* 10. *in respons.ad tertium*, ibi, *si autem peccent ex contemptu, efficiuntur pessimi, & maximè incorrigibiles, secundùm illud Hieremiæ, cap.* 2. *Confregisti jugum, dirupisti vincula mea, dixisti, non serviam in omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternaberis meretrix*; & *ibid. Cajet. & Festus p.*4.*summ. de graviss. Culpa, cap.* 25. & quomodo sit in jure fundata, patebit infrà.

4. In Ordine Minorum ille dicitur incorrigibilis, qui ter fuit convictus, & punitus de eodem delicto gravi, & non resipuit, ut constat ex *Constit. Generali, cap.*6. *de Correct. Delinq.* §.18. *de Incorrigib. Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.*52.*art.*2.*concl.*1. & 2. *Rodr. tom.*1.*q.*30.*ar.*16. cum suo *compend. resolut.*11. *num.*32. & ante eos *D. Bonavent. super Regul. Fratrum Minorum, q.* 14. ubi notat, quòd, ad hoc, ut Religiosus dicatur incorrigibilis juxtà Regulam, tria copulativè simul debent concurrere, & Primò, quòd ejus defectus sint graves. Secundò, quòd sint notorii, non solùm Fratribus, sed etiam Sæcularibus; & Tertiò, quòd ejus malo exemplo adsit periculum corrumpendi alios, ob quod est ejiciendus, ne contagione pestiferà plurimos perdat, *Portellus in dub. regul. ver. ejicere ab Ordine, num.*1. & *seqq.*

5. In Ordine Minimorum ille censetur incorrigibilis, qui ter arripuit fugam, ne puniatur; & ob id non est ampliùs recipiendus, prout fuit statutum in *cap. Valent. num.*13. *Laur. Peyr. de subdito, q.*1. *cap.* 25. ubi multa colligit.

6. In *Regula S. Benedicti, cap.* 28. ille dicitur incorrigibilis, & debere ejici, qui ter aufugit, seu apostatavit, & monitus non se emendavit, *D. Bartholom. à S. Fausto, de voto lib.*6.*q.*203.204. & 205.latè. Sed hodie hæc omnia cessant, & debent omninò observari prædicta *Decreta* Sacræ Congregationis.

Quæst. 9. *Incorrigibilis de jure quis dicatur, ut ejiciatur ab Ordine?*

1. SYlv. *in summ. ver. eod. num.*1. ait, quòd Incorrigibilis dicitur, qui corrigi non potest, & constat ex vi nominis, quod dupliciter esse potest, aut de facto, seu ex parte rei; aut de jure, seu ex præsumptione juris.

2. Incorrigibiles de facto, & ex parte rei, simpliciter, & omninò sunt damnati, qui cùm sint in malo obstinati, de suis delictis pœnitere non possunt, & secundùm talem modum nullus Incorrigibilis reperitur in via, quia nullus homo in hac vita reperitur tam pessimus, quin possit per divinam gratiam fieri bonus.

3. Quidam verò dicuntur Incorrigibiles de facto secundùm quid, hoc est, quia difficulter cessant à vitiis, & ex quadam mala inclinatione, & habitu malo prosequuntur actus facinorosos, & peccata, de quibus dictum est, *Exod.*7. *Obdurabo cor Pharaonis*, & *Hebræorum* 7. *Nolite obdurare corda, & ad Rom. cap.*2. *An ignoras, quòd patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? an divitias bonitatis ejus, patientiæ, & longanimitatis contemnis? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram, & Isaia* 1. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, & subjungitur, *Væ genti peccatrici, & populo gravi iniquitate.* Populus autem gravis iniquitate nihil aliud significat, quàm populum impœnitentem, & cor incorrigibile habentem.

4. Incorrigibilis de jure, seu ex præsumptione juris, est ille, de quo Jura, & *Juristæ* loquuntur, & subscribit *Festus* 4.*p.summ.cap.*25.*de graviss.culpa, & D. August. Barbosa p.*3. *de offic. & potest. Episcopi allegat.*110.*num.*14. & *Portell. in dub. ver. ejicere, num.*1. *in fin.*

5. Incorrigibilis, secundùm *Baldum*, dicitur, qui Judici non paret in extremo jurisdictionis, hoc est, sententiæ ejusdem. *Ant.* autem *de Butr.* dicit, quòd Incorrigibilis est, qui postquam est penitùs condemnatus, iterùm fertur ad crimen, *de sent. excomm. cap. ut fama, Sylv. cit. loc.*

6. *D. Carol. de Grassis, in tract. de effect. Clericatus, effect.*1. *n.*198. multis citatis, ait, quòd tunc dicitur Incorrigibilis, quando ter reprehensus à suo Superiore, & monitus, non se emendat, nec desistit à delictis, ex *cap. cùm contingat, de sent. excom.*

7. Item, qui pœnitentiam sibi injunctam, ob aliquem excessum non exequitur, vel se occultat, vel tergiversatur, ex *cap. ut fama, de sent. excom. num.*199.

8. Item, qui committit crimen depositione dignum, & postquam est depositus, adhuc est incorrigibilis, ex *cap. cùm non ab homine, de judic. num.*799. vel quia se enormitatibus ingerit, & immiscet, ex *cap. perpendimus, de sent. excom.*

9. Item, qui perseverat in delictis, licèt non sint ejusdem generis, & qualitatis, sed diversa, ut si commiserit homicidium, furtum, vel portaverit arma, vel similia perpetraverit; dummodò delicta sint plura, *num.*803. multis allegatis.

10. Ex quibus *Sayr. lib.*5.*de cens. cap.*21.*num.* 37. colligit, quòd Clericus fit incorrigibilis multis modis; primò, si revertitur ad priora, & in eis perseverat, vel in aliis æquè gravibus, ut in *c. ut fama tua*, 35. *de sentent. excomm.* secundò, est incorrigibilis, si assignatum locum pœnitentiæ deserat fugiendo; tertiò, si quis ter monitus non desistat à criminibus præteritis, vel aliis similibus, ut in *cap. contingit, il secondo, de sent. excomm.* quartò, in modo confitendi delictum suum; nam potest reus talia dicere, per quæ apparet, eum esse incorrigibilem; quia fortè non ostendit sese pœnitere de delicto, sed potiùs dolere, quòd non fuerit perfectiùs perpetratum, *Panor. in d.cap. cùm non ab homine, num.* 29. cui subscribunt infiniti *Doctores, Sanchez lib.*6.*decal. cap.*9.*num.*4. *Graff.* 1.*par. decis. aur. lib.*2.*cap.*24.*num.*19. *Duard. in Bull. Cœnæ, lib.* 2. *in can.*15.*q.*11.*num.*85. ubi notat, quòd non velle à Superiore corrigi, stat multipliciter; ut si Religiosus in pœnam commissi criminis reperiatur carceratus, & fugiat, vel si contemnat subire pœnam pro delicto commisso; etenim contemnere, est de novo peccare, & *Bonac. de Clausur. q.*2. *punct.*12. §.1.*num.*6. *Riccius* 4.*p. decis.*102. ubi longa manu agit de incorrigibili, item in 1.*p. decis.*87. *per totam, Novar. in prax. novi juris Pontif. conclus.*1. aliàs 83. *num.*5. & *in Lucer. Regul. ver. incorrigibilis*, ubi ostendit, quòd tria sint copulativè necessaria ad faciendum Religiosum incorrigibilem; primò, quòd crimina gravia sæpiùs commiserit; secundò, quòd monitus sæpè, non desisterit; & tertiò, quòd pœnitentiam pro illis non acceptaverit. Id item post multos *Laur. Peyr. de subdito, q.*1. *cap.*25. *per totum, ver. dico tertiò.*

11. *Portellus in dub. Regul. ver. ejicere num.*1. *ver.*2. *nota*, ait, quòd ille dicitur incorrigibilis, qui ter convictus, & punitus, de tribus criminibus gravibus, & atrocibus, non fuit emendatus (& subnectit) *unde colligo, non sufficere, quòd Religiosus committat tria crimina atrocia ex una quasi vice morali, unum post aliud, vel simul, ut dicatur incorrigibilis, si non sit ter punitus, cum distinctis intervallis, & distinctis punitionibus: sed opus est, ut per intervalla fiant crimina, & cuilibet adhibeatur punitio, & Monachus non resipiscat; aliàs non diceretur incorrigibilis, quia pertinacia propriè consistit in resistentia per distinctas objurgationes: non verò satis colligitur ex una sola resistentia, & ipsum nomen, incorrigibilis propriè, non denotat continuationem ad crimina; sed respectum ad correctionem, vel punitionem ter contemptam.* hæc ille.

12. Verùm, quicquid sit de placitis *Doctorum*, hac in

in parte, ad cavendum errorem, oportet distinguere, quia ly *incorrigibilis*, est nomen æquivocum; nam vel loquimur de incorrigibili, ad finem, ut excommunicetur, & sic de jure debet observari dispositio *cap. neminem*, & *cap. præced.* 43. *distin.* ubi dicitur, quòd ille censetur incorrigibilis, qui semel, aut bis verbis correctus est à Superiore, & non desistit, unde potest excommunicari.

13. Aut loquimur de incorrigibili in excommunicatione, ut dicatur insordescens; & quoad hoc debet attendi *Decretum Concilii Tridentini, sess.* 25.*cap.*3. *de reformat.in fin.* ibi,*excommunicatus verò quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit* , *&c.* & hoc secundùm praxim, quam eruditè ponit Illustrissimus *Anton. Ricciull.in tract. de jure personarum, lib.*4.*cap.*8. *num.* 10. & magis clarè in *tract. de personis, quæ in statu reprobo versantur,lib.*3.*cap.*9.*num.*18. *& sequentibus,Ant.Diana p.*4. *tract.*8.*resol.*18. & noster *Sousa in aphor.lib.*1.*cap.*27.*num.* 7.*fol.* mihi 121.

14. Vel de Incorrigibili quoad privationem beneficii, & in hoc debet observari *cap.ex tua,de Cler.non residentibus*, cum sua *Glossa*, juxta monitiones, & praxim, quam ponit *Aloys.Ricc.* 4. *p. decis.*102. *num.*5.

15. Aut de Incorrigibili in crimine fugæ, & sic debet observari *cap. ut commissi,de hæret. in* 6. & hoc secundùm praxim, quam ponit *Jacob. de Graff. tom.*2.*cons.lib.*2.*cons.* 2. in quo agit de carceratis fugientibus à carceribus, fracto carcere.

16. Vel de incorrigibili,ut privetur privilegio fori,uti est privandus Clericus se immiscens in enormibus delictis,& non incedit in habitu, & tonsura, & tunc quando præcessit trina monitio, prout *Jul.Clar.*§.*fin. q.*36. *num.* 23. & juxtà dispositionem *Conc.Trid.sess.*23.*cap.*6.*de Reform.* ibi, *is etiam fori privilegio.*

17. Aut denique agitur de expellendo Professum à Religione, ob sui contumaciam, & incorrigibilitatem, juxta *cap.final. de stat.Monach.* ibi, *quos contumaces invenerint,& rebelles, juxta modum culpæ corrigant, vice nostra, non parcendo Rebellibus, ob suam pertinaciam, vel potentiam Amicorum, quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves*, hæc *ibi*, & quoad hoc debet observari dispositio *cap. ut fama tua,de sent. excomm. & cap. contingit*, ejusdem *tit. & cap. cùm non ab homine*; *de Judiciis*, ubi *Glossa ver. postmodùm*, docet praxim in procedendo, dicens, *quod quandoque proceditur contra aliquem pro crimine, & quandoque pro contumacia : ubi pro crimine, primo loco proceditur contra aliquem , si crimen tale est, quòd inducat suspensionem, primò debet suspendi: vel si inducat depositionem, debet deponi, & si corrigibilis apparuerit, non proceditur ampliùs contra ipsum: si verò incorrigibilis fuerit, servatur, quod hic dicitur, ut demum tradatur Curiæ sæculari, cùm Ecclesia non habet ultrà, quid faciat.*

18. *Si verò pœna incipit à contumacia, primò debet suspendi, & postmodùm crescente contumacia excommunicari,& deinde deponi,ut in d. cap. & ultimò tradi debet Curiæ sæculari*, hæc ibi.

19. Ex quibus liquet, quòd primum requisitum Incorrigibilitatis est,ut Religiosus commiserit aliquod grave crimen, utpote furti, vel homicidii, perjurii, vel similium,ut dicitur in *d.cap.*proprietatis,ut dicitur in *cap. cùm ad monasterium, de statu Monach.* Secundum quod in dictis delictis fuerit deprehensus legitimè, atque convictus, ut expresse habetur in *d. cap. cùm non ab homine, de Judic. & ibid. Glossa* declarat *ver. deprehensus legitimè.* Tertium est, ut de illis fuerit condemnatus, nempe per sententiam depositus,vel suspensus ab Ordine, si tandem non paruerit, dicitur Incorrigibilis, adeò, ut possit per Judicem laicum comprimi, & puniri.

Quæst. 10. *An trina monitio sit de substantia Incorrigibilitatis?*

1. Marcell. Megal. in sua *prax. crim. can. cap.* 21. *num.*3. negat, dicitque, quòd etsi ipsa trina monitio præcedens faciat hominem incorrigibilem, sine tamen ipsa potest quis esse Incorrigibilis, & *Carolus de Grassis in* 1.*effect.*Cleric. qui in *num.*799. *& num.*800. *&* 801.*& sequent.* multos enumerat casus, in quibus fit quis Incorrigibilis,nullâ factâ mentione de monitionibus; & subnectit, quòd licèt *Menoch.in cons.*81. *num.* 127. *in fin.* supponat, Incorrigibilitatem duo copulativè requirere, scilicet perseverantiam in malo,& correctionem antecedentem: in *num.* tamen 130. dicit,duas monitiones sufficere ad faciendum Incorrigibilem : idipsum docet *Castro lib.*2. *de just. hæret. punit.cap.*2. & alii plures, quos idem citat.

2. Verùm, prætermissis aliorum sententiis, & Religiosorum Statutis, cùm jam censeantur, quoad hoc sublata ex novissimis *Decretis* Sacr. Congreg. suprà positis *de Apostatis,& Ejectis*,quæ sunt omninò observanda; dico, quòd de Jure communi Canonico, est necessaria trina monitio ad constituendum Religiosum Incorrigibilem in aliquo delicto,ad finem, ut expellatur; & habetur in *cap.contingit.*2. *de sent. excomm.* quod,meo videri,etiam includitur, vel supponitur in *d.c. cùm non ab homine, de judiciis*, dum *ibidem* Clericus, antequam tradatur Curiæ sæculari, ut castigetur, debet suspendi, excommunicari,& anathematizari; qui sunt actus distincti, & monitiones, seu citationes distinctas præsupponunt, & exigunt;& addo,quòd nulla ab homine fertur excommunicatio, monitione prætermissâ, ex *Decreto Clem. VIII.* nam certum est, quòd defectus citationis est insanabilis, ut notat *Steph. Quaranta in sum. ver. nullitas:* item addo, quòd expelli à Religione correspondet depositioni à beneficio,quia Religio est beneficium Professorum, ad cujus titulum ordinantur; sed Clericus, ad hoc, ut privetur suo beneficio, ob crimina, debet bis, atque iterum moneri, ut cesset ab illis, ut habetur in *cap. ex tua, de Clericis non residentibus, & ibidem Glossa.* ergo.

3. Amplia, hoc procedere in omni casu,in quo agitur de privatione alicujus Privilegii Clericatus; adeò, ut una peremptoria non sufficiat, sed requiritur trina; & hoc ideò, quia ubi jus requirit trinam monitionem, non satis est una peremptoria, ut docet *Gloss. in Clem.*1. *ver. tertio, de vita,& honest. Cleric.* & ostendit, multis citatis *Riccius p.*4. *decis.*102. *num.* 3.

4. Sed ita est, quòd Professus per expulsionem è Religione, privatur ferè omnibus Privilegiis illius, ergo.

5. Quibus accedit *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.* ubi Professus, ob vitium proprietatis repellitur,Regulari monitione præmissâ, ut *ibidem* expresse dicitur, quòd *cap.* quamvis non loquatur de tribus monitionibus expresse, sufficit,ut de monitione caveat, & decretet, ut nullus è Monasterio ejiciatur, nisi sit incorrigibilis in crimine proprietatis , cum prævia monitione, *Tamburr. de jur. Abbatiss. disp.*21. *q.*4. Incorrigibilis autem nullus censetur, nisi juxta præcitata *capitula*, quæ videntur supponere monitiones prædictas, ad finem, &c. & secundùm prædicta jura censeo , quòd loquantur *Sayrus, Sanchez, Duardus, Lezana* 1. *p. summ. cap.* 23. *num.* 4. *Portellus, & Alphons. de Leone de censur. recoll.*6. *ver. ejicere, num.*310. *fol.*541. qui licèt loquatur de Religioso incorrigibili, secundùm Regulam Beati Francisci; fundatur tamen in d. Jure Canonico.

6. Nec nocet *Carolus de Grassis* in cit. *loc.* nam in *d. effect.*1.*num.*798.testatur,quòd ille dicitur Incorrigibilis, qui ter reprehensus à suo Superiore, & monitus, non se emendat, nec desistit à delictis, & in subsequentibus *numeris*

meris loquitur de his, qui sunt, & dicuntur Incorrigibiles de facto, qui, ut dicantur de jure, seu ex præsumptione juris, regulari debent à primo modo Incorrigibilitatis *ibidem* expressæ, secus autem, *Alphon. de Leon.* citat. *loc. num.* 8.

7. Nam hodie prædicta non sufficiunt ad finem ejiciendi quemlibet à Religione, nisi accedant, & observentur ea, quæ habentur in prædictis *Decretis* Sac. Congreg. in §. *ad hac*, ibi, *Incorrigibilis quis dici non potest, ad effectum, ut tanquam talis è Religione ejiciatur, nisi ut sit verè Incorrigibilis.*

8. Verè autem Incorrigibilis minimè censetur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur: verùm etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, ut meliùs est videre in suprà positis *Decretis.*

Quæst. 11. Incorrigibilis de facto licèt non fuerit ter convictus, nec ter monitus, & punitus; an possit hodie à Religione expelli?

1. HUcusque loquuti sumus de Incorrigibili de jure, nunc autem de facto, uti est ille, qui licèt non sit convictus, & punitus bis, aut ter, nihilominùs commisit aliqua, etsi non gravia delicta, de quibus spectata delinquentis natura, moribus, ac conditionibus ipsius, non speratur emendatio, ut dixi hîc suprà *q. 9.* an possit hic hodie, stante *dict. Decreto* Sac. Congreg. ejici à Religione? ad quod videtur dicendum negativè, ex quo in *d. Decreto* expresè dicitur, quòd non ejiciatur deinceps, nisi verè Incorrigibilis, & declarat, illum esse talem, in quo concurrunt, quæ ad hoc, ex juris dispositione, & cætera suprà posita.

2. Benè scio, quòd noster *Syl. ver. Abbas, num. 6.* ait, *quòd licèt D. Thom. dicat, quòd expelli non debet quis, quamdiu vult corrigi, quod ego intelligo* (subjungit) *nisi Incorrigibilitas præsumatur de facto, propter conditionem viri,* quod amplectuntur *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 15. in fin. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 52. art. 2. conclus. 2. & Portellus in dub. ver. ejicere ab Ordine, num. 1. ver. certiorata,* & ajunt, quòd etsi in eorum Regula habeatur, quòd nullus ejiciatur ab Ordine, nisi sit Incorrigibilis, hoc est, ter monitus, & punitus, ut suprà.

3. Nihilominùs, posito casu de illo Religioso, qui plures Apostasias commisit, in quibus per multum tempus perseverans, excommunicatus celebravit, & Sacramentum Pœnitentiæ sæpè sæpiùs ministravit, & contra præceptum suæ Regulæ pecuniam contractavit, ludos exercuit, arma portavit, Fratres infamavit, discordias inter illos seminavit, & alia mala fecit, absque spe correctionis, & emendationis ad frugem meliorem: affirmant, illum posse à Religione ejici, non obstante, quòd de prædictis delictis non fuerit judicialiter convictus, & punitus, nec putant, hoc esse contra Regulam.

4. *Peyrinus* hos sequitur *de subdito, q. 1. cap. 25. ver. itaque secundùm hos Doctores,* & inquit, quòd Incorrigibilis non solùm est, qui ter convictus, correctus, & punitus, non se emendavit, sed etiam is, cui bis, aut ter crimina remissa, condonata, & dissimulata fuère emendationis spe, & tamen non se correxit, quod probat multis allegatis.

5. *Julius Clarus lib. 5. §. final. q. 36. num. 34. in fin.* ex *Chassanæo* super *Consuet. Burg. fol. 51.* post *num. 66.* dicit, in Curia Parisiensi observari, quòd post binam remissionem de delictis, pro quibus ingeritur pœna mortis, Clericus habetur pro Incorrigibili, & subnectit, idem declaratum est per Parlamentum Parisiense in criminalibus, in quibus pœna mortis non ingeritur, quam declarationem expendens *Rodr. cit. loc. art. 15. in princ.* ait, quòd si Clericus, ob gravia crimina, in quibus non imponitur pœna mortis, fuit judicatus Incorrigibilis, ad effectum, ut degradatus possit tradi brachio sæculari, si bis ipsi venia fuit data, & non fuit emendatus; à fortiori debet judicari Incorrigibilis, dictus malus Religiosus, ad effectum, ut cum confusione possit expelli à Religione, quæ non est tam gravis pœna, sicut degradatio, & traditio brachio sæculari.

6. Et quamvis præcitati *Doctores* locuti sint de ejiciendis ab Ordine, antequam edita, & publicata fuissent præfata *Decreta* Sac. Congreg. *de Apostatis, & Eject.* suprà posita.

7. *Alphons.* tamen *de Leone de cens. in recoll. 6. ver. ejicere, num. 314. & sequentibus* affirmativè respondet ad quæsitum, & dicit, quòd ob verba in principio hujus quæsiti allegata, de rigore Incorrigibilitas de facto non excluditur à præfato *Decreto* Sac. Congr. *de Apost. & Eject.* tum, quia illa verba ex juris dispositione sunt posita ad excludendum Statuta, & Constitutiones particulares Religionum, ut patet ibi, *sublatis in hac parte statutis, &c.* tum etiam, quia talis Incorrigibilitas, licèt dicatur de facto, non propter hoc, non est secundùm juris dispositionem, à qua recipit suas conditiones, & circumstantias, & in qua habet fundamentum, ut dicitur de ignorantia juris, & facti & habetur in *cap. final. de statu Monach.* ibi, *quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ, vice nostra ejicient,* quæ verba idem significant, quàm perseverantiam cum obstinatione in patrandis criminibus: ergo fundatur in jure.

8. Tum etiam, quia sicut *Rodr. Miranda, & Portellus* in cit. *loc.* probant, dictam Incorrigibilitatem de facto esse sufficientem in eorum Ordine ad ejiciendum criminosum obstinatum: etsi in eorum Regula expresè requiratur Incorrigibilitas, prout de jure, hoc est, ut sit ter monitus, & convictus.

9. Dixi, in rigore (ait *ille*) quia si cum taliter Incorrigibili posset observari aliud requisitum dicti *Decreti,* scilicet probationis in carcere per annum in jejunio, & abstinentia; posset ejici, secùs si non posset observari dictum requisitum, ob cujus defectum hodie non posset expelli ab Ordine ille malus Religiosus, quem *Rodr. & Miranda* dicebant, & consulebant, posse ejici, non obstante eorum Regula, quia illa annalis pœnitentia exequenda in carceribus formalibus in jejunio, &c. hodie est de forma ejectionis; & forma, etiam in minimo est observanda, secùs corruit actus; ideoque (subnectit) in facti contingentia, vidi in casu simili dispensatum fuisse à Sacra Congregat. quòd non obstante, quòd talis malus Religiosus, ob ejus fugam ab Ordine non possit probari per annum in carcere, liceat Superiori, illum, quamvis absentem Incorrigibilem declarare, & *D. Pyrrhus Corradus in praxi dispens. Apostol. lib. 5. cap. 14. num. 31.* fatetur, Sacram Congregationem dispensasse in anno, & pœnitentia carceris, quæ practica tunc procedit, & habet locum, quando talis malus Religiosus aufugit, etiam à carcere, ante tertiam punitionem, quod nota, & tene menti, quia sæpè occurrit.

10. Nec obstat *Portellus* ubi suprà *num. 4. in fin.* dicens, quòd hyperbole est, quod dicunt aliqui, Monachum fugientem à carcere reputari incorrigibilem: hoc falsum est, neque adeò gravis culpa est sola fuga à carcere, ut faciat plusquàm unam Apostasiam.

Quia si aufugit post tertiam monitionem, etiam infrà annum dictæ probationis, posset declarari incorrigibilis, ut benè dicit *Bellectus p. 2. disquisit. Clericalis, §. 25. num. 13.*

* * *
* *

Quæst. 12. Si Incorrigibilis de facto stet in carcere per annum, juxtà dict. Decretum Sac. Congregationis, & sit paratus exequi pœnitentias sibi injunctas; sed non ideò se corrigit, nec abstinet à delictis, de quibus fuit correctus; an possit ejici?

1. AFfirmativè dic, quia hæc promptitudo exequendi pœnitentiam, tantùm excusat ab Incorrigibilitate de jure, quatenùs est signum resipiscentiæ, & emendationis: secùs autem ab incorrigibilitate de facto.

2. Ergò, cùm non adsit spes emendationis, illa promptitudo nihil juvat: imò ostendit, & arguit majorem obstinationem; etenim obstinatorum est, libenter amplecti omnem pœnitentiam; dummodò de obstinatione sua victoriam reportent, & secundùm hoc debet intelligi *Sylv. ver. Abbas, num. 6.* & ità sæpè consuluit prædictus *Pater Alphons. de Leon. n.318. in* cit. *loc.*

Quæst. 13. An requiratur Declaratoria super Incorrigibilitate subditi, antequam à Religione expellatur?

1. PEr prius forsitan non requirebatur, teste *Farinac. 1. p. Praxis, tom. 1. q. 8. num. 49. & Novario Canonico in summ. Bull. de Apost. & Eject. n. 21.*

2. Sed hodie est plusquàm necessaria, juxtà prædict. *Decret.* Sac. Congreg. *de Eject.* ibi, *Generalis illicò expulsionis sententiam Ordinario notificare teneatur*: quod, meo videri, semper debuit observari; nam qualitas dans jurisdictionem, debet legitimè, & concludenter probari; secùs cessaret jurisdictio, quæ sub illa conditione censetur concessa; & est expressa sententia *Jul. Clar. in Pract. Crim. q. 36. num. 34. ver. sed quæritur, Felin. in d. cap. cùm non ab homine, de judic.* post *num.* 10. *Follerius in Praxi Crim. ver. audiantur ex adverso, n. 4. & Capyc. decis. 112. num. 6.*

3. Nec officit *text. d. cap. cùm non ab homine, de Judic.* quo quidam suffulti ajunt, contrarium asserere *Covar. Pract. cap. 32. num. 2. ver. 2. & Clar.* cit. *loc. q. 36. num. 32.* quia quicquid sit de *d. cap.* non desunt alia clariora, uti est *cap. novimus, 27. de ver. signific. cap. degradatio, 2. de pœnis, lib. 6. cap. falsariorum, de crimine falsi, cap. ad abolendum, 9. de hæret. & Conc. Trid. cap. 14. de reformat.* & notant multi, quos sequitur *Barbosa allegat.* 110. *num. 17. & in d. cap. cùm non ab homine, num. 7.*

Quæst. 14. An quis possit declarari Incorrigibilis pro delictis, de quibus fuit inquisitus, sed absolutus?

1. ILlustrissimus *Aloysius Riccius Decis. Cur. Archiep. Neap. p. 4. decis.* 102. post longam discussionem refert, per Archiepiscopalem Curiam fuisse decisum, quòd non potest dici Incorrigibilis, qui bis perpetravit delictum, stante absolutione primi delicti; & in *1. p. decis. 87. num. 3.* ex multis colligit, quòd duo copulativè requiruntur ad incorrigibilitatem alicujus, nempe perseverantia in delictis, & trina monitio. Nec refert fundamentum, in quo se fundavit d. Curia, credo, quòd aliquid aliud requirebatur, quod fortè fuerat prætermissum.

* * *
* *

Quæst. 15. An Regularis possit declarari Incorrigibilis, respectu unius delicti?

1. ROdr. *tom. 1. q. 30. art. 15. in medio,* affirmativè respondet, cui multis allegatis favet *de Grassis, effect. 1. n. 882.* ibi, *Item Clericus dicitur Incorrigibilis, quandò committit unicum delictum: dummodò delictum sit sævum, & enorme, & taliter declaretur per Episcopum; & in talibus delictis enormibus & gravissimis non est tunc necessaria perseverantia, & reiteratio delictorum, ad hoc, ut delinquens dicatur Incorrigibilis; & hoc ideò, quia Judices inferiores habent potestatem puniendi peccata secundùm circumstantias eorundem, usque ad pœnam mortis inclusivè: sed fieri potest, ut unum delictum habeat tales enormes circumstantias, ut pro una vice, qua committitur, possit puniri pœna mortis,* ut ex multis allegatis ostendit *Jul. Clar. lib. receptarum sent. §. sacrilegium num. 3.*

2. Sed pœnæ mortis in Clericis correspondet depositio, & degradatio; & in Religiosis expulsio ab Ordine, & Habitu, ergo.

3. Et habetur in *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.* in quo Religiosus ejicitur ab Ordine ob solum vitium proprietatis, & in *cap. cùm non ab homine, de judic.* ubi fit expulsio ob causam homicidii, vel furti, vel falsitatis, vel alterius criminis: etenim ille *textus* loquitur per illam dictionem disjunctivam.

Quæst. 16. Sententia Declaratoria Incorrigibilitatis; an debeat fieri à P. Generali Ordinis?

1. ALexander Sextus fecit facultatem Generalibus Ordinis Minorum, ut per semetipsos dumtaxat, & Provincialibus, ut per eos, cum consensu majoris partis Capituli Fratres dicti Ordinis, quos incorrigibiles reperint, habitu expoliare valeant, & ab Ordine ejicere, atque contra quoscunque eis auxilium, consilium, favorem, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, aut quovis quæsito colore supradicti habitus delatione præstantes, etiam cujuscunque Dignitatis, Gradus, Ordinis, aut conditionis fuerint, per censuras Ecclesiasticas, & alia juris opportuna remedia (appellatione postpositâ) procedendi, invocando etiam, si opus fuerit, auxilium brachii sæcularis.

Et habetur in *lib. Monumenta Ordinum,* in 1. impress. *fol. 56. conclus. 65.* & refert *Cæsarub. in comp. Privil. Minorum, ver. ejicere, & Bonac. de Claus. q. 2. punct. 12. §. 1. num. 15.*

2. Et adverte, quòd *Alexander in d. privil.* loquitur absolutè, nec vult, ut incorrigibilis sit ter convictus, & monitus, quod, ob communicationem Privilegiorum extenditur ad alios Generales Ordinum, *Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 16. & Miranda tom. 1. q. 52. art. 1. in 1. concl.* & censetur personale, non autem locale, hoc est, P. Generali tantùm concesso, & sequitur ejus personam, quocunque ierit; adeò, ut non teneatur expellere ab Ordine de consensu sui Capituli, sed in vim *d. Privilegii,* poterit ipse solus ejicere Incorrigibiles: secùs autem dicendum de P. Provinciali, quia tenetur sequi consensum sui Capituli, ut constat ex lectura *d. Privil.* & notat *Miranda in* cit. *loc. conclus. 2. in fin.*

3. Verùm, quicquid sit de d. Privil. hodie tamen debent attendi *Decreta* Sac. Congreg. *de Apost. & Eject.* suprà posita: ita ut P. Generalis tantùm possit ab Ordine Incorrigibiles ejicere, & illos dumtaxat, qui sunt verè Incorrigibiles in aliquo gravi delicto, & non nisi elapso anno carceris, & pœnitentiæ, & de consilio, & assensu sex Patrum, ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus, instructo processu secundùm eorum stylum: & ut causæ expulsionis

nis concludentèr probatæ sint, & judicialitèr plenè constet, talia crimina perpetrasse eum, quem expellere desiderant; ut constat ex *d. Decretis, Graff. conf.5. de Regul. num.19. Carol.de Graffis in d. effect.1.num.807. Novar. in pract. novi juris Pontif.conclus.83.num.6.*& eius Frater *Canonicus in summ.Bull.de Apost. num.20. & 21. & Megal.* in sua *practic.crim.Canon.cap.23.num.8.*

Quæst.17. Patres, qui cum Generali debent esse Conjudices, ad finem expellendi; an debeant semper eligi per Capitulum Generale?

1. ETsi dicti sex Patres sint omninò necessarii ad rectè, ac juridicè judicandum cum Patre Reverendissimo super Incorrigibilitate subditorum, & ad illos expellendum à Religione, juxtà seriem *Decretorum* supra posit. nihilominùs, cùm nimis perdifficile foret, Patrem Generalem, tempore visitationis, posse secum ferre dictos Patres, quocunque ierit, ad finem expellendi ab Ordine, quod de raro evenit: supplicatum fuit Sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium, eamque respondisse, ac declarasse, electionem prædictorum sex Patrum spectare ad Capitulum Generale, quando hujusmodi sententia esset ferenda in illo Capitulo, vel in Loco, ubi regularitèr morari solet Pater Generalis: secùs autèm spectare ad ipsum Patrem Generalem, eumque posse illos sibi eligere in omni Provincia, quam contigerit visitare; si iis in illa indigeat, & testantur *Peyrinus to.2. Privil. Minim. in Const.10. Urb. VIII. in §.4. Lezana tom.1. sum. cap.23.num.5. & 3.ver. ejecti, num.11. Alphon.de Leone de cens.recoll.6. ver. ejicere, num.322.& Novar.p.1.summ. Bull.tit. de Apost. & eject.à Religione, num.35.* quod ego in facti contingentia vidi observari à P. Reverendissimo Fratre Nicolao Rodulfio Vigilantissimo Ordinis Magistro, cùm essem in eius Comitatu, in causa, & causis cujusdam Religiosi, qui servatis servandis fuit deniquè ab Ordine ejectus, & extrà Ordinem paululùm posteà miserabilitèr mortuus est.

Forma sententiæ ejiciendi Incorrigibiles ab Ordine.

CHristi nomine invocato: Nos N. Magister Generalis talis Religionis cum consilio, & assensu infrascriptorum sex Patrum in ultimo nostro Capitulo Generali, ad hoc electorum, v.3. A.B.C.D.E.F. Visis, & consideratis omnibus, & singulis, quæ continentur in processu formato coràm nobis super Incorrigibilitate N. nostræ Religionis professi, qui in sæculo vocabatur B. talis Diœcesis, consideratáque eius pervicacia, & vera incorrigibilitate, & cùm etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia cum probaverimus in carceribus ad præscriptum Decreti Sacræ Congregationis de Regular. Apostat. & ejectis, & cùm adhùc animo indurato in sua pervicacia perseveret nè contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putridum, Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat, & oculi nostri videant æquitatem; per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus Christi nomine repetito: sententiamus, declaramus, pronunciamus, atque diffinimus, dictum N. esse verum Incorrigibilem, & ut talem, à nostra Religione esse ejiciendum, ideòque illum per hanc nostram diffinitivam sententiam à nostra Religione ejicimus, & ejectum esse declaramus, admonentes eundem, nullatènus liberum à votis inter nos emissis remanere, & extrà Religionem degentem esse perpetuò suspensum ab executione Ordinum, esseque subditum Ordinario loci, cui est interdicta facultas relaxandi, aut moderandi dictam suspensionem per Decretum Sacræ Congregationis super hoc habitum die 21. Septembris anni 1624. & quandiu in Religionem non redierit, in habitu Clericali incedat, & ut habitu nostræ Religionis nullo modo, & tempore utatur, sub pœna falsi, & aliis latis contrà eos, qui mentitè habitum alicuius Religionis assumunt: injungentes ei, ut quàmprimùm Diœcesano suo se præsentet, eiusquè jurisdictioni, & obedientiæ subjaceat, ut in d. Decret. sacræ Congreg. mandatur.

Lecta, lata, & publicata fuit hæc sententia per nos qui supra sedentes pro tribunali in tali loco die 18. mensis Februarii 1648. Præsentibus N. & N. testibus ad hoc vocatis N. de N. Magister Generalis.

Et subscribatur à singulis sex Patribus, dicatquè unusquisquè.

Ego Fr. B. ad hoc deputatus à Capitulo Generali consilium, & assensum præbui. N. de N. Actuarius.

Quam formam posuit *D. Marcellus Megalius* Squillacensis, Vir insignis Doctrina, & moribus conspicuus, in sua *Praxi Criminal. Canon. cap.21. num.9.* & lætantèr amplectitur *D. Pyrrhus Corradus in praxi dispensat. Apostolicarum lib.5.cap.14.nu.3. & Laur. Portellus* aliam posuit in *dub. regul. ver. ejicere*, post *num.8.* quæ, meo videri, prædictis *Decretis* Sacr. Congregationis minimè correspondet, & censetur effecta juxtà terminos priscorum Privilegiorum.

Quæst.18. An Incorrigibili sic expulso debeatur copia sententiæ, & etiam Episcopo loci, ad omnem bonum finem?

1. REspondent prædicti *Doctores* in citatis *locis*, quòd lecta, & publicata sententia, statim detur illius copia ipsi Incorrigibili, qui exuatur habitu Regulari, & indutus habitu Clerici sæcularis, ejiciatur de facto, & expulsionis sententia notificetur Ordinario, ut sciat, quid juxtà *Decreta* debeat observare circa talem Expulsum.

2. Nec dices, quòd in prædictis *Decretis* statuitur, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis, literas testimoniales concedant, quia, ut *ibidem* expressè dicitur, hoc statutum est quòad litteras, quibus Religionum Superiores solebant forsitan olim, hujusmodi Ejectos ad Sanctam Sedem rejicere, vel jubere, aut astringere, aliam Religionem intrare, *Lezana p.1. summ.cap.23.nu.20. & Novar. in d.tit.de Apostat.num.38. & 39.*

Quæst.19. Religiosus in carcerem conjectus, quâ praxi cognoscatur, quòd in fine annalis pœnitentiæ non resipuit?

1. IUxtà terminos prædict. *Decret.* Sacr. Congreg. suppono, quòd nullus hodie potest è Religione ejici, nisi sit de jure verè Incorrigibilis, quis autem sit iste talitèr Incorrigibilis, dictum est suprà, & maximè juxtà *cap.ut fama tua 35.de sent.excomm.cap.contingit, eod. tit. il. 2.cap.cùm non ab homine, de judiciis,* & similia; & quòd ultrà prædicta nullus potest dici verè Incorrigibilis, nisi probetur, unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia in Carceribus formalibus peragenda: quo anno elapso, si non resipuerit, imò pertinacitèr animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, nè contagione pestifera plurimos perdat, tanquàm pecus morbida, & membrum putre, ejici debet.

2. Et quòd ista qualitas, nempè obdurationis, & pervicaciæ, in qua fundatur jurisdictio expellendi ab Ordine, sit probanda, & debet de ea legitimè, & concludentèr in actis constare: secùs autem, sententia ejectionis hujusmodi non sustineretur.

3. Proindè, boni Prælati, ad finem sententiandi super incorrigibilitate subditi, debent ad hujusmodi incarceratos, zelantes Patres, pietate, & doctrina conspicuos, usquè in finem annalis pœnitentiæ, multotiès transmittere,

tere, ut illos rationibus, & precibus, etiam plerumquè blandiendo, cohortentur ad patientiam, & pœnitentiam aggrediendam; qui quidem postmodùm sunt summariè examinandi super fructu hujus Religiosæ Visitationis, & Monitionis peractæ; & quid indè sit subsecutum. Nàm si hi deponent in scriptis cum juramento, & coràm Judice competente, nihil boni peregisse, immò occasionem fuisse majoris iræ, & blasphemiæ, & perturbationis non paucæ; adeò, ut ob id effecti sint nequiores, & pejores, Minacias minaciter inferendo, & recusando, se velle subire pœnas juxtà quantitatem, & qualitatem culparum sibi justè debitas, desiderant expelli à Religione, quia pensant, licèt temerariè, in illa non posse quiescere, nec salvari, & quòd appetunt foris esse, ut effrenatè vivere possint, & quòd dolent, non quidem de delictis commissis, sed quòd non majora commiserint, vel de modo committendi, quòd turpiùs, & facinorosiùs potuissent delinquere, & quòd gloriantur, in quibus tenentur erubescere, & quòd deniquè sunt tales, quos infamiæ propriæ nec pudet, nec tædet: de his ergò legitimè constito, aliisquè servatis, poterit Pater Generalis, ut dictum est suprà, hujusmodi facinorosos è Religione expellere: secùs autem, si constet, illos resipuisse, & promptos esse omnem pœnitentiam amplecti, eamque omni humilitate executioni mandare.

Quæst. 20. *An Moniales Incorrigibiles, possint à Conventu expelli?*

1. NEgant *Sanchez lib.6.decal.cap. 9. num.6. Gavant.in Manual. Episcop. ver. Monialium clausura, num.*23. *Barbosa in collect.Doctorum in c. nè Religiosi, quod est ultimum de Regularibus, num.*16. *Novar.in Praxi novi Jur. Pontificii, conclus.*1.aliàs 83.*num.*8.*Bonac.de Clausura q.*1.*pun.*9.*num.*14. *ver.major difficultas est, Tambur. de Jur. Abbatiss. disput.*21.*q.*4.*num.*3. *Lezana p.*3.*summ. ver. eject. num.*11. *& ver.Clausf.nu.*15.*& Alphons.de Leon. ubi suprà.*

2. Tùm quia id nunquam practicatum est in Ecclesia Dei, ob quod non reperitur historia, quæ hoc dicat; tùm etiam; quia ex hac expulsione magnum detrimentum consurgeret adversus Clausuram Monialium: etenim quamplures, spe exeundi ab illa, incorrigibiles fierent ultrò: perindè, daretur ansa, & occasio multis, deserendi Monasteria, & hùc illùc discurrendi; non sine scandalo Populi, Religionis infamia, Castitatis periculo, & dedecore Consanguineorum.

3. Quamobrem, ob bonum commune Familiæ, & Religionis illarum, maximè cùm sint nobiliores, vento, & natura fragiles, cavendum est ab hoc. Tùm item, quia non convenit, ut ex proprio delicto, incorrigibilis ipsa recipiat commodum, nempè hinc indè ad libitum vagari. Tum item; quia ità sæpè Sacra Congregatio decidit, ut die 27. Maii 1603. & refert. *Gavant.* cit. *loc. & Ant.Ricciull.de Jur.Person.lib.*8.*cap.*5.*num.*8.*in fin.*in una *Redonen. & Lezana* tàm in præcitatis *locis*, quàm in *cap.* 25.*de Monialibus,num.*17. ubi refert propria verba d.Sac. Congr. ibi, *Incorrigibiles Moniales ejici non possunt; neque transferri, inconsulta Sede Apostolica.* Tùm tandem; quia est Decisio *Constitutionis Urb. IV.* quam referunt *Rodr. tom.*1.*q.*49.*ar.*1. *& Miranda de Monialibus in fine tom.*2. *q.*3.*ar.*2: *ibiquè* testatur, prædictam *Constitutionem* non esse revocatam per *Bullam Pii V.* neque per *Conc. Trid.* teste *Rota Romana* in una *Ulixponen.Monasterii* 19. Novembris 1625. coràm Illustrissimo *D. Coccino*, & tradunt *Bonac.Tambur. & Novar.* cit.*loc.*

4. Proindè, Moniales nullatenùs debent ejici à Conventu propter earum Incorrigibilitatem, sed in eodem Conventu debent carceribus mancipari, & ferrea catena custodiri; & dato casu, quòd ibidem nequeant puniri, possunt in aliud Monasterium transferri ad luendum pœnas suarum culparum: Sacra tamen Congregatione semper consulta, non aliàs, nec alio modo.

5. Nec ab his recedas, eò, quòd *c. cum ad Monasterium, & cap. final de stat. Monach.* & similia statuant, Religiosos Viros posse ejici è Religione, ob eorum incorrigibilitatem, quia Ecclesia nunquàm censuit, prædicta Jura posse extendi ad Moniales, ob prædicta.

6. Nec replices, quòd Genus masculinum concipit Fœmininum, & proindè inferas, ergò dispositio loquens de Monacho, habet locum in Moniali: quia hoc intelligitur in materia proportionata, hoc est, dummodò non repugnet sexui, honori, aut castitati illarum, vel præjudicet communi bono Religionis, & Consanguineorum prædictarum; prout notat *Ricciullus*, multis citatis *lib.*8.*de Jur. Person.cap.*5.*num.*2.& 5.

7. Nec te moveat *Hier. Rodr.* in suo *Comp. qq. regul. resol.*55.*num.*3.*in medio*, dicens, quòd Moniales superbæ, & rebelles, possunt per Prælatos à Religione ejici, per quandam singularem concessionem *Innocentii Quarti*, factam Cisterciensibus, ut in *Bullario* eorundem, quia hæc concessio nunquàm fuit in Praxi servata, nec acceptata, & per non usum censetur deperdita, & aboleta hodiè, & revocata, etiam per *Urb. IV.* & per supradicta *Decreta* Sacræ Congr.

8. Benè verum est, quòd de scientia, & voluntate Domini Papæ, Moniales possunt ejici è Religione, & separari à cætu Sororum, nedum titulo Incorrigibilitatis: verùm etiam, ex alia causa, immò sine necessaria causa, si illi tamen visum fuerit expedire; quia Papa omnia potest, in iis præsertim, quæ sunt de jure humano; non enim possumus ei dicere, cur ità facis? quandoquidem judicat omnes, & super terris à nemine judicatur.

9. Nec rationes adductæ, quibus negativa suadetur, videntur Achylles, per ea multa, quæ longa manu scribit in facti contingentia Illustrissimus *D. Carolus Maranta tom.*2.*controversiarum, respons.*26.*per totam, fol.* mihi 120. etenim etsi procedant de æquitate, regulariter, & urbanitate Papæ: fallunt tamen de potestate ejusdem, & quando extrajudicialiter proceditur in tali casu.

10. Hinc in casu hujusmodi ejectionis faciendæ de voluntate Romani Pontificis, sunt observanda prædicta *Decreta* Sacr. Congreg. *de Apost. & Eject.* juxtà sui seriem, continentiam & tenorem, alia Papali dispensatione non habita, proùt ex multis ostendit *D. Barthol. à S.Fausto de voto solemni, lib.*6.*q.*237.

*Quæst.*21.*Decreta de Apostatis, & Ejectis, an comprehendant Novitios?*

1. NEgativè; tùm quia recensita *Decreta* loquuntur expresè de Religiosis Professis, ibi, *ad hoc ut in posterùm nullus legitimè professus*; tùm etiam, quia Novitii in odiosis non veniunt sub nomine Religiosorum, ut latè dixi in *tract.de recipiendis ad habitum, in tract. de Privil. Novit.* tùm item, quia odia, juxtà Regulam, sunt restringenda, non autem amplianda.

2. Quamobrem, si contingat, Novitios à Religione ejici ob defectus, non ideò erunt in sæculo suspensi, sed remanent liberi, sicut, & cæteri sæculares.

*Quæst.*22. *Ejectus per justam sententiam: an omninò eximatur à Iurisdictione Religionis; ita ut desinat esse Monachus?*

1. SAnctus *Umbertus* Dominicanus, Quintus Magister Ordinis, super *Regula S. August.Sylv.ver. Religio* 6.*q.*12.*& ver.Votum* 4.*q.*5.*Sot.de just.lib.*7.*ar.*2.*Suarez tom.*5.*disp.*27.*sect.*5.*num.* 20.*Barbosa in cap.final.de regul.num.*7.*Bonac.de Clausf. q.*2.*punct.*12.*§.*3. *num.*1.*& sequen.*

sequen. Sanchez in decal. lib. 6. cap. 9. num. 24. & sequen. Laur. Peyr. tom. 1. de subdit. q. 1. cap. 25. vers. dico quintò, & Illustrissimus Maranta tom. 3. controvers. respons. 57. num. 4. & sequen. ob multa negativè respondent.

2. Primò, quia Summi Pontifices ad instantiam Fratrum Prædicatorum, ità declararunt, & præcipuè *Ioann. Papa 22.* & habetur in *cap. de gravissima culpa, distinct. 1. cap. 19. in declarat. text. 1. fol. 88. col. 2. in fin.* ibi, *ille autem, qui propter culpam suam expellitur à Prelato, adhùc est eiùs subditus, sicut ovis morbida, licèt sit expulsa à grege, adhùc est Pastoris.* & *Innoc. IV.* qui vixit tempore *d. Umberti*, sua *Const.* incip. *Iustis petentium desideriis*, quam per extensum habes in nostro *Bullario*, *pag. 24.* ibi, *aliqui ex vestris Sacris Collegiis, ipsorum culpis exigentibus, expelluntur, qui onus obedientiæ temeritate propria deponentes, &c.* & infrà, *nè prædicti, quos ab Ordine pro suis culpis per vos expelli contigerit, vel egressi fuerint proprio suo motu, prædicare, confessiones audire, seu docere præsumant, nisi de nostra, vel vestra licentia speciali, ad alium transierint Ordinem districtius inhibemus.* & *Sixtus IV.* in suo *Mari Magno*, quod *ibid.* habes per extensum *fol. 152.* & incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ, &c.* prohibuit, nè hujusmodi Ejecti possint sine speciali licentia Magistri Ordinis, exercere officia Prædicationis, & similia; ut in litera.

3. Secundò, quia Prælati Regulares per sententiam expulsionis, non intendunt, Ejiciendos, seù Ejectos absolvere à votis solemnibus, nec à jugo Religionis liberare; sed providere bono communi Religionis, nè boni Religiosi, illorum malo exemplo inficiantur. Immò nec possunt; etenim nullus Prælatus, Papa inferior, potest in voto solemni dispensare, *D. Thom. 2. 2. q. 83. ar. 11.*

4. Nec item ipsemet Dominus Papa, quia vinculum Religionis est de jure Divino, ex illo *ultim. Levit.* quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari, & habetur in *cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach. in fin.* ibi, *nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, ut contrà eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*, hæc *ibi.* quod idem procedit in voto obedientiæ; sunt enim omnia vota essentialiter connexa, & sub eadem ratione formali Religionis coeuntia.

Nisi forsitan in magnis casibus, & ob publicam, & communem utilitatem.

5. Dixi, forsitan, quia non omnes uno ore loquuntur, & inter *Iuristas*, & *Theologos* dissidium est, de quo *Syl.* cit. *loc. ver. Votum, Sot. d. ar. 2.* & lepidè nuper *Nicolaus Garzias in tract. de benef. par. 7. num. 43. & sequen.* qui est omninò videndus.

6. Confirmatur, quia ex decisione *Sacri Conc. Trid. sess. 24. de sacram. Matrim. Can. 7. & 8.* Vinculum Matrimonii non potest dissolvi, nec quidem per adulterium; nisi quòad thorum, & cohabitationem: ità à pari, & Vinculum professionis, quo Professus, & Religio mutuò vinciuntur, professione secuta, quia arguere à matrimonio carnali ad spirituale, tenet argumentum.

7. Tertiò, non potest præsumi, quòd hujusmodi Incorrigibiles, & Rebelles per hanc expulsionis sententiam meliorentur, & commodiores fiant iis, qui provehuntur ad Episcopatus, vel Cardinalatus Gradus: sed hi, etsi reperiantur in Episcopali statu, adhùc tamen tenentur ad Vota solemnia suæ Religionis: nec non & ad alia omnia, quæ illorum statui non repugnant. In cujus signum, illius habitum ferunt, prout communis Schola testatur.

8. Quartò, deniquè id ipsum expressè reperitur definitum à *Gregorio Papa IX. in cap. final. de Regul.* ibi, *statuimus, ut Præsidentes Capitulis celebrandis, secundùm statutum Concilii Generalis, seù Patres, Abbates, seù Priores, fugitivos suos, & ejectos de Ordine suo, requirant sollicitè annuatim salva Ordinis disciplina.* hæc *ibi.* ex quibus benè vides, quòd Ejecti spectant ad Ordinem, à quo expulsi sunt.

9. Nec dicas, quòd prædictus *textus* debeat intelligi de Ejectis injustè, vel, ordine judiciario non servato, aut fortè per sententiam nullam, quia Papa *ibidem* loquitur generaliter, & ità indefinitè debet intelligi, & consequenter non debet coarctari, tùm quia loquitur de Ejectis, qui secundùm Ordinem Regularem, non possunt ampliùs recipi, qui nequeunt esse injustè ejecti; hos enim tenetur Religio admittere, absquè novo jussu Domini Papæ.

10. Nec replices, *Decretum d. cap.* non esse usu receptum; quia id item non obstat: quandoquidem Papa in *dict. cap.* non videtur statuere novum jus quantùm ad potestatem compellendi hos Ejectos ad reditum, & ipsorum obligationem ad reddendum; sed ea supposita, obligat Prælatos ad diligentiam hanc, eos scilicet quærendi, & compellendi, adhibendam, quæ omnia, ut omni careant scrupulo, ex novis suprà positis *Decretis* Sacr. Congregat. innovantur, solidantur, & stabiliuntur, ibi, *postremò censuit, esse innovandam, & Suæ Beatitudinis authoritate innovat Constitutionem fel. recor. Greg. IX.* relatam in *cap. final. extrà de Regul.* ac prætereà declarat, eam *Constitutionem* in iis quoquè vendicare sibi locum, servandamque esse, qui justè, diffinitivèque, ac juris ordine servato expulsi fuerint, ut clariùs apparet in *§. 11. d. Decretor.* quæ habes hic suprà in *q. 7.*

11. Nec obstat *Navar. lib. 3. de Regul. cons. 51.* in 1. edit. neque *Ricciullus de iur. person. lib. 8. cap. 11.* cum sua phalange *Doctorum num. 1.* tùm quia scripserunt, anteaquàm prædicta *Decreta* Sacr. Congreg. edita essent, tùm etiam, quia suprà posita noluerunt advertere.

12. Nec objicies, quòd sicut Servus ejectus à Domino, efficitur sui juris, desinitque esse sub potestate illius; ità pariter, & Religiosus expulsus per justam sententiam; fallit enim paritas, quia Dominus habet facultatem dimittendi à se liberè Servum, & potest facere de re sua quicquid voluerit: at Religio non potest de Monacho facere non Monachum, ut dictum est, nec Prælati possunt præjudicare suæ Ecclesiæ in bonis quæsitis, nec valent de illis disponere pleno jure.

13. Nequè obstat, quòd res judicata sit servanda, *l. res, judicata, ff. de regulis juris*, quia non est judicatum, Monachum per sententiam justam expulsionis, absolvi à Jugo Monasticæ obligationis, & obligatione redeundi, si redire jubeatur, ut correctus admittatur. Nec item obstat, quòd in *cap. significasti, de divortiis* habetur, quòd Uxor, judiciali sententia repudiata, non potest cogi redire ad Virum suum, si repetatur ab illo; quia in illo *cap.* hoc non habetur; sed tantùm fit sermo de quadam Muliere à suo Viro dimissa, propter eius adulterium, quæ postmodùm petebat restitui Viro suo, ex quo sine judicio Ecclesiæ fuisset dimissa, ad quod Dominus Papa respondit, quòd Vir non potest cogi ad id, si adulterium ejusdem Mulieris fuisset notorium: secùs si ambo forent adulteri, quia, ut *ibidem Glosa* subnectit, paria delicta, mutua compensatione tolluntur; quod non potest applicari ad casum nostrum: tùm quia Religio ex parte sui semper est innocens, tùm etiam, quia casus est de Religione repetente, si adsit spes emendationis, & quòd expulsus redierit ad cor, & mentem sanam. Non autem de expulso, qui, si petat admitti, in actuali exercitio delictorum, sine resipiscentia non debet audiri; quia cessante causa, cessat effectus, at causa ejectionis fuit sua Incorrigibilitas, qua stante, stare debet ejus effectus, nempè expulsio.

14. Quæ omnia tene menti, quia ex his multa solvuntur, & conclude, quòd sicut Episcopus sua Ecclesia spoliatus,

liatus, adhuc remanet verè, & propriè Episcopus: ità & Professus justè à Religione pulsus, adhuc manet verè, & propriè Religiosus: & quamvis dicatur esse extrà Monasterium, non ob id dicitur esse extrà Religiosum statum, *Corsol. de Casib. reser p.2. cas.2. de Apost. num.23. in fin. & Maranta* cit. loc. *num.*13.

*Quæst.*23. *Ejecti justè; an stantes in sæculo teneantur ad Vota essentialia?*

1. Affirmativè dic, & patet, tùm ex decisis hic immediatè, tùm etiam ex *cap. final. de Regul.* quod, ut dictum est, innovatur per prædicta *Decreta* Sac. Congr. ubi statuitur, hos Ejectos (licèt justè, & perpetuò) censuris Ecclesiasticis cogendos esse redire ad Religionem, ergò signum est, eos vinculo suæ Professionis, adhùc teneri & vinciri, aliàs, ut dixi, ad reditum adstringi non possent, ex eo, quòd nemo cogitur amplecti Religionis Institutum, à quo liber est; tum etiam, quia hi Ejecti, si redeant in pristinam Religionem, à qua fuerant expulsi, non tenentur iterùm renovitiare; & hoc ideò; quia eorum Professio, quæ sola Monachos facit, adhùc perseverat, tùm item, quia obligatio Votorum est personalis, & sequitur personam, quocunquè ierit, sicut est Votum recitandi Rosarium singulis diebus, & similia, à quo Voto solemni hi Ejecti per Prælatum non possunt absolvi, ut expresè dicitur in *d. cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.*

2. Proindè, non possunt validè contrahere: immò si de facto contrahant, ipso facto sunt excommunicati, ex *Clem. unic. de consanguinit. & affinit.* & delinquentes in hoc, debent ab Inquisitoribus Sancti Officii puniri; etenim Professi contrahentes censentur de Secta Martini Lutheri, Hæresiarchæ damnatissimi, qui Christi Sacramenta despexit, & Institutiones Romanæ Ecclesiæ derisit, pro ut latè dico in *tract. de Profess. solemni, q.*13. & 14. *p.* 4.

*Quæst.*24. *Ejecti, an teneantur ad votum obedientiæ?*

1. Et quidem teneri, patet ex dictis; tùm quia, Votum obedientiæ est unum de solemnibus, à quibus Prælatus non potest subditos absolvere, tùm etiam, quia Regularis factus Episcopus, adhùc est obnoxius Voto obedientiæ; prout docet *D. Thom.* 2.2. *q.*185. *art. ult. in respons. ad tertium*, ibi, *hoc est per accidens, quòd Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non teneantur; quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati Religionum; manet tamen adhùc obligatio voti virtualiter, ità scilicet, quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, in quantum tenentur obedire Statutis Regulæ per modum prædictum, & suis Superioribus, si quos habent*, hæc ille.

2. Quod totum magis urget in Ejectis, ex quo per expulsionem non potest dici, quòd sint effecti potioris conditionis, quàm sint Episcopi translati.

3. Hinc patet, quòd remanent obligati Voto substantiali obedientiæ, comparatione Regularium Prælatorum; quamvis magna ex parte cesset, & suspendatur executio, donec in Religionem regrediantur; & ob defectum Materiæ; quia de facto, Superiorem [illegible] larem non habent: etenim Superiores Regulares [illegible] se ejecerunt, noluerintquè ampliùs de illis se in[illegible]ttere, nec curare, ob eorum incorrigibilitatem.

[illegible] Nihilominùs, si à Prælatis Religionum revocen[illegible] tenentur obedire; quamvis correcti non sint. Nam [illegible]re, ob nocens, si per divortii sententiam, Uxo[illegible]bus, si à Præ[illegible] abjecit, eandem revocare potest, & [illegible] *cap. significasti, de divortiis:* ità pariter, & Regularis, ob crimen ejectus, si revocetur ab Ordine, tenetur redire, aliàs potest excommunicari, & veluti Apostata puniri, ex *d. cap. fin. de Regul.* quia quod in alicujus favorem introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri, *Regul.*61. & *l.*6. *C. de leg.*

5. Sed Ejectio fuit introducta ad beneficium Religionis, ergò. Et additur, quòd hi Ejecti priusquam fuissent edita prædicta *Decreta* Sacr. Congreg. non poterant in aliam Religionem transire, absquè expressa licentia Superiorum Regularium, nec prædicare, nec confessiones audire, sine licentia Magistri Ordinis, sicut claretur in *Privil. Innoc. IV.* & aliorum Pontificum, quorum propria verba habes suprà *q.* 22.

6. *Decretum* autem Sacr. Congreg. *de Apostat. & Ejectis* arctavit hanc Prælatorum facultatem: sed non ob id exemit hujusmodi expulsos à subjectione prædicta, ut notat *D. Barthol. à S. Fausto*, multis allegatis, *lib.*6. *Thesaur. q.*211. in novis, & *Lezana tom.*1. *summ. cap.*23. *de Regul. nu.*12. & hodiè est communis, quicquid alii dicant.

Quæst. 25. *Ejectus justè, an teneatur se corrigere, & petere humiliter, ut iterùm admittatur?*

1. Sotus de *just. lib.*7. *q.*2. *ar.*1. in quo quærit, utrum omne votum obliget ad sui observationem, affirmat propè *finem*, ibi, *superest hic demùm de illo dicere, qui post solemne votum, ceù incorrigibilis à Monasterio pellitur, utrum tutus maneat in conscientia, postquàm vi expulsus est, & abjectus? Respondetur, quòd quandiù per ipsum steterit, quominus recipiatur, non est tutus, sed tenetur sese emendare, & in viam redire, quoniàm cùm ex culpa sua fuerit exclusus, quandiù in illa perseveraverit, versabitur in periculo.* hæc ille, cui favet noster *Corradus in respons. casuum conscientiæ* 1. *p. q.*285. *Jacobus Graffius decis. aur.* 1. *p. lib.*4. *Regul. cap.*5. *num.*147. & *tom.*1. *consil. lib.*3. *eod. tit. cap.*[illegible] latè *num.*3. *Sayr. in Clavi Regia lib.*6. *cap.*9. *dub.*15. *num.*[illegible] *ver.*1. *à S. Fausto lib.*6. *Thes. quæst.*226. *Bonacin. de Claus. q.*2. *punct.*12. §.2. *num.*1. *Layman. lib.*4. *tract.*5. *cap.*[illegible] *de Relig. stat. de Ejectis, & Fugitivis, q.*3. *num.*6. & *Novar. Can. in summ. Bull. de Apost. & Eject. à Relig. num.*27. & *p.*2. *eod. tit. num.*10.

2. Et infertur ex Decisis, quia ex quo Professus non est liber à votis, nec à Religiosa professione absolutus, in qua promisit vivere secundùm Regulam, vel Regulam ipsam observare, debet obedire, stare promissis, & se idoneum reddere, quatènus potest, ut sua vota secundùm Regulam possit exequi; nempè intrà septa, & in actuali obedientia Prælati, ut par est, & cæteri Regulares faciunt.

3. Et additur, quòd nullus ex propria malitia potest sibi afferre commoditatem, nec aliquod jus acquirere, ex *l. itaquè, ff. de furtis*, & *Regul.*176. ergò ejectus ob crimen, in sæculo liber remanere non potest: secùs contrà leges, & Regulam, ex sua iniquitate deportaret commoditatem, nempè absolutionem à votis, & vitam effrenatam, quod dedecet fateri.

4. Nec nocent *Navarr. comm.*2. *de Regul. num.*36. & *consil.*77. & 80. *eod tit.* cui inhæret *Rodr. tom.*1. *q.*30. *ar.*12. *à S. Fausto lib.*6. *Thesaur. q.*227. *Novar. in lucer. Regul. ver. ejectio, num.*13. & *Diana* 3. *p. Moral. tract.*2. *de dub. Regul. resol.*60. quia pensant, Vinculum Religionis per justam sententiam abrogari, ac dirimi, quod est falsum, & omni probabilitate caret, ut demonstratum est suprà *quæst.*22. & *sequen.* & *Lezana ver. Ejectis, num.*20. ubi invehit contrà *Dianam.*

*Quæst.*26. *Ejectus justè: an possit Religionem cogere, ut se plenè correctum iterùm admittat?*

1. Respondeo affirmativè; quibusdam tamen præsuppositis; & Primò, ut in hujusmodi Ejecto habe[illegible]

subsit spes evidens emendationis, quod debet constare ex litteris saltem testimonialibus Illustrissimi Episcopi Ordinarii, cujus conscientia in his à Sac. Congreg. oneratur, ut dicitur in *d. Decretis.* Secundò, ut is sit paratus subire pœnitentiam sibi debitam secundùm Ordinem Regularem, ad quem spectat, & habetur in *d. cap. final. de Regul.* ibi, *salva Ordinis Disciplina*, hoc est, imposita ei pœnitentia, secundùm quod Regula illius Ordinis requirit; & præcipit, *Gloss. ibid.* vel dummodò Religionis Regulæ non repugnet, quia Regula repugnante, debet admitti, sed carceribus mancipari, & in Ergastulis Monasterii includi, ut dicitur in *d. cap. ult. de Regul.* & notat *Sanchez lib. 6. ad decal. cap. 9. num. 32.*

2. Tertiò. Dummodò possit recipi sine scandalo, quia nihil omninò cum scandalo faciendum est, ut *ibidem Gloss.* docet per multa jura, ac item sine detrimento Ordinis, quia bonum commune præfertur bono particulari, quia si ob talem causam interdum ejici possunt Regulares, ut omnes, testantur; multò magis postquàm exierunt, propter eandem causam, si cognoscantur obnoxii eidem communi bono, non debent recipi de novo: etiam si se sponte offerant redire, *Sanchez* cit. *loc. num.* 18. *& Paul. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. de Religiosis ejectis, q. 4. num. 7. ver. tertiò notandum, in fine,* ubi notat, quòd Summus Pontifex, vel Episcopus non potest præcipere, ut recipiatur ejectus, nisi sibi constito de prædictis.

3. Proindè, si ex hac admissione probabiliter timeretur scandalum, vel aliquod Religioni malum, ut si de novo admittendus reperiatur affectus aliquo contagioso morbo, vel inhabilis ad servitia Religionis, utique non debet admitti, *Novar.* multis citatis *p. 2. summ. Bull. tit. de Eject. super Decret. Sac. Congr. num.* 8. & clarè deciditur in *d. cap. finali, de Regul.* ibi, *Abbates, seu Priores eorum monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Regulæ disciplina; quod si hoc Regularis Ordo non patitur, authoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus. si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur:* hæc ibi.

4. Confirmatur, quia Religio, & Monachus pari jure judicantur, ex *cap. ad Apostolicam, de Regul.* Sed Religio habet jus revocandi ejectos, imò cogendi, & hi tenentur obedire ex Decisis, ergò pariter Ejectus, stantibus prædictis, habet jus cogendi Religionem, ut ipsum correctum admittat, *Barbosa in Collect. dict. cap. fin. de Regul. num. 8. q. 4.* etenim præsupposita Expulsi sufficienti correctione, non potest dici, quòd dispar sit utriusque conditio, *D. R. Tapia in auth. ingressi, C. de Sacrosanctis Eccles. ver. sua, cap. 6. num.* 43. & alii plures, quos sequitur *Barbosa, ubi suprà.*

5. Nec dices, quòd si justè Ejecti possent compellere Prælatos, ut iterum recipiantur: frustrà redderentur tot Privilegia, quibus possunt Prælati perpetuò criminosos ejicere, quia quoad hoc hodiè censentur vacare Privilegia.

Quæst. 27. Ejectus justè, si iterum in suam pristinam Religionem admittatur; an teneatur in ea de novo profiteri?

1. NEgativè dic; quia à priori Professione nunquàm fuit absolutus, nec ob sententiam expulsionis, (licet justam) cessavit esse Monachus, nec finivit eius obligatio, ut dictum est suprà: quamvis magna in parte remansit suspensa, vel impedita, neque in his habet locum *Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regul. Rodr. tom. 1. q. 30. ar. 29.*

2. Nec obstat *Navarr. in cons. 64. in* 1. edit. *num. 2. lib. 3. de Regul. & in Comm. 2. eod. tit. num.* 33. quia scripsit antè prædicta *Decreta* Sac. Cong. & censuit, *cap. final. de Regul.* non esse usu receptum, sed in oblivionem fuisse, quod est falsum, ut dictum est suprà.

3. Benè verum est, quòd hi Ejecti redeuntes, non debent restitui ad eundem locum, gradus, & honores, quibus antea fruebantur; non enim decet, recedentes à Religione, veteranos præcedere Religiosos, qui quotidie portaverunt pondus diei, & æstus, & semper in amore fraternitatis, & jugo obedientiæ famulatum præstiterunt, *Sanchez* cit. *loc. n. 33. & Rodr. in comp. resol. 57. n. 3.*

Quæst. 28. Ejectus justè, si correcta Vita, ad Claustrum rediens non admittatur; an possit tuta conscientia remanere in sæculo?

1. SOtus *de just. lib. 7. in d. q. 2. art. 1.* paululum ante solutionem quarti argumenti, *Navarr. in Comment. 2. de Regul. num. 36. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 21. à S. Fausto lib. 6. de voto obed. q. 206. Barbosa* post multos allegatos in *d. cap. final. de Regul. num. 9. q. 4. & Graffius lib. 3. de Regul. cons. 3. num. 4.* ajunt, quòd justè ejectus in casu posito, potest tutè remanere in sæculo, & instar Clericorum Sacramenta recipere, quia per ipsum non stat, quò minùs in pristinam Religionem admittatur; etenim fecit, quod in se est, & quòd foris maneat, non est sibi imputandum; eò magis si ter accessisset ad Patres Religionis, à qua fuit pulsus, & ab eisdem fuisset repulsus, *Graff.* cit. *loc. num. 6. & Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. de Ejectis, q. 5. num. 8.* quia ad impossibile moraliter nemo tenetur.

2. Benè verum, quòd tenetur honestè & virtuosè vivere, & observare Vota Regulæ, prout status permittit. Nec obligatur in aliam Religionem transire, quia nemo cogitur crescere per transitum in aliam Religionem, cum nova Professione, quam professus non est, ex *textu*, juncta *Glossa in c. gesta, distinct.* 74. juxta illud *Bernardi: Vota mea non augeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Ad quod facit *textus cap. integritas,* 32. *q.* 1. unde *Glossa in d. cap. gesta,* subnectit, *quòd Monachis & Canonicis districtior vita non possit addi, argum.* 20. *q. 3. cap. proclivis, & 15. q. 1. cap. non est,* & docet *ibid.* noster *Turrecremata & Navarr.* cit. *loc. num.* 33.

3. Ex quibus benè constat, quòd Professio Religiosa cujusvis Regularis debet esse libera, voluntaria, & non coacta: perinde is, de quo agitur, ad sui libitum poterit aut esse in sæculo, vel in aliam Religionem transire, sive æqualem, sive laxiorem, *Navar. cons. 51. num.* 2. in 1. edit. & in secunda *cons.* 78. *Barbosa* cit. *loc. num. 9. & Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. num.* 36. ubi intelligit, prædicta habere locum, quando Professus in perpetuum ejectus est; ita ut quantumvis correctus, nulla subsit spes, ut admittatur: at hodie debent attendi *Decreta* Sacr. Congreg. *de Apost. & Eject.*

4. Nec dices, quòd iste repulsus remanet obligatus Religioni in genere, *Miranda tom. 1. q. 52. art.* 3. quia sicut Professus minimè vovet Religionem in genere, sed hanc vel illam dumtaxat; ita ad hanc, vel ad nullam tenetur se transferre, *Sot. & Sanchez,* cit. *loc. & à S. Fausto lib. 6. Thes. q.* 206.

Quæst. 29. An liceat ob justam causam aliquem ejicere, sub ea conditione, ut aliam Religionem ingrediatur?

1. DE Jure Privilegii utique licet, prout est videre in *Privilegiis Innocentii Quarti, & Alexandri* nobis concessis, quæ in partem posui hìc suprà *q.* 22. & docet Praxis Societatis Jesu, de qua *Sanchez* cit. *loc. num.* 43. & colligitur ex ejusdem *Privilegiis, ver. Apostatæ,* §. 9.

2. Hinc expulsi sub hac conditione, tenentur adimplere:

latus, adhùc remanet verè, & propriè Episcopus: ità & Professus justè à Religione pulsus, adhùc manet verè, & propriè Religiosus: & quamvis dicatur esse extrà Monasterium, non ob id dicitur esse extrà Religiosum statum, *Corol. de Casib. reser p.2. cas.2. de Apost. num.23. in fin. & Maranta* cit. *loc. num.13.*

Quæst.23. Ejecti justè; an stantes in sæculo teneantur ad Vota essentialia?

1. AFfirmativè dic, & patet, tùm ex decisis hic immediatè, tùm etiam ex *cap. final. de Regul.* quod, ut dictum est, innovatur per prædicta *Decreta* Sac. Congr. ubi statuitur, hos Ejectos (licèt justè, & perpetuò) censuris Ecclesiasticis cogendos esse redire ad Religionem, ergò signum est, eos vinculo suæ Professionis, adhùc teneri & vinciri, aliàs, ut dixi, ad reditum adstringi non possent, ex eo, quòd nemo cogitur amplecti Religionis Institutum, à quo liber est; tum etiam, quia hi Ejecti, si redeant in pristinam Religionem, à qua fuerant expulsi, non tenentur iterùm renovitiare; & hoc ideò; quia eorum Professio, quæ sola Monachos facit, adhùc perseverat, tùm item, quia obligatio Votorum est personalis, & sequitur personam, quocunquè ierit, sicut est Votum recitandi Rosarium singulis diebus, & similia, à quo Voto solemni hi Ejecti per Prælatum non possunt absolvi, ut expressè dicitur in *d. cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach.*

2. Proindè, non possunt validè contrahere: immò si de facto contrahant, ipso facto sunt excommunicati, ex *Clem. unic. de consanguinit. & affinit.* & delinquentes in hoc, debent ab Inquisitoribus Sancti Officii puniri; etenim Professi contrahentes censentur de Secta Martini Lutheri, Hæresiarchæ damnatissimi, qui Christi Sacramenta despexit, & Institutiones Romanæ Ecclesiæ derisit, pro ut latè dico in *tract. de Profess. solemni, q.13. & 14. p.4.*

Quæst.24. Ejecti, an teneantur ad votum obedientiæ?

1. ET quidem teneri, patet ex dictis; tùm quia, Votum obedientiæ est unum de solemnibus, à quibus Prælatus non potest subditos absolvere, tùm etiam, quia Regularis factus Episcopus, adhùc est obnoxius Voto obedientiæ; prout docet *D. Thom. 2.2. q.185. art. ult. in respons. ad tertium*, ibi, *hoc est per accidens, quòd Episcopi Religiosi obedire Prælatis suarum Religionum non teneantur; quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi Prælati Religionum, manet tamen adhùc obligatio voti virtualiter, ità scilicet, quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire tenentur, in quantum tenentur obedire Statutis Regulæ per modum prædictum, & suis Superioribus, si quos habent,* hæc *ille*.

2. Quod totum magis urget in Ejectis, ex quo per expulsionem non potest dici, quòd sint effecti potioris conditionis, quàm sint Episcopi translati.

3. Hinc patet, quòd remanent obligati Voto substantiali obedientiæ, comparatione Regularium Prælatorum; quamvis magna ex parte cesset, & suspendatur eius executio, donec in Religionem regrediantur; & hoc ob defectum Materiæ; quia de facto, Superiorem Regularem non habent: etenim Superiores Regulares illos à se ejecerunt, nolueruntquè ampliùs de illis se intromittere, nec curare, ob eorum incorrigibilitatem.

4. Nihilominùs, si à Prælatis Religionum revocentur, tenentur obedire, quamvis correcti non sint. Nam sicut Maritus innocens, si per divortii sententiam, Uxorem adulteram à se abjecit, eandem revocare potest, & illa redire cogitur, ex *cap. significasti, de divortiis:* ità pariter, & Regularis, ob crimen ejectus, si revocetur à Ordine, tenetur redire, aliàs potest excommunicari, & veluti Apostata puniri, ex *d. cap. fin. de Regul.* quia quod in alicujus favorem introductum est, non debet in eius damnum retorqueri, *Regul.61. & l.6. C. de leg.*

5. Sed Ejectio fuit introducta ad beneficium Religionis, ergò. Et additur, quòd hi Ejecti priusquam fuissent edita prædicta *Decreta* Sacr. Congreg. non poterant in aliam Religionem transire, absquè expressa licentia Superiorum Regularium, nec prædicare, nec confessiones audire, sine licentia Magistri Ordinis, sicut dictè habetur in *Privil. Innoc. IV.* & aliorum Pontificum, quorum propria verba habes suprà *q. 22.*

6. *Decretum* autem Sacr. Congreg. *de Apostat. & Ejectis* arctavit hanc Prælatorum facultatem: sed non ob id exemit hujusmodi expulsos à subjectione prædicta, ut notat *D. Barthol. à S. Fausto*, multis allegatis, *lib.6. Thesaur. q.211.* in novis, & *Lezana tom.1. summ. cap.23. de Regul. nu.12.* & hodiè est communis, quicquid alii dicant.

Quæst. 25. Ejectus justè, an teneatur se corrigere, & petere humiliter, ut iterùm admittatur?

1. SOtus *de iust. lib.7. q.2. ar.1.* in quo quærit, utrùm omne votum obliget ad sui observationem, affirmat propè *finem*, ibi, *superest hic demùm de illo dicere, qui post solemne votum, ceù incorrigibilis à Monasterio pellitur, utrum tutus maneat in conscientia, postquàm vi expulsus est, & abjectus? Respondetur, quòd quandiù per ipsum steterit, quominus recipiatur, non est tutus, sed tenetur sese emendare, & in viam redire, quoniàm cùm ex culpa sua fuerit exclusus, quandiù in illa perseveraverit, versabitur in periculo.* hæc *ille*, cui favet noster *Corradus in respons. casuum conscientia 1.p. q.285. Jacobus Graffius decis. aur. 1.p. lib.3. de Regul. cap.5. num.147. & tom.1. consil. lib.3. eod. tit. cons.* latè *num.3. Sayr. in Clavi Regia lib.6. cap.9. dub.15. num.3. ver.1. à S. Fausto lib.6. Thes. quæst.226. Bonacin. de Cens. q.2. punct.12. §.2. num.1. Layman. lib.4. tract.5. cap.12. de Relig. stat. de Ejectis, & Fugitivis, q.3. num.6. & Nova. Cas. in summ. Bull. de Apost. & Eject. à Relig. num.27. & p.2. eod. tit. num.10.*

2. Et infertur ex Decisis, quia ex quo Professus non est liber à votis, nec à Religiosa professione absolutus, in qua promisit vivere secundùm Regulam, vel Regulam ipsam observare, debet obedire, stare promissis, & se idoneum reddere, quatènus potest, ut sua vota secundùm Regulam possit exequi; nempè intrà septa, & sub actuali obedientia Prælati, ut par est, & cæteri Regulares faciunt.

3. Et additur, quòd nullus ex propria malitia potest sibi afferre commoditatem, nec aliquod jus acquirere, ex *l. itaquè, ff. de furtis, & Regul.176.* ergò ejectus ob crimen, in sæculo liber remanere non potest: secùs contrà leges, & Regulam, ex sua iniquitate deportaret commoditatem, nempè absolutionem à votis, & vitam effrenatam, quod dedecet fateri.

4. Nec nocent *Navarr. comm.2. de Regul. num.36. & cons.77. & 80. eod tit.* cui inhæret *Rodr. tom.1. q.30. art.11. à S. Fausto lib.6. Thesaur. q.227. Novar. in lucer. Regul. ver. ejectio, num.13. & Diana 3.p. Moral. tract.2. de dub. Regul. resol.60.* quia pensant, Vinculum Religionis per justam sententiam abrogari, ac dirimi, quod est falsum, & omni probabilitate caret, ut demonstratum est suprà *quæst.22. & sequen. & Lezana ver. Ejectis, num.20.* ubi invehit contrà *Dianam*.

Quæst.26. Ejectus justè; an possit Religionem cogere, ut se plenè correctum iterùm admittat?

1. REspondeo affirmativè; quibusdam tamen præsuppositis; & Primò, ut in hujusmodi Ejecto subsit

subsit spes evidens emendationis, quod debet constare ex litteris saltem testimonialibus Illustrissimi Episcopi Ordinarii, cujus conscientia in his à Sac. Congreg. oneratur, ut dicitur in *d. Decretis.* Secundò, ut is sit paratus subire pœnitentiam sibi debitam secundùm Ordinem Regularem, ad quem spectat, & habetur in *d. cap. final. de Regul.* ibi, *salva Ordinis Disciplina*, hoc est, imposita ei pœnitentia, secundùm quod Regula illius Ordinis requirit; & præcipit, *Gloss. ibid.* vel dummodò Religionis Regulæ non repugnet, quia Regula repugnante, debet admitti, sed carceribus mancipari, & in Ergastulis Monasterii includi, ut dicitur in *d. cap. ult. de Regul.* & notat *Sanchez lib. 6 ad decal. cap. 9. num.* 32.

2. Tertiò. Dummodò possit recipi sine scandalo, quia nihil omninò cum scandalo faciendum est, ut *ibidem Gloss.* docet per multa jura, ac item sine detrimento Ordinis, quia bonum commune præfertur bono particulari; quia si ob talem causam interdum ejici possunt Regulares, ut omnes, testantur; multò magis postquàm exierunt, propter eandem causam, si cognoscantur obnoxii eidem communi bono, non debent recipi de novo: etiam si se spontè offerant redire, *Sanchez cit. loc. num.* 18. *& Paul. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. de Religiosis ejectis, q. 4. num. 7. ver. tertiò notandum, in fine,* ubi notat, quòd Summus Pontifex, vel Episcopus non possit præcipere, ut recipiatur ejectus, nisi sibi constito de prædictis.

3. Proindè, si ex hac admissione probabiliter timeretur scandalum, vel aliquod Religioni malum, ut si de novo admittendus reperiatur affectus aliquo contagioso morbo, vel inhabilis ad servitia Religionis, utique non debet admitti, *Navar.* multis citatis *p. 2. summ. Bull. [illegible] de Eject. super Decret. Sac. Congr. num.* 8. & clarè deciditur in *d. cap. finali, de Regul.* ibi, *Abbates, seu Priores eorum monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Regulæ disciplina; quod si hoc Regularis Ordo non patitur, authoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitentiam, talibus vita necessaria ministrentur:* hæc [illegible].

4. Confirmatur, quia Religio, & Monachus pari [illegible] judicantur, ex *cap. ad Apostolicam, de Regul.* Sed Religio habet jus revocandi ejectos, imò cogendi, & [illegible] tenentur obedire ex Decisis, ergò pariter Ejectus, [illegible]antibus prædictis, habet jus cogendi Religionem, ut ipsum correctum admittat, *Barbosa in Collect. dict. cap. [illegible] de Regul. num.* 8. *q.* 4. etenim præsupposita Expulsi sufficienti correctione, non potest dici, quòd dispar sit utriusque conditio, *D. R. Tapia in auth. ingressi, C. de Sacrosanctis Eccles. ver. sua, cap. 6. num.* 43. & alii plures, quos [illegible] *Barbosa, ubi suprà.*

5. Nec dices, quòd si justè Ejecti possent compellere Prælatos, ut iterum recipiantur: frustrà redderentur [illegible] Privilegia, quibus possunt Prælati perpetuò criminosos ejicere, quia quoad hoc hodiè censentur vacare Privilegia.

Quæst. 27. Ejectus justè, si iterum in suam pristinam Religionem admittatur; an teneatur in ea de novo profiteri?

1. NEgativè dic; quia à priori Professione nunquàm fuit absolutus, nec ob sententiam expulsionis, (licet justam) cessavit esse Monachus, nec finivit eius obligatio, ut dictum est suprà: quamvis magna in parte remansit suspensa, vel impedita, neque in his habet locum *Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regul. Rodr. tom. 1. q. 30. ar. 29.*

2. Nec obstat *Navarr. in cons. 64. in* 1. edit. *num. 2. lib. 3. de Regul. & in Comm. 2. eod. tit. num.* 33. quia scripsit antè prædicta *Decreta* Sac. Cong. & censuit, *cap. final. de Regul.* non esse usu receptum, sed in oblivionem fuisse, quod est falsum, ut dictum est suprà.

3. Benè verum est, quòd hi Ejecti redeuntes, non debent restitui ad eundem locum, gradus, & honores, quibus antea fruebantur; non enim decet, recedentes à Religione, veteranos præcedere Religiosos, qui quotidie portaverunt pondus diei, & æstus, & semper in amore fraternitatis, & jugo obedientiæ famulatum præstiterunt, *Sanchez* cit. *loc. n.* 33. *& Rodr. in comp. resol.* 57. *n.* 3.

Quæst. 28. Ejectus justè, si correcta Vita, ad Claustrum rediens non admittatur; an possit tuta conscientia remanere in sæculo?

1. SOtus *de just. lib. 7. in d. q. 2. art. 1.* paululum ante solutionem quarti argumenti, *Navarr. in Comment. 2. de Regul. num. 36. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 21. à S. Fausto lib. 6. de voto obed. q. 206. Barbosa* post multos allegatos *in d. cap. final. de Regul. num. 9. q. 4. & Graffius lib. 3. de Regul. cons. 3. num.* 4. ajunt, quòd justè ejectus in casu posito, potest tutè remanere in sæculo, & instar Clericorum Sacramenta recipere, quia per ipsum non stat, quò minùs in pristinam Religionem admittatur; etenim fecit, quod in se est, & quòd foris maneat, non est sibi imputandum; eò magis si ter accessisset ad Patres Religionis, à qua fuit pulsus, & ab eisdem fuisset repulsus, *Graff.* cit. *loc. num. 6. & Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. de Ejectis, q. 5. num.* 8. quia ad impossibile moraliter nemo tenetur.

2. Benè verum, quòd tenetur honestè & virtuosè vivere, & observare Vota Regulæ, prout status permittit. Nec obligatur in aliam Religionem transire, quia nemo cogitur crescere per transitum in aliam Religionem, cum nova Professione, quam professus non est, ex *textu*, juncta *Glossa in c. gesta, distinct.* 74. juxta illud *Bernardi*: *Vota mea non augeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Ad quod facit *textus cap. integritas,* 32. *q.* 1. unde *Glossa in d. cap. gesta,* subnectit, *quòd Monachis & Canonicis districtior vita non possit addi, argum. 20. q. 3. cap. proclivis, & 15. q. 1. cap. non est,* & docet *ibid.* noster *Turrecremata & Navarr.* cit. *loc. num.* 33.

3. Ex quibus benè constat, quòd Professio Religiosa cujusvis Regularis debet esse libera, voluntaria, & non coacta: perinde is, de quo agitur, ad sui libitum poterit aut esse in sæculo, vel in aliam Religionem transire, sive æqualem, sive laxiorem, *Navar. cons. 51. num.* 2. in 1. edit. & in secunda *cons.* 78. *Barbosa* cit. *loc. num. 9. & Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. num.* 36. ubi intelligit, prædicta habere locum, quando Professus in perpetuum ejectus est; ita ut quantumvis correctus, nulla subsit spes, ut admittatur: at hodie debent attendi *Decreta* Sact. Congreg. *de Apost. & Eject.*

4. Nec dices, quòd iste repulsus remanet obligatus Religioni in genere, *Miranda tom. 1. q. 52. art.* 3. quia sicut Professus minimè vovet Religionem in genere, sed hanc vel illam dumtaxat; ita ad hanc, vel ad nullam tenetur se transferre, *Sot. & Sanchez* cit. *loc. & à S. Fausto lib. 6. Thes. q.* 206.

Quæst. 29. An liceat ob justam causam aliquem eiicere, sub ea conditione, ut aliam Religionem ingrediatur?

1. DE Jure Privilegii utique licet, prout est videre in *Privilegiis Innocentii Quarti, & Alexandri* nobis concessis, quæ in partem posui hîc suprà *q.* 22. & docet Praxis Societatis Jesu, de qua *Sanchez* cit. *loc. num.* 43. & colligitur ex ejusdem *Privilegiis, ver. Apostatæ,* §. 9.

2. Hinc expulsi sub hac conditione, tenentur adimplere:

plere: dum illam sponte acceptaverunt: secus erunt Apostatæ, vel in malissimo statu; non enim liberi fuerunt à Religione expulsi, quamobrem Episcopus loci Ordinarius poterit illos compellere, ut conditionem adimpleant, vel ut emendati, in pristinam Religionem revertantur, *Layman.* cit. *loc.num.9.ver dico secundò, q.4.& Passarellus in Comp. Privil. Minim. cap.16.*

3. Verùm, isthæc praxis hodie nequit observari, quia hujusmodi Privilegia censentur abrogata per prædicta *Decreta* Sacr. Congr. jussu *Urb.VIII.* edita de *Apost. & Eject.* in quibus pariter Prælati Regulares prohibentur has licentias concedere, ibi, *præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis ejectis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem*; prout est videre in calce prædictorum, quibus accedunt alia *Decreta* ejusdem Sacr. Congreg. posita in *tract. de Transeuntibus*, vide illa.

Quæst. 30. Si Ejectus, antè indutum habitum, voverat Religionem in genere: an ab hac Religione expulsus, in quam nequit iterum admitti, teneatur ad aliam evolare?

1. SOtus *de Just. lib.6.q.2.ar.1. antè solutionem 4. argum.* affirmat, ea ratione motus, quia sicut ille, qui absolutè Religionem vovit, si non admittitur, tenetur aliam Religionem explorare: ità & ille, qui post professionem expellitur; & subjungit, *quamvis forsan dici posset, quòd per votum solemne hujus Religionis, cesset illud simplex generale.*

2. Sed ego hoc verius existimo; quoniam per Votum solenne Religionis cessat omne aliud simplex, ut dictum est suprà de mente *S.Thomæ*, & certum est, quòd obligatio semel extincta, non amplius reviviscit; & additur, quòd is, de quo agitur, quamvis vivat extrà Claustra, adhuc est Religiosus obnoxius Votis, & spectat ad illam, ex qua fuit expulsus; perindè, non debet aliam Religionem quærere, nec potest intrare; nisi prius consultis Papa, & Prælatis ejusdem.

Quæst. 31. Si Ejectus non habet undè vivat; an possit à Monasterio petere alimenta, ex quo per ipsum non stat, quin denuò admittatur?

1. NEgativè, quia dum fuit justè expulsus, & sua culpa ejectus, sibi imputandum, nec obstat dicere, quòd se correxit, & emendavit, & quòd ideò habet jus ad regrediendum, ex *cap. fin. de Regul.* & sæpè recensitis *Decretis* Sacr. Congreg. quia ad hunc Regressum justificandum multa debent concurrere, ut dictum est suprà: & quousque illa requisita non fuerint justificata, non cogetur Monasterium, Regularem expulsum, licet correctum, de novo recipere: unde debet se præsentare Episcopo originis, & dicere, se esse Ejectum, & teneri ad obediendum ei, & petere ab eo, ut dignetur ei providere de victu, quod si nolit, & nec ipse aptus est aliquid lucrifacere, debet se convertere in honestos usus, suis manibus laborando, *Graff. lib.3. 1.p. Decis. Aur. cap.5. de de Regul. num.82. & tom.1. de Regul. cons.3. num.8.* multis citatis.

2. Non nego, quod hujusmodi ejectus, si nequeat suis manibus laborare, poterit ex eleemosynis vivere, & in casu necessitatis ostiatim petere; quia sicut unicuique integrum est, pauperibus erogare, ità, & ex eleemosynis vivere, *Navarr. comm.2. de Regul. nu.37. & D.Thom. 2.2.q.187. ar.3. & in opusculo 19. cap.5.*

* * *

Quæst. 32. Ejecti, & admissi in Carceres, à quo recipient expensas, & Vitæ necessaria?

DEciditur in *cap. final. de Regul.*

Quæst. 33. Ejecti ab Ordine, an subsint Episcopo Originis, vel Domicilii, in quo situm erat eorum Monasterium, an Loci, in quem se transferunt habitaturi?

1. REspondeo, quòd Ejecti à die eorum ejectionis, & in posterum, remanent subditi, & subjiciuntur Episcopo Loci Ordinario, in cujus Diœcesi contingit habitare, prout subsunt alii Clerici. Tum ex Decisione *Sacr. Conc. Trid. sess.6. cap.3. de reformat.* ibi, *Regularis extrà Monasterium degens, &c.* tum etiam, ex *Decretis* Sacr. Congreg. suprà positis *de Apostatis, & Ejectis* ibi, *sic verò Ejecti, Ordinarii Loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint: proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur*; & docet *Rodr. tom. 1. q.30. ar.20. in medio, & Barbosa,* multis allegatis in *cap. final. de regul.*

2. Benè verum est, quòd *Navarr. in 2. comm. de regul. num.34. ver. quæstio tamen nova,* affirmat, justè Ejectos subjacere Episcopo originis, ex quo domicilium originis est immutabile, per multa jura *ibidem* adducta, unde Domicilium quæsitum per Abbatiam, Monachatum, Beneficium, & simile, non durat: nisi quandiu fuerit Abbas, vel Monachus, aut Beneficiarius: æstimat enim, quòd Religiosus Professus, per justam sententiam, de Monacho remanet non Monachus, & quòd absolvatur à Jugo Religionis: hinc in *num.35.* ait, *quòd ejectus teneatur se præsentare dicto Episcopo originis, eumque monere se esse Regularem ejectum, & teneri ad obediendum ei, simul rogare, ut sibi jubeat, quid velit se facere in ordine Clericali,* quod pariter asserit *lib.3. de regul. cons.50. num.30. & 31.* in 1. editio. & *consil.3. de Stat. Monach. num.4. ibique,* inquit, *quòd ad prædicta tenetur ejectus, ut Episcopus originis, curam eius, & vitæ suæ suscipere possit, & bona, quæ quæsivit, exceptis necessariis ad vivendum, recipere*; hæc ille: cui favent *Miranda tom. 1. Manual. q. 52. ar. 4. conclus. 2. Ricc. 3. p. decis. 95. & in 2. p. Praxis aureæ, resol. 185.* & alii plures.

3. Nihilominùs, isthæc opinio *Navarri* non fuit ad praxim deducta, tum quia non est usui humano accommodata, ut advertit *Rodr. tom.1. q.30. ar.25.* tum etiam; quia obligatio hæc se præsentandi Episcopo Originis nullo jure cavetur, à *S. Fausto lib.6. Thes. q.118.* tum item; quia velle obligare hos miseros subjici Episcopo Originis, cum maxima aliquando sui, & suorum infamia, præcludendo eis viam, ne ad partes remotas possint transmeare, durum est, tum item; quia fundamentum eius non est verum, nam Domicilium habitationis debet attendi, & illud Originis abrogatur per professionem Monachalem, *cap. Monachi 16. q.1.* & Monachus justè ejectus non desinit esse Monachus, sicut Episcopus Ecclesia privatus, non desinit esse Episcopus, *Thesaurus 2. p. praxis, cap.13. ver. Religiosus legit. eject. Diana 3. p. moral. tract.2. resol.60. & Portellus ver. ejicere, in addit. num. 6.*

4. Quamobrem, *Molina tom.1. de just. disput.140. & Azor. lib.12. cap.16. q.11.* dicunt, *Navarri* opinionem probabilem, si eum loqui intelligas de Regularibus non exemptis, secus de exemptis.

* * *

Quæst.

Quæst. 34. *Ejectus justè, an teneatur obedire Episcopo, ex vi Voti, in Professione emissi?*

1. SAnchez *lib.6.decal.cap.9.num.29.* negativè respondet, quia ad nullam aliam obedientiam ex voto tenentur Professi, nisi ad illam, quam in Professione promiserunt; sed in illa non promiserunt obedire extrà Religionem Episcopo: etenim Profitentes, ut constat ex praxi, & forma profitendi, promittunt obedire Priori illius Religionis, & successoribus, nec non illius Ordinis Superioribus, vel eorum Vicesgerentibus, non aliter, nec alio modo: ergò non ex Voto tenentur Episcopis obedire; sed veluti, & alii Clerici; hoc est, ex subjectione, quam habent ad illum in sua Diœcesi.

2. Confirmatur, Ejecti non tenentur in aliam Religionem transire, ex quo illam non voverunt, teste *Navarro in d. comm.2. de Regul. num.* 46. ergò nec ex voto tenentur obedire Episcopis, quia hoc nunquàm promiserunt: secus foret obligare Professum suprà Regulam.

3. Nec objicies, quòd Ejectus per diffinitivam, & justam sententiam, sit absolutus ab obedientia Prælati Religionis, & quòd incidit in obedientiam Episcopi; adeò, ut Episcopus sit ei Abbas, *Hostiens. in cap. quod Dei de stat. Monach. Joan. Andr. in Clem.* 1.*eod. tit.* & *Ricc. in d.decis.* 95.*num.*2. quia hoc falsum est, ut dico infrà, & efficaciter demonstrat *Rodr. tom.*1. *quæst.*30. *ar.*20. *Barbosa in collect.cap.fin.de Regul.num.*11. *à S.Fausto loc.*cit. & *Paul. Layman.lib.*4. *moral.tract.*5.*cap.*13.*de Ejectis*, q.1.*num.*3. *in fin.* ex quo, ut dictum est suprà, non voverunt obedientiam extrà Religionem, & per sententiam Ejectionis, licet justam, & diffinitivam, Ejecti non censentur absoluti à voto substantiali obedientiæ, respectu Regularium Prælatorum: quamvis magna ex parte cesset eius executio, ob defectum materiæ, quia de facto non habent Superiorem Regularem, à quo dirigantur juxtà Regulam; attamen manent voto obligati virtualiter. Perindè, parati esse debent obedire, si in Ordinem denuò revocentur; juxtà *Decreta* prædicta Sac.Cong.*de Apostatis*, & docet *S.Thom.*2.2. *q.*185.*ar. ultim. ad tertium*, ubi ait, *Regulares ad Episcopatum translatos, virtualiter adhuc obligari; ità scilicet, quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire teneantur*, hæc ille.

4. Amplia, ut Ejectus, ob eandem rationem, nec ex vi voti teneantur obedire Rom.Pontifici. Tum quia, ut dictum est, non vovit obedire extrà Religionem; tum etiam; quia non manet sub obedientia Pontificis, quatenus est Prælatus Regularis; Sed solùm quatenus est Pontifex, & Caput Ecclesiæ Militantis; Perindè, Religiosus ejectus obediet ei, non ex voto, sed sicut cæteri Clerici, *Sanchez* cit. *loc. in fin.*

5. Nec his obstant, quæ adducuntur per *Suarez tom.* 4. *de Relig. lib.*3. *cap.*6. *num.* 4. quia benè solvuntur per nostrum *P. Franciscum Lopez de Taxeda* in suis *controvers.lib.*2.*dub.*2.*tract.*1.*controver.*9. & nuper per *P.Franciscum Cesped.tract.de exempt.Regul. quoad Ejectos, & Apostatas*, & *Portell.ver.ejicere in addit. num.*6. ubi corrigit, quod ipsemet dixerat *num.* 5.

*Quæst.*35. *Ejectus, si sit Subdiaconus, vel Diaconus; an possit ordinari, & à quo Episcopo, & cum quibus Dimissoriis?*

1. NAvarr. *comm.*2. *de Regul.num.*34. *lib.*1. *de ætat.* & *qualit.Ordin.* in 1.edit. & in 2. edit *consil.*84.*de Regul.* in facti contingentia consultus respondit, *quòd si præfatus N. fuit ejectus ab Ordine, ob aliquod delictum inducens Irregularitatem, à qua non posset Episcopus absolvere, oporteret pro dispensatione recurrere ad Papam: si antequam ejiceretur, non fuisset dispensatum cum illo super eà, per Ordinis sui Privilegia; quia regulariter, omnis Irregularitatis dispensatio, est Papæ reservata, cap.*1.*de judic.in* 6.*licet ferè omnes Ordines, & Religiones habeant Privilegia, per quæ Superiores earum possunt dispensare cum subditis suis super omnibus Irregularitatibus, excepta illa, quæ provenit ex homicidio voluntario, & mutilatione, & bigamia.*

2. Secundò dicit, *quòd si delicta, ob quæ fuit ejectus ab Ordine, non inducebant Irregularitatem, neque aliam inhabilitatem, super quod non posset Episcopus dispensare, poterit eius Diœcesanus originarius recipere illum; & si habet patrimonium sufficiens ad honestè vivendum, & est idoneus ætate, litteratura, & moribus ad Sacerdotium, ordinare ipsum poterit Presbyterio; facta ei fide priùs de aliis Ordinibus, ritè in Religione susceptis, & facta dispensatione, si qua fuerit necessaria super inhabilitate, quam ipse sua potestate ordinaria potest tollere.* hæc ille, cui subscribunt *Rodr. tom.*1.*q.*30.*ar.*24.cum suo *compend.resol.*57 *num.*11. *Sanchez in decal.lib.*6.*cap.*9.*num.*59. & *Graffius de Regul.consil.* 3.*q.*4. *num.*15. ait, *quòd cùm ejectus per justam ejectionem sit factus extrà jurisdictionem Patrum, cùm non sit eorum subditus, argumento text.cap.*2.*de Constit.in* 6.*fit, ut remaneat subditus Episcopo, qua re à proprio Episcopo est ordinandus, ut habetur in cap.*8. & 10. *Conc.Trid.sess.*23. *modò priùs obtineat dispensationem, cùm fuerit Apostata, ut possit ascendere ad Ordines majores, & in minoribus susceptis ministrare, qua re nullo modo Patres debent illi facere litteras dimissorias ad Sacros Ordines; sed sunt faciendæ ab Episcopo proprio, juxtà textum d. cap.* 10. *& est ordinandus juxtà Conc. Trid. sub titulo beneficii, aut patrimonii, ut dicit textus in cap. si Episcopus, de præbendis, in* 6.

3. *Immò, si Patres concederent Dimissorias, essent puniendi, juxta Conc. in d. cap.* 10. *tanquam ponentes manum in messem alienam, & facientes illas subdito non suo: undè, ipso jure essent suspensi per annum ab officio, & beneficio*, hæc ille.

4. Et quia, *Navarri* opinio nulla lege fulcitur, qua Ejectus teneatur se præsentare Episcopo Originario, ut dixi hic suprà *q.*33. & fundamentum eius, in quo se fundat, falsum est, nempè, quòd Regularis per justam Ejectionis sententiam desinat esse Monachus, & Subditus suæ Religionis; etenim justè ejectus non censetur absolutus à votis essentialibus, sed remanet verè Religiosus, cum obligatione ad illa, per ea multa suprà adducta in *q.*22.

5. Proindè, *Portellus in dub.Regul.ver.ejicere, in addit. num.*6. inquit, *quòd Monachus ejectus ab Ordine non tenetur se præsentare Episcopo originis, vel loci, ut illi specialiter obediat, vel ab illo vivendi normam accipiat, sed sufficit, ut illi Episcopo obediat, sicut cæteri Clerici, vel sicut alii Parochiani, &c.*

6. Hinc subdit, *credo, Ejectum ab Ordine, si sit Sacerdos, & non impeditus aliqua Irregularitate, vel simili impedimento, posse celebrare, non adito Episcopo originis, vel loci, &c. idem dico de ejecto solùm Diacono, vel Subdiacono non impedito; sufficit enim his vivere in quavis Diœcesi, sine præsentatione speciali coram Episcopo, dummodò illi obediant, sicut cæteri Diœcesani*, hæc ille.

7. Sed quicquid sit de his, & jure communi; certum est, quòd hodiè ex decisione Sac. Cong. hi Ejecti, extrà Religionem degentes, remanent perpetuò suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi, prout habetur expressè in dict. *Decretis de Apostatis.*

8. Quamobrem, non possunt promoveri ad Superiores Ordines, tum quia, cui vetita est functio Ordinis, vetita etiá est illius susceptio, cùm Ordines suscipiantur, ut exerceantur; sed his expulsis prohibita est functio cujuscunquè Ordinis, ergò, &c. *Bonac.de Claus.q.*2.*pun.*12.§. 7.*num.*4. tum etiam; quia nòn habent titulum, ad quem pro-

Quæst. 40. Eiectus, an remaneat suspensus, si iterùm in pristinam Religionem redeat, vel se in aliam transferat?

1. Respondeo negativè, quia Sacr. Congr. loquitur de Ejectis degentibus in sæculo, & odia non extenduntur; & constat ex suprà dictis.

Quæst. 41. Eiecti dùm sunt in sæculo; an teneantur incedere in habitu Clericali?

1. Affirmat *Navarr. comm. 2. de Regul. num. 36. ver. addo septimò, & eod. tit. consil. 50. num. 3. & 51. num.* 2. in 1. edit. tum quia, dum fuit habitu suæ Religionis justè privatus, non potest reaccipere illum, contrà sententiam justè latam; tùm etiam; quia dum remanet subjectus Episcopo, ut dictum est, argum. *cap. final. de Regul.* tenetur in signum subjectionis, induere habitum Clericorum, suo statui convenientem, *Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. num. 55. & Barbosa in d. cap. fin. de Regul. nu.* 13. tum item; quia ità Sacra Congregatio declaravit die 1. Aprilis 1628. & refert *Novar.* in sua *Lucer. Regul. ver. Eiecti, num.* 7. quod pariter, & priùs eadem Sacra Congregatio declaravit die 21. Septembris 1624. & liquet in *Decretis de Apost. & Eiectis*, ibi, *sic verò eiecti, quandiù non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci iurisdictioni subsint, &c.*

2. Quæ verba debent procedere, nedum in Ejectis habentibus Minores, vel Majores Ordines, ut putat *Lezana ver. Eiecti, num.* 8. verùm etiam, & in omnibus aliis, dummodò sint professi, tum quia, *d. Decreta* loquuntur indefinitè, undè absquè ulla limitatione debent intelligi; tum etiam, quia Professus ejectus, sivè habeat Ordinem, sivè non, adhuc remanet Religiosus, & Episcopo loci Ordinario subjectus, & consequenter non potest uti veste Sæculari, sed Clericali, in signum suæ subjectionis ad Episcopum, & ut per illum cognoscatur, & discernatur à Laicis.

3. Perindè peccaret Ejectus, si incederet cum habitu laicali, *Graff. lib. 3. conf. 3. q. 3. de Regul. num.* 12. insuper, potest cogi ad id, & puniri secus faciens.

4. Amplia hoc ad eum, qui non habitu Religionis exutus, sed indutus, fuit à Religione ejectus, etenim satis est, quòd tanquàm Incorrigibilis fuerit expulsus, juxtà seriem *Decretorum*, quæ volunt, Ejectum titulo Incorrigibilitatis, quandiù non redierit, debere incedere in habitu Clericali, & esse subjectum Episcopo loci.

5. Nec obstant *Rodr. tom. 1. q. 30. ar. 27. & Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 9. n. 28. ver. deniquè*, dicentes, quòd si habitu indutus, à Religione ejectus sit, tenetur eum gestare in sæculo, ex quo, propria authoritate non licet habitum dimittere, tum quia, in hoc casu Expulsus non relinqueret habitum, propria authoritate, sed jussu Sac. Congr. tum etiam; quia Prælati Regulares hoc non tolerant; imò urgent, illum excommunicari, juxtà *Privilegium* Patribus Cassinens. concessum ab *Innocent. VIII.* quod refert *Graff. in d. conf. 3. de Regul. num.* 13. & extenditur ad omnes, qui communicant cum illis.

Quæst. 42. Si justè eiectus Clericalem habitum dimittat, & sæculari Militiæ se adscribat; an sit Apostata, & excommunicatus ex cap. ut Periculosa, nè Cleric. vel Monach. in 6.?

1. Illustrissimus *Maranta tom. 3. controvers. respon. 58. n. 31. & seqq.* respondet ob multa ad quæsitum affirmativè: quia is, de quo agitur, tenetur deferre habitum clericalem, sicut, & priùs, antequàm ejiceretur tenebatur portare Monachalem; etenim ob Religionis honorē, & mortificationem ejecti, fuit per Sacram Congregationē prudenter subrogatus habitus Clericalis in locum Monachalis, sed dimittens quis temerè habitum suæ Religionis, remanet obnoxius excommunicationi *d. cap. ut periculosa*, ergo, &c. Et eò magis, si hoc fecerit, ad finem liberiùs evagandi contrà intentum *d. cap.*

2. Confirmatur, quia ex quo iste effectus est Miles, non potest negari, quin dicatur, & sit verè, & propriè desertor suæ Religionis, sicut foret, & diceretur desertor illius, si habitum excussisset, antequàm indutus fuisset habitu Clericali: cum animo tamen, non ampliùs redeundi, ut dixi in *cap. de Apostatis*, ergò?

3. Nec penses, quòd hujusmodi expulsus, per ejectionem, & repulsam ab Ordine sit effectus potioris conditionis; aut absolutus à Votis, & obligatione portandi habitum, sed, ut sæpè diximus, etiam post expulsionem, licet justam, & justissimam, remanet Monachus, & Religioni addictus: & quamvis habitum Clericalem teneatur deferre, non ob id desinit esse Monachus, quia non habitus facit Monachum, sed Religiosa Professio, *cap. porrectum 13. & cap. ex parte 22. de Regul. & c. 6. Conc. Trid. sess. 14. de Reformat.*

4. Et additur, quòd ista mutatio habitus est per accidens, nè per delationem habitus Religionis, ipsi inuratur macula, & Fratribus innocentibus honestè, & virtuosè viventibus inferatur dedecus; & vituperium, quod expensum fuit in *c. final. de Regul.* Nisi velis dicere, quòd ex suo dolo, & peccato deportavit commoditatem, contrà *textum cap. intelleximus 7. in fin. de Iudic. l. sivè hæreditaria 23. ff. de negotiis gestis*, & docet *S. Ant. p. 3. summ. tit. 16. cap. 5. §. 3. in fin.* cui subscribit *Bellettus tit. de pœnis Clericorum p. 2. §. 25. num. 25.*

Quæst. 43. Si hic Apostata per multos annos permanserit in Excommunicatione; an sit de hæresi suspectus?

1. Respondeo, quòd is, de quo agitur, etsi non sit hæreticus, nec hæreticorum pœnis subjectus, ex quo non potest dici, quòd malè sentiat de articulis fidei.

2. Nihilominùs, ex eo, quod tamdiù insorduerit in excommunicatione prædicta, debet denunciari Officialibus Sanctissimæ Inquisitionis, quia perseverantia hujusmodi, maximè si sit imbuta flagitiis, non caret scrupulo hæreticæ pravitatis.

3. Quamobrem, prudentissimi Officiales Sancti Officii poterint procedere contrà eum, uti de hæresi suspectum, & ad suam eruendam intentionem, & credulitatem multifariè interrogare, prout in propriis terminis *Calderinus conf. 5.* incip. *Diaconus Professus, de Hæreticis, Navarr. conf. 21.* incip. *quid juris, lib. 5. de hæret, Pegna in Director. p. 3. Comm. 24. §. sunt autem alia facta, Farinac. de hæresi, q. 192. §. 2. limit. 5. Diana p. 4. moral. tract. 7. de pœnis delictorum, resolut. 3. ver. undè non desunt, Naldus in summ. ver. Religiosus, num. 32.* & est *Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de reformat.*

Quæst. 44. Eiectus justè, an non solùm sit suspensus, sed etiam Irregularis, ob expulsionem ab Ordine?

1. Bonac. in cit. loc. affirmat, si delictis, ob quæ fuit ejectus, annexa sit Irregularitas: utpotè, si homicidium commisit, vel gravissimum crimen notoriè, cui adjuncta sit infamia, vel Irregularitas, posita delicti notorietate.

2. Hinc, Religiosus ejectus, in casu posito efficeretur Irregularis, non præcisè propter actum ejectionis; sed ratione infamiæ juris ex delicto, ratione cujus ejectus est; *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 9. num. 59. & in opuscul. lib. 7. cap. 1. dub. 24.*

3. Nec non, & hodiè erit Irregularis propter infamiam facti, quia non ejicitur; nisi propter Incorrigibilitatem, ut constat ex *Decretis*.

4. Benè verum, quòd super ea Irregularitate, & infamia potest dispensari à Domino Papa, vel saltem ab Episcopo, si crimen non sit gravius adulterio, pœnitentia peracta, vel illius parte satisfacta, juxtà *cap.at si Clerici, §. de adulteriis, de judiciis*, & notat *Thesaurus p. 2. praxis, cap.13.vers. Religiosi legitimè ejecti, num.5.* sed cogita, & vide, an hæc loquantur de foro externo, & an vacent ob *Decreta* prædicta *de Apostatis & Ejectis*.

Quæst. 45. Ejectus justè, an teneatur ad Votum Paupertatis?

1. ET dico, quòd tenetur; quia est unum de substantialibus, à quo non potest deobligari; ut habetur expressè in *cap.cùm ad Monasterium de stat. Monachorum.*

Quæst. 46. Ejecti justè, degentes tamen in sæculo, si bona acquirant, cui acquirunt, sibi, Monasterio, an Cameræ Apostolicæ?

1. ET quidem, sibi quærere non posse, certissimum est, quia ratione Voti Paupertatis, cui subduntur, sunt incapaces dominii, & cujuslibet juris pecuniarii, & est decisio *cap. non dicatis aliquid proprium 12.q.1.ex cap.2. Regulæ Sancti Augustini.*

2. Nec ejectus per diffinitivam sententiam expulsionis ab Ordine, desinit esse Monachus, tùm, nè de sua iniquitate deferat commoditatem, contrà *l. itaquè, de furtis, & cap.1. de furt. & cap.1. de postulat. Prælat.* tùm etiam; quia Monachatus est quædam qualitas indelebilis, sicut caracter Clericalis, *Cardinal. in cap.final. de Regul.* ut millies dictum est; ob quod Regularis expulsus caret velle, & nolle, sicut antequàm ejiceretur, etenim est idem Religiosus, licèt quòad honores, & similia impeditus.

3. Perindè, *Molina tom.1 tract.2.disp.140. Lopez, Taxeda tom.1 lib.2.tract.1.controv.10.dub.1. num.12. & Diana* post allegatos *p.7. moral. tract.12. resolut.4.* inquiunt, quærere Monasterio, & Religioni, à qua sunt ejecti, tùm quia Monasterium, & Religio per justam sententiam ejectionis non debet privari jure, quod anteà habebat, in omnia acquisita à Professo suo, tùm etiam; quia ejicere malos Religiosos à Religione fit, & permittitur ad commodum, & favorem Religionis, scilicèt nè boni Religiosi scandalizentur, & trahantur ad mores expulsorum: sed quod eius favorem, & commodum introductum est, non debet retorqueri in damnum, vel in odium illius, ex *Regul.61. & l.6. C.de legibus*; tùm item; quia Religiosus ejectus justè, non est omninò à Religione præcisus, ob quod, si se corrigat, & emendat, tenetur Monasterium eum recipere: immò tenetur Monasterium annuatim illum requirere, ut redeat, & ejectus vocatus à Monasterio tenetur obedire. Secùs potest per censuras compelli, ex *cap.ultim. de regul.* ergò etsi habitet extrà Claustrum, adhùc est Religiosus, & subditus sui Monasterii. Hinc sivè revertatur in pristinam, sivè in aliam Religionem se transferat; secum portabit illa bona, si qua forsitan in sæculo quæsivit.

4. *Navarrus* autem in *Com.2. de Regul. num.35. ver. sed responderi potest*, ait, *quòd quærit verum dominium Deo, & ius administrandi summo eius Vicario Papæ, & etiam speciali Ecclesiæ sæculari, vel Regulari, si ad eam legitimè translatus fuerat, alioquin Episcopo; eo, quòd illi quærit, cui subest, nàm Superioritas est causa, cur Regularis quærit alicui per multa jura ibi adducta, & docet Sylv. ver. Apostasia q.9. Quod est dicere, Ejectum quærere, non Monasterio, à quo fuit expulsus, sed Ecclesiæ Diœcesanæ, si alicubi beneficium habeat, vel Romanæ, si nullum habeat beneficium: hinc in tali casu, bona ejectorum, tanquàm vacantia, post mortem eorum, posse, & debere vindicari à Domino Papa, vel Episcopo, cui subest Ejectus.* hæc ille.

5. Attamen, hodiè, quidquid sit de jure communi, attento *Motu proprio Greg. Papæ XIII.* incip. *officii nostri partes, &c.* omnia bona, per hos ejectos undecunquè acquisita, pertinent ad Cameram Apostolicam post eorum obitum, si extrà Religionem decedant, *Ricc.in 4.p. Decis.Cur.Archiep. Neap.decis.245. & in Praxi aurea p.2. resol.389.per totam, Campanil.in rubr.12. cap.15. num.9. in princ. Barbos.in d.cap.final.de Regul.q.7.num.15. Rodr.tom. 1.q.30.ar.29.in fin. Sanchez in decal. lib.7.c.33. num.22. & sequen. Novar. in praxi iur.novi Pontificii, de bonis Regul. Apostatarum, & Ejectorum, conclus.unic.* aliàs *12.fol.137. num.2. & sequen.* & in sua *luc.ver.ejecti,num.11. Lezana 1. p.summ.cap.23.num.16. Alphons. de Leone de cens.recoll.6. ver. ejicere num.332.* & nuper Emin. & Doctissimus *Card. Lugo to.1. de iust.disput.3. sect.11. num.240. & Naldus in sum. ver. Religiosus, num.35.* ubi extendit propria verba d.Rom. Pont. *Bonac.de Claus.q.2. punct. 12. §.7. num.13.* & egòmet latè dixi in *tract. de Apostatis, q. 23.* quia omnis Regularis degens, & moriens extrà septa, facit spolium, ex quo immediatè subjicitur Rom. Pontifici, sivè intrà, sivè extrà septa moretur, & quòd Rom. Pontifex voluerit aliquando concedere Monasteriis, ut haberent jus super bonis Professorum, procedit ex eius benignitate, & liberalitate: ipse enim ad sui libitum potest de his omnibus disponere.

6. Cum quibus omnibus benè stat, quòd quamvis ejectus ab Ordine, ob votum paupertatis, nihil sibi tanquàm proprium possidere, aut acquirere possit; quia hoc repugnat d. Voto.

7. Nihilominùs, non potest negari, quin acquirat nudum, & simplicem usum illorum, & jus disponendi de acquisitis, prout eius Status exigit, & indiget, maximè quò ad victum, & vestitum, & habitationem, & vitæ necessaria: hæc enim competunt ei de jure naturæ, & casus necessitatis semper censentur excepti; tùm quia de his, hujusmodi ejecto Religio non providet, nec necessaria præstat, tum etiam, quia in illo niet, tunc ejectionis ab Ordine censetur ei facta facultas, saltem tacitè, de his omnibus nomine Religionis disponere; *Rodr. & Barbosa* cit.*loc. & à S.Fausto lib.6. Thes.q.22. in novis.*

8. Dixi, nudum, & simplicem usum, qui solet vocari Usus facti, sivè amovibilis, & revocabilis, ad differentiam Usus juris, seù Ususfructus, qui in jure consistit, & solet dici, usus certus, & irrevocabilis, hic enim pugnat cum Voto Paupertatis, perindè, ab Ejecto acquiri non potest, *Azor.lib.12.instit.Moral.cap.16.quæst.4.*

Quæst. 47. Si Religiosus ejectus acquirat magnam pecuniarum quantitatem, qua emat census; an hi sint Cameræ Apostolicæ?

1. REspondeo, quòd hi census post mortem Expulsi, pertinent ad Cameram Apostolicam, si Ejectus extrà septa moriatur: secùs si in pristinam Religionem revertatur, vel in aliam se transferat de licentia Papæ; quia illa bona, tanquàm accessoria sequuntur personam principalis acquirentis.

2. Dixi, post mortem; quia bona Regularium degentium extrà septa, non debentur Cameræ Apostolicæ, nisi post mortem; juxtà *Constitutionem Gregorii Papæ XIII.* quæ hodiè est in praxi, & omninò observatur.

3. Benè

3. Benè verum, quòd interim dum vivit Ejectus, prædicti census censentur destinati, & admissi ad licitos, & necessarios usus præfati Expulsi, de quibus potest disponere, ut dictum est suprà, & ostendit *Alphon. de Leon. recoll. 6. de cens. ver. ejicere, num. 332.*

Quæst. 48. Si aliqua Religio totaliter deleatur, & ejus Religiosi Professi permittantur vivere in sæculo privatim: si aliqua acquirant, cui acquirunt?

1. Respondeo ex suprà decisis, quòd acquirunt Cameræ Apostolicæ, ut post mortem faciat spolium, juxtà *Motum proprium Greg. XIII.*

2. Benè verum, quòd acquisitorum administratio spectat ad eos, interim, quòd vivunt; & possunt de illis disponere, eo modo, quo dixi suprà, sive illa quæ sita sint arte, & industria, sive eis fiant ex donatione, aut legato.

Quæst. 49. Ejecti, an possint testari de acquisitis in sæculo?

1. Negativè dic; quia hi non sunt Domini eorum bonorum, quæ in sæculo accumularunt: sed solùm eorum nudus usus, & commoditas moderata conceditur eis, eorum vitâ durante, & liquet in Religioso, in Episcopatum translato, qui quamvis sit nobilioris conditionis, quàm sint Expulsi ab Ordine: tamen non possunt facere testamentum, ut eleganter ostendit *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. ultim. in respons. ad tertium*, ibi, *Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum Ecclesiasticarum, quæ morte finitur, ex qua incipit testamentum valere, ut Apostolus dicit ad Hebræos 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed Apostolica authoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut ejus dispensatio possit valere post mortem.* hæc *ille.*

Quæst. 50. Religiosi justè ejecti, si expendant dicta bona superfluè, & illicitè, an peccent contra Votum Paupertatis, & accipientes teneantur restituere?

1. Respondeo affirmativè; tum, quia hi Ejecti nullius rei sunt Domini, sed Administratores; non ad eorum libitum, & beneplacitum; quia hoc adversatur Voto Paupertatis, sed limitatè, nempe, ad utilitatem Ecclesiæ, ad usus licitos aut necessarios: secùs non Dispensatores dicerentur; sed Dissipatores, & Dilapidatores bonorum Ecclesiæ.

2. Confirmatur, quia Regularis ejectus, licèt in sæculo sit, adhuc tamen est verus Religiosus, non aliter, nec minus Votis obnoxius, quàm alii, qui intra septa morantur; sed hi, ex quo nullius rei dominium habent, si perversè aliqua bona consumant, & in turpes usus elargiantur, non solùm peccant mortaliter contra Votum Paupertatis; verùm etiam & recipientes ab eis tenentur restituere; & hoc ideo, quia receperunt injustè, nempe, ab homine non habente auctoritatem donandi, nec distribuendi in malos usus, & liquet in iis, qui accipiunt à filiis, vel filiabus, stantibus sub patria potestate.

3. Tum etiam, quia Ejectus justè, non aliter potest expendere bona acquisita, nisi juxta Prælati Monasterii voluntatem, & juxta facultatem, ab eo sibi traditam, ex quo non est acquisitorum Dominus, licèt per ipsum fuerint lucrata: quia quidquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit, sed non potest præsumi, quòd ejus Regularis Prælatus in actu expulsionis, illi fecerit facultatem alienandi quæsita ad libitum, vel expendendi superfluè, aut turpiter, contra Religiosam honestatem; nec potest hoc illi concedere. Nam Superior non plùs juris potest alteri concedere, quàm ipse habeat in se, cùm juxta Regulam, nemo dat, quod non habet. At Prælatus Regularis non potest in quæsitis suæ Ecclesiæ præjudicare, quamobrem, non potest res Ecclesiæ alienare, nec donare, nec commutare, sine lapsu censurarum; nec turpiter, vel inhonestè consumere, hoc enim non foret fideliter bona suæ Ecclesiæ administrare; sed dilapidare, & turpiter dissipare.

4. Proinde, Prælatus, nedum malè faceret, & suo abuteretur officio, si hanc, de qua agitur, facultatem concederet; verumtamen licentia hæc taliter concessa, ex defectu authoritatis in cõcedente, esset nulliter, & omni valore destituta; & Religiosus ejectus in casu posito, ita se haberet, ac si absque ulla licentia, de illis bonis disponeret: & hæc est vera, & tuta sententia, in principiis *D. Thom.* firmiter ædificata. Cui ferè omnes inhærent, & nuper satis lepidè probat noster *Lopez Taxeda, tom. 1. moral. lib. 2. tract. 1. controv. 10. num. 17. à S. Fausto lib. 6. Thes. q. 222.* in novis, & *Lezana tom. 1. summ. cap. 23. n. 14.*

5. Scio autem, quòd Doctissimus *Molina*, Illustrissimæ Societatis Jesu *tom. 2. de Just. disput. 276. num. 5. ver. quoad cæteros*, ait, quòd Religiosus, licèt nullum sibi dominium acquisitorum possit comparare; tacitè tamen videtur habere, eique concessum in actu expulsionis; quia tota commoditas illorum bonorum spectat ad ipsum, ac si Religiosus non esset; tum, quia de illis bonis nullus se intromittit, nec de illis sua Religio rationem exposcit, neque curam habet; sed sinit hujusmodi Ejectum de quæsitis disponere, ac si dominium illorum haberet, & ita est praxis, & communis usus.

6. Hinc subinfert, quòd si quid cum meretricibus consumat, aut alia ratione perversè donet, & expendat; factum tenet, neque accipientes tenentur restituere, ac si ille Religiosus non esset, sed verus Dominus. Et *disput. 520. num. 1. in fin.* idem attestatur, loquendo de ipso Ejecto ludente, cui inhæret *Salas de ludo, dub. 21. num. 5. Lessius lib. 2. de justit. cap. 41. dub. 15. Bonac. de Claus. q. 2 punct. 12. §. 3. num. 2. Sanchez in Decal. lib. 6. cap. 9. num. 47.* & post multos novissimè famigeratus Scriptor *Ant. Diana p. 7. moral. tract. 12. resol. 5.* qui fermè uno ore loquentes ajunt, probabilem esse opinionem *Molinæ.*

7. Sed, pace ipsorum, hæc opinio mihi non placet, nec quidem placere potest, ob multa.

8. Primò; quia præcitati *Doctores* æstimant, *Molinam* loqui de Ejectis in perpetuum quibus permittitur, dum vivunt, administratio bonorum, ac si Religiosi non essent, & illorum bonorum dominium haberent, teste *Bonacina* cit. *loc.* quod hodie non potest procedere; quia sicut nullus Professorum potest è Religione expelli, nisi titulo Incorrigibilitatis, ita nemo ejicitur in perpetuum, nisi usque dum non resipuerit; immo annuatim debet requiri, ut redeat, & potest ad hoc per censuras compelli, ex *cap. fin. de Regul.*

9. Secundò etiam, quia isthæc *Molinæ* opinio sese evertit, & implicat; in terminis quandoquidem admittit Ejectos in bonis quæsitis sibi nullum comparare dominium: & ex alia parte eis amplam indulget administrationem: facultas enim ampla disponendi de rebus ad libitum, absque alicujus injuria, est dominium, ut docent *Theologi in 4. sent. distinct. 15. & Jurisperiti 9. instit. de rerum divis. & in tit. de usu, & usufruct.*

10. Tertiò; quia etsi tota commoditas illorum bonorum relinquatur in commodum Ejectorum, non perinde rectè infertur, quòd sint illorum Domini; quia sufficit, ut sint Administratores, & fideles Dispensatores: & arguere ab amplo ad strictum, fit fallacia consequentis: sed potiùs inde licet dicere, quòd Religio prudenter facit,

ex quo Ejectos non alit, nec eis exhibet necessaria ad vitæ sustentationem, quia scit, eos acquirere Cameræ Apostolicæ, & ideo non se intromittit.

11. Quartò; quia etsi Religio de illis non se intromittat, nec curam habeat; non ideo bene infertur, ergo remanent illorum Domini. Etenim à diversis non fit illatio.

12. Nec ista Religionis conniventia potest præjudicare Ecclesiæ; culpa enim Prælati non potest nocere Ecclesiæ in Juribus quæsitis: & eò maximè, quia Prælati bene sciunt, quòd hi Ejecti tenentur se corrigere, & redire; & quòd si interim moriantur, faciunt spolium, adeò ut illorum bona spectent ad Cameram Apostolicam, cui non possunt, nec intendunt præjudicium inferre.

13. Quintò; quia hæc prætensa licentia ad libitum disponendi, non potest præsumi, nec potest fieri à Prælatis, & facta, non valet, ut dictum est; nec oportet plus nimio, ne dicam plus justo, his miserabilibus concedere.

14. Sextò; quia si Religiosi beneficia Ecclesiastica obtinentes, aut justis de causis, extra Monasterium commorantes, non habent à Superioribus similem dandi licentiam, cùm non possint Prælati eam illis concedere, teste eodem *Molina, ubi suprà*, & notat à *Sancto Fausto* cit. *loc.* Ergo, neque Religiosi expulsi poterunt hanc facultatem habere, cùm verè sint Religiosi, nec melioris conditionis, quàm Beneficiarii, & consimiles licitè degentes extra Claustra.

15. Nec obstat dicere, quòd hi Ejecti possunt de illis disponere, ac si essent sæculares, & veri Domini, eò quòd habeant commoditatem, & administrationem bonorum independenter à Prælatis, quia hoc totum gratis dicitur, & nullo jure cavetur, sed totum contrarium est dicendum; quia hic Ejectus est verè Monachus, & votis adstrictus, & ex sua iniquitate non debet sibi inferre commoditatem.

16. Non tamen nego, quòd hi possint quæsita expendere in usus necessarios, & licitos, & maximè ad vitæ conservationem; nec non & alia, juxta *Decretum Clem. VIII. de largitione munerum*, & novam *Declarationem* Sac. Congreg. jussu *Urb. VIII.* editam die 16. Octobris 1640. Pontificatus ejusdem anno decimo octavo, incip. *Nuper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, &c.* quam per extensum refert *Novar. 2. part. sum. tit. de largit. munerum,* ubi exprimuntur causæ, ob quas licet elargiri, nempe ex causis Gratitudinis, Conciliationis, Benevolentiæ, ejusque conservationis erga Religionem, aliisque de causis, actum Virtutis, & Meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè.

17. Item, leviora esculenta, aut poculenta, seu ad Devotionem, & Religiositatem pertinentia, &c. hoc enim totum potest stare cum voto Paupertatis.

18. Sed mihi displicet dicere, quòd possint expendere absolutè ad libitum, & independenter à Prælatis; quia hoc, meo videri, in nihilo differt à vero dominio, quod nullatenus Ejecti possunt habere; unde jure merito prohibentur testamentum facere, quia verum dominium non habent, sed usum facti, seu incertum, utpote amovibilem, & avocabilem à Prælatis Religionis; & secùs facientes fabricant in gehennam.

19. Nec valet replicare, quòd Ejecti non sunt perfectè vinculo Voti Paupertatis obstricti, sed solùm secundùm quid; quia hoc gratis dicitur. Nam, ut suprà ostendi, hi sunt veri Religiosi, qui si in pristinam Religionem revertantur, non coguntur renovitiare, nec denuò vota sollemnizare, nec possunt ab illis deobligari, nisi per Rom. Pontificem, & non sine magnis causis.

20. Item, hi Ejecti tenentur se corrigere, & habiles reddere, ut iterum admittantur: item, sic correctos se Religioni offerre, & humiliter repetere habitum, quo culpabiles fuerunt privati, *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 9. num. 25.* & alia multa, ob quæ tenentur Ejecti obedire Prælatis, vide hîc supra *q. 23. & 24.*

21. Verùm censeo, quòd isthæc obedientia Expulsorum in multis casibus suspenditur, donec in Religionem regrediantur, & cessat ejus executio multifariè per accidens, ut docet *D. Thom. in 2.2. q. 185. art. ult. in resp. ad tertium,* hoc est, ob defectum materiæ, ex eo scilicet, quia Regulares Superiores non habent, quibus possint obedire, ut patet in P. Generali totius Ordinis, qui cùm in Religione Superiorem non habeat, desinit esse subditus, & consequenter obedire. Verùm non ideo dicitur quòd sit liber à voto obedientiæ, hoc enim accidentaliter evenit, & ea, quæ per accidens fiunt, non sunt in consideratione disciplinæ.

22. Nec dices, quòd hi Ejecti sunt in sæculo, ut cæteri Clerici sæculares: quia hoc intelligitur respectivè, nempe quoad obedientiam debitam Episcopo loci, in quo contingit commorari, non autem quoad omnia: nam Clerici sæculares, ut certum est, possunt liberè evolare in quamcunque Religionem sibi bene visam, quod fallit in Ejectis; nam hi ante *Decreta* Sac. Congr. *de Apostatis & Ejectis* non poterant prædicare, nec Confessiones audire, nec in aliam Religionem transire sine licentia Magistri Ordinis: & post prædicta *Decreta* manent perpetuò suspensi, nullamque possunt adire Religionem sine voluntate Domini Papæ, & dispensatione Apostolica, ut dictum est suprà.

Quæst. 51. Ejectus justè de Ordine Minimorum: an teneatur ad quartum Votum vitæ Quadragesimalis?

1. ET dico, quòd sic; quia ad id specialiter se obligavit per Votum solemne, à quo per sententiam ejectionis, quamvis justam, minimè potest deobligari; etenim, Votum solemne ex parte rei, & de sua ratione formali petit esse perpetuum, ut dictum est suprà, tum etiam, quia Religiosus ejectus non est nobilioris conditionis, quàm sit Regularis factus Episcopus: sed Frater Minimus factus Episcopus, tenetur observare Religionis essentialia, teste *D. Thom. 2.2. q. 88. art. 11. ad quartum, & q. 185. art. ult. & ibid. Cajet. dub. 2. & tom. 1. opuscul. tract. 25. de obligat. & obser. præcep. q. 2.* & noster *Ledesma de statu Episcop. concl. 25. difficult. 1.* paulò ante *Digo lo tercero.*

2. Votum autem vitæ Quadragesimalis est unum de essentialibus in Ordine Minimorum, & in specie promittitur: ergo, &c. docet latè *Laur. Peyr. tom. 1. de subdit. q. 4. cap. 2.* ubi de hac re eruditè, & *q. 1. cap. 25. § 1. verbo quartò, fol.* mihi *49. col. 2.*

3. Amplia ad omnes alios Religiosos, qui aliquod Votum, ultrà tria illa substantialia, in Religione expressè promiserunt, teneri ad illius observantiam, etiam postquam fuerunt à Religione expulsi: uti sunt Fratres B. Mariæ de Mercede, qui emittunt quartum Votum vacandi Redemptioni Captivorum; & Religiosi Societatis Jesu, præter illa tria, in specie promittunt obedire Romano Pontifici circa Missiones.

4. Et hoc ideo, quia una, & eadem est ratio formalis omnium Votorum essentialium, quæ æquè militat in isto quarto, vel quinto Voto, *Bonac. de Claus. q. 2. punct. 12. § 3. num. 4. & Vasquez 1.2. q. 96. art. 4. disput. 163. cap. 8. num. 89. in fin.* & favet noster *Sotus lib. ult. de Just. q. ult. art. ult. col. 7. ver. sed contra,* ubi ait, Religiosum factum Episcopum non teneri ex præcepto, & vi coactiva ad Regulares observantias, ex eo; quia illas expressè non vovit: ergo per argumentum à contrario sensu, quæ expressò sub Voto promisit, utique tenetur observare.

5. Nec his nocet *Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. num. 56.* dicens, *hos Ejectos deobligari ex hoc quarto Voto, ob multa, & Pri-*

& Primò; quia emittitur, ut annexum & accessorium professioni Monasticæ, à qua liber evadit expulsus; & dum liberatur à principali, & à concomitantibus. Secundò, quia Votum desinit obligare, quando est ita facta notabilis mutatio materiæ, ut reddatur notabiliter difficilior, & quæ à principio prævisa, retraheret à Voti emissione. At in nostro casu, facta est mutatio, non solùm notabilis, sed notabilissima, ergo.

Tertiò; quia ea Vota emittuntur ad felicem Religionis statum conservandum; ergo tamdiu censentur obligare, quamdiu Professus est de eius corpore: proinde, ait, *non dico, quòd hæc vota extinguantur, sed remanent suspensa, usque dum non fiant de corpore*, hæc ille.

6. Verumtamen hæc & similia dixi, quòd non militant, nec nocent, non quidem primùm, tum, quia Votum vitæ Quadragesimalis in Ordine Minimorum non est accessorium Regulæ, at est principaliter intentum, & essentiale, quod procedit in omni alio Voto facto, ultrà illa tria: dummodo expressè fiat, & coeat sub eadem ratione formali Voti solemnis; tum etiam, quia dato quòd fuerit emissum ad custodiendum, & conservandum illa tria substantialia; certum est, juxta juris *Regulam 42. de Regul. in 6.* quòd accessorium sequitur naturam principalis; ergo dum remanent illa tria principalia, remanebit & istud quartum, & sicut Ejectus remanet obligatus ad illa: ita pariter & ad istud; tum item, quia nec Episcopus Regularis, nec Ejectus remanet liber à Votis; sed quodammodo à Regula, ut dicitur in *cap. statutum*, 18. q. 1. ubi *Glossa in ver. absolvit*, subnectit, non tamen absolvitur à Voto Professionis Monasticæ, quia aliud est, absolvi à voto, & aliud, à Regula: etenim in *d. cap. statutum* dicitur, quòd Regularis per Episcopatum liberatur à Regula, hoc est, ab obedientia Abbatis, à jejuniis, vigiliis, silentio, modo cantandi in Choro, ut bene notat *Peyr.* cit. *loc.* tum tandem, quia aliud est loqui de Professo assumpto ad Episcopatum, & aliud, de Ejecto in profundum malorum.

7. Ad secundum, dico, quòd in casu, de quo agitur, status censetur mutatus accidentaliter, non autem substantialiter, ut dicit *D. Thomas 2. 2. in d. q. 185. art. ultim. ad quintum*, & accidentalis mutatio non lædit substantiam: eò fortius, quia hæc mutatio fuit facta culpa ipsius Ejecti, quæ non debet ipsi patrocinari: tum item, quia hæc vita Quadragesimalis, in Religione promissa, ob hanc status mutationem non fit illi impossibilis, sed difficilis, ut non ita commodè, prout in Religione possit observari, quod non excusat à peccato; sed debet imputari ipsi Ejecto, qui se per sua enormia, & vitam incorrigibilem ab illa dejecit, & damnum, & incommodum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputandum.

8. Ad tertium jam dictum est suprà, quòd hoc quartum Votum in Religione emittitur in custodiam, & conservationem votorum essentialium, & dum illa remanent, remanet & istud; & quamdiu non fiet Ejecto impossibile, nunquam excusabit à peccato, etsi sine difficultate minimè possit practicari; *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 20. in fin. & Novar. 2. p. summ. tit. de Ejectis num. 13.*

Quæst. 52. Ejectus juridicè; an teneatur ad Regulares observantias, utpote ad jejunia, ad Horas Canonicas, ad canendum in Choro; & similia?

1. Sotus *de just. lib. 7. q. 2. art. 1.* paululùm ante solutionem *quarti argumenti*, ait: *Si sciscitèris, an teneatur in sæculo Religionis vota servare? respondetur, à Voto quidem obedientiæ absolutus manet: postquam Prælatus eum ejecit, ac subinde à voto Paupertatis: quandoquidem Conventus eum non alit, ac proinde à persolvendo officio divino, nisi fuerit in Sacris, atque à jejuniis, & aliis annexis Religioni; siquidem illorum non fecit Votum expressum, neque ad illa tenebatur, nisi ratione Religionis, à qua expellitur*, hæc ille.

2. Idipsum videtur confirmare *ibidem lib. 10. seu ultimo, q. 5. art. final.* paulò ante solutionem *argumentorum, vers. sed contrà*, ergo, ubi agens de Monacho Episcopo, an ad Observantias Regulares teneatur, assignat rationem, ob quam Religiosus Episcopus tenetur ad castitatem, ait, *quoniam Votum Castitatis expressè fecit; cætera verò non vovit formaliter, nisi vovendo Religionem, quæ cessat in illo*, hæc *ibi*.

2. Ex hac *Soti* doctrina non pauci dixerunt, quòd Regulares Observantiæ, ex quo sunt onera consequentia statum Monachalem, & Religiosum, non afficiunt eos, qui in statu Monastico non existunt, sicut qui fecit Votum ingrediendæ Religionis, non tenetur ad illius onera, nondum assumpto statu Religioso, ita neque tenetur ad illa, qui statum Religiosum suscepit, sed ab illo expulsus fuit. Tum, quia Religiosus Professus per se, & immediatè solùm promiserat tria vota substantialia, reliqua verò consecutivè solùm, & accessoriè, posito statu Monastico, & Regulari: cùm autem ab eo statu deponatur, deponi videtur ab illa obligatione Regularis observantiæ, quæ talem statum consequitur, & comitatur; prout *Navar. cons. 78. de Regul.* in 2. edit. *& com. 3. eod. tit. num. 46.* ex his infert, *non tenetur abstinere à carne, sicut Monachus, nec deferre habitum priorem, justè sibi ablatum, neque ut ipse puto, jejunare, nec se disciplinare, nec tangere pecuniam, quod prohibitum est Minoribus, quia licèt hoc sub peccato mortifero in Regula Minorum sit prohibitum, non tamen est de substantia alicuius trium Votorum.* hæc *ille*, cui subscribit *Sanchez in decal. cap. 9. num. 52. lib. 6. Paulus Layman lib. 4. moral. tract. 5. cap. 13. de Ejectis à statu Religioso, q. 2. num. 5. Graff. tom. 1. cons. 3. de Regul. q. 2. num. 9. Ant. Diana p. 3. moral. tract. 2. de dub. Regul. resol. 116. ver. item contra, Sayr in Clavi Regia, lib. 6. cap. 9. dub. 54. num. 28. ver. 6. Ejectus, Barbosa in cap. final. de Regul. q. 6. num. 12. à S. Fausto lib. 6. Thes. q. 213.* in novis, & *Lezana 1. p. summ. cap. 23. num. 17.* quorum omnium fundamentum unum, & idem est, nempè, quòd illas observantias expressè non juraverunt; sed promiserunt observare ratione Religionis, hoc est, pro eo tempore, quo in Religione manent.

4. Verumtamen *S. Ant. p. 3. tit. 16. cap. 5. §. 8. Sylv. ver. Religio 6. q. 17. Cordub. in Regula D. Franc. cap. 2. q. 21. punct. 3. Rodr. tom. 1. q. 30. art. 20.* cum suo *comp. resol. 57. num. 6. Miranda tom. 1. manual. q. 52. art. 5. conclus.* 1. ibi, *circa Regularem vitam, Portell. in dub. ver. ejicere n. 5. Peyr. tom. 1. de subdito q. 1. c. 25. §. 1. ver. dico quartò*, & alii plures inquiunt, quòd hi Ejecti, licèt justè, & juridicè, & per sententiam diffinitivam tenentur ad ea omnia, quæ extra Ordinem servari possunt, etiam ad Regulares observantias, quas promiserunt, dummodo sint compossibiles, & compatiantur cum illorum statu.

5. Tum quia hi Ejecti non censentur expulsi in perpetuum, sed donec corrigantur, ut sæpè dictum est, ergò adhuc sunt veri Religiosi, & membra Religionis; ob quod non debent dici Ejecti, sed potiùs relegati, & ad tempus separati à cœtu aliorum, in pœnam eorundem peccatorum: ergo tenentur promissa servare, sicut & cæteri, ea maximè, quæ eorum statui non repugnant, nec sunt dissona: tum etiam, quia ex *cap. ultim. de Regul. & Decretis* prædictis, censuris Ecclesiasticis possunt, ac debent cogi, ut in pristinam Religionem revertantur; ergò falsum est dicere, quòd sint liberi à vinculo suæ Religionis, quia nullus liber à Religione, cogitur Religionem amplecti. Tum etiam, quia Ejecti per expulsionem à Religione non fiunt meliores. Secùs ex propria iniquitate sibi afferent commoditatem, contra jus, & regulam, qua dicitur, quòd dolus nemini debet patrocinari.

6. Nec

6. Nec *Sanchez* his officit, dicendo ubi suprà, *quòd etsi absurdum sit, reportare per se commodum exemptionis ex delicto, at reportare per accidens, ratione alicuius principalis, quod deficit, cui obligatio illa accessoria erat, nil absurdi continet, & id contigit in hoc casu. Nam quia obligatio ad eas observantias est annexa perseverantiæ in Religione, deficiente hac per expulsionem legitimam & perpetuam ob Ejecti demerita, deficit per accidens, & consequenter obligatio accessoria.* hæc ille.

7. Tum quia illud principale, seu illa permanentia in Religione defecit culpa, & causa ipsius Ejecti; orta est enim à suis peccatis. Tum etiam, quia nullus hodie expellitur in perpetuum, sed ad tempus, nempe donec corrigatur, & non nisi titulo Incorrigibilitatis, per annum in carceribus probatæ, quæ non aliunde venit, nisi ex propria voluntate ipsius carcerati, eò quòd noluit resipiscere: ergo ista ejectio fuit volita, saltem in causa.

8. Confirmatur, Religiosus damnatus ad triremes, maximè ad tempus, ad hæc omnia tenetur, si hoc ejus status patitur: Item Regularis, si iter eundo, incidat in Turcas, & captivus fiat; nonne ad hæc obligatur, prout potest, & status permittit? Item professus, si cui Pareciæ præfigatur, aut Episcopus fiat; nonne obligatur ad Vota, & Observantias Regulares? dummodò sint compossibiles, & Pontificale officium non impediant, & tali statui non sint dissonæ; & in signum hujus obligationis, portant Religionis habitum, ut lepidè ostendit *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. ibidem Cajet. & Sotus* cit. *loc.* Nunquid Ejecti per expulsionem ab Ordine fiunt melioris conditionis, quàm Prælati in Parochiam, vel Episcopatum translati?

9. Proinde fateor, Ejectos teneri ad jejunium sextæ feriæ, quod sub mortali promiserunt, *Rodr.* in suo *Comp.* cit. *loc.* nec non ad Horas Canonicas, si sint majoribus insigniti, vel Choro delegati, aut laici servitiis præfixi: hi namque dicent horas juxtà Regulam. Tum quia ut sæpe dixi, ex delicto non debent reportare commodum, *cap. tua, de Clericis non residentibus.* Tum etiam, quia per hujusmodi ejectionem non liberantur à Votis, nec à promissione, sub juramento præstita, tempore Professionis, qua promiserunt Regulam observare, vel secundùm eam vivere usque ad mortem: Tum item, quia non sunt liberati à Statu Clericali, cui est annexa obligatio recitandi officium divinum, prout ex multis colligit *Navarr. de Horis Canonicis, cap. 7. num. 16. Ledesma 2. p. summ. tract. 9. cap. 4. conclus. 13. dub. 2. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. num. 9. Portellus & Peyr.* cit. *loc.* quibus accedit, quòd in signum talis obligationis coguntur ferre habitum Clericalem; & quòd multi sæculares in sæculo degentes nullatenus obligati, ex sola devotione recitant officium divinum, & majora persolvunt: quod hi faciunt ex devotione, poterunt & Ejecti ex obligatione: & hæc est vera sententia, & verior, ac tutior in praxi, pro conscientia omnino amplectenda, secùs viderint ipsi *Bonac. de Claus. q. 2. punct. 12. § 3. num. ult. in fin.*

Quæst. 53. Religio expellens Professum, absque justa causa; an peccet contra Iustitiam, & ad quid teneatur?

1. Religio in casu posito peccat equidem mortaliter, & taliter Ejectum tenetur alere, & denuò recipere; quia Monachus & Religio pari jure censentur, ex *cap. ad Apostolicam, de Regul.* & per Professionem adinvicem obstringuntur: est enim Professio contractus mutuus, ultrò citròque obligatorius, ut dico in *tract. de Professione Relig.* quandoquidem sicut Religiosus in Professione se obligavit permanere in Ordine, illique inservire usque ad mortem inclusivè: ita pariter & ipsa Religio promisit, illum retinere, alere, & uti filium defendere perpetuò.

2. Hinc hujusmodi Ejectus habet jus agendi contra d. suum Monasterium, ut ipsum de novo admittat, nec non, & interim dum non admittitur, petendi alimenta, & victui necessaria, ad quæ Monasterium potest cogi, & tenetur præstare; quia injustè egit, & immeritò illum spoliavit jure suo, *Panor. in cap. cùm dilecta n. 13. & ibid. Fel. num. 16. ver. fallit tertiò, de rescriptis, & Navar. comm. de regul. num. 33. in med.* ubi notat, quòd per ejectionem injustam Professus non dicitur præcisus à Monasterio, & ideò potest cogi ad eum recipiendum, adde quòd si noluerit illum sic projectum recipere, Episcopus vel Superior legitimus coget illum ad dandum bona, quæ dedit illi Monachus, cum quibus in alio Monasterio reponatur, secundùm *Cardinal. in Clem. 1. § quia verò, q. 3. de Statu Monach.*

3. Verùm, quia Prælati culpa non potest nocere Monasterio, maximè in jure quæsito, *Innoc. in cap. cùm dilectus, de Privil. & Bald. in l. servus, C. de pactis.*

4. Et cùm nullus possit cogi ad profitendum in aliqua Religione, *cap. gesta, 74. distinct.* ex quo Professus, & Religio adinvicem sunt obligati, quod vinculum per injustam repulsam non dirimitur; perinde satis est, quòd Monasterium cogatur ad illum denuò recipiendum, & interim quòd non admittit, compellatur ad exhibendum illi alimenta necessaria, quibus in sæculo possit honestè vivere, *Surdus de aliment. tit. 6. q. 35. num. 6. & Sanchez lib. 6. ad Decal. cap. 9. num. 7. & 8.* ubi ait, hoc procedere quoad alimenta futura, non tamen præterita: nisi mutuò accepisset; & hoc ideo, quia pecunias, quibus se aluit, tenebatur dare Monasterio, & ad ipsum Monasterium pertinebant: ideoque in rigore est dicendum in tali casu, quòd se aluit sumptibus Monasterii, *Navarr. in d. comm. de regul. num. 65. ver. addo septimò, & Graff. lib. 4. de regul. cons. 3. num. 8.*

Quæst. 54. Ejectus absque causa; an sit ad honores restituendus; & omnia sua bona sibi ablata, vel retenta recuperet?

1. Affirmativè dic; quia sententia injusta est ipso jure nulla, nullamque meretur executionem; nec quidem nomen sententiæ, sed potiùs violentiæ, *Grat. discept. forens. cap. 455. num. 6. & Novar. 1. p. sum. super Bull. tit. de Apostatis, num. 23.*

Quæst. 55. Quòd Regularis sit justè, vel injustè ejectus, ad quem pertineat inquirere?

1. Et quidem pertinere ad illius Episcopum, testatur *Cardinalis in d. Clem. 1. § quia verò, ver. addo quartò,* quod notent Regulares, quia multi sunt ejecti ex propria culpa, ad hoc, ut in sæculo vivant laxis habenis.

2. Hinc contra rationem & Regulam ex propria iniquitate deportant commoditatem, cui subscribit *Laurentius de Franchis* in suis *controvers. inter Episcopos, & Regulares, q. 3. fol. 219.* quod pro quotidiana praxi censet fore, & esse observandum à Regularibus, *Novar. 1. p. summ. Bull. tit. de Apostat. & Eject. num. 24. & Pater Franciscus Cespedes tract. de exempt. Regul. eod. tit. cap. 21. dub. 315. num. 12.*

3. Nec ob id penses, Illustrissimum loci Episcopum habere potestatem recognoscendi acta, vel reexaminandi processum, quo Professus fuit à Religione expulsus; quia hoc est actus jurisdictionis, quam loci Episcopus non habet in exemptos, sed injustitiam expulsionis sibi delatam poterit ipsemet Ejectus coram Sacra Congregatione deferre, ad quam spectat negotium examinare, & super juribus Ejectorum judicare. Etenim Regulares exempti juxta prædicta *Decreta* Sacræ Congregationis, ad

ad aliud non tenentur, nisi Episcopo loci expulsionis sententiam notificare.

Quæst. 56. Ejecti ob crimina, quæ ipsi sibi falsò imposuerunt; an sint veri Apostatæ?

1. Affirmativè dic, quia talis ejectio ex parte Expulsorum est procurata, nempe fraudibus, & falsitatibus extorta; hinc illis non suffragatur, *Sanchez in decal. d. cap. 9. num. 67.* Ideoque tenentur detegere fraudem, & redire in Monasterium, *Bonac. de Clauf. q. 2. punct. 12. §. 1. num. 13.*

2. Verùm, si hi verè commiserint enormia, ad finem, ut expellerentur, projectione secutâ; etsi peccassent ob illam malam intentionem, absque tamen nota Apostasiæ erunt in sæculo, sicut & cæteri, ubi tenentur morigeratè vivere, & se corrigere, ut reducantur ad illam; etenim dolus & fraus, ut sæpè dictum est, nemini possunt patrocinari; *Lezana verb. ejecti, n. 10.*

Quæst. 57. Ejecti justè, an possint propria authoritate in aliam Religionem transire?

1. *Navar. lib. 3. de Regul. cons. 78.* in 2. edit. cui favet *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 21.* respondet, hujusmodi Ejectos posse transire sine ulla licentia; immò invitis Superioribus Religionum, ad aliam Religionem, sive strictiorem, sive æqualē; ac si nunquam illam priorem Religionem intrassent; tum quia ab illa censentur liberi, & absoluti: tum etiam, quia extincta est omnis obligatio, quæ non potest reviviscere, ex *l. qui res, § aream, ff. de solut.*

2. Confirmatur; quia dum justè ejectus potest in sæculo liberè manere, ergo à fortiori poterit aliam Religionem amplecti.

3. Veruntamen hodie hæc *Navarri* opinio nullatenus potest placere; tum quia nullus hodie ejicitur in perpetuum à Religione, sed donec corrigatur, ut in *cap. final. de Regul. & in d. Decretis* Sacr. Congreg. *de Apostatis, & Ejectis*, tum etiam, quia si ejicerentur in perpetuum, semper forent Religiosi, & Votis adstricti; etenim nequeunt ab illis absolvi per Ordinum Prælatos; nec talis ejectio fit in Expulsorum libertatem, aut commoditatem, sed in eorum majores pœnalitates, *Lezana 1. p. summ. cap. 23. num. 10.* perinde nequeunt se transferre, nisi de licentia Domini Papæ, & Prælatorum suæ Religionis.

Quæst. 58. Ejectus ob delictum, an audiatur, si velit venire adversus renunciationem bonorum, factam ex causa susceptionis habitus?

1. Respondeo negativè; tum quia expulsus, licèt justè, cùm adhuc remaneat verè Professus, ei repugnat habere proprium; etenim remanet ejus Votum Paupertatis, *Sanchez in decal. tom. 2. lib. 6. cap. 9. num. 34. & 45.* tum etiam, quia ex quo est Professus, caret actione agendi; est enim mortuus mundo, & ejus bona, actiones, & jura, per professionem transeunt ab eo in dominium & proprietatem Monasterii, dummodo sit capax bonorum (ut supponitur) & Monasterium non potest privari jure quæsito.

2. Nec obstat dicere, quòd sit ejectus, quia fuit expulsus utì incorrigibilis, & sic ex suo delicto non potest consequi utilitatem. Et tandem sic constat ex *Decis. Rotæ Rom. in noviss. divers.* dicatis Illustrissimo *Coccino* in editione Veneta 1636. *decis.* 109. quam item refert *Novar.* in sua *Luc. ver. ejecti, num. 14. & Lezana eod. verb. num. 9.*

Quæst. 59. Ejectus ob delictum, an possit ad mortem condemnari?

1. Negativè dic, quia Judices Ecclesiastici prohibentur exercere causam sanguinis. Benè verum, quia hi Ejecti, si sint tales, quales ad finem desiderantur: ubi fuerunt depositi, & degradati ab Illustrissimo loci Ordinario, & Papa consulto, & servatis servandis, juxta praxim Ecclesiæ, & Curiæ sæculari traditi, possunt pœna mortis puniri à Potestate laicali, *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 28. & Bonac. cit. loc. num. 6.*

Quæst. 60. Ejecti per diffinitivam sententiam; an sint infames infamia facti?

1. *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 21. in fin. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 52. art. 7. conclus. unic. in fin. & Peyr. de subdito, q. 1. cap. 25. §. 1.* respondent affirmativè; ex quo infamiæ definitio his benè convenit, & arguere à diffinitione ad diffinitum tenet argumentum; valet enim dicere, est animal rationale, ergo est homo. Definitur autem infamia multis modis, ut dico in *tract. 3. de qualitat. recipiendorum, q. 1.* & præcipuè secundùm *Glossam in cap. vestra, vers. notorium, de cohabitatione Clericorum, & Mulierum, & Bartol. in l. 1. C. ex quibus causis infamia irrogatur*, quòd sit læsæ dignitatis status, vita & moribus reprobatus, & in multis diminutus: at ejectus ob sua demerita decessit ab honorato suo statu Monachorum, læsit dignitatem sui Ordinis, amisit honores, & jura, quæ habebat in sua Religione, nempe suffragandi in Capitulo, sedendi in Choro, administrandi bona Monasterii, & similia, ergo est infamis.

2. Item, teste *Soto de justitia, lib. 5. q. 6. art. 3. ad quartum, & quæst. 9. art. 1.* Fama est communis, & clara opinio, & æstimatio bonæ & inculpatæ vitæ, voce manifestata, quam de aliquo habent homines: vice versa, infamia est obscura, culpata, & blasphemata opinio, quam habent homines de aliquo.

3. Sed ita est, quòd omnes, nullo excepto, malè, immò pessimè sentiunt de his Ejectis; & meritò dicunt, si hi fuissent boni, non forent expulsi, nec de facili abjiciuntur, nisi ob magna crimina, ergo hi dubio procul erunt infamissimi, quod intellige infamia facti, hoc est, quia nolunt se corrigere, & quamdiu in sæculo incorrecti vixerint, semper erunt tales: secùs si per pœnitentiam videantur emendati.

4. Hinc Ejecti prohibentur prædicare, confessiones audire, celebrare, & similia peragere; quia de jure Irregulares sunt; immò secundùm *Constitutionem Sixti Papæ V.* nequeunt in Religionem admitti; quia etsi loquatur de Sæcularibus, tamen ratio dictæ *Constitutionis* militat in his Ejectis, *Rodr. & Miranda* cit. *loc.* quod ego admitto, si sint in perpetuum ejecti, & semper maneant in eorum pervicacia: secus autem, si se corrigant, & resipiscant.

5. Nec item possunt alios accusare, nec testes esse in causa propria, nec in causa aliena; his, & aliis juribus privati censentur, quia infames sunt, & ob eorum demerita omni vituperio digni, ut latè dico in *d. tract. 3. q. 1.*

Quæst. 61. Religiosus justè & perpetuò ejectus, si in sæculo Sacramenta ministret, an sit excommunicatus, ex Clem. Religiosi, de Privil.?

1. Suppono, quòd ex *d. Clementina* administratio Eucharistiæ sit prohibita Regularibus, & quòd iste Ejectus, de quo agitur, dum in sæculo est, administret Christi Corpus sine licentia Parochi, an sit excommunicatus, ex *d. Clem.* quæsitum est?

2. Ego

2. Ego benè scio, quòd hodie Ejecti ex *Decretis* Sacræ Congregationis sæpè recensitis, sunt perpetuò suspensi, nec quidem in susceptis possunt administrare, sine dispensatione Domini Papæ, & quòd ob expulsionem ab Ordine sint infames infamia facti, & consequenter irregulares, nec quidem ejiciuntur in perpetuum, sed ad tempus, donec corrigantur.

Sed de his loquimur in terminis juris communis, nec præhabitâ dispensatione Papæ.

3. Ad quod affirmativè respondet *Lopez Taxeda lib. 2. tract. 1. controver. 10.* quia Religiosus ejectus, licèt in perpetuum, adhuc remanet Religiosus, & in perpetuum est talis, ergo afficitur excommunicatione *d. Clem.*

4. Verùm *Cespedes in tract. de exempt. Regul. cap. 6. dub. 127.* respondet negativè, & mihi placet, ex quo cessat ratio finalis *d. Clem.* nempe, ne Claustrales inferant præjudicium Parochis; quia is, de quo agitur, non est in Claustro, ut præjudicium possit inferre; sed in sæculo sub jurisdictione Episcopi, à quo saltem implicitè censetur habere licentiam administrandi Sacramenta, & faciendi totum illud, quod cæteri Clerici sæculares faciunt.

5. Nec valet dicere, quòd Ejectus in perpetuum, adhuc est Religiosus; quia est talis, sed sub obedientia Episcopi vivit clericaliter, & in eo multa sunt, quæ dedecent intra septa, uti est, deferre habitum Clericalem, habere beneficium, & similia.

* * *
* *

Quæst. 62. Ejecti an possint admitti ab Ep[...] ad concionandum, sine licentia Prælati?

1. ET dico quòd non; quia hoc est eis à sanct[...] interdictum, & maximè ab *Innocentio IV.* & [...] *IV.* quorum propria verba habes apud *Rodr.* in c[...] *lar.* & in ejus *Compendio de Prædicatoribus*, re[...] & constat ex suprà positis *Decretis* Sacræ Congr[...] *Ejectis.*

2. Nec dices, quòd Episcopus ex *Concil. Trid* [...] *de Reformat. cap. 2.* etsi non possit transmittere [...] dicandum Regulares existentes extrà Claustra, [...] minus bene potest licentiare, & mittere illos, qui [...] sunt, & moribus, atque doctrina probati, ut [...] videre.

3. Ergo, quoties Ejecti morigeratè vixerint, [...] rint idonei, poterunt ad hoc munus mitti: co[...] quòd *Privilegia*, quæ adversantur *Decretis Tr[...]* censentur abrogata, & vacare. Quandoquid[...] modi Ejecti sunt infames, irregulares, & omni[...] nitatum, & honorum incapaces; & *Tridentinum* [...] *prà* non obstat, quia non loquitur de Expulsis, [...] Regularibus, qui degunt extrà septa, prætextu Pri[...] giorum, quod non potest ad Ejectos referri. Hi enim sunt extra Claustra, non intuitu Privilegiorum, [...] sententiam suorum Prælatorum, qua fuerunt à R[...] gione ejecti ob propria demerita; & constat ex illis [...] bis *d. cap. Trident.* ibi, *donec ab ipsis Episcopis super eis Sancta Sedes Apostolica consulatur, à qua Privilegia hujusmodi, nisi tacitâ veritate, & expresso mendacio ab iudem extorqueri verisimile non est.* hæc *ibi.*

TRACTATUS NONUS.

DE GALEOTIS RELIGIOSORUM.

Quæst. 1. Prælati Regulares, an possint pro gravibus delictis suos subditos ad triremes relegare?

1. CUm Prælati Regulares in suos subditos potestatem habeant, nedum Dominativam, verùm etiam & coactivam, Jurisdictionalem, & quasi Episcopalem: utique possunt ad tempus, vel in perpetuum facinorosos subditos ad triremes damnare: servato tamen juris ordine, & attentâ delictorum qualitate, si sint talia.

2. Quod saltem procedere de communi usu, & rationabili consuetudine (quidquid sit de jure communi) probat *Diaz* in sua *pract. crim. canon. cap. 135. vers. venit insuper, Navarr. Comm. 3. de Regul. in cap. nullum 18. q. 2. de damnatione ad triremes, q. 18. num. 52. fol.* mihi 326. *Rodriquez tom. 2. qq. regul. q. 25. art. 1. Miranda tom. 1.* sui *Manual. Prælat. q. 52. Aloys. Ricc. in prax. aur. p. 2. resolut. 104. & in 4. parte, decis. 169.* & alii quamplures, quos citat *Laur. Peyr. in 1. tom. de subdito, q. 1. cap. 27. per totum*, ubi habes multa digna notatu, *fol.* mihi 110.

3. Et hoc non solùm respectu Clericorum; sed etiam respectu Sacerdotum, *Jul. Clar.* in sua *pract. crim. lib. 5. sent. § final. q. 70. vers. ut hodie videmus.*

4. Quæ quidem consuetudo (ut omnes ajunt) satis est ad hoc stabiliendum, etiamsi nullum aliud jus ad hoc fundandum reperiretur: dat etenim jurisdictionem, legem, & privilegium, ut in *cap. duo simul, de off. ordin. cap. cùm contingat*, juxta *Gloss. ver. vel consuetudine, de for. comp.* perinde tanta est ejus fortitudo, atque valor, ut legi humanæ prævaleat, eamque tollat, & auferat, ut dicitur in *cap. final. de consuetudine.* & *ibi* notat *Felin.* cum aliis, quos citat.

5. Et addidi, quòd sit rationalis, hoc est, æquitati & juri proxima, vel Jurisprudentiæ filia: nam certum est, quòd Judices Ecclesiastici possunt delinquentes Subditos corporali supplicio, & verberibus subjicere, [...] fuit dictum in *Concil. Agathensi*, & habetur in *cap.* [...] *stinct. 36.* quod incipit: *Ante omnia.*

6. Et in quibusdam casibus, etiam per Laicum [...] berare: ut notat *Gloss. in princ. distinct. 45. ver. sequitur & in cap. 8.* quod incip. *Beatus Apostolus, § Salomon.*

7. Et practicatur in tortura Clericorum, qui jussu Prælati per Laicos torquentur, ut *Abb. in cap. Univer[...] tatis, in 3. notabili, de sententia excom. Navarr.* cit. *loc. de regul. & Jul. Clar. ubi suprà*, quem multis citatis sequitur *Foller. in pract. crim. canon. fol. 260. num. 11. & Franc. [...] ret. in pract. crim. canon. de tortura, cap. 6. fol. 234. ver. aliud speciale*, novissimè *Marcell. Megal. in pract. crim. can. cap. 14. num. 33. ver. hunc autem quintum gradum torturæ, fol. 345. & Rodriquez in summa lat. in tract. de Ordin. Judic. cap. 11. num. 3. conclus. 3. fol. 475.*

8. Et habetur expressè in *cap. ut famæ tuæ, de sent. excomm.* ubi ponitur casus, *utrùm Clerici graviter excedentes, qui tutè non possunt Monasteriis ad agendam pœnitentiam deputari: quoniam cùm non pœniteant de commissis opportunitate fugiendi captatà, carcerem fugerent Cla[...] & prioribus se sceleribus scelestiùs immiscerent [...] vel aliis Prælatis suis, arcta possint custodiæ mancipari.*

9. Respondet Dominus Papa, *quod cùm Prælati excessus corrigere debeant Subditorum, & publicæ utilitatis interest, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerunt, nequiores, non solùm possunt, sed debent etiam Clericos, postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub arcta custodia detinere: qui cùm sint incorrigibiles, nec in Monasteriis valeant custodiri, ad similia vel pejora facilè laberentur: Laici verò citrà excommunicationis sententiam, capere Clericos, & ad judicium trahere possunt, si oporteat, etiam violenter; dummodo tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi fuerint jurisdictioni subjecti, & quorum est corrigere criminosos: cùm hoc non ipsi, sed illi, quorum authoritate id faciunt, facere videantur, dum tamen non ampliùs eorum violentia se extendat, quam defensio vel rebellio exigit Clericorum,* hæc *ibi.*

10. Quo in *capitulo* duo diligenter adverte: Primum, quod si in Monasteriis, vel Abbatiis, aliisque locis Ecclesiasticis tuti, & fortes carceres non reperiantur ad detinendum Subditos canonicè condemnatos, licitum erit Ecclesiasticorum Judicibus eosdemmet Reos, ad carceres sententiatos arctæ custodiæ mancipare, ubivis sit illa, & consequenter ad Triremes condemnare; cum loco pœnæ perpetui carceris, triremium pœna possit imponi, & subrogari, ut per plura docet *Afflict. in Constit. Regni, incip. Hi, qui in* 7. 8. *&* 9. *notabili,* & sequitur *Joannes Baptista Baiard. Parmens. in addit. ad Julium Clarum, quæst.* 70. in §. *finali, lib.* 5. *sentent.* cum aliis, quos ipsi citant.

11. Secundum est, quod Laici tenentur adjuvare Ecclesiasticos Prælatos, ad compescendum & frænandum Rebellium & facinorosorum Subditorum audaciam, & petulantiam, quos etiam sine metu excommunicationis possunt, & violenter sistere, capere, & trahere ad hoc, ut Prælatorum jussis pareant, & obediant.

12. Id ipsum per *Gratianum* notatur in *Decretis* 23. *q.* 5. *in cap.* 1. quod incipit, *Circumcelliones illos, & Clericos,* ubi *Augustinus* sua *epistola* 159. scribit ad Marcellinum Comitem, ne morti traderet quosdam Clericos facinorosos, ubi ait, *hoc magis sufficere volumus, ut vivi, & nullâ parte corporis truncati, vel ab inquietudine insana ad sanitatis otium legum coercitione dirigantur, vel à malignis operibus, alicui operi utili deputentur.*

13. Quæ *Decreta, & Canones,* etsi de sæcularibus Clericis loquantur; benè tamen, & fortiùs de Regularibus concludunt: quia Clerici sæculares, ità Regularibus præferuntur, ut minimus Clericus sæcularis sit dignior quolibet Monacho; ut dicitur in *cap.* 5. *distinct.* 93. quod incipit *à Subdiacono, & cap. alia* 16. *q.* 1. ubi, *ante Presbiterum sedere non licet*; & hoc ideò; quia Cœtus Sæcularium Clericorum facit Senatum Ecclesiasticum, *c. Ecclesia, ead. caus. & quæst.* sunt etenim Episcopo proximiores, qui est caput Ecclesiæ, & à Sanctis Apostolis instituti.

14. Prætereà, ubi militat eadem legis ratio, debet ibi & pariter reperiri eadem legis dispsitio: & quia rationes, & causæ adjectæ in *d. cap. ut famæ,* sæpè sæpiùs magis urgent inter Regulares; & interdum reperiuntur fortiores: nam inter Regulares non rarò, carceres non sunt tuti, aut eorum Custodes infideles, quorum opera ad carceres destinati, ita commessationibus & ebrietatibus vacant cum tanta libertate; ut pœnarum locus fiat illis deliciarum camera, & epulantium caupona; & tamdiu ibi sunt, quamdiu volunt; quoniam vel nocte dieque eis patet carcerum porta, vel ad eam effringendam (si placeat) instrumenta non desunt.

15. Proindè eorum petulantia, vel remanet impunita, vel non potest coerceri; undè coguntur Judices Regulares ad puniendum Subditorum enormia, triremibus uti; quia certi sunt, quod triremium Duces prædictos sibi traditos, ad earum ministerium non patiuntur fugere; prout dixit *Rodr.* in sua *summa, tract. de ordine judic. cap.* 12. *conclus.* 13. *& cap.* 13. *conclus.* 4. *fol.* 482. *& Aloys. Ricc. in p.* 1. *praxis aur. d. resol.* 104.

16. Quod maximè procedit & locum habet, si Regularium delicta sint enormia, publica, & in Populo scandalosa per quæ contingit Religionem infamari, & à Laicis parvipendi: cùm in tali casu, publico scandalo teneamur satisfacere, & undè mors exiit, indè vita habeatur, *Peyr. cit. loc. de subdito, q.* 1. *cap.* 27. *& Lezana tom.* 1. *qq. regul. cap.* 26. *num.* 32. *& cap.* 28. *num.* 16. *fol.* 221.

17. Et tandem pro Judicum quiete, & delinquentium timore, legere non pigeat propria Religionum statuta, & Papæ privilegia; nam in nostris *Constitutionibus* (quod credo in multis aliis reperiri) *dist.* 1. *de graviori culpa, cap.* 18. *fol.* 80. *col.* 3. habentur ista verba: *Denuntiamus in nostro Diffinitorio fuisse conclusum & decretum, quod Reverendi Provinciales cum suo Diffinitorio, vel cum quatuor Patribus Provinciæ, aut qui fuerunt aliquando Diffinitores Provinciales Capitulis, delictis majoribus, & facinorosis hominibus possint adhibere pœnas extraordinarias, etiam triremium in delictis gravioribus apud Sæculares notis.* hæc *ibi, Urb. VIII. Const.* 22. per decennium ad triremes damnat Regulares & Clericos.

18. *Pius* autem *Quintus* anno Domini 1566. die primâ Aprilis, *Constit.* quæ incip. *Cùm primùm* §. 10. *in* 2. *tom. Bullar. Cherub. Const.* ejus 5. *pag.* 179. contrà Clericos ter blasphemantes Christum, vel Beatam Virginem Mariam, voluit, decrevitque adhibendam esse pœnam triremium.

19. Idemmet in anno 1567. Pontificatus sui anno secundo, vigesimâ die Decembris, ad perpetuam rei memoriam, concessit Priori Generali Ordinis Sancti Hieronymi in Hispania ut de consilio Deputatorum, delinquentes ad triremes possit damnare.

Considerans, quod Prior Generalis Ordinis Divi Hieronymi in Hispaniarum partibus per Constitutiones dicti Ordinis habet omnimodam & ordinariam potestatem, quam ipsum Capitulum Generale, tempore, quo celebratur, habet; ipsi Priori concessit facultatem relegandi, & condemnandi Fratres suos delinquentes ad triremes perpetuò, vel ad tempus; nec non habitu privandi, & ipsum habitum extrahendi, & auferendi per se, vel per suos Ministros; dum tamen hæc omnia faciat de consilio Fratrum deputatorum; & refert *Rodriq. tom.* 2. *quæst. regul. q.* 25. *ar.* 1. *de correctione fraterna,* *fol.* mihi 68.

20. Quod privilegium extenditur ad Patres Generales cæterorum Ordinum, ob communicationem Privilegiorum, quam habent; ut diximus in *tract. de privil. & Rodriquez tom.* 1. *qq. regul. q.* 30. *ar.* 16. nec non ad Patres Provinciales; de commissione tamen Patrum Generalium; quia (ut *ibi* legitur) datur facultas solùm Priori Generali, & cui ipse commiserit; prout notat idem *Rodriquez* in sua *summa, in fine tract. de ordin. judic. cap.* 12. *num.* 13.

21. *Clemens* autem *Septimus,* anno Domini 1529. die 19. Augusti, concessit tam Generali Minimorum, quàm aliis Superioribus prædicti Ordinis, ut omnes & singulos dicti Ordinis Fratres, quos in quibusvis Civitatibus & Locis, tam Romanæ Ecclesiæ, quam quorumvis Regum, Ducum, & aliorum Principum Ditioni subjectos, inhonestè, & præter Regularium Institutorum, eorundem observantiam viventes, & scandalum generantes, & incorrigibiles repertos, possint corporaliter capere, seu capi facere, eosque juxtà criminum & delictorum qualitates, ad triremes perpetuò, vel ad tempus damnare, absque aliqua Judicum Ecclesiasticorum, vel Sæcularium super eisdem criminibus, & delictis cognitione, vel sententiæ prolatione, ac etiam detrudendi & con-

& condemnandi, seu detrudi, & condemnari faciendi, mandantes triremium eorundem Capitaniis, in virtute sanctæ obedientiæ, ut eosdem Fratres, ut suprà condemnatos, recipiant & retineant; prout refert *Peyr.* cit. *loc. de subdito*, ubi per extensum ponit privilegiũ, quod etiam reperitur in *Constitutionibus* dicti Ordinis post *Regulã fol.* 18.

22. Quod Privilegium, ob privilegiorum communicationem, comprehendit omnes Generales, & Provinciales cujusvis Ordinis Mendicantium & Monachorum; ita ut tam Generales, quam Provinciales de assensu sibi Assistentium, & Discretorum Patrum Provinciæ, possint (servatis servandis) hujusmodi facinorosos Fratres, etiamsi sint Sacerdotes, ad triremes damnare.

23. Nec nocet, quod Judex Ecclesiasticus Clericum per laicum verberare non possit, nec torquere, absque eo, quod incidat in excommunicationis censuram Domino Papæ reservatæ; prout expressè habetur in *cap. universitatis, & in cap. infames, de sent. excommun. in* 6.

24. Tùm quia contenta in præcitatis *Capitulis*, non contradicunt *capitulo, ut fama*, ut *ibi Glossa* benè notat: loquuntur namque in diverso casu; nam aliud est loqui de Clerico, qui potest aliter cogi & verberari; & aliud de eo, qui non potest benè corrigi, nec coerceri, nisi per Laicum; tum etiam quia rationalis consuetudo, qualis est ista condemnandi prædictos Religiosos criminosos ad triremes dat privilegium, quod quidem juri communi prævalet, & legem abrogat humanam; prout est ista de non verberando, vel non torquendo Clericum per Laicum, ut dicitur in *cap. final. de Consuet.* ita *Navarr.* com. *de Regul. com.* 3. *& miranda to.* 1. *Manual. Prælat. q.* 52. *ar.* 8.

25. Tum item Judex Ecclesiasticus suum subditum ad triremes damnans, per se primò, & absolutè ad nullam pœnam sanguinis condemnat, nec etiam directè ad verbera; quippè qui primò intendit è Populo auferre scandala, & providere, ne repetantur, & ne delinquentes similia vel pejora committant.

26. Tùm denique, quia Religiosorum statuta per Rom. Pontific. confirmata, & per tot privilegia concessa præferuntur Juri communi, & cuivis Constitutioni conciliari.

27. Proindè *Stephan. Aufrer.* apud *Nav. ubi suprà* vir eruditissimus, cùm esset Vicarius Generalis, frequenter jubebat & mandabat, nedum Clericos, verùm etiam facinorosos Presbyteros, in Aula Archiepiscopali, per Servientem Curiæ, qui erat Laicus, flagellari.

28. Et *Julius Clar. in* cit. *loc. suæ pract. crim.* testatur: se vidisse Vicarium Generalem Episcopalis Cremonæ, ad Regias triremes quendam Presbyterum condemnasse, & jussu Senatus ejus sententiam per Judicem laicum fuisse secutam; & sic in Ducatu Mediolanensi, & in tota Hispania practicatur, *Ricc. in d. resol.* 104.

29. Quorum ritum & praxim secuti sunt plures Prælati in Regno Neopolitano, qui cum in promptu Pontificis Remigia non haberent, ad Remigia Regis Hispaniarum tales transmiserunt, licet tutiùs foret ad Remigia Pontificis transmittere: crimina namque malorum Clericorum eò pervenerunt, ut eorum improbitas nequeat aliter coerceri, de quo vide infrà *q.* 13. quod in praxi servandum est contrarium.

Quæst. 2. An his officiat Decretum Sacræ Congregationis de Apostatis & Ejectis.

1. Hier. Rodr. in suo *Comp. qq. regul. resolut.* 57. *de Ejectis, num.* 3. *in fin.* ait, attento *Decreto*, non posse hodiè ad Triremes relegari Religiosum: nisi per Patrem Generalem Ordinis, de assensu dictorum sex Patrum; semper enim hanc pœnam gravissimam antecedere solet privatio habitus, & expulsio ab Ordine.

2. Sed secùs est praxis & meritò; tùm quia, aliud est ejicere ab Ordine ad degendum in sæculo, titulo incorrigibilitasis, de quo loquitur *Decretum*; & aliud, ad relegandum, ob alia crimina & intuitu tot privilegiorum quæ ad finem condemnandi ad Triremes non censentur revocata; sed tantùm quoad formam judicandi de incorrigibilitate alicujus Religiosi, ut habetur in *Decreto* ibi, *Verè autem Incorrigibilis minimè censetur, &c.* [illegible] *hac in parte statutis, Constitut, &c.* tum etiam; quia juxta Regulam, odia debent restringi, & favores ampliari, unde Constitutiones pœnales nequeunt extendi ad non expressa: quapropter verum est, quod Prælati tenentur continuatim quærere Ejectos, & cogere ut redeant, juxta *c. final. de Regul.* Sed nequaquàm Galeotas; item Ejecti, præsupposità emendatione eorundem, possunt petere & cogere Religionem, ut iterùm recipiantur: sed Galeotarum pœnitentia hoc non operatur; hinc à diversis non fit illatio.

Quæst. 3. Pœna Triremium, an sit Religiosis subsidiaria?

1. Affirmativè; quia ut patet ex decisis, & habetur expressè in *dict. cap. ut fama, de sentent. excom.* ubi Clerici Incorrigibiles extrà Monasterium possunt arctæ custodiæ mancipari; ex quo in Conventu aliter cogi non possunt; perindè Regulares, si aliundè benè castigari possunt; non debent ad Triremes condemnari.

Quæst. 4. An meliùs sit, facinorosos subditos à Religione ejicere, perpetuò incarcerare, vel ad Triremes damnare?

I. Reverà, respectu Religionis sat esset, hujusmodi Fratres, à Religione expellere, ne malorum Fratrum practica, boni Religiosi contaminentur, juxta Regulam quam profitemur: de vestra Societate propellatur: non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat: trahuntur namque mores à conversantibus; quod quidem Pharmacum certiùs, vel honestiùs, aut opportuniùs existimant; verùm enimverò ultrà quod ista Ejectio cederet in beneficium Ejectorum: quantò enim liberiores, tantò extra Claustra pejores: sic liberâ utuntur vitâ, libidini indulgent, & effrenatæ vitæ peccata peccant, undè de propriis culpis commoditatem portarent, quod non debet esse; quia non desineret esse in damnum & interesse Populorum; eò magis, si expulsi sunt homicidæ, luparii, & latrones.

2. Hinc pro communi Populorum bono, & quiete conscientiarum, cùm Regularium libido & impudentia non possint ordinariis carcerum pœnis coerceri, bonum erit & necesse, hos facinorosos ad Triremes damnare, quæ sunt in hac vita Cloaca peccatorum, & pœnitentiæ acervus, etenim vel claustri carceres non timent, vel eos pro recreatione habent & tenent, prout advertit *Jul. Clar.* in sua *pract. crim. lib.* 5. § *final. q.* 95. *num.* 7. *Rodriquez in summ. lat. de ord. judic. cap. ult. conclus.* 4. *& Peyr. de sub.* [illegible] *tom.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 1. *vers. sed quoniam.*

3. *Portellus in dub. Regul. ver. ejicere, num.* 4. ait, quod *Paulus Quintus* anno Domini 1613. die 5. Aprilis concessit Canonicis Regularibus Sanctæ Crucis in Conymbrica, ut Monachos Incorrigibiles, vel carceri perpetuo damnarent, vel ad Triremes relegarent, & aliter non possent ejicere, & fertur, hoc præcepisse, ex quo certè sciverat, quod multi ex industria fiebant Incorrigibiles, ad hoc, ut expellerentur ab Ordine, ut sic expulsi laxè viverent in sæculo.

4. Quod *Privilegium* subjungit esse commune, ob communicationē Privilegiorum. An autem illa prohibitio, nēmpè (non aliter ejicere) censeatur aliis communicata, quæsitum est. Tùm quia pœnæ non extenduntur, nec communicantur; tum etiam; quia non constat de clausula irritante Privilegii aliorum, quibus integrum est.

Incor-

Incorrigibiles ejicere; tùm item, quia mihi videtur, quod sit prohibitio localis, seu particularis, facta scilicet illis Canonicis dumtaxat; tùm item, quia hodie debent observari *Decreta* Sacræ Congregationis *de Apostatis, & Ejectis*.

5. Benè verum est, quod *Urb. VIII.* advertens, quod non omnis Religio haberet Carceres tales, quales desiderantur pro mancipatione Incorrigibilium; & quod hi Incarcerati, ultrà expensas, & interesse Monasterii, solent ferè omnibus molestias inferre, & sæpè sæpiùs aufugere interdùm de voluntate Custodum, erexit Ergastula, pro illorum tuto carcere, & fida custodia.

Quæst. 5. An præstet, hos facinorosos ad tempus, vel in perpetuum ad Triremes damnare?

1. DE hac re non potest haberi certa Regula, sed pendet à justo Judicum judicio; qui secundùm quantitatem, & qualitatem culparum, tenentur judicare: benè verum quod oculati Judices in his omnibus debent advertere, quod pronus ad malum, degens cum perversis, pessimus efficitur: nec incorruptus esse potest, qui corruptis sociatur, *cap. quisquis 23. q. 4.* hinc *cap. 13. Ecclesiastici*, dicitur, quod qui communicat superbo, induet superbiam & de facto, vicinitas confœderationem arguit vitiorum, *distin. 44. §. 1.* & Triremes, nedùm non emendant, sed faciunt pejores: quapropter ovis infecta, & magistra scelerum effecta, quos? ubi? & quomodò juvabit?

2. Aut ergò abstineant, aut ad perpetuum damnent, Juris ordine servato; & si eò eorum delicta pervenerint, aut procurent, quod finito pœnarum tempore, Regulari habitu privati remaneant in sæculo, ita *Rodr. to. 2. qq. reg. q. 25. ar. 2. in fin. & Peyr. tom. 1. de subdit. cap. 27. q. 1. ver. dico secundò.*

Quæst. 6. Religiosus ad tempus, vel in perpetuum damnatus: an sit actualiter degradandus?

1. AFfirmativè dic, si loquamur de Degradatione Verbali, & practicatur in omni Tribunali Ecclesiastico: quoniam cùm Clericus sæcularis, vel Regularis ad Triremes condemnatur, eâdem diffinitivâ sententiâ privatur, & spoliatur omni beneficio & officio Ecclesiastico; etenim degradatio verbalis est illa, quâ Clericus delinquens, per Superioris sententiam suspenditur ab Ordinum executione.

2. Secùs autem, si loquamur de Degradatione solemni & reali, quâ actualiter degradandus spoliatur, & privatur Ordinum insigniis, seu vestibus, ornamentis, libris, & instrumentis per Episcopum sibi collatis in Ordinum susceptione; de qua plura docuit *Bonif. VIII. in 6. Decretal. tit. de pœnis, cap. 2. & Innoc. 3. in tit. de dolo & contumacia*, & notat *Eymer. 2. p. Directorii fol. 122. col. 2. & 3. p.* ejusdem *Directorii, & ibi Pegna in novo modo processum finiendi, fol. 511.*

3. Nec te moveat, quod sicut perpetuis Carceribus immorandus, per Definitionem *Papæ Urb. IV.* quam refert *Pegna* cit. *loc. ver. & consequenter* debet degradari: ita ad Triremes condemnandus, cùm Triremes loco carcerum subrogentur, & utrobique eadem militet ratio, & propterea eadem legis dispositio esset adhibenda, ut dicitur *l. Illud, ff. ad leg. Aquiliam.* Hæc namque procedunt de jure, secùs autem de æquitate, & praxi: Judices namque Ecclesiastici solent in his præfatis delictis, ferè semper dispensare, quos ego vidi iterùm reassumere habitum, & ad Religionem redire, ita *Pegna ubi suprà, & Salzedo ad pract. Diaz cap. 116. vers. debet esse.*

4. Quod dixi respectu eorum, qui verbaliter tantùm fuerunt degradati, quippe qui si forent solemniter & realiter degradati, remedium non haberent, nisi à Rom. Pontif. ita ex quodam *Decreto Julii I.* prout docet noster *Sylvester ver. Casu 6. Navarr. in Addit. ad lib. 2. Consil. tit. de Judiciis, consil. 2. Rodr. in sum. lat. tom. 2. cap. 29. conclus. 7. nu. 2. fol. 154. col. 4.*

Quæst. 7. Galeotæ an intelligantur habitu privati, si hoc in sententia damnationis non fuerit expressum?

1. SUppono, quod in pœnam culparum Superiores possint culpabiles subditos, pro gravibus causis, habitu privare in multis casibus, & primò, in casu Incorrigibilitatis, ex *Constit. Alexand. 6. incip. cùm sicut nobis*, edita sub die 15. Junii 1501. quam per extensum refert *Confect. fol. 110.* Cui hodie accedunt *Decreta* Sac. Cong. *de Apost. & Eject.* suprà posita.

2. Secundò in casu, quo Religiosus est perpetuò carceri mancipandus, ex *glos. in cap. 3. 16. q. 1.* Tertiò, in casu, quo est tradendus Curiæ sæculari. Quartò, in casu pœnæ Triremium: & hoc ad evitandum scandalum populi, & dedecus Religionis, quod si Prælati in sententia damnationis omiserint declarare, intelligitur expressum; adeò, ut hi miserabiles, absque nova declaratione intelligantur habitu privati; tùm quia damnatio ad remum intrinsecè includit privationem habitus; etenim est quædam species projectionis ab Ordine, licet ad tempus, quæ juxtà prædicta *Decreta* Sacræ Congr. includit privationem habitus: tùm etiam; quia hi mittuntur ad Remigandum, ut esset opprobrium Religionis, quod magis viget et, si Religiosus Galeota vacaret Triremibus cum habitu, tùm item; quia Religionis habitus non potest stare cum illo statu pessimorum hominum, ut praxis docet; ergò privatio hæc non expressa, pro expressa habetur, *Portellus verb. ejicere num. 6.*

Quæst. 8. Religiosus ad Remum damnatus, si non fuit à suis Superioribus habitu privatus; an possit illum deponere, absque incursu excommunicationis?

1. ROdriq. *tom. 1. quæst. 30. art. 27. Sayr. in Clavi Reg. lib. 6. cap. 9. nu. 28. & Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. num. 55.* respondent, Ejectum, vel damnatum ad Triremes, habitu non exutum seu privatum, illum dimittere non posse sine incursu excommunicationis, ob infrà dicenda.

2. Sed totum oppositum censeo verum; Tum quia in casu, de quo agitur, Superiores tenentur illum exspoliare, ut dixi suprà, ergò ex hoc capite non habet obligationem ferendi illum, tum etiam; quia isthæc depositio non est temeraria, prout desideratur in *c. ut periculosa, ne cler. vel mon. in 6.* sed ad non magis vituperandam Religionem, & ut aptiùs possit Triremibus deservire; & esset scandalum populorum.

3. Nec dices quod remanet Religiosus; quia hinc non benè infertur, ergò tenetur portare habitum, tum quia remanet Religiosus, sed saltem implicitè habitu privatus, & à Religione relegatus, tum etiam; quia status Triremium non patitur delationem habitus, tum item; quia habitus non facit Monachum.

4. Nec valet dicere, quod Episcopus defert habitum suæ Religionis: ergò & expulsus, vel ad Remum condemnatus: quia fallit paritas, nam Episcopus portat habitum ad honorem & gloriam suæ Religionis: at Galeota portaret in scandalum & opprobrium illius.

5. Nec obstat dicere, quod sententia condemnatoria non operatur effectum, in ea non expressum; quia sententia hujusmodi hoc includit saltem implicitè; finis enim, ob quem iste ejicitur, vel damnatur ad Triremes, est, ne Religio ulteriùs opprobriis inficiatur: secùs foret, si is habitum ferret, ut advertit *Navarr. comm. 2. de Regul. num. 36. & consil. 79. eod. tit.*

6. Nec replices dicendo, quod propriâ authoritate non licet habitum relinquere; quia hoc intelligitur de temerè relinquentibus, vel de ejectis injustè, vel de damnatis ad carceres, *Bordon. de habitu regulari, resol. 35. q. 7. nu. 30.*

Quæst. 9. Galeota, an remaneat perpetuò privatus executione Ordinum, & Officiorum suæ Regulæ?

1. Affirmativè dic, tùm quia est infamis infamia juris & facti, ut latè dixi suprà tùm etiam quia ita habetur in *Constit. Prædicatorum, distin. 1. de grav. culp. cap. 18. text. 5. litt. P. fol. 80. col. 3.* ibi, *qui autem ad Triremes, etiam ad tempus fuerint condemnati juridicè, & sententia fuerit executioni mandata, sunt ipso jure Irregulares, & privati perpetuò ab executione Ordinum suorum, cujus privationis mentio inseratur in sententia diffinitiva, quod etiamsi non inseratur, illi tamen sunt eâ executione de facto privati,* hæc *ibi*, quod credo, in aliorum *Constitutionibus* reperiri.

Quæst. 10. Prælati injustè damnantes ad Remum; an sint excommunicati?

1. ET dico quod Prælati debent hoc facere zelo Justitiæ, & boni communis; non autem livore vindictæ, vel iræ: secùs excommunicantur, ex *cap. universitatis, de sent. excomm.* ex quo tradunt subditos, ut à sæcularibus vapulent in Triremibus, contrà debitũ Justitiæ.

2. Amplia hoc ad Patres consulentes, auxilium, vel favorem præstantes, qui pariter excommunicantur, ex *can. si quis suadente Diabolo, Suar. de censu. disput. 22. sect. 1. nu. 55. & Sayr. lib. 3. eod. tit. cap. 26.*

Quæst. 11. Ad Triremes damnatus, si ab illis confugiat in Ecclesiam; an gaudeat ejus immunitate?

1. Affirmativè; quia Ecclesia ad eam liberè confugientem, nedùm reddit securum à pœnâ imposita, & præfixa; prout ostendit per plura *Giurba* in suis *consiliis criminalibus, cons. 30.*

2. Proindè Condemnati ad Triremes, sivè ad tempus, sive in perpetuum, si confugiant in Ecclesiam sunt securi & gaudent illius immunitate, prout sæpè fuit decisum, & refert *Diana 1. p. moral. tract. 1. de Immun. Eccles. resol. 40. fol. 11.*

3. Sed advertendum est, quod alii *DD.* sunt in contraria sententia, ut *Anton. Gamma, Villadiego, & Marta*; & hic Neapoli servatur, quod extrahuntur cum licentia Illustrissimi Nuntii, ut redeant ad serviendum, ita probant, & practicatum referunt *D. de Marin. lib. 1. Resolutionum quotidian. cap. 177. & D. Reg. S. anselic. decis. 271. lib. 2.* Hanc licentiam Illustrissimi Nuntii vel Eminentissimi Domini Cardinalis esse concedendam si aufugiant durante tempore condemnationis, non verò finito tempore, vel si steterint loco depositi ut constat ex literis Sanctissimi directis Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano.

Quæst. 12. Prælati inferiores in Ordine, utpotè Priores Conventuales; an valeant ad Remum damnare?

1. ETsi de jure communi Priores Conventuales sint veri Prælati, & animarum Parochi, habeantque authoritatem Ecclesiasticã, prout dicitur in *Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. & cap. sicut literis de simon. & ibi Gloss. ver. Anathema,* & docet noster *Sotus in 4. sent. distin. 22. q. 2. ar. 1. Navar. in Manual. cap. 27. num. 5. & Rodr. in summ. lat. tom. 2. c. 20. de Religione, fol. 354.*

2. Verumtamen secundùm idem jus commune, & Religionum privilegia, non habent plenariam potestatẽ in gubernatione suorum subditorum, ut tenent Patres Generales, & Provinciales respectivè: cùm non habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in toto territorio, sed limitatam, in uno scilicet singulari loco, sicut Parochus respectu suæ Pareciæ; sic Prior respectu sui Conventus, in quo est Prior; prout colligitur ex *cap. fin. de off. Archipresb.* & ostendit *Rodriq. in d. summ. de potestate, num. 1. fol. 356. col. 2.*

3. Hinc illa, quæ ad jurisdictionem quasi Episcopalem attinent, non cadunt sub Conventualium Priorum, vel singularium locorum Præsidentium potestate; unde hujusmodi Superiores infimi à Provinciali, non possunt de jure suos subditos ad suscipiendum ordines licentiare, nec instituere Prædicatores, vel Confessores, nec possunt ad Triremes condemnare, nec gravia adhibere supplicia, nec alia hujusmodi, quæ requirunt plenariam, potestatem & quasi Episcopalem, ut dictum est suprà.

4. Quod maximè procedit in Dominicanis, quorum Provincialibus & Generalibus fuit facta facultas destinandi ad Triremes, ut patet in retroscriptis *Bullis Pii V. & Clementis Septimi,* & habetur in *cap. 18. distin. 1. de graviori culpa, fol. 80.* & hoc cum magna cautela & assensu & voto Patrum Provinciæ, atque Diffinitorum, quæ particularia statuta per clausulas generales non abrogantur, nisi in specie derogentur, ut diximus in *tract. de Privilegiis,* ubi de Clausulis plura habes.

5. Nec prædictis obstat, quod *Clemens VII. in d. Constit.* dixerat, *tibi, & pro tempore existenti Generali, nec non aliis Superioribus dicti Ordinis:* hæc etenim verba referuntur, debentque referri ad alios Superiores, habentes authoritatem quasi Episcopalem, & plenariam potestatem in Ordine.

6. Undè nec Pater Procurator Generalis totius nostri Ordinis, intuitu sui officii poterit causas Fratrum decidere, nec punire, nec ad Triremes condemnare: nisi ex delegatione Patris Generalis, vel Sacræ Congregationis, vel Domini Papæ: & hoc ob carentiam prædictæ jurisdictionis, & plenariæ potestatis, prout etiam advertit *Peyr. tom. 1. de subdit. c. 27. q. 1. in 1. notab. & Navarr. in cap. nullum 8. q. 2. num. 4.*

7. Nec obstat quod ob communicationem privilegiorum id, quod conceditur Patri Generali respectu totius Ordinis, quem regit, censeatur concessum P. Provinciali respectu suæ Provinciæ, quam curat: unde consuevit dici, quod quantam authoritatem habet Magister Ordinis in Ordine, tantam tenet Provincialis in sua Provincia, & Prior in suo Conventu.

8. Ac proindè in nostris *Constitutionibus, distin. 1. de Novitiis, cap. 14. fol. 49. lit. C. col. 2.* dicitur, *quod quilibet Prior in suo Conventu, cùm habeat jurisdictionẽ quasi Episcopalem, potest quemcunque Fratrem Ordinis nostri, etiam hospitem ad suum, Conventum venientem, à quocunque peccato, & ab omni sententia excommunicationis, Juris, & Judicis generaliter, & non in particulari prolata absolvere; nisi fortè talis esset excessus, ut meritò Sedes Apostolica esset consulenda; potest etiam Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Fratribus ad suum Conventũ venientibus ministrare, & hæc per privilegium, quod dicitur Mare magnum: nec potest quoad hoc Priorum authoritas à Priore Provinciali diminui, atque arctari, quia quod à Superiore conceditur revocari ab Inferiori non potest,* hæc *ibi*, quod etiam habetur in *Compend. Privil. Fratrum Minorum, ver. Guardianus & ibi Cordub. in annot.*

9. Benè tamen verum est, quod Generales & Provinciales, nec non Capitulum Generale & Provinciale, qui vigore *Privilegiorum* habent authoritatẽ Apostolicam specialem, possunt illis limitare, prout sæpè sæpiùs limitant & restringunt usum prædictorum *privilegiorũ*, prout constat factum fuisse in Capitulo Generali, quod infertur in prænarrata *Declaratione* nostrarum *Constitutionum de Graviori culpa, fol. 80.* & docet *Rodr. in d. sum. lat. cap. 30. de potestate, num. 3. concl. 2. fol. 356. col. 2.* & est menti tenendum.

Quæst.

Quæst. 13. Regulares condemnandi ad Triremes; an debeant ad remigia Papæ damnari?

1. ET quidem ex dictis negativè respondeo; tùm quia nec Religiosorum Statuta id exprimunt, nec Pontificum privilegia ad hoc obligant: loquuntur namque absolutè atque indiffinitè, prout constat ex eorundem lectura de damnatione ad Triremes: tum etiam quia id docet communis Usus & praxis, ita *Riccius in praxi aur. resolut.* 104. *Jul. Clar. in* §. *final. q.* 70. *vers. quam tamen consuetudinem, fol.* mihi 580. ubi testatur, quendam facinorosum Sacerdotem, per Vicarium Generalem Episcopi Civitatis Cremonæ fuisse ad Triremes damnatum, & Triremium pœnam peregisse in Laicorum Remigiis, sicque practicari in toto illo Ducatu, & Regno Hispaniarum.

2. Quem ritum in regno Neapolitano plures sunt secuti, qui cùm in promptu Romani Pontificis Remigia non haberent, essetque periculum in mora, ad ea Regis transmiserunt.

3. Et de facto (meo videri) hoc nihil, aut parum refert, cùm in utrisque Clerici vapulent à Laicis, & controversum sit, an liceat Prælatis, criminosum Clericum subditum per Laicum torquere & verberare; quia si licet in Remigiis Papæ; cur minimè licebit in Regum, & & Principum Remigiis? nonne privilegium *Canonis, si quis suadente Diabolo*, sequitur personam? est utique personale, quo deperdito vel suspenso, criminosus Clericus, saltem verbaliter declaratus, benè traditur, ut puniatur Laicæ potestati.

4. Benè verum est, quod per quandam decentiam, vel utilitatem, ad Papæ Triremes essent condemnandi; nam si hujusmodi Galeotæ sunt utiles, Papam magis, quàm alienum Principem debent adjuvare: Servus namque tenetur Domino suo, & Vasallus Patrono: & quamvis loco Carceris subrogentur Triremes, quemadmodum Vasalli & Subditi suorum Dominorum Carcerali mancipantur Custodiæ; ita æquum & justum est, ut ad eorundem Remigia destinentur; nam Carceres & Triremes jurisdictionem arguunt, & super detentis & arrestatis dominium ostendunt; nisi aliter fiat, prout fit, cùm sint in alieno carcere de ipsorum Dominorum voluntate; & ita de facto fieri censetur, dum Dominus Papa, Prælatis elargitur privilegia detrudendi, & condemnandi ad Triremes facinorosos subditos, absque aliqua Judicum Ecclesiasticorũ, vel Sæcularium super eisdem criminibus, & delictis cognitione, vel sententiæ prolatione.

5. Quod veriùs dices, si advertas, quod Judex Ecclesiasticus, tunc ad sui ipsius sententiæ executionem brachium sæculare poterit invocare, quandò ipsemet priùs fecerit, quod potuit, & non habeat ultrà quid facere, & requisierit alios Judices Ecclesiasticos, ut suum impartirentur auxilium, quo inter Ecclesiasticos insufficiente reperto, ad Laicos licet recursum habere, ita *Ian. Lupus in cap. per vestras in 2. notab.* §. *sed plura, c.* 154. cum aliis, quos citat *Prosper. Farinac. 2. p. tom. 1. de pœnis temperandis, q.* 97. *cas. 4. num.* 98. *fol.* mihi 192. *Novar. 2. p. Bull. tit. de Regular. condemnand. ad Triremes, & Riccius 4. p. decis.* 367. quod in praxi servandum est contrarium.

Quæst. 14. Judex Laicus an teneatur exequi Regularium sententias, illisque suum brachium impartiri, absque eo, quod sibi constet de viribus sententiæ?

1. DOcent sine controversia *DD.* quod Judex Ecclesiasticus, tàm in causis civilibus, quàm criminalibus; sive sit Ordinarius, sivè Delegatus; ubi suam adversùs subditos sententiam tulerit, quam si nequeat exequi pro sui ipsius sententiæ executione, auxilium brachii sæcularis, potest, debet, tenerurque petere & invocare, prout habetur expressè in *cap. 1. de offic. ordin.* quod incipit, *Perniciosam, & cap. administratores 23. q. 5.*

2. Quod & Sæcularis Judex requisitus debet præstare, & prædictam sententiam exequi, *textus* est in *cap. 2. ad finem*, ibi *per temporalem præterea potestatem, & ibi Glos. vers. potestatem de maledic. & in Decretis distin. 96. cap. cùm ad verum, & cap. duo sunt, & cap. si Imperator, & cap. causam, quæ, il secondo, qui filii sint legitimi, & cap. novit, de Judiciis, & in cap. Principes sæculi 23. q. 5. & c. statuimus de maledic.*

3. Quod etiam procedit de jure Regio, prout colligitur ex *l. 4. & 5. tit. 3. lib. 1. recop. & l. 3. tit. 1. lib. 4. recop.* & sic una jurisdictio per aliam adjuvatur, nempè Laica per Ecclesiasticam, & èconträ, si altera alterius auxilii sit indiga, argumento *text. cap. cùm adversum, distin. 96. & cap. nec licuit distin. 17. & Glos. in cap. 2. ad finem, ver. potestatem de maledic.*

4. Iste tamen modus requirendi Judicem Sæcularem ad præstandum hujusmodi auxilium, debet esse deprecativus; non autem imperativus: debet utique fieri benignis verbis & precibus honorificis, non autem authoritativè, per modum jussionis & imperii.

5. Si tamen hic modus hortativus, & honorificus locum non haberet, vel esset inutilis, & perperàm adhibitus ad consequendum auxilium petitum; an in tali casu recurrendum esset ad monitionem censurarum? vide *text. in d. cap. 2. ad finem, de maledic. & in d. cap. administratores 23. q. 5. Covarr. practic. qq. cap. 10. num. 1. Lopez in pract. crim. canon. ad Diaz cap. 154. num. 20. & 29. Prosper Farinac. 2. p. tom. 1.* suæ *theor. & prax. de pœnis moderandis, q. 97. cas. 4. nu. 81. & Leon. in Thes. For. Eccles. cap. 1. de jurisdictione, num. 16. & num. 47. & cap. 7. de excom. num. 130.*

6. Verumtamen an potestas laicalis auxilium, & brachium teneatur præstare cœco modo, non viso processu, & absque eo, quod constet de veritate causæ? hoc opus, hic labor est.

7. Nam Regii Judices ægrè ferunt, recusant, noluntque morti tradere Clericum degradatum, & Curiæ sæculari per Episcopum assignatum, quin priùs viderint acta, sibique constet de viribus sententiæ, quod maximè observant in criminalibus.

8. Et hoc ideò; primò; quia Clericus traditus Curiæ sæculari, efficitur de foro illius Judicis, qui propterea debet ipsum sibi traditum, ut subditum judicare; & non ut purus executor, *text.* est in §. *si verò crimen, authent. de Sanct. Episcopis.*

9. Tùm secundò; quia sententia Judicis Ecclesiastici nulla, per Judicem Laicum non debet exequi; ergò ad hoc, ut executioni demandetur, debet priùs cognosci, an sit ritè & justè lata: quia sententia ipso jure nulla, non dicitur sententia, nullamque meretur habere exequutionem, ut dicitur in *l. 4.* §. *condemnatum, ff. de re judic. Menoch. in 3. remed. retin. possess. nu.* 160. quem multis allegatis sequitur *Peyr. in 3. tom. in addit. ad Constitutionem Pii V. fol. 124. cap. 6. num. 3. & 4.*

10. Hinc *Imola in d. cap. 1. de off. Ordin. num.* 16. notat Judicem Sæcularem, à quo petitur auxilium ab Ecclesiastico, non posse cognoscere de sententia illius, ad effectum eam infringendi; posse tamen ad finem se informandi; an justè impartiri debeat suum brachiũ & auxiliũ.

11. Quod valdè placet *Navarro in 4. tom. fol. 492. relect. cap. cum contingat, remed. 1. nu. 7. & 8. in calce*, quam opinionem mordicus defendit *Baldus in d. cap. 1. de off. ordin.* cum aliis multis non spernendæ authoritatis, quos refert *Jul. Clar.* sua *pract. crim.* §. *final. q. 96. ver. quæro etiam, Lopez ad Diaz in pract. crim. canon. tom. 2. cap. 114. Vivius in opin. 396. Navarr.* in præcit. *loc. tom. 4. cap. cùm contingat cas. 15. remed. 1. & Prosper Farinac. 2. p. tom. 1. q. 97. cas. 4. num. 90.*

Quaest. 17. *An hi Galeotae teneantur ad Regulares observantias, nempè ad Iejunia, ad Horas canonicas, & similia?*

1. Respondeo, quòd hi miserabiles, quamvis justè sint ad Remigia destinati; adhuc tamen tenentur ad omnia, quae extrà Ordinem possunt observari. Quia haec omnia in Professione promiserunt: nec ab his censentur absoluti, prout status patitur; tum quia etiam post diffinitivam sententiam remanent Religiosi; quia propria malitia non debet eis patrocinari, per ea multa, quae dixi in *tract. de Ejectis, q.* 52.

2. Proindè, Religiosus Galeota, Divinum Officium (si vacat) tenetur recitare, prout scit, & potest. Si autem non habeat Breviarium, loco ejus se convertat ad tot Pater noster, & Ave Maria, ut latè probat *Alphons. Vivaldus in tract. de proposit. & degradat. q.* 38. *cap.* 4. *nu.* 4. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 9. *& Sanchez lib.* 6. *decal. cap.* 9. *num.* 58.

Quaest. 18. *Galeotae ad Remum damnati; an subjiciantur Episcopo, & cui quaerunt, sibi, Religioni, vel Camerae Apostolicae?*

1. N*Avar. comm.* 2. *de Regul. num.* 34. *ver. quaestio tamen oritur*, ubi verba fecit de Ejectis, subjungit, *cui autem subjiciantur, & quaerant Regulares exauthorati, & habitu Religioso privati, & ad Triremes damnati, si quid in eis quaerant, commisso aliquo praelio Navali, vel indè fuga, vel pretio redempti, in partes ignotas advenientes, quaestionis implexa videtur, & satis aequè responderi potest eisdem Episcopis subjectos fore, quibus Triremes ipsae, & alii eis addicti, subeunt, donec in eis manserint: posteà verò, finito tempore ibi remeandi, vel redempti, debent redire ad Episcopatus suarum Originum, subesse Episcopis illorum, vel impetrata ab eis facultate, transire ad alios: proindè, ac alii Ejecti simpliciter debent eosdem adire, argumento ab eadem, vel simili ratione, desumpto à l. illud, ff. ad l. Aquil. cap.* 2. *de translat. Praelat.* haec *ille.*

2. Alii apud *Novar. in sum. Bull. tit. de Regul. condemnat. ad Triremes, num.* 14. cum distinctione respondent, aut Regularis damnatur ad Triremes perpetuò, & sic acquirit illi, cui Servi acquirunt, utputà Triremium Dominis, & Patronis; nam per condemnationem in perpetuum fit illi perpetuus Servus, & Mancipium.

3. Aut ad tempus relegatur, & hoc tripliciter, aut transacto praefinito tempore, revertitur, prout tenetur, & debet in suam priorem Religionem redire, à qua non fuit perpetuò ejectus, sed ad tempus separatus: & sic acquirit suae Religioni, per vulgatam Regulam: quidquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit, & per aliam, qua dicitur, quòd ubicunque est Monachus, de voluntate sui Abbatis, censetur esse in Monasterio: aut finito tempore remanet in saeculo, habitu Regulari privatus, & sic acquirit Episcopo Originis, vel Domicilii, cui Ejecti subduntur: in isto enim casu censetur expulsus, & ejectus: Aut potest & debet in Religionem redire; quia forsitan per sententiam non fuit perpetuò religioso habitu privatus; veruntamen ei placet remanere in saeculo, & in tali casu acquirit illi, cui acquirunt Apostatae, utputà, suo Monasterio originali, si sit capax dominii, secùs Camerae Apostolicae. Certum est, quòd sibi non potest quaerere, quia ob Votum paupertatis non est capax dominii. Idem *Navarr. lib.* 3. *de Regul. cons.* 51. *&* 64. *& de Stat. Monach. cap.* 3. *lib.* 3. *Rodr. tom.* 1. *q.* 30. *ar.* 11. ubi habes *Privilegium Leon. Papae X.* & alia multa digna notatu in *ar.* 26. ejusdem *quaestionis, & Jacob Graff. lib.* 3. *decis. aur. cap.* 5. *num.* 82. *in fin. fol.* 339. *col.* 2.

Tu autem dic, quod quaerit R. Camerae Apostolicae, & post mortem facit spolium, juxtà ea, quae dixi in *tractat. de Ejectis, quaest.* 46. *&* 47.

Quaest. 19. *Si Religiosus relegetur à sua Provincia in Regionem longinquam; an acquirat Camerae Apostolicae, & cui obedire tenetur?*

1. N*Avarr. in d. com.* 2. *de Regul. nu.* 34. *in fin.* respondet, quòd hujusmodi Relegatus non subest Episcopo originis, quia illi non potest subesse; etiamsi velit, nec Episcopo illius Provinciae, ubi poenitentiam facit, quia tenetur in foro conscientiae adimplere paenitentiam justè latam à Judice competente, ut docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *ar.* 3. qui Judex non potest hoc dicere, nec imposuit, ergò tenebitur de rigore juris, esse sub obedientia solius Romani Pontificis, & illi soli acquirere, quaecunque quaesierit; quamvis ex quadam aequitate, & tacita mente Papae, si longè ab Urbe exterminetur, satisfaciat fortè suae conscientiae, eligendo aliquem Episcopum, cui obediat, argum. *cap. nihil de elect.*

2. Hinc idem *Navarr.* consuluit *duobus Ejectis à suis Monasteriis in Indiis, & exterminatis ab eisdem, cùm in Urbem venissent, ut suam infaelicitatem narrarent Domino Papae, & peterent ab eo facultatem vivendi sub obedientia alicujus Episcopi.* haec *ille.*

3. Tu autem adverte, quòd Regularis degens extrà Claustra, ex *Decreto Concil. Trid. sess.* 6. *cap.* 3. *de Reform.* subjicitur Episcopo loci, in quo contingit commorari, & sequuta morte, facit spolium, ut immediatè dixi hic suprà. Nec potest de quaesitis disponere, nisi, ut dictum est de Ejectis.

Quaest. 20. *Si Religiosus ad Remum damnatus subdatur Episcopo: an possit posteà de consensu ejusdem reponi in Remigiis Principis saecularis?*

1. Hujus affirmativa decisio pendet ex Decisis hic suprà *q.* 13. *&* 14. quam credo esse verissimam, ipsamque probat ex multis *Aloys. Riccius* 4. *p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis.* 367. *Phab.* in suis Decis. Lusitanis, *Decis.* 28. *num.* 13. *tom.* 1. & subscribit *Cespedes tract. de Exemp. Regul. cap.* 21. *dub.* 316. *nu.* 5. tum quia nostra omnia facimus, quibus authoritatem nostram impartimur, *l.* 1. *§. omnia, C. de veter. jur. enuclean. Glos. Inst. de jure naturali, §. plebiscitum in ver. consule, Rebuff. in praxi p.* 3. *tit. de Infirmorum resign.* Tum etiam; quia quando Princeps aliquid confirmat, ipse dare videtur, *Bart. l. more, num.* 5. *ff. de jurisdict. omnium judic.* actus enim tribuitur confirmanti, *cap. si Apostolica, de praebend. lib.* 6. tum quia retinens Clericum in custodia, vel vinculis, nomine, & authoritate Ordinarii, non incidit in excommunicationem, *cap. nuper, de sentent. excomm.* tum item; quia actus pendet à mandante, & committente, non autem ab exequente, *l. item eorum, §. si Decuriones, ff. quod cujusque univers. nomin.*

2. Benè verum, quod idem *Riccius ubi suprà*, contrarium refert decisum fuisse à Curia Archiep. Neap. mota ex quadam speciali *Littera* sibi directa à *Sixto V.* qua praecipit, Clericos non esse mittendos in Regias Triremes, etiam, quòd ibidem reponantur, nomine, & authoritate Ordinarii. Verum mihi videtur, quòd illa *Epistola* loquatur de aequitate, & honestate, secundùm quam, ut dixi *hic q.* 13. non licet relegare Clericos ad Remigia laicorum, & quòd non afficiat Regulares, nec alios Clericos diversorum Tribunalium, ex quo non est Constitutio universalis, derogans contrariis, nec apparet authenticè, nec irritat contrarium actum, salvo semper meliori judicio.

Quæst. 21. Religiosus ad Remum damnatus; an possit ab eo tuta conscientia fugere?

De hac quæstione latè dixi suprà in *tract. de fugitivis, q. 22.*

Quæst. 22. An Galeotæ, peractâ Triremium pœnâ, sint à suis Prælatis benignè suscipiendi?

1. Affirmativè dic; quia sicut sponsus per condemnationem ad Carceres, vel in exilium, sive ad tempus, sive in perpetuum non absolvitur à vinculo Matrimonii, nec liberatur à fide Uxori debita, quos enim Deus conjunxit, homo non separet: ita, quovis modo subrogentur Triremes, aut loco carceris, vel exilii, per condemnationem ad eas relegatus, à statu Regulari non absolvitur. Promisit enim, vovit, & publicè juravit, vivere, & esse in illo statu, usque ad mortem, quæ cùm de facto omnia solvat, ipsa sola poterit Religionis vincula solvere; & sicut Uxoratus egressus de carcere, ac peracto exilio, ad suam spectat Uxorem; ita Regularis, & finito Triremium tempore, ad suam attinet Religionem, cum qua per publicam Professionem matrimoniũ contraxit.

2. Nec nocent in contrarium *Rodr. tom. 1. q. 23. art. 5.* cum suo *comp. resol. 57. de Ejectis, nu. 8. Portellus in Dub. ver. ejicere nu. 6. & Sanchez lib. 6. decal. cap. 9. nu. 58.* Quia nullus hodiè relegatur perpetuò, nec per sententiam damnationis absolvitur à Votis, nec ab aliis Observantiis, quæ in illo statu possunt observari, nec Galeota desinit esse in totum pars, & membrum suæ Religionis, ad quam tenetur redire.

Quæst. 23. Religiosus à Triremibus absolutus, an remaneat infamis, infamia Iuris?

1. Respondeo affirmativè, per ea, quæ dixi *tract. de Ejectis, q. 61. & de qualit. recip. q. 1.* Tum quia mala opinio, & prava existimatio serpit apud omnes de vita, moribus, & qualitate damnatorum ad Remũ: Tum etiam; quia Religiosus, ob culpam, in Remum damnatus, repellitur ab integritate sui Status: unde privatur Religioso suo habitu, suspenditur in susceptis, & similibus; prout habetur in *Constit. Prædicatorum, distin. 1. de gravi culpa, cap. 18.*

2. Proinde, efficitur Infamis, nam sicut fama est dignitatis illæsæ status, legibus, ac moribus comprobatus, *l. cognitionem, ff. de variis, & extraordinariis cognition.* ita per argumentum à contrario sensu, infamia non est aliud, quàm diminutio ejusdem Status. Tum quia Infamia Juris incurritur ipso facto, per sententiam diffinitivam condemnatoriam Judicis, in causa famosa, ut habetur expressè in *cap. Infames 3. q. 7. §. porrò*, ibi, *Infamia multipliciter irrogatur, aliquando enim contrahitur genere delicti declarati per sententiam, veluti cùm Judex pronunciat, injuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es, &c. & l. infamem 7. ff. de public. Judic. l. quod ergò, §. ex commissione, ff. de his, qui notantur infamia.*

3. Causa autem famosa est multiplex, & præcipuè, si crimen sit publicum, seu Judicium publicum, quo quis damnetur ad pœnitentiam publicam, *l. 1. § removet. ff. de postul. & § qui in Judicio,* prout docet *Bernard. Diaz in praxi cap. 88. num. 3. Molina de Just. tract. 4. disput. 9. nu. 1. Sanchez opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 6. nu. 14. & 20. Sylvest. ver. infamia q. 4. num. 8. Graff. append. ad Decis. aur. lib. 3. cap. 9. num. 3.* ibi, *Sed infamia juris est, quando quis infamatur à jure, & hæc contrahitur tribus modis, nam interdum contrahitur ipso facto, in quibusdam casibus expressis à jure, interdum per sententiam diffinitivam Judicis, & non Arbitri, nec per sententiam interlocutoriam Jul. Clar. lib. 5. sen. in pract. criminal. q. 72. num. 3. Avila de censuris 7. p. de irregul. disp. 4. dub. 5. & Paulus Layman lib. 1. moral. tract. 5. p. 5. cap. 4. de irregul. ex infamia, num. 2. ver. alia verò crimina sunt de quibus Reus per Judicis sententiam infamiam incurrit, adeò, ut infamia non sit tantùm macula moralis, ut quidam putant, sed etiam pœna illata per diffinitivam Judicis sententiam, quæ infert damnum cum infamia; dummodò non sit contumacialis, vel ab ea fuerit appellatum, sed transacta in rem judicatam, & exequutioni mandata; quia sicuti appellatio suspendit sententiam, ita etiam infamiam, ex tali sententia oriundam.*

4. Tum item; quia juris infamia, ipso jure incurritur ex genere pœnæ, à damnato, etiam sine sententia diffinitiva, sola interlocutoriâ, causâ cognitâ interveniente, & docet *Layman.* cit. *loc. num. 2. ver. requiritur etiam, Thesaurus 1. p. praxis, cap. 33.* ubi quærit, pœna infamiæ juris qualiter incurratur, *§. quinto modo,* post multos allegatos, & *Lezana ver. infamia, nu. 7.* ut si reus in crimine comprehensus, vel confessus, verberum, & simili pœna publica afficiatur, eo ipso incurrit juris infamiam, & habetur in *l. ictus fustium ff. de his, qui notantur infamia, & l. fustibus, C. ex quibus causis infamia irrogatur,* & docet *Gloss. l. nullam, §. quæstione l. in servorum, in fin. & l. capitalium, ff. de pœnis.*

5. Ex quibus *Thesaurus ubi suprà* infert, quòd omnis pœna corporalis, non pecuniaria, illata à Judice per diffinitivam sententiam, eo ipso infamat, infamiâ juris, unde damnatus ad opus publicum, ut in metallum, vel in opus metalli relegatus, etiam ad tempus fustigatus, & similes hujus generis, censentur infames, ex *l. Imperator, & ibi Gloss. ff. de postul.*

6. Quod amplia ad Triremes damnatos; etenim damnatio ad Remum infamat, sicut & damnatio ad opus publicum; nam pœna Triremium, etiam ad tempus successit loco pœnæ deportationis, & relegationis; & damnationis in metallum, seu opus metalli, quando quidem solùm abjectæ, & viles personæ damnabantur in opus metalli, ibidem catenis ferreis detinebantur, & verberibus affligebantur, quod totum hodiè practicatur in Triremibus, ut notat *Joann. de Imola in l. 2. ff. de publicis judiciis Capyc. decis. 153. n. 3. de Franchis decis. 140. Jul. Clar. § final. q. 67. nu. 7. Farinac. q. 19. n. 14. & q. 142. nu. 165. Caball. resolut. 8. num. 43. & Joann. Baptista Ciarlinus controvers. forens. cap. 15. num. 62.*

7. Nec dices, quòd licet hi Galeotæ sint infames de jure legali, & civili, hoc tamen non apparet in jure Canonico; quoniam omnes infames de jure civili, sunt etiam infames de jure Canonico, ex generali Regula *Adriani Papæ* posita in *causa sexta q. 1.* ibi, *omnes infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant.*

8. Hinc repelluntur à Dignitatibus Ecclesiasticis, & Sæcularibus: adeò, ut eas consequi nequeant, ex *cap. inter dilectos de excessibus Prælat. l. unic. de infamibus, & l. 2. C. de dignitatibus lib. 12.* & ex *Regul. 87. juris, in 6.* ubi expressè dicitur, *infamibus portæ non pateant Dignitatum, Sylv.* cit. *loc. num. 4. & 15.*

9. Quod procedit in utraque infamia, & maximè juris, quæ repellit à Dignitatibus obtinendis, & à receptis, supposita tamen (ut dixi) sententia declaratoria, *Layman.* cit. *loc. num. 5. Sanchez tom. 2. ad decal. lib. 5. cap. 3. dub. 5. nu. 7. Alphons. Vivald.* latè in *append. ad Candelabrum aureum, cap. 10. per totum, & Garzias 7. p. de benef. cap. 8.*

10. Quamobrem, non possunt ordines suscipere, nec in susceptis ministrare, nec possunt fieri Magistri Sacræ Theologiæ, nec esse Priores, Prædicatores, & similes, *Portellus ver. Abbates, Tamburr. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 5. q. 20. & de jur. Abbatiss. disput. 28. q. 5.* Repelluntur denique ab omnibus aliis actibus legitimis & publicis, & consimilibus, qui sunt effectus infamiæ, de quibus vide *Lezan. ver. infamia, num. 11. & sequentibus.*

Quæst. 24.

Quæst. 24. Religiosus Galeota, liber factus, an sit Irregularis?

1. RIccius 1. p. *Decis. Curiæ Archiepiscop. Neap. decis.* 119. cui inhæret *Anton. Diana 4. p. moral. tract. de Irregul. resolut.* 83. respondet negativè, ex eo; quia pœna infamiæ non contrahitur: nisi in casibus à jure expressis, teste *Gloss. in l. 1. C. de infamibus, & cap. infamibus, de Regul. Jur. in 6.* sed nunquam legitur, condemnatum ad Remigandum contrahere infamiam; & subnectit, quòd quamvis damnati ad Remum assimilentur damnatis ad metallum, ex *Capyc. decis.* 153. *num.* 5. *& Præsid. de Franch. decis.* 140. *num.* 8. quòd sint Infames, prout omnes ferè *Doctores* ajunt. Non ob id sequitur, quòd sint iis similes in omnibus, & quòd in reliquis actibus æquiparentur illis: eò magis; quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus expressis, prout clarè habetur in *cap. is, qui, de sent. excomm. in 6.* quatenus habet, quòd nullum crimen, quantumlibet grave irregularitatem inducit, nisi de quo id à jure specialiter statuatur, & advertit *Navarr. in summ. cap. 27. num.* 248. & patet in homicidio, quamobrem ambo inquiunt, Religiosos ad Remum destinatos, non esse excludendos à susceptione ordinum, nec à suffragando in Capitulo, de jure communi.

2. Oppositum, & verius docent *Navarr. cons.* 43. *tit. de temp. ordin.* in novis, & *Rodr. to. 1. q. 24. art. 6.* ubi dicit, quòd infamia, quæ nascitur ex notorietate delicti, inducit Irregularitatem, quæ reducitur ad Irregularitatem ortam ex corpore vitiato: & notatus juris Infamia, per multa jura *ibidem* allegata, est Irregularis, *Sylv.* cit. *loc. q.* 10. *Angel. in sum. eod. verb. num.* 5. *Avila 7. p. de Irregul. disput. 4. dub. 5. conclus. 1. Layman. ubi suprà, Simon Majolus de Irregularitate lib. 3. cap. 1. Alph. Vrualdus in append. ad Candelab. Aur. cap. 10. per totum, Barbosa de officio, & potestate Episcopi p. 2. allegat.* 43. *num.* 15. quod *ibidem* refert resolutum in una *Bononiens.* die 1. Junii 1551. coram *Augustino*, relata per *Caputaquens. decis.* 90. qui omnes advertunt, quòd quidam sunt infames, ipso jure, ex delicto, cui à jure est annexa Infamia, quæ crimina cum suis legibus notat partim *Syl. Angel.* & latè *Majolus, Vrualdus, & Layman*, adeò, ut hi sint infames, absque alia declaratoria Judicis, alii verò sint infames ex delicto declarato per sententiam Judicis; & alii ex genere pœnarum; regulariter delinquentes fiunt infames ex delicto in casibus expressis à jure; extraordinariè per sententiam Judicis, vel ex genere pœnæ, ut dictum est hic suprà.

3. Et constat ex multis, tum quia Infames de jure civili, sunt etiam infames de jure canonico, ut dictum est; sed Relegati ad opus metalli, ut constat ex citatis juribus, sunt infames, ergò, & ad Remum damnati; quia in re idem sunt; & potiùs res, prout in se est, debet attendi, quam vox; tum etiam; quia ita constat ex *d. cap. infames, caus. 3. q. 7.* quo damnati publico Judicio ad pœnitentiam publicam sunt infames; tum item; quia ex *cap. inter dilectos, de excess. Prælat.* infames repelluntur à Dignitatibus Ecclesiasticis, nec eas consequi possunt, ergò sunt Irregulares. Tum item; quia ex juris *regula* 87. Infamibus portæ dignitatum non patent: his accedat *d. cap. distinct.* 81. *cap. quarelam, de jur. jurand. cap. qui in aliquo* 51. *distin.* & similia.

4. Quæ omnia intellige, habere locum in Reis damnatis ex causa famosa, *Barbos.* cit *loc. num.* 14. ibi, *requiritur declaratoria de crimine famoso, & Vrualdus* cit. *loc. num.* 17. quisquis est simpliciter damnatus ex crimine famoso, etiam si in sententia minor pœna imposita fuerit, vel de pœna nihil fuerit dictum, *C. ex quibus causis infamia irrogetur l. furti, & l. si te, Thesaur. & Lezana ubi suprà.*

5. Benè verùm, quòd hujusmodi *Doctores* possunt conciliari, dicendo, dicta *Riccii, & Dianæ* habere locum in Infamibus, seu in infamia facti, non declarati per Judicem; vel loqui de his, qui ex vili conditione, personæ censentur infames, uti sunt Histriones, Illegitimi, Fornicatores, & similes, ui notant *Layman.* cit. *loc. num.* 2. *& 5. in fine, Garzias ubi suprà, num.* 35. *Avila conclus.* 2.

Quæst. 25. Prælati Regulares, an possint cum suis subditis, super hac Irregularitate dispensare?

1. DE Jure communi certum est, quòd Infamia facti, quamvis sit orta ex crimine enormi, & digno depositione, tollitur omnino per actum contrarium, hoc est per Vitæ emendationem; secùs durante mala Vita.

2. Verum, infamia Juris, per sententiam Judicis, ob crimen contracta, non tollitur per pœnitentiam, sed per dispensationem, & indulgentiam Domini Papæ, quia hæc infamia sapit rationem pœnæ, in qua fundatur Irregularitas, quæ non ab alio tolli potest, nisi à Principe Patrono legis; etenim ejusdem Jurisdictionis est, ligare, & absolvere, pœnam imponere, & in integrum restituere, ut constat ex *l. 1. C. de sent. pass. & restit. l. 1. §. pen. de postul.* & docet *Syl. ver. Infam. num. ultim. Sanchez in opuscul. lib. 6. cap. 3. dub. 5. num. 7. & Thesaur. 1. p. Praxis. cap. 34. per totum.*

3. Proindè, communiter dicunt, quòd super Irregularitate, proveniente ex infamia Juris, solus Papa dispensat, *Navarr. in summ. cap. 27. num* 204. *Sayr. libr. 6. de cens. cap. 11. num. 15. Tolet. in summ. lib. 1. cap. 26. num. 5. & Rodr. tom. 1. q. 24. ar. 6.*

4. Secùs autem, ex Privilegio, *Naldus in sum. ver. infamia, Peyr. de subduo, tom. 1. cap. 27. ver. sed quæres, fol.* 113. *& Lezana ver. infamia, num. 17. & sequent.* ubi ostendit isthæc Privilegia, per quæ Prælati Regulares possunt cum suis subditis in hoc dispensare, tollendo infamiæ maculam, & pœnam, qua sublata, censetur deducta & Irregularitas, quæ in illa fundatur; tum quia, sicut Episcopus potest dispensare in infamia Juris Canonici, orta ex illis delictis, super quæ habet authoritatem dispensandi, ex *Trid. sess. 25. de refor. cap. liceat*: ita, & Prælati Regulares possunt hoc facere, saltem ex concessione *Pii V.* qui ad tollendum omnem scrupulum, extendit dictum *Decretum Concilii Trid.* ad Regulares. Tum etiam, ex illlis Privilegiis, quibus Prælatis Regularibus conceditur facultas dispensandi cum suis subditis in omni Irregularitate, exceptis tribus illis, nempè, homicidii voluntarii, mutilationis membrorum, & bigamiæ, quæ exceptio firmat regulam in contrarium, hoc est, ostendit, alia censeri concessa, & indulta.

5. Tum item, ex *Constit. Eugen. IV.* quæ incipit *Provenit*, & habetur in 1. *tom. Bull. Rodriq.* & est inter *Bullas* ejusdem Pontificis, qua conceditur Eremitis Congregationis B. Petri de Pisis, & Sacerdotes ipsius Congregationis possint cum eis dispensare, super irregularitate, quoquo modo, & ex quavis causa contracta, & infamiæ maculam abolere, ad hoc, ut possint interesse (supple ministrando) Divinis Officiis, & Sacrificio Missæ, quod omnibus competit, ob Privilegiorum communicationem.

Quæst. 26. Religiosus condemnatus in Exilium, vel in aliam pœnam, quam juravit, sub pœna Remigationis observare, an in casu inobservantiæ, possit ad Remum, vel duplum prima pœna condemnari?

1. ET dico, quòd sic; quia pœna comminata, & Juramento acceptata est ex equutioni demandanda, tum quia Religiosus potest ad Triremes transmitti, ut constat ex decisis, tum etiam; quia quæ cadunt sub Juramento,

ramento, si aliàs sint licita, sunt omninò observanda, tum item; quia ita docent multi *Doctores*, quos sequitur *Capiblanc. tom. 2. cap. 33. nu. 8. super Pragmat. 8. de Baronibus*, ubi de Galeotis multa habes.

2. Benè verum est, quòd si Prælatus foret certus, & tutus de exequutione novæ sententiæ, & adimplemento pœnarum infligendarum, posset Reum transgressorem ad duplicatas pœnas condemnare. Quandoquidem de jure communi, Exiliatis, & Relegatis, si fines exilii non servaverint, duplicandum est exilium, & relegatio; & habetur expresse in *l. aut damnum*, §. *quisquis*, *ff. de pœnis*, ibi, *Quisquis autem in opus publicum damnatus refugit, duplicato tempore damnari solet*. hæc *ibi*. Et de communi testantur *Clar. q. 71. Menoch. de Arbitr. casu 530. num. 28. & Ant. Gomez tom. 3. var. resolution. cap. 8. de exilio, & relegatione, nu. 1.*

3. Unde, *Joan. Andr. in cap. dilecti filii 6. de Judiciis* dixit, quòd Relegatus non parens, deportatur in perpetuum, & Deportatus non parens, capite punitur, & sic quet in Fure, qui pro primo furto bullatur in humero, pro secundo fustigatur, & pro tertio condemnatur ad Triremes, & sic pœnæ gravantur in recidivo, & solito committere, vel ingravescente contumacia.

TRACTATUS DECIMUS

DE APPELLATIONIBUS.

Quæst. 1. Appellatio quid sit, & quotuplex, & quot effectus pariat?

1. Appellatio est provocatio iniquæ sententiæ, quærelam continens, *l. præfecti, ff. de minoribus*, vel est provocatio causæ à minore Judice ad Superiorem Judicem, ratione illati, vel inferendi gravaminis, qua iniquitas sententiæ, seu imperitia, vel malitia Judicis corrigitur: vel dicas, quòd sit recursus ad Superiorem Judicem, ob illatum, vel inferendum gravamen, ut colligitur ex *cap. omnis oppressus, cap. si quis, & c. placuit 2. q. 6. & toto titulo de appellationibus in utroque jure.*

2. Dixi, qua iniquitas sententiæ, &c. quia appellatio, & provocatio inventæ sunt pro remedio adversus injurias Magistratuum: etenim provocare, idem est, hac in re, quod majoris Judicis, vel Potestatis opem implorare. Appellans enim, ad hoc, ut relevetur à præsenti, vel futuro gravamine, indigus auxilii, Superioris implorat auxilium, ut ei sit adjutor, prout magis liquet ex suprà posita definitione, & ostendit *Sylv. verb. appellatio, & Armilla*, omnesque *Summistæ ver. eod.*

3. Hinc *Divus Bernardus lib. de consideratione ad Eugenium*, dixit, quòd appellatio sit grande, & generale remedium, toti Mundo, ac cunctis Mortalibus necessarium, tanquam Sol ipse; quia est veluti Sol justitiæ, prodens, & redarguens opera tenebrarum, & *Bald. in l. 1. C. si de moment. possess. fuerit appellat. in fin.* vocat eam Theriacam contra venenum iniquitatis primi Judicis: & communiter vocatur Portus securus omnium Navigantium, Turris, & Refugium tutissimum persecutionem patientium.

4. Et est duplex, altera Judicialis, quæ interponitur in Judicio post primam citationem coram Judice competente, & fieri potest ab omni actu judiciali, in quo est judicium, id est, disquisitio partium, teste *Glossa in c. 1. de appellat. in 6. ver. Judicio*, ubi hoc probat per multa jura.

5. Altera verò dicitur Extrajudicialis, quæ scilicet interponitur ab actibus judicialibus, factis extrà judicium, hoc est, partibus non auditis, ut si appelletur ab electionibus, postulationibus, præsentationibus, & similibus, juxtà *cap. concertationi 8. de appellat. in 6.* & docet *Glos. ubi suprà ver. vel extrà in medio.*

6. Hæc autem appellatio extrajudicialis est item duplex, una, quæ interponitur à Judice extrajudicialiter agente: altera verò, quæ interponitur à parte privata inferenti aliquod gravamen alteri parti, & docet *Glossa in d. cap. concertationi 8. de appellat. in 6. ver. extrajudicialis*, ibi, *sive fiat à Judice, sive à privato*, quod & priùs dixit in *d. cap. Cardinal. ver. extrajud. in medio.*

7. Appellatio Judicialis, de qua agitur, duos parit effectus, quorum unus est suspensivus, alter verò devolutivus, ex *Glossa ver. conquestus cap. ad reprimendam malitiam perversorum 8. de off. Judicis ordinarii.*

8. Effectus suspensivus tria regulariter operatur, nempè suspendit pronunciatum, & Judicis jurisdictionem, quantum ad illam causam, & præsumptionem, quæ erat pro sententia ab eo lata, ut eruditè ostendit *Sylv.* cit. *loc. num. 1. & Covar. in pract. qq. cap. 23. num. 7.* & est decisio *l. 1. §. final. ff. ad Turpillian. & cap. si à Judice, de appellat. in 6.*

9. Unde per appellationem interpositam jurisdictio inferioris Judicis, non solùm suspenditur, verùm etiam extinguitur quoad judicatum, juxta *textum, & Glossa d. cap.* ob quod, appellatione pendente, Judices inferiores debent omninò abstinere ab executione rei judicatæ, & quoad illam causam, de qua fuit appellatum, non ampliùs se intromittere, usque dum non fuerit per Superiorem Judicem super appellatione judicatum: secùs omnia facta post appellationem prædictam, dicuntur attentata, & sunt revocanda, juxtà *textum l. ex illo, & l. minimè, C. de appellationibus, l. 1. C. de bon. poss. l. etiam, ff. nihil innovari appellat. pendent. l. sciendum, C. de appellat. recip. cap. an sit, de appellat. cap. bonæ mem. de confirmat. util. vel inutil.* & ex *cap. super eo, il primo, de appellat. cap. ut debitus honor, cap. ad hæc, il 1. eod. tit.* in quibus habetur expressè, quòd per appellationem suspenditur jurisdictio Judicis, qui sententiam pronunciavit, & docet *Covar.* cit. *loc. & Miranda* latè in *2. p. ordinis judiciarii, q. 29. ar. 1. conclus. 3.*

10. Dixi, regulariter; quia, ut infrà dico, appellatio facta per excommunicatum non suspendit Cedulones, sed tantùm transfert ad Superiorem Judicem cognitionem causæ.

11. Devolutivus autem facit, ut cognitio causæ per appellationem ad Superiorem Judicem devolvatur, si appellatio sit rationabilis, & legitimè interposita.

12. Appellatio tandem extrajudicialis, si sit probabilis; etiam idem operatur, hoc est, causam ad Superiorem devolvit, & Inferioris jurisdictionem suspendit, & annullat omnia post appellationem facta, qua pendente nihil debet innovari, seu attentari, in præjudicium ipsius appellantis, juxtà *cap. ad audientiam, de appellat. in fin. ibid.* docet *Glos. Innocen. in cap. ex parte, il primo, de ver. signific. & Sylv. ubi suprà, num. 4.* ubi multas ponit differentias inter hanc, & illam appellationem, quæ tamen hodiè non sunt in usu.

Quæst. 2.

Quæst. 2. Ad quem Iudicem sit appellandum?

1. ET dico, quòd regulariter appellatur à minori ad majorem, & gradatim, ut constat ex dicendis infrà.

Quæst. 3. Quando appellandum sit, & quomodò?

1. REspondeo, quòd secundùm leges appellatur à sententia diffinitiva, vel à gravamine habente vim diffinitivæ, vel à gravamine, quod per diffinitivam non potest reparari, ut infrà dicitur, & docet *Tridentinum sess. 24. cap. 20. de reform.* & potest fieri, & interponi, voce, scripto, vel facto; Judice in Tribunali sedente.

Quæst. 4. Appellatio ab interlocutoria, vel à gravamine, an sit facienda in scriptis, vel oretenus?

1. REspondeo, quòd hujusmodi appellatio duo copulativè debet continere, primò, ut fiat in scriptò, & secundò, ut contineat causam appellationis, aliter frivola, & nulla foret; & est Decisio *cap. ut circa 4. de elect. in 6.* ibi, *appellantes in instrumento publico, seu litteris super appellatione confectis, omnia, & singula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel personas,* & *cap. cordi nobis est, de appellat. in 6.* ibi, *si quis in judicio, vel extrà super interlocutoria, vel gravamine aliquo ad Nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis deportet, petat Apostolos, quos ei præcipimus exhiberi.* Et *cap. ut debitus honor 59. eod. tit.* ubi expressius habetur, quòd appellans antè sententiam, tenetur exprimere causam rationabilem coram ipso Judice à quo, & *cap. dilecto 63. in eod. tit.* & *cap. quoad consultationem, de re judic.* ubi Papa vult, ut coram quovis Judice, & in quavis appellatione ab interlocutoria, semper, & nominatim sit exprimenda causa gravaminis; & hoc ideò; quia appellatio ab interlocutoria, justificari non potest: nisi ex causa, in appellatione nominatim expressâ, ut dicitur in *Clem. appellanti, de appellat.*

2. Immò, quando plures sunt causæ, omnes sunt exprimendæ nominatim, nec sufficit se remittere ad acta, ut clarè dicitur in *ead. Clem. appellanti*, & advertit *Maranta in 6. p. specul. ver. quandoque appellatur, num. 153.*

3. Dixi, quòd non potest justificari sine expressione causæ; quia certissimum est, quòd Judex non tenetur deferre appellationi frivolæ, sed potiùs eam uti inutilem & calumniosam rejicere. Illa autem dicitur talis, quæ fit sine justa causa, ergò, ad hoc, ut judicium possit fieri de tali appellatione, erit omninò necessaria expressio causæ.

4. Dixi, ab interlocutoria, vel gravamine, quia aliter est dicendum de appellatione interposita à sententia diffinitiva: in hac enim non est opus, ut in specie, sed sufficit, ut in genere gravamina exprimantur, ut si appellans in confuso dicat, se esse gravatum, & sententiam esse injustam, perinde appellat ad Superiores in forma, ut patet ex *l. 1. ff. de appellat.* & *cap. quoad consultationem, de re judic.* adjuncta *Glos. in ver. non exprimens.*

5. Nec exigitur, ut hæc fiat in scriptis, si contingat illicò, & in continenti interponi coram Judice in Tribunali sedente: secùs autem si appelletur ex intervallo post latam sententiam, *Abbas in cap. cùm injustè num. 12. de Procuratorib.* & habetur in *d. l. 2. ff. de appellat.* ubi *Glos. 1.* dicit, viva voce appellari posse per totam eandem diem, in qua promulgata est sententia.

Quæst. 5. An facto liceat appellare?

1. ET quidem affirmativè deciditur in *cap. meminimus 9. de appellat.* ubi sola itineris arreptio habetur pro appellatione. Nec mirum; quià quis facto renunciat juri suo *cap. ex ore, de iis, quæ fiunt à major. part. cap.* & ipso facto consentit quis malis *43. distin. cap. si rector, ver. quid aliud est, quàm tacendo terga præbuisse.*

2. Immò, plus est appellare facto, quàm verbo, quia plus est factis demonstrare, quàm verbis dicere; unde sicut non tenet excommunicatio post appellationem fulminata: ita, & non tenet, si feratur post iter arreptum ad Papam, prout clarè habetur in *c. dilecti 52. eod. tit. de appellat.* ibi, *cùm autem plus sit, ad Sedem Apostolicam facto provocare, quàm verbo, & ipsis propter dictam causam ad Romanam Ecclesiam venientibus intelligatur ad Sedem Apostolicam provocatum*, hæc ibi. Sed nota, quòd hoc iter arreptum pro appellatione non sufficit, nisi justa causa allegetur; quia appellatio sine causa nihil operatur, ex *cap. ut debitus honor, eod. tit.* Et adde, quòd post sententiam diffinitivam non sufficit iter arreptum, nisi Viva Voce appelletur, etiam, & in scriptis, per ea multa jura, quæ allegat *Glos. in d. cap. dilecti, ver. facto provocare*, & est Decisio. *c. cordi 1. de appellat. in 6.*

3. Quapropter, aliud est, appellare ante sententiam, & aliud, post sententiam, & aliud, in continenti, & aliud, ex intervallo. Nam ante sententiam, Judice sedente pro Tribunali, potest Viva Voce appellari, secùs extrà judicium, teste ead. *Glos. cap. liceat 2. q. 6.* ubi hàbes, quòd semper est appellandum cum causa, sive extrà, sive in Judicio appelletur.

4. An autem recursus hujusmodi sit Regularibus interdictus? dixi latè suprà in *tract. de fugitivis à Claustro, q. 3.* & *hic infrà q. 38.*

Quæst. 6. Appellatio infrà quod tempus debet fieri, & prosequi, ad hoc, ne dicatur deserta?

1. REspondeo, quòd cuilibet licet appellare à sententia infrà decem dies in quacunque causa, & à quocunque Judice, prout latè deciditur in *cap. Anteriorum 28. caus. 2. q. 6.* ibi, *sancimus omnes appellationes, sive per se, sive per Procuratores, seu per Defensores, vel Curatores, & Tutores ventilentur, posse intra decem dierum spatium, à recitatione sententiæ enumerandorum, Judicibus ab his, quorum interest, offerri, sive magni, sive minores sint, ut liceat homini intrà id spatium plenissimè deliberare, sive appellandum sit, sive quiescendum.* hæc *ibi.* & nota, quòd iste terminus decem dierum, currit de momento in momentum, id ipsum habetur in *cap. quoad consultationem, de sentent. & re judic. & cap. concertationi, de appellat. in 6. & in auth. hodie, C. de appellat.* Quo termino elapso, sententia transit in rem judicatam, & executioni mandatur; quia post dies prædictos non ampliùs datur locus appellationibus: secus contrà jus, & justitiam causæ fierent immortales, *Glos. ubi suprà, & Bartol. in l. 1. § dies, ff. quando appellandum sit*: nisi fortè gravamen sit successivum, & habeat causam continuam, uti est, manere injustè carceratus; quia in tali casu durante gravamine, semper potest appellari: quia semper dicitur esse infrà dies, *Baldus in l. si Clericus, C. de Episcopal. audient.* quod, multis allegatis singulare existimat *Megal.* in sua *Praxi crim. can. cap. 17. nu. 21.*

2. Appellans verò, ad prosequendum habet annum, & ex causa, biennium, nisi Judex moderetur, ut expressè dicitur in *cap. cùm sit Romana 5. appellat.* ibi, *hujusmodi appellantibus annus indulgetur, aut ex necessaria, & evidenti causa, biennium nisi Judex, à quo fuit appellatum, secundùm locorum distantiam, & personarum qualitatem recisius tempus fuerit moderatus*, hæc ibi.

3. Infrà quem annum, vel terminum breviorem à Judice assignatum; si appellans suam non sit appellationè prosecutus, termino elapso, appellatio censetur deserta, & rata sententia à qua fuit appellatũ, & appellans amplius

pluùs non auditur, ut *ibidem* dicitur. Et quòd hic Judex à quo, possit appellantibus plures terminos assignare, & præcipuè ad recipiendum Apostolos, ostendit *Genuens.* in sua *Praxi cap.*70.*nu.*2. qui Apostoli sunt litteræ dandæ ab eo, à quo fuit appellatum, ad eum, qui de appellatione cogniturus est: & quamvis hi Apostoli sint multiplices, alii nempè dimissorii, ut quando Judex appellationi detulit, alii refutatorii, ut quando non detulit, quidam reverentiales, ut quando detulit, ob solam reverentiam Judicis appellati, & non quia appellavit, id defert; quidam sunt conventionales, ut quando pars appellationem admittit, sive in judicio, sive extrà, Judice ipso, aut recusante, aut tacente, & quidam tandem sunt testimoniales, uti sunt illi, qui ab aliqua honesta persona conceduntur, ex eo; quia appellans timuit Apostolos petere, vel appellare coram Judice, timens, violentiam sibi fieri, ob quod appellavit, & fuit protestatus coram aliqua honesta persona, à qua deindè ei tribuebantur Apostoli, *Sylv. verb. appel nu.*13. quorum omnium, & singulorum modorum ponit formam, & exemplar *Laur. Peyr.* in suo *formul. Pract. litt. A cap.*12.*& sequen.*

4. Nobis tamen sufficit, ut observetur dispositio *cap. post appellationem* 31.2.*q.*6. nempè, quòd petantur Apostoli, seu litteræ dimissoriales infrà tempus triginta dierum, juxtà dispositionem *c. ei, qui appellat* 41. 2. *q.* 6. *in fin.* ibi, *Judicibus autem non solùm suscipiendæ appellationis necessitas videtur imposita; verum etiam triginta dierum spatia à die sententiæ definita sunt, intrà quæ gesta, unà cum relatione litigatoribus convenit præstari, & C. ab eo* 6. *de appell. in* 6. ibi, *ab eo, qui appellat infrà triginta dies, instanter Apostoli peti debent, & eidem infrà dictum tempus à Judice exhiberi, alias præsumitur appellationi sua renunciare appellans, si eos infrà idem tempus petere prætermittat,* ubi *Glossa* ad praxim multa docet.

5. Et quòd tradantur Apostoli sub hac forma verborum. *Fateor Ego N. Reum N. per me, servatis servandis fuisse condemnatū ad carceres per annum, & à tali sententia definitiva lata, & lecta sub die T. appellasse, ut juris. cujus appellatio per me prædictum, non fuit admissa, nisi si, & in quantum, in quorum, &c.* per quas litteras Judex à quo eximit appellantem à sua jurisdictione, durante dicto tempore præfixo, & quoad causam, de qua appellavit, non potest illum molestare.

Quæst. 7. *An Judex à quo, vel ad quem, debeat denunciare, appellationem esse desertam, & quis teneatur producere acta, appellans, vel appellatus?*

1. ILlustrissimus *Riccius* Doctor Præstantissimus 1. *p. Praxis decis.*509. cum distinctione respondet; aut fuit aditus Judex ad quem, & coram eo appellatio fuit introducta, & tunc ad eum spectat, super desertione pronunciare, aut verò non fuit aditus, & tunc, cum nulla facta fuerit instantia coram eo, non potest hoc facere; quia deest petitio, quæ secundùm *Seraph. in decis.*190. *p.*1. est necessaria, quod prisci *Doctores ibidem* allegati tenuerunt, & docet *Afflict. rubr.*45. *de appellat. nu.*14. *ad med. super Constit. Regni,* & hoc ideò; quia propter inhibitionem ligantur manus Judicis à quo.

2. Et quòd appellans, suis expensis teneatur producere acta; latè constat ex allegatis per eundem *Riccium in decis.*510. ubi suprà, vide illum.

Quæst. 8. *Appellatio alternativa, an admittatur inter Regulares?*

1. QUando quis in libello appellationis utitur his verbis, *appello ad P. Generalem;* vel *ad Papam,* dicitur alternativè appellare, & ejus appellatio sic interposita, regulariter debet admitti; facta tamen infrà decem dies declaratione Judicis, coram quo intendit appellationem prosequi, *Abbas in cap.* 2. *de appellat. num.* 11. & alii plures, quos allegat *Megalius* in suo *Promptuario ver. appellatio num.* 9. *& Riccius* 1. *p. Praxis* in 1. edit. *tit. de appellat. decis.* 514.

2. Verùm, inter Regulares non exigitur ista Judicis declaratio, sed satis est, quòd appellans infrà debitum terminum, coram Judice competente suam prosequatur appellationem: secùs, termino elapso, sententia lata transit in rem judicatam, & nequit ampliùs impediri.

Quæst. 9. *Appellatio, ad hoc, ut dicatur legitimè facta, quot conditiones debet habere?*

1. ET quidem Primò, necessariò exigitur, ut fit ex gravamine, alioquin nulla erit, *cap. ad nostram,* §. *porrò, de appellat.* Secundò, ut gravamen exprimatur coram Judice à quo, & in ipsa appellatione notetur, *c. ut debitus, & cap. dilecto filio, de appell. & ibid. Glos. verb. propositas coram ipsis:* quod intelligas procedere de jure canonico, & in appellatione judiciali: hoc est, post litis ingressum: secùs verò si fiat extrajudicialiter, ante litis ingressum, tunc enim admittitur, etiam gravamine non expresso, ut patet ex *cap.* 2. *ut lite non contestata,* & ex *cap. ad Romanam,* cum *cap. sequent.* 2. *q.* 6.

2. Tertiò, ut appelletur à minori Judice ad majorem, nam si fiat de majori ad minorem, vel de pari ad parem, erit nulla ipso jure. *cap.* 2. *de consuet in* 6. *cap. Romana, eod. tit. & cap. si contrà unum in fin. de off. delegat. in* 6.

3. Quartò, debet fieri, & interponi infrà decem dies à die scientiæ, & notificationis sententiæ, aliter sententia transit in rem judicatam, & non potest ampliùs infirmari, *cap. quoad consultationem, de sent. & re judic.* cætera autem censentur accidentalia, adeò, ut judicii substantiam non lædant.

Quæst. 10. *Appellatio legitimè interposita: an tollatur per illam Clausulam, omni appellatione postposita?*

1. ROdr. *tom.* 1. *q.* 8. *ar.* 13. cum suo *Comp. resol.* 10. *nu.* 17. respondet, quòd prædicta Clausula, nedum frivolas, verùm etiam & legitimas appellationes aufert; tum quia, qui totum dicit, nihil excludit. Papa enim in suis Rescriptis non dicit, ut Judices procedant in causis, appellatione remota; sed dicit, ut procedant, quacunque appellatione postposita; tum etiam; quia frivolæ appellationes repellendæ sunt de jure; & ad hoc, ut repellantur, non exigitur speciale mandatum: ergò quando D. Papa suis Ministris mandat, ut procedant ad executionem sententiæ, omni appellatione remota, non potest præsumi, quòd voluerit frivolam, à jure valdè remotam, tantum appellationem auferre; & quamvis, appellatione pendente nihil possit innovari, ut dicitur in *ff. de appellat.* hoc tamen fallit in Judice procedente cum prædicta Clausula, quia appellatione rejecta, potest sententiam executioni mandare, & ad ulteriora procedere, *Navar. de appellat. cons.* 3. in 1. edit.

2. Nec his obstat, quòd ea, quæ nobis competunt de jure naturæ, ceu sunt Defensiones, seu Appellationes, Exceptiones, Citationes, Usus donandi, & de rebus propriis disponendi, testimentandi, & similia peragendi, non possunt per Principem abrogari *cap.* 1. *de causa possess. Clement. Pastoralis,* §. *cæterùm, de re judic.* quia hoc fallit in casu publicæ necessitatis, vel utilitatis. Etenim Princeps, ob commune bonum; & publicam pacem potest leges mutare, & à privatis rerum dominia auferre, prout ex multis juribus, & exemplis eleganter ostendit insignis *Doctor Covarr. var. resol. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5.

3. Hinc,

5. Hinc, mirum non est, si interdum Summus Pontifex in *Bullis*, ad favorem Religiosorum expeditis, dicta Clausula utatur: intendit enim, aut pacem Religiosorum, vel commune bonum totius Ordinis, aut quia benè novit, Regulares jus proprium non habere, sed omnia ipsorum, pœnes se residere. Sed quidquid sit de his, Ego firmiter teneo, quòd appellatio rationabilis, ad minus habebit effectum devolutivum, hoc est, totum negotium devolvit ad Principem, cujus officium potest, & debet super hoc implorari, ut injustè gravatis succurrere dignetur. De qua Clausula, & effectibus ejus latè dixi supra in *tractat. de Clausulis Privilegiorum, clausul. 5. par. 1.*

Quæst. 11. Appellationi frivolæ an sit deferendum, & quaenam sit ista?

1. Respondeo, quòd Judex à quo potest, ac debet non admittere appellationem notoriè frivolam, prout expresse habetur in *cap. 5. de appellat. in 6.* ibi, *Cum appellationibus frivolis, nec justitia deferat, nec sit à Judice deferendum.*

2. Tum quia, Judex tenetur imitari justitiam, *cap. forus, in fin. de verb. signif.* quæ justitia meritò frustratorias appellationes rejicit. Nam appellatio non fuit inventa, ut esset iniquitatis defensio, sed innocentiæ præsidium, *cap. ad nostram 3. & cap. cùm speciali 61. §. porrò, eod. tit.*

3. Tum etiam; quia ante sententiam, nulli est integrum appellare; nisi causa gravaminis, *cap. ut debitus honor. 59. eo titul.* ibi, *antè sententiam ad Superiorem Judicem, absque rationabili causa non provocet.* Ergo ubi non est gravamen, non reperitur appellatio; quamobrem, si Judex deferat appellationi frivolæ, peccat mortaliter, *Glossa in d. cap. cum appellationibus, in 6.*

4. Illa autem dicitur appellatio frivola, quæ interponitur sine causa, vel causa est irrationabilis, vel est falsa, *Gloss. ibidem*, ubi subjungit, quòd si Judex à quo injustè admittat dictam appellationem, nedum peccat mortaliter; verùm etiam si Judex appellationis dixerit, malè appellatum, & benè judicatum, non tenebitur remittere causam principalem, at ipsemet cognoscet de merito causæ, quod imputet sibi Judex à quo, ex eo, quòd detulit appellationi frivolæ, & se sponte sua jurisdictione spoliavit. Etenim ipsi Judici à quo relictum est judicium judicandi, an appellatio sit frivola, vel calumniosa. Hinc boni Judices non solent appellationem admittere, nisi cum cautela, incipiendo à negativa, nempè dicendo, *non admittatur, nisi si, & in quantum*, per quam clausulam poterint ad ulteriora procedere, anteaquàm sit eis per Judicem appellationis inhibitum.

Quæst. 12. Appellationi, an sit deferendum in casu dubio?

1. Et dico, quòd à sententia manifestè injusta licet appellare, & quòd sit huic appellationi deferendum, non est, qui dubitet: an autem hoc procedat in sententia dubia, hoc est, de cujus justitia dubitatur; sunt hinc inde opiniones, *Innoc. in cap. delectus 2. de rescriptis*, quem sequitur *Dec.* & citati ab eo in *cap. de priore, num. 1. de appellat.* & *Navar. consil. 4. de appellat. num. 2.* in 1. edit. ajunt, quòd appellatio in casu dubio debet admitti; quia iure naturæ debetur, & semper præsumitur justa.

2. *Suarez tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 11. nu. 10.* dicit, quod in casu dubio est obediendum Prælato, & jus ejus est præferendum, quem sequitur *Sanchez lib. 6. decal. cap. 8. num. 105. in medio*, ibi, *cùm videat Judex appellationem interponi contrà jus, debet in dubio præsumere eam injustam, quia Judex fovet potiora jura.*

3. *Megalius* autem ex multis citatis in sua *praxi cap. 17. num. 7.* ait, quòd etsi in casu dubio sit deferendum appellationi; hoc debet intelligi quoad sententias interlocutorias, & gravamina; quæ fiunt in principio, vel medio causæ, secùs autem quoad sententiam finalem, & diffinitivam; quia in fine causæ potiùs est favendum sententiæ, quàm appellationi; & in dubio, pro sententia est judicandum, ex *l. herennius, §. caia, ff. de evict.* & docet *Bald. in addit. ad Specrlat. in tit. de appellat. col. 2. verb. in dubio potius, & Gloss. cap. cùm ad Sedem, de restit. spol.* quia præsumptio justitiæ semper stat pro sententia.

4. Tu autem, quoad Regulares adverte, quòd Prælati hujusmodi aut corrigunt Religiosos sibi subditos, quoad ea, quæ sunt delicta in Religione, & quæ habent ibidem pœnam taxatam, uti est pœna nobis debita pro fractione silentii inter duo Capitula. Aut quoad ea, quæ sunt delicta, & pœna affecta de jure communi. In primo casu, sive procedatur secundùm Regularem observantiam, sive per modum processus juridici, adhuc potest dubitari de justitia correctionis, & punitionnis, ex duplici capite; nempè, vel quia factum ipsum negatur, quòd sit sufficienter probatum, vel quia arbitraria est pœna à Regula posita, quia si sit determinata, non est capax dubii. Quando dubium sit ex eo, quòd subditus prætendit, factum non esse sufficienter probatum, & Superior fatetur contrarium, in casu, quo procedit sine processu juridico, sed secundùm observantias Regulares; tunc, & eo casu, præsumendum est pro facto Prælati, tum quia aliter nullus Subditorum, aut raro quis corrigeretur quietè, tum quia Religiosus non venit contendere, sed obedire, & ad hoc Voto se adstrinxit. Tum item; quia inter Religiosos hujusmodi correctiones patienter sustinere, non ad injuriam, sed ad ædificationem computatur.

5. Secùs verò dicendum, si procedatur per modum processus juridici ad infligendum pœnam contrà transgressores Regulæ, & per subditum negetur, quòd factũ sit plenè probatum; quia etsi Prælatus oppositum dicat, nihilominus justitia sententiæ justificanda est ex actis, quibus standum est, & ob id datur locus appellationi, cui Prælatus tenetur deferre; tum quia sibi imputandum, quòd elegerit per viam juris, subditum punire, cum aliter secundùm Regulam potuisset illum emendare; tum etiam; quia ex quo elegit modum puniendi, non præfixum à Regula, censetur excedere.

6. In secundo autem casu, hoc est, quoad puniendum ea, quæ sunt delicta, & pœna affecta de jure communi, Prælatus tenetur ea saltem observare, quæ sunt de substantia judicii, ex quo nos in his procedimus simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta. Circà quæ, etiam contingit multipliciter dubitare de justitia sententiæ; an scilicet intervenerint, vel defuerint in actis ea, quæ sunt essentialia judicii? an item ista delicta habeant à jure determinatam pœnam, vel arbitrariam, adeò, ut ex circumstantiis possit pœna minui, vel augeri? & an Judex in tali arbitrio non erraverit?

7. Quapropter, aut sumus in sententia manifestè injusta, & sic potest Religiosus subditus appellare, cum expressione tamen gravaminis, & servatis *Decretis cap. 1. Conc. Trid. sess. 13. de reformat. & c. 20. sess. 24. de reform.* & Judex à quo tenetur huic appellationi deferre, vel gravamen tollere, & suum judicatum reformare.

8. Aut gravamen est dubium, & sic tenetur supersedere, donec infrà legitima tempora, à Judice ad quem fuerit super gravamen justè judicatum.

9. Dixi, à Judice ad quem; quia Judex à quo non potest, nec debet in casu dubio, justitiam, vel injustitiam appellationis declarare, juxtà dispositionem *cap. cum dilectus, il 2. de rescriptis*; sed tenetur expectare, ut dictum est supra.

Quæſt. 13. Appellatione pendente; an innovata ſeu attentata ſint revocanda; & à quo Iudice?

1. AFfirmativè deciditur in *cap. Bona memoria 51. de appellat.* ibi, *in eum ſtatum, in quo tempore appellationis factæ, &c. decernimus, reducendos*, & ita obſervat Praxis utriuſque juris. Etenim per appellationem ſuſpenſa eſt juriſdictio Judicis, qui ſententiam pertulit. *cap. ſuper eo, il 1. de appellat.* & docet *Gloſ. in cap. venientes 19. de jure jurando, ver. poſſeſſionem*, ubi ait, quòd cùm appellatur à ſententia diffinitiva, ſi appellatione pendente fuit mandata executioni, Judex appellationis debet revocare in irritum, quidquid factum eſt poſt appellationem, ſive appellatio ſit juſta, vel injuſta, tum quia, ut dictum eſt ſuprà, beneficio appellationis extinguitur pronunciatum; tum etiam; quia interpoſita appellatione, nihil innovari poteſt, tum item; quia ea executio eſſet in offenſam Judicis appellati, & ipſius judicii, & in damnum ipſius appellantis, prout erudite oſtendit *Didacus Covarr. practicarum qq. cap. 23. in principio*, ubi fatetur, hujuſmodi attentata eſſe omninò revocanda per ipſum Judicem, ad quem fuit appellatum, ex *cap. non ſolùm, de appellat. in 6*. Quamvis, & ipſemet Judex à quo fuit provocatum, poſſit idem agere, etiam ſi ipſe attentaverit, quaſi ejus officium implorari ad revocandum ea, quæ fuerunt appellatione pendente innovata; ex *cap. cum teneamur, de appellat.* & docet idem *Covarr.* cit. *loc. ver. prima igitur interpretatio*, qui eſt omninò videndus, quia ultrà prædicta *ibidem* multa advertit.

Quæſt. 14. Appellatio, an nobis competat de jure naturæ?

1. SYlveſt. multis allegatis *ubi ſuprà q. 1. num. 2.* cui favet *Miranda in d. ordin. judiciario, ar. 2.* reſpondet affirmativè quoad ſubſtantiam appellationis, ſecùs autem, quantum ad formam ejuſdem, & conſtat ex deciſis, nam cùm appellatio ſit quædam naturalis defenſio, ut dicitur in *cap. cùm ſpeciali 61. de appellat.* §. *porrò*, ibi, *cùm appellationis remedium ſit inſtitutum ad præſidium innocentiæ*, at defenſio, nedum propriæ perſonæ, ſed etiam & bonorum convenit unicuique de jure naturæ, ob quod extenditur etiam ad excommunicatos, ut dicitur in *d. cap. cum ſpeciali*; inſuper, & ad Diabolum, qui pariter eſt audiendus in juribus ſuis. Nec poteſt indefenſus puniri; ut dicitur in *l. defenſionis facult. C. de jure fiſci, & in cap. cùm inter, de exceptionibus, & cap. eorum 11. q. 3.*

2. Proinde, nulli eſt deneganda, ſed omnibus concedenda, etiam non petentibus illam, ne fortè Rei culpabiles dicant, ſe indefenſos condemnari, contrà jus naturæ; & conſtat ex illo *Actuum 25.* ubi *Apoſtolus* Cæſarem appellavit, & Feſtus Judex ſolo lumine naturali ductus cognovit, huic appellationi eſſe deferendum, & nullatenus ſibi fore negandum refugium, cunctis mortalibus à natura conceſſum. Hinc dixit, *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*, & ad effectum hujuſmodi omnia conceſſit, permiſit, & adaptavit. Quia ſi factum ſit tale, ut in illo cadere poſſet aliqua defenſio, vel excuſatio, licet non allegetur, debet Judex ſtatuere Reo competentem terminum ad ſe defendendum, nec non & Advocatos, & Procuratores, per quos ſe defendere valeat. Item & copiam repertorum, & omne aliud, & quidquid poſſit eſſe utile, aut neceſſarium ad defenſionem prædictam; quia uno alicui conceſſo, cenſentur illi conceſſa omnia, ſine quibus ad illud pervenire non poteſt, *l. Illud, ff. de acquir. hær. & cap. præterea, de off. delegat.*

3. Dixi, ſecùs quantum ad formam ejuſdem, quia forma, ſeu ſolemnitas appellationis, nempè quòd fiat hoc vel illo modo, infrà tot dies, eſt de jure poſitivo, ut advertit *Sylv.* cit. *loc.* & probatur ex *l. unica, C. de ſent. Præfect. prætor.* nam antiquitus reddebatur Jus manu Regia, neque inventæ erant ſolemnitates appellationum, judiciorum, & ſimilium, & patet ex *ff. de origine juris*: quapropter certum eſt, quod Summus Princeps poteſt tollere, vel immutare formam appellationis, non autem ſubſtantiam illius; quia, ut dictum eſt, ſubſtantia appellationis nobis competit de jure naturæ, ſolemnitas verò de jure poſitivo humano, prout expreſſè dicitur in *Clem. Paſtoralis, de re judicata*, & docet expreſſè tis *Covar. in Pract. qq. cap. 23. num. 6.*

Quæſt. 15. An liceat judicium per appellationem declinare?

1. DIvus *Thom. 2. 2. q. 69. ar. 3.* cui ſubſcribunt omnes *ibidem Thomiſtæ, & Sot. de Juſt. & Jur. lib. 5. q. 6. ead. ar.* in quo diſputat ad partes, reſpondet, quòd ſic, ſi Reus appellet, confidentia juſtæ cauſæ. Quia ſcilicet injuſtè à Judice gravatur, hoc enim fit prudenter, & eſt deciſio *c. omnes oppreſſus 2. q. 6.* ibi, *liberè Sacerdotum*, ideſt Epiſcoporum, *ſi voluerit, appellet judicium, & à nullo prohibeatur.* Quod item eſt certum naturæ lumine; nam ratio naturalis dictat, ut unuſquiſque ſe, & ſua bona defendat, eo modo, quo poteſt.

2. Nec his obſtat obedientia, qua quis tenetur obedire; quia nemo tenetur obedire Inferiori, niſi quatenus ille Superiori ſubalternus eſt; eſt enim Judicum ordo, ſicut cauſarum naturalium, quarum una in ſuis influxibus, alteri eſt ſubdita, ſed Judex inferior, dum aggravat, & exorbitat, & recedit ab ordine Superioris Judicis, qui voluit, & vult, neminem gravari, nec alicui præjudicium fieri, prout *D. Thom. ubi ſuprà, in reſponſione ad primum*, ubi docet, quòd in tali caſu non tenemur inferiori Judici obedire, ſed ab eo poſſumus ad Superiores appellare.

3. Secùs autem, ſi aliquis appellet cauſa afferendæ moræ, ne contrà eum juſta ſententia proferatur, hoc enim eſt calumnioſè ſe defendere, quod eſt illicitum, quia ſic faceret injuriam, & Judici, cujus officium impedit, & Adverſario ſuo, cujus juſtitiam, quantùm poteſt, perturbat: quamobrem venit puniendus, juxtà *cap. omninò 27. cauſa 2. q. 6.* ibi, *omninò puniendus eſt, ut quoties injuſta appellatio pronunciatur*, ubi *Gloſſa* ſubnectit, *quòd injuſtè appellans efficitur infamis, & punitur in expenſis, ut in d. cap. omninò*, & ſecundùm leges civiles, litem perdit, & punitur in 50. libris argenti, *C. quorum appellat. non recip. l. ab executore.*

4. Verum, pœnas dicti *cap. omninò*, vel legum civilium non tenetur appellans abſolvere, niſi condemnatus, ſecùs autem damnum; quod paſſus eſt Judex, & Pars adverſa ob talem appellationem; quia abſque declaratoria Judicis tenemur in foro Poli ad reſtitutionem damni illati, *Bannes in Comm. d. ar. 2. 2.*

Quæſt. 16. Appellare; an liceat à ſententia lata ſecundum opinionem probabilem, omiſſa probabiliore?

1. REſpondeo, quòd ſic; tum quia Judex in judiciis dicendis tenetur ferre ſententiam ſecundùm opinionem probabiliorem, etiam ſi altera ſit probabilis; *Sotus lib. 3. de juſt. & jur. q. 6. ar. 5. in reſponſ. ad quartum*, tum etiam; quia ſuppoſita opinione illorum, qui tenent, quòd Judex licitè poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, adhuc Reus poteſt appellare confidentia juſtæ cauſæ, *D. Tho. 2. 2. quæſt. 69. ar. 3. & ibi Bannes dub. 1.*

2. Nec ita appellans imponit falſum crimen Judici inferiori; ſed tantùm objicit, quòd in judicando ſit ſecutus opinionem probabilem, & quòd vult hoc examinare in Superiori Tribunali, ut ſua juſtitia clarior fiat, ob quæ juſtitia Partis adverſæ minimè læditur, nec turbatur.

3. Am-

3. Amplia, hoc totum procedere, etiam si opiniones circà jus sint æquè probabiles, & nullus sit in possessione, *Bannes*, cit. *loc.* Hinc *Covarr. variarum resolut. lib. 2. cap. 12. nu. 5.* facit Theoricam universalem, ut liceat appellare ab arbitrio Judicis, etiam, quoties aliquid fit ejus arbitrio commissum, qui est omninò videndus; quia eruditè loquitur, & multa adducit, ob quæ cadunt adversariorum fundamenta, de quibus *Farinac. 1. par. q. 17. de accusatione, num. 17. & sequen. Gomez tom. 3. variar. cap. 1. num. 63. & Mascardus lib. 2. de probat. conclus. 696. num. 8. & 9.*

Quæst. 17. Appellare pro communi, vel particulari bono, an possit quilibet de Capitulo?

1. RESpondeo, quòd pro bono communi hujus, vel illius Monasterii, singuli possunt appellare, prout expresse habetur in *cap. ut circà 4. de elect. in 6.* ibi, *ut si quando aliqui electionibus, postulationibus, vel provisionibus se opponunt*, ubi *Glossa* subnectit, *aliqui*, hoc est, quorum interest, & subjungit, quòd Romana Curia, quemlibet Clericum de Diœcesi, vel Civitate admittit contrà electum Episcopum, sive Beneficiatus sit, sive inde oriundus, si vult objicere in personam, contrà autem formam solos Canonicos admittit.

2. Et infrà *cap. qui contrà 20. eodem tit.* ubi *Glossa* ait, quòd appellare potest quilibet contrà personam certam, & incertam, & quòd dispositio *d. cap.* habet locum, tam in electione sequuta, quàm in electione facienda; nam habere bonum Prælatum redundat, nedum in commune bonum Ecclesiæ, verùm etiam & particulare, nempè, in ipsum appellantem, facit ad hoc *lex non tantùm, ff. de appellat.* qua dicitur, ut etiam extraneus possit appellare pro damnato ad mortem, & si hoc extraneus potest facere, multò magis quilibet consanguineus damnati, de quo *Jul. Clar. in practic. criminal. q. 94. num. 4.*

Quæst. 18. In quibus causis liceat appellare?

1. RESpondeo, quòd regulariter loquendo, sicut omnibus personis licitum est appellare, ex *l. à sententia, ff. de appellat.* ita & ipsa appellatio interponi potest in omnibus causis, tam civilibus, quàm criminalibus: ni aliàs reperiatur expresse prohibita. Et est decisio *l. litigatoribus, & l. in majoribus, C. de appellat.* exceptis quibusdam casibus, qui habentur in *l. observare C. quorum appell. non recip.* de quibus latè *Sylv. ver. appellare q. 5. Paz* in sua *praxi tom. 1. par. 6. in proœmio, num. 17. Prosper* Farinacius *p. 3. q. 101. Glos. in l. qui restituere, ff. de rei vendicat. & Maranta de ordine judiciorum, p. 6.* sub *tit. de appellat. nu. 267.* quos sequitur *Miranda eod. tit. q. 29. ar. 6. num. 57.*

2. Sed hodiè respectu Ecclesiasticorum debet observari *Decretum cap. 1. sess. 13. Concil. Trid. de reformat. in fin.* ibi, *statuit, & decrevit, in causis visitationis, & correctionis, sive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario Generali, ante diffinitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur, nec Episcopus, seu Vicarius appellationi hujusmodi tanquam frivolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis Judice emanata, nec non omni stylo, & consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus Sacrorum, & antiquorum Canonum Statuta illibata persistant*, hæc ibi. Et *sess. 24. cap. 20. de Reformat.* ibi, *neque appellationes ab eisdem interpositæ per Superiores quoscunque recipiantur, eorumvè commissio, aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat* hæc ibi.

3. Ex quibus infertur, quòd ex vi *Concil. Trident.* Primò licet appellare à sententia definitiva, hoc est, ab illa, quæ decidit negotium principale, in judicium deductum.

4. Secundò, ab habente vim definitivæ, uti est illa, quæ definit unum articulum substantialem causæ, vel totum negotium perimit, licet per indirectum, ut si quis repellatur ab agendo per aliquam exceptionem, juxtà *textum cap. licet, de except.* & advertit *Hostiens. in summa de appellat. numer. 2. & Stephan. Quaranta in summ. Bull. ver. Archiep. authoritas, in fin. Decret. Sacr. Congregat.*

5. Tertiò, à gravamine, quod per appellationem à definitiva reparari non potest, ceu est illa sententia interlocutoria; in qua gravatus, & si obtineat in diffinitiva, adhuc non desinit esse læsus, ut Tortus, vel Carceratus, aut ad Triremes damnatus, *Bald. l. 2. nu. 5. C. de Episcopali Audientia, & Quaranta ubi supra.*

Decreta Sacræ Congregationis, edita jussu Clem. VIII. in materia appellationis, sunt tenoris sequentis.

§. 1. *AD tollendas ambiguitates, & controversias jurisdictionales, quæ inter appellationum, & prioris instantiæ Judices non sine partium dispendio, cursusque justitiæ impedimento, & sæpè cum scandalo oriuntur, Sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, facta priùs relatione Sanctiss. D. N. Clementi Papæ VIII. ac de Sanctitatis Suæ mandato vivæ vocis oraculo desuper habito in hunc, qui sequitur modum ab omnibus, ad quos spectat in posterum fieri, ac servari debere mandavit, & mandat.*

§. 2. *Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, aut Patriarchæ in Suffraganeos, eorumve Subditos non judicent, nisi in casibus à jure expressis.*

§. 3. *Iidem, nec alii Superiores etiam Nuncii, vel Legati de latere, specificam facultatem majorem non habentes, causas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum inferiorum Judicum pendentes ad se non avocent, nisi per viam legitimæ appellationis ad ipsorum Tribunalia deferantur, tuncque appellantes ab inferiorum jurisdictionibus, quoad alias causas eximere non possint.*

§. 4. *Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, priùs constiterit appellationem à sententia diffinitiva, vel habente vim diffinitivæ aut à gravamine, quod per diffinitivam sententiam reparari non possit in casibus à jure non prohibitis, per legitimam personam, & intrà debita tempora fuisse interpositam, ac propositam, ac prosequutam.*

§. 5. *Nec, dum causa coram inferioribus Judicibus pendent ante diffinitivam sententiam, vel vim diffinitivæ habentem, de gravamine illato Superiores cognoscere valeant, licet citrà præjudicium cursus causarum se id facere contestentur, nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, ut ipsis copia processus transmittatur etiam expensis appellantis.*

§. 6. *Inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur, receptam non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti diffinitivi, aut vim diffinitivi habentis, vel damnum per diffinitivam irreparabile continentis, aliàs inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcunque sint, ipso jure nulla, eisque impunè non parere liceat.*

§. 7. *Si appellans asserat, sententiæ, aut appellationis exemplum culpa Judicis à quo, vel Actuarii habere non posse, non ideò recipienda erit appellatio aut aliqua inhibitio concedenda, sed eis tantùm, ad quos pertinet, injungi poterit, ut soluta condigna mercede, actorum exemplum authenticum appellanti intra brevem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen Iudex à quo, ne si verè appellatum fuerit in casu appellabili, interim aliquid in præjudicium appellantis attentet, & si per actum publicum, aut per testium depositiones constiterit, acta denegari*

gari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit Judex appellationis adjicere, ne interim aliquid novi contra appellantem attentetur.

§. 8. *Ab exequutione Decretorum S. Conc. Trid. aut visitationis Apostolicæ appellationes à Metropolitanis non recipiantur, nec si Episcopi virtute ejusdem Sacri Concilii procedunt, ut sedis Apostolicæ Delegati in causis, quæ sub eorum jurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu Legatorum, & Nunciorum Apostolicorum authoritate.*

§. 10. *In causis verò visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantùm admittantur, nisi de gravamine per diffinitivam irreparabili agatur, vel cùm Visitator, citata parte, & adhibita causæ cognitione judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum.*

§. 10. *Cùm à gravamine, quod per diffinitivam reparari nequit, ut indebitæ carcerationis, vel torturæ, aut excommunicationis, etiam comminatæ appellatur, non nisi visis actis, ex quibus evidenter appareat de gravamine, appellatio admittatur, aut inhibitio, vel provisio aliqua concedatur.*

§. 11. *Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur carcere permanebit, quoad Judex, ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita aliter decreverit, & tunc si à Judicis ad quem decreto, vim diffinitivæ habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per Judicem superiorem aliud fuerit ordinatum.*

§. 12. *Acta originalia processuum primæ instantiæ ad Judicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspicio incidat, quæ judicialiter objiciatur, & tunc terminata causa, remittenda sunt ad Ordinarium, ut in suo Archivio conserventur.*

§. 13. *Censura Ecclesiastica, in appellantem prolata relaxari, aut nulla declarari per Judicem appellationis non possit, nisi auditis partibus, & causa cognita, tuncque si constiterit eam justam esse, ad judicem, qui excommunicavit, appellans remittendus est, ut ab ipso juxtà sacros Canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitàmque emendationem præstiterit, obtineat; si verò, injustam esse clarè appareat, Superior absolutionem impendat, si dubitetur, honestius est, ut ad excommunicatorem intrà brevem aliquem competentem terminum, eidem præfigendum absolvendus remittatur, licet etiam Superior hoc casu, id ipsum per se præstare jure possit.*

§. 14. *Absolutio ad cautelam, non nisi parte citata, & visis actis, cùm dubitatur de nullitate excommunicationis, ab homine prolatæ, vel à jure, si occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, concedenda erit, tuncque ad tempus breve cum reincidentia, & præstita per excommunicatum cautione, de stando juri, & parendo mandatis Ecclesiæ tantùm, & si juxtà formam, à jure præscriptam apparebit, quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem præstare, & si ob contumaciam manifestam, expensas pariter satisfacere, & cavere de Judicio sisti coram excommunicatore quis tenebitur, priusquam ad cautelam absolvatur.*

§. 15. *A sententia etiam diffinitiva contrà verùm contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitio, aut alia quævis provisio, quandiu appellans in hujusmodi vera contumacia persliterit, concedatur. Romæ in Sacra Congregatione die 16. Octobris 1600. Alex. Cardin. Floren. Hier. Agucchius Secret.*

Et referunt per extensum *Stephanus Quaranta in summa Bull. ver. Archiepiscopi authoritas, pag.* mihi 68. *Piasec. p. 2. Praxis Episcopal. cap. 4. nu. 101. Riccius 1. p. Praxis appellat. decis. 504. & Barbosa in collect. ad cap. 1. Conc. Trid. sess. 13. de reformat.*

Quæst. 19. Appellare à Judice communiter electo, an sit licitum?

1. REspondeo, quòd qui consensit in Judicem aliquem, propter personæ vitium, vel scientiæ defectum, appellare non potest. Secùs autem, ob gravamen sententiæ, nempè, quia modum excessit, aut ordinem judiciarium non servavit; & habetur expressè in *cap. super quæstionum 27. de off. Jud. deleg.* ibid. *Dummodò de partium deputetur, vel recipiatur assensu*; & *cap. ad petitionem 22. de accus. & cap. 33. 2. q. 6.* ibi, *à Judicibus, quos communis consensus elegerit, non liceat provocare.* Ubi *Glossa* multa tractat de Arbitris, & Arbitrariis, & eorum speciebus. Et ratio esse potest; quia, quod semel placuit, ampliùs displicere non potest; *De regul. juris in 6. regula* 21.

2. Quod magis procedit, si Judex electus, & admissus, incœperit suum exequi officium, quia jurisdictio semel incepta, perseverat, & Judicium ubi inceptum, ibi debet terminari; quandoquidem non potest Judex præjudicari in jure quæsito, nec illo, sine gravi causa noviter adveniente privari.

3. Proinde, Regulares, Visitatorem sibi Delegatum, ubi semel admiserint, & ille incæperit visitare, non ampliùs possunt, intuitu suspicionis, eum à Visitatione repellere, vel è Conventu ejicere; prout expressè deciditur in *d. cap. ad petitionem*, ubi Dominus Papa Abbatem à Regimine Abbatiæ, per Visitatorem remotum, dicit, *benè fuisse absolutum, & per eundem malè appellatum, ex quo Visitator delegatus, præsente, nec reclamante Abbate, super statu Monasterii cæpit inquirere diligenter.* hæc ibi.

Quæst. 20. Appellatio interposita à sententia lata in Judicio possessorio, an habeat effectum suspensivum?

1. ILlustrissimus Doctor *Covar. in cap. 23. practic. qq. num. 8.* quem sequuntur Decisiones Sac. Conc. Neap. adductæ per *Joann. Bapt. Thoro in Aur. Comp. Decis. hujus Regni, ver. Appellatio* respondet negativè, secus autem quoad effectum devolutivum, & habetur in *l. unica, C. si de moment. poss. Bart. l. 2. ff. de appell. recip. num. 6.* & docet de praxi *Afflict. decis. 269.* & alii plures, quos allegat *ibidem* idem *Covarr.* ubi non diffitetur ponere discrimen quoad hoc, inter jus Cæsareum, & Pontificium. Vide illum.

Quæst. 21. Appellatio in notoriis, an suspendat judicatum?

1. F*Arinac. 1. p. q. 21. de accusat. num.* 117. multis allegatis, respondet negativè; quia, juxtà Regulam *Doctorum*, in notorio, per evidentiam facti non datur appellatio, & est decisio *cap. cùm sit Romana 5. de appellat. §. prætereà*, ibi, *nisi fortè manifestus Raptor, vel Fornicator existat.* ubi *Glossa* rationem reddit; quia in notoriis non admittitur appellatio, & *cap. pervenit ad nos, eod. tit.* ibi, *si eorum excessus publicus non sit, & notorius*, & *cap. Romana 3. de appellat. in 6. § si autem post sententiam*, ibi, *in casibus à jure prohibitis*, utpotè super notorio crimine, ob quæ, etiam si in dictis interponatur appellatio, hac non obstante, potest Judex ad suæ sententiæ exequutionem procedere. Et hujus ratio esse potest, tum quia appellatio est introducta, ut Judicantis iniquitas corrigatur; *l. 1. in princ. ff. de appellat. & cap. cùm speciali, §. porrò, de appellat.* ibi, *introducta est in præsidium innocentiæ, non autem in defensionem iniquitatis*, in delicto autem notorio, nec iniquitas Judicantis est corrigenda, nec in præsidium innocentiæ est appellatio necessaria. Tum etiam; quia in notoriis judiciis pronunciatio non propriè sententia est, sed quædam juris exequutio, ut notat *Innoc. in cap. ex parte, il primo, de verbor. signif.*

2. Ab

2. Ab exequutione autem juris regulariter appellari non potest, *l. ab executione, C. quor. appellationes non recipiuntur, l. ab executore ff. de appellat. cap. quoad consultationem, de re judic.*

3. Nihilominùs, Judex debet diligenter advertere, an factum sit verè notorium, ita ut Reo culpato nulla competat defensio, de quo vide, quæ dico in *tract. de exceptione. q. 47. & seq.* Nam discussâ causâ defensionis, si repertum ac judicatum fuerit, prædictum Reum esse inexcusabilem, ob notorietatem facti; juxtà praxim suprà positam, procedendum est ad prædictam condemnationem, à qua non potest appellari: dummodò hæc condemnatoria sententia sit lata, juxtà determinationem juris: quandoquidem multa sunt crimina, quæ habent à lege taxatam pœnam, quam juxtà si Judex protulit sententiam, non potest dici, quòd inique egit, dum verè, & realiter est juris exequutor.

4. At si Judex determinatam à jure pœnam excedat, aut si illa sit arbitraria, & Judicis arbitrium sit nimis severum, & acerbum: Tunc à tali sententia, absque ullo dubio potest appellari, prout expresè dicitur in *d. l. ab executore, C. quor. appell.* ibi, *nisi fortè exequutor sententiæ modum judicationis excedat.* quod pariter procedit, si in processu causæ ordo juris servatus non fuerit; vel si ex sententia non appareret, quòd Judex reum condemnasset de crimine notorio, & Judex tenetur his appellationibus deferre.

5. Benè verum est, quòd in his omnibus, & singulis Reus notoriè criminosus, dum à condemnatoria appellat, in d. sua appellatione debet exprimere causam suæ appellationis: secùs autem Judex, à quo appellatur, appellationi deferre non tenetur; sed potest ante inhibitionem sibi factam à Judice ad quem, sententiam suam exequutioni mandare, ut docet *Glos. in dict. cap. Romana, § si autem, de appellat. in 6. ver. mandetur*, ubi jura allegat, & vice versa, si appellatio sit facta à Reó notorio, diffinitivè damnato, cum expressione legitimæ causæ, non solùm valet, & transfert causam ad Judicem superiorem; verùm etiam & suspendit judicatum, *Farinac.* cit. *loc. nu.* 126. 127. & 128. ubi advertit, quòd etsi à sententia facti notorii non possit appellari: potest tamen Reus appellare à declaratione, qua Judex pronunciavit, crimen esse notorium. Item, à non admissione exceptionum, quæ contrà notorium opponebantur; Item, ab ordine juris non servato, vel ab excessu pœnæ, vel modi infligendi illam, ob quæ omnia sentit se gravatum, cui inhæret *Miranda p. 2. de ordine judiciario, q. 29. ar. 6. conclus. 3. num. 65. & seq. & Marcell.* in sua *praxi criminal. Canon. cap. 4. num. 10. & 22.* ubi ponit formam sententiæ condemnatoriæ pro delicto facti notorii, reo præsente.

Quæst. 22. Convicti, & spontè confessi: an possint appellare?

1. DE communi sententia omnium *Doctorum Covarr. practicarum qq. cap. 23. nu. 5.* inquit, quòd convictus, simul & confessus, non auditur appellans, nec à Judice, qui sententiam pronunciavit, nec ab eo, ad quem provocatum est. Quæ quidem conclusio de jure admittenda est, tam in civilibus, quàm in criminalibus, & habetur expresè in *l. 2. C. quorum appellationes non recipiuntur. & in cap. Romanæ Ecclesia 3. de appellat. in 6. §. si autem*, ibi, *à sententia super notorio crimine, vel de quo quis in jure confessus extiit:* quæ verba *ibid. Glos.* examinans, dicit, quòd tria concurrere debent, ad hoc, ut in crimine non debeat appellari, scilicet, quòd sit confessus, testibus convictus, & argumentis superatus; & nisi omnia ista tria concurrant, reservatur condemnato beneficium appellandi.

2. Dixi, in jure; quia aliter Rei confessio non præjudicat, *Glos. ibid.* secùs autem est dicendum, si sint convicti tantùm, non autem confessi, vel confessi, non tamen spontè, sed vi, aut formidine tormentorum territi, ut habetur in *d. l. 2.* & docet *Glos. in d. c. Romana, ver. vel de quo:* quia in isto casu possunt appellare, & eorum appellatio est deferenda, & suspendit, & transfert cognitionem causæ ad Superiorem Judicem, *Farin. p. 3. q. 101. nu. 114. & sequent.*

3. Quæ quidem Decisio, non solùm habet locum in illis quinque criminibus, *in d. l. expressis*, nempè in Homicidio, Veneficio, Maleficio, Adulterio, & manifesta Violentia; verùm etiam in omnibus aliis, in quibus Reus fuerit simul confessus, & convictus; quia sic appellans non auditur, *Glos. in d. l. 2. ver. propria*, & hodiè adest *Constitutio Pii V.* quæ incipit. *Cùm sicut*, edita sub anno Domini 1566. & est *vigesima quarta* inter *Constitutiones* ejusdem, & refert *Barbosa in Collect. Bullar. ver. appellare. Miranda* cit. *loc. ar. 6. conclus. 5. num. 68. Megal.* in sua *Praxi Crim. Canonica. cap. 17. num. 11. P. Franciscus Aretinus* in sua *Pract. Crim. cap. 10. ver. Cæterum*, & idem *Barbosa in Coll. sup. Conc. Trid. cap. 1. de refor. sess. 13. num. 3.*

4. Et ratio esse potest; quia nulla major probatio, quàm proprii oris confessio, maximè in jure habita cum prævio juramento; tum etiam, quia convictus, & contessus, nullam habet causam excusantem; unde licet appellet, non ob id impeditur sententiæ exequutio.

Quæst. 23. Si legitimè convictus torqueatur, & neget, an debeat licentiari?

1. HÆc quæstio est gravis, de qua ad partes eruditè disputat *Covar.* cit. *loc. in fine primæ quæstionis*, ubi tandem per *textum l. qui sententiam, C. de pœnis*, multis citatis concludit, posse quem, legitimis probationibus convictum damnari pœna supplicii corporalis, & ordinaria; quamvis non fateatur ipse convictus, crimen commisisse. Et hoc ideò, quia si legitimis probationibus quis sit convictus, utique potest ex his justè pœna ordinaria damnari; nec ex hoc plenè convictus, est absolvendus, quòd aliqua ex causa, tormentis, & quæstionibus fatigatus, noluerit crimen confiteri: etenim hoc nullibi in jure probatur, *Afflictus*, post multos in *Constit. Regni lib. 2. rubric. 10. num. 28. & Felin. in cap. ad nostram, de probat.* Unde fit, ut Judex omninò expendere debeat probationes ipsas, earumque vim, & authoritatem; an sit legitimè, plenè, & integrè probatum delictum, & secundùm hoc judicare.

2. Perinde, boni Judices solent convictum torquere, non ob confessionem criminis; sed ad sciendos socios, & fautores, *Covar. ubi suprà*, & quòd hi torti teneantur fateri veritatem, docet *D. Tho. 2. 2. q. 69. ar. 1.*

Quæst. 24. Appellatio an fieri possit à Reo reperto in fragranti crimine?

1. CLar. lib. 5. § final. Pract. crim. q. 8. nu. 2.* dicit, quòd deprehensio in crimine, non facit plenam probationem; sed tantummodò operatur, ut Reus possit torqueri: hinc Judex debet advertere, ne statim procedat ad executionem contra eum, nisi aliter etiam constet, tale delictum fuisse ab eo commissum, quibus si accedat propria confessio, in tali casu procedetur, sicut dictum est de confessis, aut convictis, vel notoriis, de quibus latè *ibid. Jul. Clar. q. 9.* & infrà *q. 94. ver. solet autem dici*, & in *Additionibus* ejusdem *nu. 19. fol.* mihi 694. *Farin. n. 154. & Mirand.* cit. *loc. n. 67.*

Quæst. 25. Appellare, an liceat ab iniusta carceratione?

1. Affirmativè dic, & constat ex Decisis, tum quia injusta carceratio est gravamen irreparabile; tum etiam, quia ita Sacra Congregatio declaravit, & habetur in supradictis *Decretis*, editis jussu *Clem. VIII.* §. 10.

2. Unde, etiam post decem dies potest ab eo appellari; quia Carcer semper aggravat, *Genuens. ubi supra, nu.* 12. Verùm, Carceratus, usque dum à Judice ad quem non fuerit aliter inhibitum, debet in carceribus perseverare.

Quæst. 26. Appellari an possit à Decreto torturæ?

1. Respondeo, quòd regulariter non solùm est permissum appellare à Decreto torturæ; verùm etiam, & à comminatione ipsius, & Judex debet supersedere, juxtà quotidianam Praxim omnium Curiarum; & hoc ideò; quia tortura infert damnum, & gravamen inreparabile; nam post brachiorum, ac ossium fracturam, vel laxationem, quid operatur appellatio? erit utique infructuosa, & sine medela; & habetur expressè in *l. 2. ff. de appellat. recip. & in cap. 1. sess. 13. Conc. Trid. de Reformat. in fin. & sess. 24. de Reformat. cap.* 20. & in *Decretis* Sacræ Congregationis editis in materia appellationis, & supra relatis.

2. Et ita pro Laicis refert *Gramat. super cap. Regni fol.* 133. *num.* 4. *Caravit. in Ritu* 259. *num.* 14. *& Jul. Clar. lib.* 5. *§ final. q.* 64. *nu.* 26.

3. Et pro Ecclesiasticis, ad praxim latè *Prosper Farinac. in tit. de indit. & tortur. q.* 38. *num.* 15. *Navarr. Consil.* 2. *de appellat.* in 1. edit. *Riccius* post allegatos 1. *p. Praxis, tit. de appellat. decis.* 516. in prima edit. & *Barbosa in Collect. Doct. ad d. cap. Tridentini, num.* 8. quippè qui uno ore fatentur, quòd hujusmodi appellatio ligat manus Judicis, & devolvit totam causam ad Judicem ad quem, adeò, ut Judex à quo debeat abstinere, etiam non habitis literis inhibitorialibus.

4. Dixi, à comminatione torturæ; quia non solùm possumus appellare à præsenti gravamine, sed etiam à futuro, nempè ab illato, & inferendo, ut pluries dictum est.

5. Dixi, regulariter; quia Curia Archiep. Neapol. teste *Genuens.* in sua *Praxi, cap.* 70. *de appellat. num.* 17. non solet admittere appellationem à tortura, quamvis contineat præjudicium irreparabile, & quòd videatur contra Jus; quia existimat, illam frivolam, & calumniosam, cui non est deferendum, juxtà Decisa. Et meritò; quia Curia Archiepiscopalis prædicta, nunquam procedit ad torturam, nisi ex gravissimis causis, & manifesta sint indicia contra Reum torquendum, Nec fit tale decretum, nisi à Viris prudentissimis, ac optimæ conscientiæ.

6. Pro qua Praxi videatur *Franch. decis.* 145. *num.* 4. *Afflict. decis.* 391. *nu.* 20. *& D. Reg. Carol. Tapia in Annotat. ad cap. Regni, Si cum sceleratis, num.* 1. *& § item attento, nu.* 2. qui ajunt, quòd etiam ex solo processu informativo potest procedi ad torturam, dummodò hoc petat gravitas delicti, qualitas personæ, & quòd adsint indicia sufficientia, & quòd ubi quis appellat à decreto torturæ ad Sacrum Cons. discutiuntur tria prædicta tantùm, prout decisum refert *D. Thoro in Compend. decis. Regni, tom.* 1. *ver. appellatio regulariter.*

Quæst. 27. Appellatio interposita post sententiam censurarum; an habeat effectum suspensivum?

1. Negativè deciditur in *cap. is, cui* 20. *de sent. excom. in* 6. ibi, *sanè sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ingressu Ecclesiæ lata, suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur.*

2. Et hoc ideò; quia excommunicatio secum trahit executionem, prout expressè habetur in *cap. Pastoralis* 54. *de appellat. §. verùm in fin.* Quod est peculiare in omnibus censuris. Et hoc multiplici de causa, & eo maximè, ex constitutione Ecclesiæ, nempè, ut magis timeantur, *Glos. ibidem, ver. cùm executionem*, vel quia excommunicatio lata censetur executioni mandata; & à sententia effectuata non datur appellatio.

3. Secùs autem dicendum, si appellatio interponeretur antè sententiam; quia sic operatur utrumque effectum, hoc est suspensivum, & devolutivum, prout pariter deciditur in *dict. cap. Pastoralis.*

4. Proinde, excommunicatus post legitimam appellationem non est evitandus, ex *cap. licet, de senten. excom. in* 6. *& d. cap. Pastoralis.*

5. Verùm, si excommunicatus nominatim, specialiter, & expressè infrà tempus à jure, vel à Judice determinatum, appellationem non fuerit prosecutus, ut debuit, eo elapso, poterit publicè excommunicatus denunciari & tunc erit evitandus, tàm in judicio, quàm extrà, & ab omnibus actibus legitimis removendus, ex *d. cap. licet*, & notat *Tabiena ver. appellatio, num.* 7.

6. Qui quidem sic denunciatus, si post prædictam denunciationem, & desertionem appellationis celebret, & se Divinis ingerat, non efficitur irregularis, secundùm *Archid. in dict. cap. licet*, quem sequitur *Geminianus*; quia per appellationem legitimè positam ante sententiam, excommunicatio fuit suspensa, & licet postmodum denuncietur excommunicatus; non tamen excommunicatur, nec verè est excommunicatus, *Tabiena* cit. *loc. num.* 6. *& ibid. Armilla, num.* 7. ubi mussitant de hoc.

Quæst. 28. Appellari an possit à Declaratoria excommunicationis?

1. Respondeo, quòd quamvis à pœna, & sententia legis non possit appellari, *l. si qua pœna, ff. de verb. signif. & in cap. quia nos* 32. *de appellat. & ibi Glos. ver. in communi capit. in fin.*

2. Nihilominus licet appellare à declaratione pœnæ legis, & consequenter à declaratoria excommunicationis, seu alterius censuræ; quia hæc non est sententia juris, à qua non licet appellare, ut dictum est, sed Judicis declarantis, quæ est sententia hominis, qui quidem potest in ea errare, & consequenter competit Reo jus se defendendi.

3. Unde potest appellare, etiam ad effectum suspendendi eam; ita, quòd appellatione pendente, nihil eidem obsit, *Navar. lib.* 5. *de sent. excomm. cons.* 20. in 1. edit. multis citatis *nu.* 5. *Panor. cap. pervenit de appellat. & Glos. singul. in cap. cupientes* 16 *de elect. in* 6. *§. quòd si post viginti dies, in ver. privatos*, ibi, *si autem Judex datus à Papa pronunciat, electum incidisse in hanc constitutionem, si constat eum non incidisse, vel est dubium, admittetur ejus appellatio*, quam *Glossam* sequitur *Sylvest. num.* 7. *Tab. num.* 8. *Armill. nu.* 10. *ver. appell. Miranda* cit. *loc. ar.* 6. *conclus.* 3. *num.* 61. *Portell. in dub. eod. ver. num.* 7. *Peyrinus tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 20. *pag.* mihi 57. *col.* 1. *ver. dices, Bonacin.* multis allegatis *de censuris disputat.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *& Lezana d. appell. num.* 11.

4. Et ad hanc declarationem faciendam, est omninò necessaria citatio partis adversæ; nempè, ad dicendum causam, quare non debeat declarari, incidisse in pœnam Canonis: secùs autem declaratio erit nulla, & est expressa determinatio *Rotæ Rom. decis.* 3. *de litis contestat. in novis*, ibi, *si petatur quis per Ordinarium declarari incidisse in Canonem si quis suadente* 17. *q.* 4. *quia percussit Clericum, ad finem, quòd denunciaretur publicè excommunicatus, & evitaretur à Christi fidelibus, non requiritur litis contestatio*

contestatio; *quia licet Ordinarius, qui est exequutor Canonis, debeat parte vocatâ & cum causæ cognitione summariè procedere, & de hoc inquirere, ut legitur & notatur de cens. cap. præsenti, & de pœnis, cap. 1. super vers. commodè, tamen quia hic nihil petitur adjudicari, vel auferri; tum etiam, quia petitur exequitio sententiæ, jam latæ per canonem, tum etiam propter periculum animæ, scilicet communionis, &c.* & refert per extensum *Alphons. de Leone recoll. 5. de censuris, pag.* mihi 496. *num.* 678. *& in recollectione 3. de offic. & potestat. Parochi, num.* 117. ubi refert aliam *decisionem* ejusdem *Rot. Rom.* nempè *vigesimam, de sent. excomm. in antiquis.*

5. In quibus verbis nota illa, *quia licet Ordinarius, qui est executor Canonis, debeat parte vocata, & cum causæ cognitione summariè procedere, & de hoc inquirere, &c.*

Ex quibus collige, quod pro declaratoria, quamvis non sit necessaria monitio Canonica, nempè triplex, vel una pro tribus: tamen omninò requiritur citatio, *Clem. sæpe, §. non sic, de verb. signif.* ita *Cartharius* multis allegatis, *decis.* 61. *num.* 47. & additur, quod ubi requiritur causæ cognitio, requiritur etiam & citatio, *Gamma, decis. Lusitana* 60. quem allegat *Riccius collect.* 2412. *ver. requiritur*, & sequitur idem *de Leone ubi suprà nu.* 678. *& sequent.*

Quæst. 29. *Regulares an possint appellare à correctionibus, & punitionibus suorum Superiorum, sibi inflictis secundùm Regulam & Statuta Ordinis?*

1. ET dico, quod non, nisi modus in correctione excedatur, & constat ex *cap. de priore* 31. *de appellat.* ubi Prior Regularis, qui appellationi cujusdam Religiosi non detulit, graviter punitur, ibi, *licet in corrigendis excessibus, juxta canonicas sanctiones sit diffugium interclusum; quia tamen, &c.* ubi *Gloss. in fin. cas.* ait, *nota, quod à correctione non appellatur, nisi modus excedatur*, quod item repetit in *ver. appellari, & in cap. super quæstionum articulis* 27. *de off. Jud. Deleg.* ibi, *nisi modum excedat*, & secundùm hanc limitationem debent intelligi *cap. ad nostram, cap. reprehensibilis* 26. *de appellat.* & similia; & hoc ideò; quia appellatio est permissa ad auferendum gravamen, ex *cap. ut debitus, eod. tit.* at Religiosus, ubi punitur secundùm Regulam & Statuta, nullum patitur gravamē. Secus autem, ubi modus præscriptus exceditur, ergo *Sylvest. q.* 7. *Armill. num.* 11. *Tab. num.* 11. *ver appell. Rodr. tom.* 1. *q.* 29. *ar.* 2. ubi ex multis ostendit, quòd Regularibus liceat appellare, nedum in civilibus, vel criminalibus; verùm etiam in causa correctionis, in qua regulariter, etiam sæcularis prohibetur appellare; & in *summa de ordine Judiciario, cap.* 13. *num.* 3. *Navarr. comment.* 3. *de Regul. super cap. nullam,* 28. *q.* 2. *num.* 21. *Miranda p.* 2. *de ord. Jud. q.* 29. *ar.* 4. *nu.* 28. *Foller. in pract. criminal. Canonica, cap.* 36. *de ordine procedendi contra Monachos. num.* 22. *Aretinus* in sua *Praxi Crim. cap.* 10. *de appellat.* latè *Sanchez,* multis citatis *p.* 2. *lib.* 6. *ad Decal. cap.* 8. *q. ult. num.* 202. *& sequ. Peyr. de subd. tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 10. *& Novar. in luc. Regul. ver. appellare, nu.* 6. quod totum intellige procedere de Jure communi.

Quæst. 30. *An hæc Decisio procedat de Iure speciali?*

1. PAtres Prædicatores ex multis Privilegiis prohibentur appellare; nam *Bonifacius Octavus* multa statuit ad beneficium & utilitatem Dominicanorum; & inter cætera voluit, ut nullus ex dictis Fratribus à correctione quacunque, seu aliàs ab aliquo Prælato, seu Fratre dicti Ordinis, quâvis occasione possit appellare, aut contra eos querelam exponere, ut clariùs habetur in nostris *Constitutionibus, distin.* 2. *c.* 17. *fol.* 187. ubi recensentur *Constitutiones* dicti *Bonifacii Papæ, text.* 4.

2. Et idem Pontifex indulsit Magistro Generali, & Fratribus Prædicatorum, quod in puniendis delictis subditorum, non teneantur subtilitates & apices juris sequi, eisque correctis appellationem interdixit, sub hac forma verborum.

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, Prioribus, ac Fratribus universis Ordinis Prædicatorum salutem & Apostolicam benedictionem. Ad augmentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana suscepit & approbavit Ecclesia, Paternis studiis intendentes & considerantes attentiùs, quod non intermissa Sedulitas Disciplinæ, Religiones & Ordines supradictos, statusque Regulares salubriter dirigit & conservat; pensantes etiam, quod si Regularium personarum correctio, rimas juris & apices sequeretur, hujusmodi rigor lentesceret, ac multiplici laxatione torperet. Nos vestris supplicationibus inclinati, vobis authoritate Apostolicâ indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejusdem Ordinis delinquentium infligendas, Prælati Ordinis supradicti, ad quos eadem spectare noscuntur, rimulis & apicibus ipsis postpositis, liberè procedere valeant, secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda, ipsius Ordinis instituta. Nec volumus, eisdem licere Fratribus, ab eisdem correctionibus & punitionibus aliquatenùs appellare, providâ in hoc deliberatione, ac maturitate debitâ reservatis. Nulli ergò, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 6. Idus Maij 1296. Pontificatus nostri anno 2. & refert per extensum *Joan. Bapt. Confect. pag.* mihi 18. *in collect. lut. Apost. Cherub. to.* 1. *bull. pag.* 140. *& Cæsarubius in comp. Privil. ver. appellare, & ibidem Capuccin. Sorbo, num.* 3.

3. Et *Julius Secundus* totum hoc confirmavit per speciale *Breve* acceptatum in Capitulo Generali Genuensi, anno 1513. *Denunciatione* 6. per hæc verba: *Denunciamus omnibus acceptatum esse unanimiter Breve fœl. record. Julii Papæ II. infrascripti tenoris, videlicet.*

Julius Papa II. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem. Exposuisti Nobis, quod in Ordine Prædicatorum, tuæ curæ commisso, quandoque pax turbatur, & Regularis vita impeditur, ob appellationes ab absolutione ab officiis, vel exemptione à jurisdictione Priorum Provincialium, quodque providere dignaremur de dignitate Apostolica, humiliter supplicasti. Nos attendentes, quod non solùm à Religionis communicatione, sed dicti Ordinis propriis statutis, appellationes dissonant; Tuis in hac parte supplicationibus inclinati, authoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus, ut si quis Frater dicti Ordinis aut Soror sub cura, & habitu ejusdem, ob absolutionem ab officio Prioratus Provincialis, vel Conventualis, seu Monasterii, à quocunque Superiori dicti Ordinis habente potestatem absolutionem hujusmodi faciendi facta, vel facienda appellaverit, etiam prætextu gravaminis, aut appellationi hujusmodi, quocunque nomine interpositæ inhæserit: sit pro ipso facto, absque alia declaratione absolutus, aut absoluta ab hujusmodi officio, pro quo appellatum est, &c. in contrarium facientibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis dicti Ordinis, juramento, vel quâvis alia firmitate roboratis, consuetudinibus, privilegiis in specie, vel in genere quibusvis, quâvis authoritate concessis, & in posterum concedendis, cum clausulis derogatoriis, & derogatoriarum derogatoriis fortioribus, & insolitis, etiamsi de eis eorumque tenoribus, specialis, individua, & expressa de verbo ad verbum, & non per clausulas id importantes, esset mentio habenda, aliisque non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 4. Novembris, anno Domini 1511. Pontificatus nostri anno octavo. sic signatum. Sigismundus, à tergò. Dilecto filio Thomæ de Vio Cajetano Mag. General. Ordinis Prædicatorum.

Quapropter idem *Breve*, prout suprà relatum est, de novo, quatenùs opus esset, fuit acceptatum & denunciatum in Capitulo Generali, Valentiæ celebrato sub anno Domini 1647. In quo fuit declaratum, quod Patres Dominicani nequeunt appellare, nedum ex vi *Constitutionis 2. dist. cap. 8. §. 5. de appellationibus ab absolutione facta, vel facienda ab officio, etiam prætextu gravaminis; verum etiam ex approbatione, & confirmatione Romanorum Pontificum.*

4. Pro quibus non desinam dicere, quod quidem autumant, prædictas *Constitutiones* habere locum, & procedere in correctionibus & absolutionibus, quæ fiunt tempore Visitationis vel Capituli, secus autem.

5. Ac item, quandò absolutiones & correctiones fiunt oretenùs, sine processu & ordine judiciario, ob quod in Capitulo Romæ celebrato sub vigilantissimo Patre Fratre Nicolao Rodulfio, tunc Generali totius Ordinis, anno Domini 1629. *ordinatione* 13. fuit ordinatum, *ut quando in Visitatione, sive Provincialium, sive aliorum Visitatorum, aderit sufficiens causa absolutionis Priorum Conventualium, sive ex culpa in suo Regimine, sive ex alia, quæ non inducant infamiam personalem, ad legitimam hujusmodi Priorum absolutionem sufficiat, ut de causa verè constet, & capita, quæ adversùs Priorem à subditis in Visitatione proponuntur, sint ab eisdem manu propria subscripta, & Visitatori tradita, ut admoneat Priorem, ut ad objecta sibi, in scriptis respondeat: quibus omnibus deindè à Provinciali in Consilio duodecim, vel octo Patrum, vel saltem quatuor in Provinciis desolatis, in alio Conventu examinatis, ac discussis statuatur, quid agendum fuerit. Hanc autem procedendi formam, ita à nobis præscriptam, sufficientem, ad absolutionem declaramus, ut Prior qui secundùm eam fuerit absolutus, de sibi denegata Justitia conqueri minime valeat. Si verò debita Prioris, adversùs quem agitur, infamiam Ordini, & personæ inurant, tunc juris servato ordine, juridicè procedatur*; hæc ibi.

6. Per quæ benè vides, quod Fratres nostri, etiam secundùm eorum jus speciale, possunt appellare de injusto gravamine, & eorum appellationibus deferendum est.

7. Nec dices, quod nos non tenemur sequi apices juris; quia apices juris dicuntur omnes illi actus, qui potiùs respiciunt subtilitatem, quàm facti veritatem, & merita causæ, *Bartol. & Bald. in l. si fidejussor 29. §. quadam, ff. mandati, num. 1. Salyc. l. placuit 7. C. de jud. nu. 2. Jason in l. alienam 18. C. de procurat.* sub *nu. 2. ver. 5 Socin. consl.* 120. *lib. 1. num 47.* ubi inquit, probationes non esse de apicibus juris; quia respiciunt veritatem & merita causæ, & refert *Flav. Cherub.* in suo *Comp. Bull. tom. 1. in Constit. Bonif. VIII. Constitut. 4. Schol. 1. fol.* mihi 35.

8. Nec replices, quod Privilegia debent aliquid operari ultrà jus commune, *cap. Abbate de verbor. signif.* quia sæpè sæpiùs nihil novum continent, sed ad majorem expressionem conceduntur, ut dixi in *tract. de privil. &* docet *Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 37. nu. ultim. ad ultim. & in d. loc. finim.* testatur, dicta privilegia hoc amplius continere, ut subditus non possit appellare, nisi excessus Prælatorum sit manifestus; quia pax & simplicitas, & obedientia Religiosorum hoc postulat, & sequitur *Diana p. 3. moral. tract. 2. de dub. Regul. resol. 54.* & ante eos latè & eruditè *Navarr. in d. comment. 3. de Regul. nu. 31.* ubi multa reperies digna notatu, & habetur in nostris *Const. dist. 2. c. 8. de cap. Generali, tex. 5. pag. 544. col. 4. lit. C.* ibi *denunciantes Fratribus universis, quod de jure communi, & speciali Ordinis privilegio, nulli Fratrum licitum est, à correctione vel ab officiorum amotione appellare, sine causa rationabili, vel nisi fortè corrigens modum in corrigendo excedat, ut ibid. in lit. D.* Perindè intellige suprà positam decisionem stabilitam de jure communi procedere, etiam in jure particulari; nec obest illud verbum *nec prætextu gravaminis*; quia aliud est loqui de prætextu, & aliud de vero, & reali gravamine.

Quæst. 31. Ius & Privilegium, quo Regulares prohibentur appellare; an sit æquum & justum?

1. Sotus *de justit. lib. 5. q. 6. ar. 3. post conclusiones, versic. ceterus,* dicit, quod ob pacem & quietem omnium Ordinum, optimo jure sancitum est, ut Religiosi nequeant appellare. Nervus enim & decus Religionis in hoc maximè consistit; ut altissimo inter se silentio, ea omnia quæ sua sunt, veluti inter Fratres, planè tractent, & simpliciter transigant, & quod nullatenùs seculo prodant. Quandoquidem, ubi primùm Religionum causæ Claustrorum metas exierint, actùm est de illis, ut dictum est *de Clausura*, & constat de Pisce, qui extra aquam positus, non potest diu vivere.

2. Nec dices, quod sic fieri potest, ut Monachus aliquis injuria læsus affligatur. Tùm quia hoc rarissimè contingit, & cum pace & quiete totius Ordinis compensatur; jus enim commune prævalet particulari. Tùm etiam; quia ob prædicta, appellationes non prohibentur absolutè, sed hoc, vel illo modo: hoc est, sine gravamine, vel extrà Religionem; *Navarr. lib. 2. de appellat. consl. 4. & Ricc. 4. p. praxis resolut. 335.*

3. Nec replices, quod nullus debet naturali beneficio privari. Quia etsi jus defensionis nobis competat de jure naturæ; nihilominùs modus utendi tali jure, nempè, ut appellatio fiat in gravibus, secùs in levibus: intrà Ordinem, & gradatim, secùs extrà; est de jure positivo, quod potest nobis limitari.

Quæst. 32. PP. Dominicani, an ritè ac rectè possint appellationibus renunciare?

1. Suppono, quod facientes professionem in Ordine Prædicatorum, mox, & usque ad mortem teneantur vivere secundùm leges, constitutiones, & statuta dicti Ordinis, quorum unum extat illud *text. 3. dist. 2. de Cap. Gener. cap. 8.* ibi, *etsi appellatum fuerit, frivola & nulla appellatio habeatur. Appellationem enim intrà nostrum Ordinem, sub interminatione anathematis fieri inhibemus, cùm non venimus contendere, sed potiùs delicta corrigere*, hæc ibi.

2. Per quæ & similia habita in *subseq. cap.* Prædicatores videntur renunciare juri naturali, quod habent de se defendendo, quod arduum censetur, etenim unumquodque animal, naturali lumine, seipsum diligit, & in optimo sui generis statu conservari cupit.

3. Nihilominùs non est novum, nec quid magnum, naturali juri renunciare, nam sicut unusquisque nascitur Laicus, & postmodum potest laicali statui renunciare, & Clericus vel Religiosus fieri, & sicut vovens castitatem, renunciat juri naturali, quod habet ad contrahendum matrimonium, & restat obligatus, castitatem sequi, nec non vovens paupertatem, renunciat juri naturali, quod habet à natura ad obtinendum & possidendum bona temporalia, & remanet obligatus sine proprio vivere; ità & qui renunciat defensionibus sibi à natura debitis, benè facit; quamvis teneatur obedire, dum ad id Voto se adstrinxit, prout latè ac eruditè ostendit noster *Ferdinandus de Castiglio in Historia nostri Ordinis, lib. 2. cap. 3. fol.* mihi 169. *col. 2. in fin.*

4. Et eo fortiùs; quia Dominicani non omnind prohibentur appellare: possunt enim appellare ab omnibus injustis gravaminibus, intrà tamen ordinem, ac gradatim, & maximè à sibi illatis medio processu, item & ab omnibus absolutionibus officiorum, & consimilibus, sibi forsan inflictis in Capitulis, vel in Visitationibus, con-

contra modum præscriptum à Capitulo Generali Romæ celebrato, sub vigilantissimo Rodulfio, anno Domini 1629 ut dictum est suprà; vide *ibi*, & non pigebit.

Quæst. 33. Quo ordine Regulares tenentur appellare?

1. Respondeo, quod Patres Dominicani tenentur querelam proponere coram Priore Conventuali, vel Provinciali, seu Magistro, & successivè in Generali Capitulo dicti Ordinis, verbo, vel in scriptis, prout habetur in *cap.17. distin.2. text.4. de Constit. Bonif. VIII. pag. 188. col. 3.*

1. Quod clariùs exprimitur in *Decreto* Sacræ Congregationis Regularium, sub hoc tenore denunciato.

Quoniam nonnulli vagandi studio, sivè dum imminentes commissorum criminum pœnas ex suis Constitutionibus, aut aliàs debitas sibi metuunt, falsa & commentitia gravamina causati, non immediatè ad sui Ordinis Superiores, scilicet à gravamine Prioris ad Provincialem, à Provinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, prout cujusque Religionis Constitutionibus disponitur; sed ad hanc Romanam Curiam, absque licentia fugiunt potiùs, quàm recurrant; ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi indies audaciores evadunt; placuit Sacræ Congregationi, ex ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium inposterùm temerè, levivè ex causa hanc Almam Urbem seu Curiam, absque sui Superioris licentia, & suprascripta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, severiori pœnâ plectendus remittatur.

2. Et habetur in nostris *Constit. distin. 1. de graviori culpa, cap. 18. fol. 80. col. 2.* & per extensum refert *Stephan. Quaranta verb. Monasterio, Confectius tu. 6. cap. 2. in fin. Sorbus in comp. privil. verb. appell. annot. 1. in fin. & Marcell. Vulpes* in sua *praxi, eod. verb. cap. 22.* & habetur in *Constitut. Sixti V.* quæ incipit, *ad Romanum spectat Pontificem,* edita 1588. quæ quidem appellationes sic gradatim faciendæ procedunt, habentque locum in rebus gravibus, & post sententiam diffinitivam: secùs autem in levibus, frivolis, vel parvi momenti; quia in his nullatenùs licèt appellare, prout notant Viri graves, & Dei timorati, *Sayr. in Clav. Reg. lib. 12. cap. 17. num. 36. ver. dubium autem,* dedecet enim pro levibus & minimis, Dominum Papam, vel Sacram Congregationem inquietare.

Quæst. 34. Regulares, an possint per saltum appellare, utpotè à Priori ad P. Generalem, vel Protectorem?

1. *Silv. ver. appell. num. 2.* multis citatis, respondet affirmativè, tum quia prædictus ordo, & modus appellandi à Sacra Congregatione præscriptus, est de accidentalibus, & de solemnitate judicii, quæ substantiam non vitiant; tùm etiam; quia Regulares non tenentur ad apices & solemnitates judicii, ut constat ex *Privil. Bonif.* suprapposito: unde valet consuetudo, quod appelletur, omisso medio, ut in *cap. referente,* juncta *Glossa, de præb. & in cap. Romana, eod. tit. in 6.*

2. Immò valet appellatio, omisso medio, etiam cessante consuetudine, si non fuit objectum, ut notat *Glos. in cap. dilecti, eod. tit.*

3. Verùm; quia pars adversa aut Judex à quo, possunt de hoc conqueri & objicere, fuisse appellatum per saltum, in eorum præjudicium, nempè ne jus eorum suum sortiatur effectum, & ne ordo à Sacra Congregatione præscriptus obsertvetur, abstinendum est à saltu prædicto, secùs autem, si appellans tunc suspectum habeat immediatum Superiorem, ad quem foret appellandum. Nam in tali casu, omisso illo Judice suspecto, poterit licitè ad non suspectum appellare: verùm causa suspicionis debet esse vera & evidens, alioquin non excusaretur, ut patet ex decisis hîc *q. 37.* & ostendit *Peyr. tom. 3.* seu *addit. ad Constit Leon. X. cap. 3. num. 18. & Bordon. resolut. 32. q. 8. num. 27.*

Quæst. 35. Regulares, an omisso medio possint appellare ad Papam, vel ad Sac. Congregationem, Legatum de latere, ad Nuncios Apostolicos, & consimiles?

1. Respondeo, quod nedum Regulares, verùm etiam & totus Orbis potest omnibus mediis prætermissis, immediatè recurrere ad Papam, & est clara decisio *cap. si quis vestrum 4. & cap. ad Romanam 6. caus. 2. q. 6. & c. si duobus, & cap. dilecti filii, il terzo, de appellat.* quod dicit esse de communi sententia *Doctorum,* paucis exceptis *Cavarr. practic. qq. cap. 4. num. 9.*

2. Et ratio esse potest, tum quia Papa est principalis, universalis, & immediatus Superior Regularium; undè illorum est primus Prior, Provincialis & Generalis, & immediatus Ordinarius. Etenim omnes Mendicantes ei immediatè subsunt, *Sot. lib. 8. de just. q. 5. ar. 1. Navarr. cons. 3. de stat. Monach. num. 5. & cons. 2. & 4. de appellat. num. 3.* & colligitur ex *cap. authoritate, §. 1.* juncta *Glosa, de Privil. in 6. & cap. 1. de rebus Eccl. non alien. in 6.*

3. Tum etiam; quia hoc est unum eorum, quæ in signum Privilegii singularis, sunt tamen Summo Pontifici reservata, *Glos. in cap. quod translationem 4. de off. legati, in verb. reservata,* ubi ait, quod appellatio omisso medio non tenet, ex *cap. dilecti 3. de appellat.* fallit tamen in Papa, ut *ibidem Barbosa in collect.* docet, *num. 9. Remigius Scropha de invalida profess. dub. 25. & 26. Diana 3. par. moral. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 54. Portell. in dub. ver. appellat. num. 3. Peyr. tom. 3.* seu *addit. ad Constit. Leon. X. cap. 4. num. 14. Bordon. resolut. 32. q. 8. Novar.* in sua *luc. ver. appellare, num. 1. & Megal. in praxi, cap. 17. num. 9.*

4. Proindè Judex à quo tenetur sub mortali, huic appellationi deferre, & secùs faciens, debet graviter puniri, ex *cap. de Priore 31. de appellat.* dummodò appellatio sit rationabiliter interposita, hoc est, in casu gravi & raro, in quo evidenter constaret, Religioso fieri notabilem injuriam in honore, vel reputatione, & post diffinitivam, vel ab interlocutoria, juxtà *Decretum Conc. Trid.* cum expressione gravaminis; quia, ut dictum est, appellatio solummodò admittitur inter Regulares, cùm modus exceditur, *Sanchez tom. 2. ad decal. lib. 6. cap. 8. num. 105. & Lezana 1. p. de obligat. cap. 9. num. 7.* post allegatos.

5. Nec obstat, quod Judex à quo, huic appellationi non deferat; quia in hoc casu deferunt jura, *l. quoniam Judices, C. de appellat. l. ei, cujus, ff. de appellat. recip.* undè per appellationem prædictam ligantur manus Judicis, à quo fuit appellatum, & tenetur quiescere in causa, & judicium Judicis, ad quem fuit appellatum, expectare.

6. Quod amplia ad appellantes ad Sanctam Sedem Apostolicam, vel quia Sancta Sedes unum facit Tribunal cum D. Papa, vel quia idem significatur per diversa.

7. Amplia, ut item Religiosi possint immediatè appellare ad Sacram Congregationem Eminent. Cardinalium; præpositam à S. Sede Apostolica super negotiis Regularium & Episcoporum; quia dicta Sacra Congregatio fuit à *Sixto Papa V.* ad hunc effectum specialiter instituta, ut scilicet cognoscat causas Regularium, & constat ex ejus *Constitutione 74. in Bull. Cherub.* quæ incipit, *Immensa, nec sanè minùs.* Undè censetur esse Tribunal intrà ordinem, & Judex ordinarius Religiosorum, *Aretinus* in sua *Praxi de appellat. cap. 10. in fin.* ubi enumerat Tribu-

Tribunalia, quæ sunt intrà, vel extrà ordinem, *Coriol. in fine casus quinti reserv. & Bordon.* cit. *loc. nu.*22.

8. Secus autem ad Cameram Apostolicam, & constat per argumentum à contrario sensu; quia scilicet non est Tribunal Ordinum, nec Religiosorum ordinarius Judex. Undè me nuper Commissario, & Convisitatore præteritorum Officialium, qui administrarunt bona nostri Regalis Monasterii Sancti Dominici Civitatis Neapolitanæ, instituto à Reverendissimo P. Magistro, ac zelantissimo Fratre Dominico de Marino, totius Ordinis Apostolico Vicario Generali, quidam à significatoriis suis, ac rationibus positis, ad Rev. Cameram Apostolicam appellarunt, qui, & partibus auditis, ad Nos per Reverendum Auditorem dictæ Cameræ Apostolicæ, sunt remissi; secùs illi, qui ad Sanctam Sedem provocarunt, & non aliàs, nisi ob rationem prædictam.

9. Amplia, hoc item procedere, si appellent ad Legatos de latere, ergà Regulares, manentes in sua Provincia; & hoc ob eandem rationem; quia scilicet sunt illorum Judices ordinarii, ex *cap. si Abbatem 36. de elect. in 6. cap. 1. de verb. signif. in 6.* & docet expresse *Glos. in cap. 1. de off. delegat.* & Regulares illis subjiciuntur, *Rodr. tom. 2. q. 63. ar. 4.* cum suo *Comp. resolut. 63. num. 15. & Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 16.*

10. Hinc possunt sine dubio ad illos appellare, si de familia sint in eorum Provincia.

11. Nec dices, quod in *d. Decreto* Sacr. Congregat. hoc non exprimitur. Tum quia in eo expressis non datur facultas recipiendi appellationem, quasi aliàs non essent Judices appellationis: sed Regularibus se gravatos sentientibus, describitur modus & ordo appellandi; tùm etiam; quia numerus Judicum appellationis non restringitur ad ibi tantùm expressos, sed numerantur Judices, Regularibus notiores. Nec ob id fit, ut alii Judices dati, & dandi à Papa, non sint veri Judices, *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 33. nu. 23. & Hier. Rodr.* in suo *Comp. resolut. 62.*

12 Amplia, ut Regulares pariter valeant appellare ad Eminentissimum Protectorem, qui uti specialis Delegatus à Papa, rimatur facta Ordinis, quem protegit, & non sinit alteri præjudicium fieri.

13. Secùs autem ad Conservatorem; quia hic habet tantum potestatem cogendi Fratres ad instantiam Laicorum: non autem administrandi Justitiam in causis vertentibus inter Fratres, & Fratres; aliter periret decor, & quies Religiosorum: Undè malè faciunt, qui appellantium quærelas contra aliquem Religiosorum recipiunt, deque iis cognoscunt. Non enim sunt Judices Religiosorum, sed litium existentium inter Fratres & Laicos, *Sotus lib. 5. de Just. q. 6. ar. 3. & Peyr.* multis citatis *de subdito, tom. 1. q. 1. cap. 20.*

14. Limita ut non possint appellare ad Episcopos loci Ordinarios, nec ad Cameram Apostolicam, ut dictum est; quia hi non sunt Judices Regularium in causis vertentibus inter ipsos Religiosos, & Prælatos Regulares eorundem; immò Dominicanis id expresse prohibitum est à *Leon. X.* & constat ex ejus *Constit.* quæ incipit, *Romani Principis*, apud *Confectium* 12. quâ *Constitutione* cautum est, ut sub gravibus pœnis nequeant appellare ad Tribunalia Laicalia, nec ad Ecclesiastica, & signanter ad Cameram Apostolicam. Vide illum, ad hoc, ut scias, num in vim dictæ *Bullæ* excludantur Sac. Congreg. & Legati à latere.

15. Limita secundò, ut non possint appellare ad Nuncios Apostolicos, seu Missos natos, qui sunt Archiepiscopi Pisarum, Rhemens. Cantuar. & Eborens. quia hi non sunt Regularium Judices Ordinarii, nec Delegati.

16. Secùs autem ad alios, qui sunt Delegati cum speciali mandato super causis civilibus, & criminalibus Religiosorum; quorum authoritas juxtà continentiam litterarum sibi factarum à D. Papa, erit major vel minor. Et constat ex praxi Illustrissimi, ac Reverendissimi Nuncii Neapolitani, qui solet potiùs dici Judex, non appellationis, sed primarum causarum; Nec se intromittit de Fratribus, nisi in casu gravi, & raró, cum maxima dexteritate, aut verbo facto cum Sanctissimo.

Quæst. 36. Si Delegatus impediat appellationem sui Subditi, seu recursum immediatè habendum ad Sanctam Sedem, an incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

1. Quoniam in *excommunicat. nona d. Bullæ* Cœnæ habentur hæc verba: *Anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, &c. capiunt, detinent, &c. & in excomm.* 14. *in fine* dicitur, *quive aliàs quibuscunque Personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, vel recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eos apud se, aut Notarios, &c.* Non erit inutile, dubii propositi solutionem quærere.

2. *Megalius, lib. 3. de cens. cap. 10. q. 1.* explicando dictas *excommunicationes Bullæ* Cœnæ ait *num. 8. quod non excommunicatur ille Superior, qui impedit subditum, ne accessum habeat ad Romanam Curiam; quia Regularibus talis accessus est prohibitus, sine licentia suorum Superiorum, & cum non teneantur Superiores licentiam concedere, integrum est eis, impedire hunc accessum, absque incursu hujus censuræ; & subjungit, Incurrere verò, quando impedit recursum non personalem, sed per Nuntium, vel per Litteras, ad Curiam Romanam, quia textus de omnibus hunc recursum impedientibus, generaliter loquitur; nec decisio aliqua reperitur, ex qua hæc censura limitanda sit.*

3. Verùm ratio responsionis non placet, tùm quia, licet subditi prohibeantur Romam ire sine licentia suorum Superiorum; attamen licentia hujusmodi, non absolutè relinquitur arbitrio Superioris; ita ut ad sui libitum possit illam dare, vel denegare; nam appellationi justæ, ac rationabili tenetur deferre, & secus faciens, injustè facit; undè peccat mortaliter, & est severè punibilis, ex *cap. de Priore de appellat.* tùm etiam; quia licentia formalis, & expressa non est necessaria in iis, quæ aliàs concessa sunt, *Glos. in cap. 2. de tempore ordin. in 6. ver. licentia, & Graff. tom. 1. cons. 8. de voto, n. 6.* tum item; quia recursus ad Superiorem includit tacitam licentiam, eo ipso, quod licitus est accessus ad repellendum gravamen; tum item; quia licentia necessariò petenda non est à Superiore, à quo subditus est gravatus sed à Superiore, ad quem recurritur, *Glos. cap. cum Pastoris 2. q. 7. & Rodr. tom. 1. q. 29. ar. 2. in fin. & q. 30. ar. 3.*

4. Nec placet illa distinctio de accessu immediatè, vel immediatè facto, vel faciendo; quia non quadrat textui, qui loquitur absolutè, & de præsumptuosè impedientibus, teste *Sayro* in suo *Thesauro casuum conscientiæ*, *lib. 3. cap. 27. in d. excomm. 14. Bull. Cœnæ, nu.* 8.

5. *Remigius Scropha* nostræ familiæ, in suo *Opuscul. de invalid. profess. dub.* 25. ait, derogatum esse *Decreto*, quo prohibebatur accessus ad Romanam Curiam, sine licentia Reverendissimi Generalis; ergò Superior non potest excusari, quin in casu posito sit excommunicatus; sed re verâ prædictum *Decretum* viget, & nuper fuit ab *Urb. VIII.* confirmatum, ut dixi suprà in *tract. de fugitivis.*

6. *P. Franciscus Bordonus resolut. 32. q. 14. num.* 33. negativè respondet, tum quia, d. *prima excommunicatio* censetur lata contra eos, qui detinent, seu impediunt venientes in Rom. Curiam; non autem contra eos, qui impediunt

pediunt volentes venire; hæc enim duo, differunt inter se, sicut actus & potentia: etenim ly *Venientes*, dicit factum nempe esse in via, ly autem *volentes venire*, dicit potentiam resolutam veniendi. Superior verò impediens appellationem, solùm detinet volentem venire, & non venientem, proindè non incurrit excommunicationem, quia in odiosis, ceu sunt *excommunicationes Bullæ Cœnæ*, non fit extensio, & verba debent intelligi cum proprietate verborum, tum etiam; quia nec incurrit *d.14.excomm.* quæ est lata contra appellantes à gravamine, vel futurâ exequutione *Litterarum Apostolicarum*, aut aliorum *Decretorum* Sedis, ad Tribunalia secularia, & illa verba in calce *d.excomm.* posita, referuntur ad favorem hujusmodi appellantium, ità, quod illi dicuntur incurrere hanc censuram, qui prohibent, ne quis recurrat ad Curiam Romanam, pro enervanda dicta appellatione cum sibi annexis, & ratione probatur; quia in illo contextu verborum continetur unica excommunicatio, ergò omnia membra ibi posita, habent referri ad principalem actionem prohibitam, quæ est appellatio in spectantibus ad Sedem ad Tribunalia laicalia, consequenter non quicunque impedientes, quovis modo recurrentes, ut enervent litteras, gratias, & alia, quibus potest tueri ista injusta appellatio, ergò Superior, in casu nostro, non comprehenditur sub dicta *excommunicatione*.

7. Quæ quippè responsio, respectu *d. excom. nona*, verissima est; nam ly, *Venientes*, præsupponit, pro iis tantùm, qui intuitu negotiorum, in Sancta Sede tractandorum, iter inchoarunt, & in materia censurarum non fit extensio; ut perbellè ex multis ostendit *Bonac. tom. 3. de cens. disput. 1. q. 10. pun. 1.* ubi longa manu examinat omnia verba *d. Canonis.*

8. Verùm respectu *d. excom.* 14. non potest placere: quia *Canon* prædictus de communi voluntate *Doctorum*, in tres partes dividitur, quarum Prima agit de iis, qui prætextu appellationis à gravamine, vel futura exequutione *Litterarum Apostolicarum*, recurrunt ad Laicam potestatem. Secunda, de iis, qui dictarum *Litterarum* exequutionem impediunt vel prohibent. Tertia de iis, qui accedentes ad Romanam Curiã pro negotiis prosequendis, gratiis, vel litteris impetrandis, directè, vel indirectè prohibent, ne accedant, vel recurrant, vel ne impetratis utãtur, vel dictas literas apud se vel apud alios, quomodolibet retinere præsumunt, ut constat ex conspicuis Litteris dicti *textus*, ubi nullum verbum fit de enervanda appellatione, facta ad laicam potestatem, & liquet in illo verbo, *ne pro quibusvis eorum negotiis*: enervare enim alterius appellationem, non est proprium negotium agere, sed aliis uti ibidem, nec est mirum, quod hæc tria sub una & eadem excommunicatione vetentur; quia omnia respiciunt damnum Sedis Apostolicæ, & coeunt sub una ratione formali negotiorum tractandorum in Romana Curia, prout idem *Bonac.* cit. *loc. disput. 1. q. 15. punct. 1.* latè docet.

9. Tu igitur ad quæsitum dic negativè; si Prælatus, justè ac rationabiliter Subditi recursum impediat, ne scilicet sub prætextu hujusmodi eludat Judicium vagus fiat, & indigna patret, secùs autem.

10. Tum quia dictæ *Excommunicationes* latæ sunt contra præsumentes, hoc est, contrà illos, qui dolo & temeritate impediunt, detinent, &c.

11. Tùm etiam; quia radix excommunicationis est peccatum mortale, quod in casu nostro non supponitur.

Quæst. 37. Regulares sine scripto & causa, an possint Superiorem Iudicem, sibi suspectum recusare?

1. ET dico, quod quandò Judex reputatur valde suspectus, & creditur excessurus terminos justitiæ, ob passionem, vel ob aliquam causam iniquam, potest absque dubio recusari; prout expresè habetur in *cap. si quis putaverit, & cap. quoties Episcopi 2. q. 6. & c. quod suspecti 3. q. 5.*

2. Dummodò sit suspectus ex justa causa, prout clarè habetur in *cap. postremò 36. de appellat.* ibi *ne frustratoria recusationis, vel appellationis obtentu, judicium declinetur, qui allegat se Judicem habere suspectum, coràm eodem, causam justæ suspicionis tenetur assignare*, hæc *ibi* quæ quippe causa suspicionis, est examinanda per Arbitros, de communi consensu eligendos, juxtà dispositionem *cap. cùm speciali, de appellat.*

3. Nec dices, quod hi duo *textus* non possunt extendi ad Regulares, per illa verba, *caeterùm, has duas Constitutiones præmissas, nolumus ad Regulares extendi, contra suas speciales observantias*; quia teste *Sanchez ad decal. lib. 6. cap. 8. q. ultim. num. 111.* prædicta jurà debent intelligi, sicut & illa, quæ prohibent Religiosis appellare: recusare enim & appellare æquivalent, hoc est, sicut Regulares non possunt appellare à punitione suorum Superiorum, nisi in manifesto gravamine; ità pariter non valent, Superiorem Judicem recusare, nisi sit sibi verè realiter, & manifestè suspectus, undè Judex leviter, vel fictè suspectus non potest recusari; & sic recusantes in ordine nostro severè puniuntur, *distin. 1. de gravi culpa, cap. 18. text. 1 litt. F. in fin. fol. 76. col. 3.*

4. Hinc cum risu miror, quod aliqui Regulares vitæ licentiosæ, audeant dicere, coram proprio Prælato, causa judicii dilatandi, *recuso te*, vel *es mihi suspectus, ut probabo*: hæc enim sunt verba sine succo, quibus Judex non tenetur deferre, sed procedere ad ulteriora; quia censentur frivola, contra formam *dict. cap.* quod nullum excipit, & indefinitè loquitur.

5. Hæc autem recusatio, an necessariò debeat fieri in scriptis? quæsitum est; tu autem dic negativè, ex quo in *d. cap.* nullum verbum fit de scriptura; sed de sola expressione causæ, quæ potest verbotenùs explicari; ubi enim lex non loquitur, nec nos loqui debemus. Verum ad omnem bonum finem, debet esse in scriptis, & in actis conservari, ad hoc, ut Judices, ad quos pertinet, possint de ea justè judicare.

6. Nec ob prædicta existimes, Fratres hujus vel illius Conventus posse recusare Provincialem, eumque impedire, quantumcunque sit suspectus, ne visitet ex officio suo Conventum, Visitatione generali & ordinariâ; quia hoc falsum est, ut patet ex *cap. 10. Conc. Trid. sess. 24. de Refor.* ibi, *nec in his*, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, *exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, exequutionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.* hæc *ibi*.

7. Et multò clariùs ex *Decreto Pauli V.* transmisso Episcopo Portugalens. sub hac forma verborum.

Venerabilis Frater, salutem & Apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nuper expositum fuit, quod Visitationes, quæ in tua Diœcesi in vim Decretorum Concilii Tridentini, & aliàs legitimè fiunt, sæpiùs impediuntur, eo; quia Visitati, Prælatum, seu alium legitimè visitantem, suspectum allegant, in magni Divini cultus, præsertim & fabricæ Ecclesiarum præjudicium, quamobrem nos hujusmodi abusum tollere volentes, supplicationibus tuo nomine super hoc humiliter porrectis, inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sacræ Roman. Ecclesiæ Cardinalium Sacri Concilii Tridentini Interpretum, Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium declaramus Episcopum vel alium, cui id legitimè competit, Visitantem non posse uti suspectum recusari, non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Pisca-

Piscatoris die 29. Octobris 1610. Pontificatus nostri anno sexto. Secret. Cobellutius. Venerabili Fratri Gondisalvo Episcopo Portugalen. Et alias declarationes hujusmodi per extensum refert *Barbosa 3. p. de off. & potestate Episcopi, Allegat. 73. num. 38. & in remissionibus ver. appellatio,* cit. *loc. Concil. Trident. & in collect. ad d. cap. in fin.*

8. Quæ *Decreta* extenduntur ad Provinciales Regulares, visitantes suas Provincias, tum quia hi etiam tenentur visitare suos subditos singulis annis, ex mandato *Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de Regul.* tum etiam; quia ita habetur in *d. Decreto Pauli V.* ibi *Episcopum vel alium, cui id legitimè competit,* quales sunt Provinciales, prout expresse habetur in *Clem. attendentes, de statu Monach.* tùm denique; quia Provinciales in suis Provinciis sunt Episcopi æquipollenter, & de æquipollentibus idem est judicium, *lege final. ff. mandat. & cap. si quando, de rescriptis.*

9. Dixi visitatione generali & ordinariâ, quæ fit ad commune bonum Monasterii, sine processu, sine scriptis; quia secus esset dicendum, si P. Provincialis, in visitatione procederet contra aliquem particularem Fratrem, formato processu, & servatis servandis; nam in tali casu dicta *Decreta* locum non habent; & sic processatus potest appellare, & ejus appellatio suspendit judicatum, & causam totam ad Superiorem devolvit *Franciscus Leo in Thesauro for. Eccles. p. 2. cap. 2. num. 77.*

10. Nec objicies, quod prædicta *Epistola* directa ad Episcopum Portugalen. sit particularis, seu localis, & quod ob id, ubique locum non habeat; quia *Epistola Decretalis Papæ* vim habet in tota Ecclesia; tum quia totus *liber Decretalium, & sextus* compilati sunt ex *Epistolis* transmissis ad Episcopos & personas particulares; tùm etiam, quia *Decreta,* & responsa Summorum Pontificum, edita pro Eccesiæ instructione, habent vim legis universalis; prout ex multis ostendit noster *Syl. ver. rescriptum, q. 4.*

Quæst. 38. Regularis à suo Prælato injustè gravatus, si illo inconsulto, à Monasterio recedat cum appellatione ad Superiores; an possit puniri?

1. CUm distinctione respondeo, aut Religiosus subditus, non expectatâ diffinitivâ sententiâ, temerè ac leviter aufugit; & sic debet remitti ad Judicem processantem, à quo debet puniri, uti Vagus & Profugus; juxtà dispositionem suæ Regulæ, *Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de Regul. & Decretorum* Sacræ Congregat. de quibus diximus in *tract. de fugitivis,* aut fugit post sententiam, sentiens se gravatum cum appellatione ad Superiores, & Judex à quo, non vult huic appellationi deferre, nec licentiam eundi ad Superiorem concedere: immò eum in carcerem conjicit, & malè tractat: & sic licitè potest aufugere, & sine metu Apostasiæ ad Superiores recurrere, per ea multa, quæ dico in *d. tract. de fugit. q. 11.* & docuit *Navarr. comment. 2. de Regul. num. 61. & comment. 3. num. 51. ad 4. Clavis Reg. lib. 12. cap. 19. num. 40.* & idem *Navarr. de appellat. cons. 4.*

2. Insuper & per viam defensionis, quæ est de jure naturali, vel per modum exponendi quærelam contrà gravantem, potest Romam adire, *Rodr. cap. 13. 2. p. sum. in ord. Judiciario, conclus. 3.* & liberè Romam ingredi, absque alia facultate Superioris, non obstante prohibitione, de non ingrediendo absque superioris facultate; quia in casu posito, ingreditur vigore supradicti *Decreti,* facti auctoritate Papæ, qui est supremus omnium Religionum Superior, & nulla adest præsumptio, quæ est omninò necessaria ad incurrendas pœnas in tali prohibitione positas, *Peyr. tom. 3.* seu *addit. ad Constit. Leon. X. cap. 4. num. 17. & Bordon. resolut. 32. q. 9. num. 27.*

3. Et quod nulla hic adsit præsumptio; constat, quia adest causa legitima intrandi, quæ temeritatem quam dicit præsumptio, excludit. *Lezana 1. p. sum. cap. 10. num. 33.* vide *Sot. lib. 5. de Just. q. 6. ar. 3. Rodr. tom. 1. q. 29. ar. 2. & Ricc. 4. p. praxis puniendi Regulares, resol. 329. & sequen.*

4. Nec dices quod Religiosus non potest appellare à mandatis sui Superioris; quia hoc intelligitur de justis, secùs autem de injustis & de correctione excessiva, *Panor. in cap licet, de off. ordin. & ibi glos.* & plures alii. Nec his obstat *Trid* cit. *loc.* ob ea, quæ dixi in *tract. de fugitiv.* & docet *Vulpes* in sua *praxi judiciali, cap. 22. & Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 56.*

Quæst. 39. Regulares in casu gravaminis, an voce, vel scripto, cum expressione gravaminis, teneantur appellare?

1. MEgal. in sua *praxi crim. can. cap. 17. num. 13.* dicit, quod Regulares appellantes ab interlocutoria verbotenùs, sine scripto & causæ expressione bene appellant, & eorum appellationibus est deferendum; quia appellare in scriptis, & exprimere causam appellationis, attinet ad solemnitatē: hi autem non tenentur ad apices, & solemnitates juris; sed sine strepitu, & figura Judicii terminant causas suas, ut constat ex tot Privilegiis.

2. *Sanchez* verò *lib. 6. decal. cap. 9. nu. 105. Navar. lib. 2. consil. tit. de appellat. cons. 2. nu. 1.* in 1. edit. & alii plures inquiunt, quod licet scriptura non sit de substantia appellationis, & quod regulariter in appellatione à diffinitiva non sit necessarium exprimere causam; sed satis sit dicere, *appello ab iniqua sententia, l. 1. in fin. ff. de appellat. & cap. cum in Eccles. eod. tit.* Nihilominus in appellatione à diffinitiva, in causa correctionis, & in omnibus aliis casibus, in quibus appellatio est interdicta, est opus, in ipsa appellatione exprimere causam gravaminis, ex quo, in causis correctionis, & aliis prohibitis interdicitur appellatio regulariter, & solùm admittitur in casu speciali, nempè cùm modus exceditur; & ideò cùm jus ei appellationi resistat; nisi in eo casu speciali, oportet eam causam specialem exprimere, ut appareat appellatum in casu concesso, quod magis procedit in appellationibus, quæ fiunt ab interlocutoriis.

3. *Portellus* sequens prædictos *1. p. casu 22. num. 7.* ait, quod attento rigore juris, appellatio facienda est in scripto, & cum expressione causæ, etiam apud Regulares, tum quia jura loquuntur absolutè, tum etiam; quia praxis & consuetudo ita exigit.

4. Verum praxis ista non est absolutè vera; nam quando appellatio non fit verbo, sed facto, nempè per arreptionem itineris ad Superiorem, tunc nec scripto appellatur, nec causa exprimitur, & valet appellatio. Item, appellans ab interlocutoria viva voce, illicò ac statim post sententiam, etiamsi causam non exprimat, valebit appellatio, *Syl. ver. appellatio, q. 4.* ubi allegat *Panorm.*

5. Proindè melius est dicere, quod appellatio, quoad effectum devolutivum potest esse sine voce, & scripto; secùs autem quoad effectum suspensivum; quia Judex à quo non tenetur appellationi deferre, nisi causâ cognitâ & admissâ; & additur, quod Regulares tenentur observare *Decreta cap. 13. Conc. Trid. sess. 13. de reformat. & cap. 20. sess. 24. de reformat.* quibus Regularium Privilegia nequeunt adversari.

* * *
* * *

Quæst. 40. *Appellatio à suspensione vocis activæ, vel passivæ, an habeat effectum suspensivum?*

1. R*Odr. tom.* 1. *q.* 29. *art.* 5. *Spatharius p.* 4. *tract.* 10. *c. ultim.* & *Peyr. de subdit. tom.* 1. *q.* 1. *cap.* 20. §. *unic. pag.* 69. *col.* 2. respondent affirmativè; quia regulariter omnis appellatio suspendit sententiam, & ejus effectum, etiamsi secum trahat exequutionem, *l. furti, ff. de his, qui notant. infamia*, nec his nocet illa Regula, quòd appellatio à suspensione non retardat effectum; quia intelligitur solum de suspensione à Divinis Officiis, vel ab Ingressu Ecclesiæ, *Panor. in cap. ad hæc, il quinto, de appellat.* & à Regulari Jure non est recedendum, nisi quoad ea, quæ inveniuntur excepta, quod non potest dici in casu, de quo agitur.

2. Proinde, si quis in Capitulis Generalibus, Provincialibus, vel etiam Localibus suspendatur à voce activa, vel passiva, si post appellationem eligatur, vel eligat, valida erit electio, quod valde notandum esse à Regularibus, testatur *Rodriq. cit. loc.* ubi invehit contra hujusmodi ambitiosos Prælatos, qui ad eligendum forsan indignum, privant Vocales, voce non privandos.

3. Verùm hæc ambitio in Religione Dominicana nequit habere locum; etenim in ejus *Constitutionibus* cautum est, ut nullus debeat excludi à quacunque electione, prætextu alicujus criminis, vel delicti, nisi sententialiter sit condemnatus, & per sententiam voce privatus, ut clarè legitur in *c.* 2. *de elect. Prior. Convent. distinct.* 2. *text.* 5. *litt. P. fol.* 113. *col.* 4.

Quæst. 41. *Prior Conventualis, vel Provincialis, depositus ab officio; an possit appellare, & appellatione pendente, an valeat suum officium prosequi?*

1. S*Uppono*, quòd Priores & consimiles, uti sunt Diffinitores, per electionem canonicam electi, & ut juris, in suis officiis constituti, non possunt ad libitum, & sine gravi causâ, legitimè probata, à suis Superioribus absolvi: secus autem, si sint Officiales, à solo Superiore providente, ceu sunt Vicarii Locorum, Suppriores, Procuratores, Sacristæ, & similes; quia hi possunt ad nutum, seu ad libitum, etiam sine causa, suis officiis spoliari, *cap. cùm ad Monasterium*, § *tales*, juncta *Gloss. ver. perpetuò, de statu Monachorum.*

2. Proinde, si suis officiis priventur injustè, possunt appellare, & de spolio conqueri apud Judices competentes, ex quo jus habent in illis, & nequeunt his sine causa privari; ex *cap. nullam potestatem* 18. *q.* 2. *cap. si quis Abbas* 18. *q.* 2. *cap. Monachi, de statu Monach.* ubi Abbas absolvitur ab officio, ob dilapidationem bonorum Monasterii, & docet *Sigismundus de Elect. dub.* 49. *num.* 1. & 4. & *Bordon. resolut.* 32. *q.* 15. *num.* 36. & Judex, à quo fuit appellatum, tenetur huic appellationi deferre; & sic appellantes appellatione interposita, possunt sua officia prosequi, & exercere, jubendo, absolvendo, excommunicando, suffragando, & similia peragendo; quia appellatio regulariter operatur effectum suspensivum, devolutivum, & extinctivum, *l.* 1. *ff. nihil novari, appellat. pend. cap. cùm venientes, de jure jurand. cap. sæpè* 44. *de appellat. Navar. cons.* 3. in 1. editio. *de appellat. num.* 3. *ad* 3. *quæst.*

3. Quapropter Episcopus depositus, si statim post sententiam appellat, & appellatione pendente, excommunicat subditum suum, excommunicatio tenet, sive sit, sive non sit appellationem prosequutus, *Gloss. in d. cap. sæpè*, 44. *de appellat. ver. rata manet*; quia Prælatus depositus ab officio, per appellationem remanet in officio suo; ubi enim quis appellavit, non dicitur condemnatus, *ff. de pœnis, l.* 2. §. *final.* & integer est status ejus, ut interim suis fungatur honoribus, *Scaccia de appellat. q.* 3. *num.* 72. quod etsi sit de jure communi, non debet tamen Regularibus denegari; tum quia hi non sunt pejoris conditionis, quàm Laici, & Prælati irregulares; tum etiam, quia prædicta jura absolutè loquuntur; tum item, quia non reperitur aliquod jus, quod Regulares excipiat; & ideo non debent tali communi beneficio privari, *Peyr. tom.* 3. seu *addit. ad Constit. Leon. X. cap.* 4. *num.* 19.

4. Nihilominus Patres Dominicani ex speciali jure sibi facto à *Julio II.* sub anno Domini 1511. ab his absolutionibus prohibentur appellare, ut liquet in ejus *Constit.* quæ incipit, *exposuisti*, ibi, *statuimus, ut si quis Frater dicti Ordinis, aut Soror sub cura & habitu ejusdem, ob absolutionem ab officio Prioratus, Provincialatus, vel Conventualis, seu Monasterii, à quocunque Superiore dicti Ordinis, habente potestatem absolutionem hujusmodi faciendi, factam vel faciendam appellaverit, etiam prætextu gravaminis, aut appellationi hujusmodi, quocunque nomine interposita inhæserit, sit ipso facto, absque alia declaratione absolutus, aut absoluta ab hujusmodi officio, pro quo appellatum est*, prout meliùs est videre in nostro *Bull. Usufmaris, fol.* 246. *litt. E.* & magis expresè in nostris *Constit. distinct.* 2. *de gravi culpa, cap.* 8. *tex.* 5. *pag.* 144. *col.* 3.

5. Quod *Statutum*, & speciale mandatum, ad evitandum evitanda, practicatur juxta dispositionem, & *Ordinationem* 13. *Cap.* Generalis, Romæ celebrati, sub Reverendissimo, ac Vigilantissimo Fratre Nicolao Rodulfio, anno Domini 1629. vide illam.

6. Nec hîc desinam dicere, quòd prædicta Regula de appellationibus data, non est absolutè vera; sed multis modis limitatur; nam ex *cap.* 1. *sess.* 13. *Conc. Trid. de reform.* & *sess.* 24. *cap.* 10. *de reformat.* appellatio quoad effectum suspensivum non habet locum in causis piis, & aliis pertinentibus ad visitationem, & mandata Prælatorum; nec item in causis levibus, vel frivolis, *cap. cùm appellant, de appellat. in* 6.

7. Nec item in iis, in quibus Judex procedit cum clausula, *appellatione remota, c. Pastoralis, in princip. de appellat.* neque in sententia excommunicationis, ex *eod. cap.* §. *verùm*, nec item in aliis censuris, *cap. is, cui*, §. *final. de sent. excomm. in* 6. Nec in correctionibus, & punitionibus, secundùm Regulam inflictis, nisi modus excedatur; & in dubio, sententia stat pro Judice; & additur, quòd dum causa appellationis pendet, appellans in eodem, quo reperitur carcere, permanere debet; quoad Judex appellatus, visis actis, & causa cognita, aliter decreverit.

8. Quomodo ergo reus carceribus mancipatus poterit liberè suum exercere officium, nisi priùs fuerit à Superiore è carceribus absolutus, & ad officium restitutus? *Hier. Rodr. in comp. resolut.* 10. *num.* 28. & *Bordonus resolut.* 32. *q.* 15. *num.* 37.

Quæst. 42. *Regulares appellantes ad Tribunalia sæcularia, an sint ipso facto excommunicati?*

1. R*Espondeo*, quòd PP. nostri, ex *Constit. Leonis X.* incip. *Romani Pontificis*, quam per extensum refert *Joan. Bapt. Confect.* in sua *collect. pag.* mihi 120. appellantes extra Ordinem, ipso facto sunt excommunicati; ibi, *etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, eo ipso incurrenda, authoritate præfata; tenore præsentium statuimus, & ordinamus, inhibentes sub eadem pœna quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, & secularibus, Congregationum, aut Domorum, & Monasteriorum ejusdem, & Cameræ Apostolicæ Avinionensis, ne querelas hujusmodi Fratrum, & Sororum, contra alios Fratres dicti Ordinis suscipiant, vel de eis cognoscant, &c.*

2. PP. Minores sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Domino Papæ reservatæ, & privationis officiorum, & inhabilitatis ad officia, ex *Constit. Gregor. XIII.* prohibentur appellare à sententiis suorum Prælatorum ad tribunalia sæcularia, quam habes apud eundem *Confectum pag.* mihi 194. & est *prima* inter *Bullas* ejusdem.

3. PP. Minimi eodem titulo prohibentur ad sæculares Judices recurrere, ex *Constitut.* ejusdem *Gregor. XIII.* incip. *ex Pastoralis officii nostri*, quam refert *Peyr.* inter *Privilegia Minimorum, tom.2. fol.* mihi 231. §. 3.

4. Quæ quidem *Privilegia*, ex quo tangunt communem favorem omnium Ordinum, nempe quietem, tranquillitatem, & pacem, effecta sunt omnibus Regularibus propria, ob mutuam Gratiarum, & Privilegiorum communicationem, *Miranda de ordine judiciario, q. 29. conclus. 4. num. 43. Rodr. in summ. eod. tit.* post *2. p. conclus. 3.* & multis cit. *Peyr. de subdito, tom. 1. q. 1. cap. 20. conclus. 3.* ubi zelanter loquitur contra hujusmodi viros, qui non verentur pudenda suæ Matris denudare, & ex illis *Bullis* ostendit, quòd Religiosi nequeunt appellare, nedum ad Sæculares; verùm etiam nec ad Ecclesiasticos, quibus non subduntur; & quòd tam ipsi appellantes, quàm Judices appellati sunt excommunicati Papali excommunicatione.

5. His accedit *Clementina 1. de statu Monach.* §. *quia verò*, qua excommunicantur Monachi, *qui sine Prælatorum licentia vadunt ad Curiam Principum sæcularium, animo inferendi damnum Prælatis, vel Monasteriis.* Quibus in verbis nota ly, *sine licentia*, & ly, *cum animo nocendi Prælato, vel Monasterio*; quia secus, si iret cum licentia Prælati, vel ad nocendum alicui particulari Fratri; verba enim pœnalia restringuntur.

6. Nec non & *Canon. 13. Bullæ Cœnæ Domini*, quo excommunicantur omnes, qui appellant à Judice Ecclesiastico ad sæcularem, vel laicam potestatem, vel à gravamine præsenti, vel futuro litterarum Apostolicarum, vel avocant, vel faciunt avocare causas à Judice Ecclesiastico ad Judicem sæcularem; vide illum, & Scribentes in eo.

Quæst. 43. Si Regularis à suo Prælato injustè gravatus, recurrat ad Iudicem sæcularem, ad se relevandum à dicto gravamine; an incidat in dictam excommunicationem Bullæ Cœnæ?

1. ET dico, quòd hæc quæstio pendet ex illa, an Regii Ministri possint cognoscere causas Ecclesiasticas, sub prætextu prohibendæ violentiæ, seu defendendi oppressos, & malè tractatos, quæ cùm sit gravis, & difficilis, non uno ore deciditur.

2. Quidam enim recurrunt ad Privilegia, uti est Sapientissimus *Dominicus Bannes* Dominicanus, qui de *just. & jur. q. 67. art. 1. conclus. 6.* ait, *quòd Rex Hispaniæ habeat Privilegium à Summo Pontifice, ut possit causas Clericorum cognoscere, quando aliquis, etiam sæcularis conqueritur, quòd vim patitur à Judice Ecclesiastico, & tunc Judices sæculares poterunt judicare ex ipsa commissione Pontificis, an fiat vis, vel non? quæ res multum reprimit Episcoporum Vicarios ab insolentiis, nihilominus semper manet recursus ad Sedem Apostolicam*, hæc *ille*, cui subscribit *Michael Zanardus in Directorio Theol. p. 3. cap. 31.* sed opponit *Azor. 1. p.* suæ *summ. lib. 5. cap. 12.* §. *unum est*, dicens, quòd cùm ipse Romæ existeret, diligenter inquisivit de tali *Privilegio*; à *Bannes* relato, & in nullo Regestro potuit invenire: tamen hoc ejus dictum non probat, quòd Rex Hispaniæ illud *Privilegium* non habeat; potuit enim vel non registrari in *Indice* aliarum *Bullarum*, vel omisit *d. Pater* omnia Regestra requirere; satis est, quòd in tota Hispania ita practicatur; prout dicit *Portell. in dub. Regul. ver. appell. in additio. ad additionem, num. 4.* ex quo ibidem Rex Hispaniæ per dictum *Privilegium* dicitur esse Judex vis & gravaminis injusti, quæ fiunt Clericis à suis Judicibus Ecclesiasticis.

3. Alii verò tenent, hanc cognitionem non fundari in Privilegio Pontificis, neque in ejus tolerantia, sed in jure Regali, cujus officium est, vim tollere; ita *Cevallos in tract.* super hac materia edito, *de Violentia*, & maximè in *Gloss. 6. num. 47.* & alii infiniti, quos allegat *Diana 1. p. Moral. tract. 2. de Immunit. resolut. 13. & p. 3. tract. 1. eod. tit. resol. 53. & Martinus Bonac. tom. 3. de Censuris Bullæ Cœnæ, disput. 1. q. 15.* §. 4. post multos, ubi disputat ad partes, & eruditè solvit objecta.

4. Tu autem, prætermissis aliorum placitis, dic, quòd manifestè, & notoriè oppressus, in casu extremæ necessitatis tantùm, & per modum supplicationis, potest absque metu Censuræ, in suum adjutorium, Laicos invocare, & auxilium petere, hoc est, si infrà Ordinem non reperitur Judex competens, ad quem possit recurri, vel si sit longè distans, aut recusat se intromittere, & periculum est in mora; potest utique gravatus ad sæculares recurrere; tum quia casus necessitatis in omni lege censentur excepti; tum etiam, quia Jus Pontificium non derogat juri naturali, quod quivis habet ad se defendendum, & quo quislibet obligatur oppressos defendere; tum item, quia ita videtur esse decisum in *cap. transmissa, de for. comp. & in cap. filiis 16. q. 7.* ubi dicitur, Regem posse implorari, si Prælatus sit negligens; tum denique, quia suppliciter rogare Præsidem Laicum, ut amicabiliter, vel deprecativè procuret, suum Prælatum ab illato gravamine desistere, non est appellare; secus autem, si instaret hoc fieri authoritativè, & imperativè; hoc enim foret jus Ecclesiæ lædere.

5. Perinde Judex laicus veluti amicus, vel privata persona potest absque scrupulo monere Judicem Ecclesiasticum de illato gravamine, eumque hortari, ut auferat, vel ut appellationem admittat, partes audiat, & justitiam faciat, ut pax & quies sit in sua Ecclesia; prout latè *Portell. cit. loc. in additio. ad additionem, num. 4. & sequen. Rodr. in comp. resolut. 10. num. 14. in med. Sousa in Bull. Cœnæ, cap. 15. disp. 68. num. 2. & sequent. Bonac. ubi supra, num. 11. & 13.* ubi etiam quærit de impedientibus exequutionem Litterarum Apostolicarum; ad quæ faciunt tradita per *D. Reg. Tapia in lib. 3. Juris Regni, in cap. Finis præcepti charitas, & D. Regent. Capyc. Latro decis. 69. lib. 1.*

Quæst. 44. Appellare à Papa ad futurum Generale Concilium; an liceat?

1. REspondeo, quòd nefas & iniquum est, appellare à Papa ad futurum Generale Concilium; quia appellatio de jure est à minori ad majorem, seu superiorem Judicem provocatio, *2. q. 6. cap. omnis oppressus, & cap. si quis, & c. placuit, Syl. in sum. ver. appellatio, num. 1.* & constat ex decisis.

2. Papa autem non habet Superiorem in terris, & est de fide, ob quod judicat omnes, & à nemine judicatur. Secus non diceretur Summus Pontifex, nec Universalis Episcopus omnium Ecclesiarum, prout luculenter ostendit *Bellarm. lib. 2. de Concil. author. cap. 17. & 19.*

3. Nec validè, & sine injuria Superioris potest appellari à Superiore ad Inferiorem; etiamsi sententia Superioris manifestam injustitiam contineat, *Joann. Andr. & Abbas antiquus in cap. qualiter & quando, de Judic.* secus foret ordinem invertere.

4. Proinde, hi appellantes meritò excommunicantur à *Pio II.* ut constat ex ejus *Bulla*, edita sub anno Domini 1459. quæ incipit, *execrabilis*, & à *Julio II.* ut in sua *Bulla*, incip. *suscepti muneris, & in Bull. Cœnæ, can. 2.*

5. In-

5. Inſuper & habentur tanquam Schiſmatici, & de fide malè ſentientes; hæc enim appellatio ſapit quandam palliatam rebellionem, & ſchiſmatis ſpeciem.

6. Amplia hæc prædicta ad appellantes facto; quamvis verba non proferant, nec ſcripturam appellationis exhibeant, utpote ſi quis poſt mandatum Summi Pontificis conaretur univerſale Concilium congregare, ut mandatum dijudicet; quia majus eſt facto, quàm verbo appellare, ex *c. dilecti filii, de appellat.* & docet *Megal. lib. 3. cap. 2. q. 2. num.* 13. ubi latè de his appellationibus.

7. Amplia, ad auxilium præſtantes, *Novar. 2. p. ſum. Bullar. tit. de appellat. ſuper Bulla Pii II.* ubi examinat, an prædicta habeant locum in conſulentibus.

Quæſt. 45. *Appellare ad Divinum Tribunal, an liceat?*

1. R*Emigius Scropha q. 28. in Moralibus*, reſpondet affirmativè; & movetur ex multis. Primò, quia Deus eſt ſupremus Judex inter omnes Judices; ergo ſicuti ab uno Judice inferiori licet appellare ad Superiorem; ita & à quolibet terreno licebit appellare ad ſupremum Judicem cæleſtem; quia non videtur major ratio, quâ poſſim recurrere ad Superiorem, uſque ad Papam; & non uſque ad Deum.

2. Secundò; quia jus appellandi ſpectat ad Judicis ſuperioritatem, ut colligitur ex *cap. venientes, de appellat.* ſed Deus, ut dictum eſt, eſt ſuperior abſolutè, & omnino; unde dicitur Dominus judicii. *Iſai.* 30.

3. Tertiò; quia ita legitur in *Sacra Scriptura*, nempe in *Pſalmo* 16. ubi *David* vexatus perſequutionibus multis injuſtè, Deum appellat, ab ipſo petit cuſtodiri, & ab ipſo judicari vult: ibi, *de vultu tuo judicium meum prodeat*, in quo *loco Cajet.* ait: *quia oculi tui videbunt, non actis paſſione aliqua, ſed à rectitudinibus.*

4. Quartò, quia appellatio eſt introducta, ut per eam iniquitas Judicis, & imperitia corrigatur, ut conſtat ex deciſis; unde appellatio ſolet dici tiriaca contra venenum Judicis; ſed in omni Judice terreno poteſt reperiri, vel imperitia, vel iniquitas, non autem in Deo; ergo debemus uti tiriaca, & remedio appellationis contra venenum omnium Judicum, provocando ad Deum; cætera vide apud prædictum.

TRACTATUS UNDECIMUS.

DE SUCCESSIONE MONASTERII.

Quæſt. 1. *Monaſterium, an ſit capax habendi, & poſſidendi bona in communi?*

1. ET dico, quòd omnia Monaſteria, tam Virorum, quàm Mulierum, etiamſi ſint Mendicantium (præterquam Monaſteria Minorum de Obſervantia, & Capuccinorum, nec non Domus Profeſſæ Religionis Societatis Jeſu) ſunt capacia habendi dominium, & poſſidendi aliquid in communi, diſcretè tamen, ac moderatè, hoc eſt, quantum convenit Religionis ſtatui, & eſt neceſſarium ad humanæ vitæ ſuſtentationem; quia ſic poſſidere, non derogat ſtatui, nec minuit perfectionem; per ea multa, quæ eleganter docuit *D. Thom. in 2. 2. q.* 188. *art.* 7. & habetur expreſsè in *cap. expedit, 12. q. 1.* ibi, *quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis, poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profectò communes, poſſideri:* quod *ibid. Gloſſ.* probat ex multis, & poteſt eſſe verum; eò maximè, quia perfectio non conſiſtit eſſentialiter in paupertate, ſed in Chriſti ſequela; paupertas enim eſt ſicut inſtrumentum, & exercitium perveniendi ad perfectionem.

2. Hoc autem jus habendi dominium in communi, non eſt ſic accipiendum, quaſi quòd omnes Religioſi ſint beneficiarii, & quòd ad libitum poſſint diſponere de fructibus beneficii, vel quòd uti ſinguli ſint poſſeſſores bonorum Monaſterii, ſicut contingit in fundo multis communi, *l. per fundum, ff. de ſervitut. ruſtic. præd.* ſed quòd habent dominium, uti univerſi, hoc eſt, quòd collegialiter ſumpti, de conſenſu Capituli, ac nomine Monaſterii, poſſunt habere jus adminiſtrandi bona Eccleſiæ, ſecundùm Sacros Canones, id eſt, ad uſum d. Monaſterii, & Miniſtrorum neceſſitatem, ut conſtat ex *d. cap. expedit,* & latè docet *Navar. in comment. 2. de Regul. nu. 3. in fin. & Rodr. tom. 3. q. 29. art. 5.* ubi docent, quòd verũ dominium ipſi ſoli Deo competit, ſicut & dominium omnium aliorum bonorum donatorum, & relictorum Eccleſiis, & Ordinibus, & Monaſteriis capacib9 dominii; & quòd jus adminiſtrandi quæritur ſoli Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto, & ſolùm Jus ſupremum adminiſtrandi Papæ, uti ejus vicesgerenti; ſubalternatum verò Eccleſiis Parochialibus, ad uſum earum, & Miniſtrorum, ſecundùm Canones exercendum.

3. Dixi, ſubalternatum; quia Prælati Papa inferiores quidquid habent, habent à Papa, & ei tenentur obedire, adeò ut ejus mandata nequeant tranſgredi, ſine culpa, & pœna; quibus omnibus accedunt *Decreta Sac. Concil. Trid.* nempe *cap. 2. ſeſſ. 25. de Regul.* edita ſub hac verborum forma:

Nemini igitur Regularium, tam Virorum, quàm Mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur, nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium verò uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui Paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit: nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur: quòd ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut convictus fuerit, is biennio activa & paſſiva voce privatus ſit, atque etiam juxta ſuæ Regulæ & Ordinis Conſtitutiones puniatur.

Et *cap.* 3. cit. *loc.* *eadem ſancta Synodus concedit omnibus Monaſteriis & Domibus, tam Virorum, quàm Mulierum, etiam Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum Sancti Franciſci, Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de Obſervantia vocantur, etiam quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat; quòd ſi aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apoſtolica ſimilia bona poſſidere permiſſum erat, eis ſpoliata ſint, eadem omnia illis reſtituenda eſſe, decernit; in prædictis autem Monaſteriis, & Domibus, tam Virorum, quàm Mulierum, bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidenti-*

fidentibus, is tantùm numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, commodè possit sustentari, nec de cæterò similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta. hæc ibi.

Quæst. 2. *Monachus an quærat Monasterio?*

1. RΕspondeo, juxta vulgatam Regulam, quòd quidquid acquirit Monachus, Monasterio quærit, si sit capax bonorum; prout expressè deciditur in *Can. statutum* 18. *q.* 1. ibi, *quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat, & Abbatis sui arbitrio,* & in *Can. perlatum* 8. *q.* 3. ibi, *resque suas omnes, quas habere potuit, licèt sibi jure potuissent competere,* ubi *Gloss.* subnectit, *licèt ipso ingressu res sua Monasterio competerent,* & in *cap. cùm olim* 14. *de Privileg.* ibi, *& duo millia Marabitanorum, quæ acquisierat in Episcopatum jam promotus, Monasterio dederat memorato,* & in *cap. in præsenti* 8. *de probat.* in quo deciditur, quòd hæreditas Profitentium debetur Monasterio, & quòd per ingressum in Religionem evanescit fideicommissum, & habetur expressè in *auth. si qua Mulier, C. de Sacros. Eccles.* ibi, *si qua Mulier, aut Vir Monasticam vitam elegerit, & intraverit Monasterium, liberis non extantibus, Monasterio; quod ingreditur, res ejus competere jubemus, sed si persona, liberos habens, antequam de rebus suis inter alios disponat, Monasterium intret, liceat ei, postea inter eos dividere, legitima portione nulli diminuta triente, vel semisse, & quod eis non dederit, Monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter filios dividere voluerit, sua persona suis filiis connumerata, partem sibi retineat, quæ Monasterio competere debeat. Sed si post ingressum moriatur, antequam inter eos dividat, filii legitimam portionem percipiant, reliqua substantia Monasterio competente: nunc autem cùm Monachus factus esset, hoc ipso res suas omnes obtulisse videatur: si priùs testatus non sit, exinde judicio ejus cessante, lege disponitur, ut si liberos haberet, in quos, aut minus legitima portione, quoquo modo donandi titulo contulerit, eatenus substantiæ Monasterio destinatæ detrahatur, ne quid contingat circa liberos iniquum,* hæc ibi.

2. Quæ verba, ut jacent, repetuntur in *cap.* 9. *caus.* 19. *q.* 3. & de illis multa loquitur *Navar. comment.* 2. *de Regul. num.* 45. in quibus expende ly *Monasterio res ejus competere,* & ly *nunc autem cum Monachus esset factus, hoc ipso res suas omnes obtulisse videatur;* & hoc ideo, quia Religiosus in ipsa Professione, quam facit, duo actualiter dicat, & tradit Monasterio se, & secum omnia bona sua, jura, actiones, & quicquid habet, & potest habere, *auth. de Monachis, § illud quoque, auth. ingressi, C. de Sacrosanct. Eccles.*

3. Et hoc procedit non solùm quoad dominium, sed etiam quoad possessionem, ut docent *Scribentes in d. cap. in præsentia, de probat.* & latè *Navar.* cit. *loc. num.* 46. & habetur expressè in *cap. quia ingredientibus* 7. 19. *q.* 3. ibi, *nulla sit testandi licentia; quia ingressi non habent proprium, nec dominium, sed res eorum, ejusdem Monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretū est.* hæc ibi. Quamobrem Professi respectu Monasterii, censentur servi, vel filiifamilias, adeo ut de his in jure disposita locum habeant in Religiosis professis: dummodò disposita statui non repugnent, & eadem militet ratio.

4. Unde sicut servus & filiusfamilias possunt hæredes institui, & fieri legatarii, licèt non quærant sibi, sed Domino, vel Patri; ita & Professi, quamvis quærant Monasterio.

5. Et sicut servus & filiusfamilias non possunt testari, nec quidem donare, etiam causa mortis, ita pariter & Professi, *Navar.* cit. *loc. num.* 43. ubi notat, quòd omnes hi prædicti habent factionem testamenti passivam, & nullam activam.

6. Nec his obstat, quòd servus possit eligere sepulturam, argum. *cap. de uxore, de sepult.* & quòd idem valeat filiusfamilias, *cap. licèt, eod. tit. in* 6. non autem Religiosus, *cap. final. eod. lib. & tit.* quia non subest eadem ratio, quandoquidem servus & filiusfamilias quoad spiritualia non subjiciuntur Domini vel Patris imperio; secus autem Regularis, *cap. quorundam, & cap. si Religiosus, de elect. in* 6.

Quæst. 3. *Monachus an sibi primò, vel potiùs Monasterio acquirat?*

1. HÆc quæstio est ardua, nec uno ore definitur, teste *Claro,* cum suis *Addent. sentent. lib.* 3. *§. testamentum, q.* 30.

Tu autem secundùm probabiliorem & veriorem sententiam dic, quòd quidquid acquirit Monachus, quomodocunque & qualitercunque post Professionem non sibi, sed Monasterio immediatè acquirit, *Covarr. cap.* 1. *num.* 21. *de testament. Navarr. comment.* 2. *de Regul. num.* 30. *Vincent. de Franchis decis.* 40. ubi ex decisis sæpiùs in sacro Concilio Neapolitano dicit, bona Profitentium recta via transire in Monasterium, si sit capax bonorum, etiam secundùm Consuetudinem Neapolitanam, & cum eo plures *Legistæ,* quos allegat, & sequitur *Rodriq. tom.* 2. *q.* 77. *art.* 1. *Graff.* 2. *p. decis. aur. lib.* 3. *cap.* 19. *num.* 74. *Sanchez ad decal. lib.* 7. *cap.* 12. *q. ult. à num.* 35. *& sequent. Riccius p.* 4. *decis.* 340. tum quia Professus vi voti & Professionis elicitæ est incapax bonorum & dominii, *cap. cui portio, cap. nolo, & cap. non dicatis aliquid proprium,* 12. *q.* 1. *& cap. si Religiosus* 27. *de elect. in* 6. ubi dicitur, Professum non habere arbitrium, nec nolle, nec velle, ex quo præsumitur, esse mundo mortuum; tum etiam, quia profitens in professione prædicta irrevocabiliter tradidit Monasterio se, sibique delata, & deferenda, adeo, ut nec amplius propriæ vestis possit dici Patronus, *Gloss. in d. cap. non dicatis;* tum item, quia Monachus æquiparatur filio, qui acquirit Patri, ita directè, ac immediatè, ut quæsita, nec quidem momento penes acquirentem residcant, *l. placet, ff. de acquir. hæred.* & notat *de Franchis in fin. d. decis.* 40.

2. Proinde hæreditas delata Monacho ita acquiritur ejus Monasterio, ut nulla Monachi aditione sit opus, sed solum Monasterium sufficit adire. Item, quòd si Monachus ante aditam hæreditatem moriatur, non ob id illa restat in Monasterium transire; item quòd Religiosus non potest dictam hæreditatem sibi delatam adire, vel repudiare, sine licentia sui Superioris; & secus faciens, tam aditio quàm repudiatio est irrita; quia utraque potest esse nociva Monasterio: immò Monacho instituto repudiante, Monasterium præfertur substituto, tum quia Monachus non habet velle, nec nolle, ut dictum est, tum etiam, quia non potest præjudicare Monasterio, *Navar. in d. Comment.* 2. *de Regul. num.* 65. *Abbas in cap. quanto, de off. ord. num.* 5. *& Sanchez* cit. *loc. num.* 37.

3. Benè verum est, quòd si Monachus hæres institutus, legatum vel hæreditatem acceptet sine Superioris licentia, acceptatio erit valida; quia contractus utilis Monasterio factus à Monacho, prodest Monasterio ratificante; etenim aliud est loqui de lucro captando, & aliud de damno inferendo: non enim possumus lædere Ecclesiam in jure quæsito.

4. Amplia, ut Monasterium possit acceptare legata facta Fratribus, nedum ipsis invitis, verùm etiam & per ipsos acquisita, & in subditorum necessitates consumere, absque ullo consensu eorum, quibus fuit legatum, vel per quos fuit acquisitum; quia Monasterium habet dominium illorum, & nullus subditorum potest dicere, hoc est meum.

5. Amplia, ut legatum factum Fratribus cum illa clausula, *ut Prælatus Monasterii non se intromittat,* sit nullum,

lum, reſpectu ejus, cui legatur, & validum, reſpectu Monaſterii; tum quia illa clauſula, uti turpis habetur pro non adjecta; tum etiam, quia Religioſus non poteſt ſibi acquirere, nec aliquid retinere, etiam quoad uſum facti, ſine licentia Superioris: eſt enim incapax dominii, nec poteſt præſumi, quod intentio teſtantis ſit, ut aliquid Religioſo acquiratur contra votum paupertatis, & contra ejus capacitatem, *Rodr. tom. 2. q. 125. art. 6.*

6. Amplia, ut bona Translatorum remaneant penès primum Monaſterium, cui primò fuerunt quæſita, & Translatus non poteſt præjudicare, *cap. unic.* ſeu *ſtatutum 18. q. 5.* & habes ſuprà *in tract. de tranſeuntib. q. 57. & 58.*

Quaeſt. 4. Monachus an acquirat Monaſterio, in quo profeſſionem facit, vel Religioni in communi?

1. RESpondeo, quòd Religioſus Profeſſus ſi habeat filiationem in Ordine, uti eſt in Monachis, de jure illi Monaſterio acquirit, cujus eſt filius, & regulariter ejus eſt filius, in quo, vel pro quo naſcitur Religioni per ſuſceptionem habitus, *Syl. ver. hereditas 1. q. 7. num. 10. & Navar. in d. Com. 2. de Regul. num. 5. ver. quintò inſertur.*

2. Dixi, Regulariter; quia in Ordine Prædicatorum filius unius Monaſterii per Patrem Generalem, cum conſenſu eorum, ad quos ſpectat, juxta *declarationes textus 6. lit. H. diſtinct. 2. de ſtudent. cap. 14. fol. 181. col. 3.* poteſt fieri filius alterius Monaſterii; verùm hac transfiliatione ex uno in aliud non obſtante; bona quæſita primò, perſeverant in dominio, & poſſeſſione ejuſdem, *Tabiena eod. verb. quaeſt. 13. & Armill. num. 3.*

2. Profeſſi verò capaces bonorum in communi, ſi non habent filiationes in Ordine, non uni particulari Monaſterio, ſed toti Ordini quærunt; ita ut quæſita per eos poſſint per ſupremos Prælatos indiſcriminatim diſpenſari, ſecundùm Religionis neceſſitates; quia cùm in his Ordinibus, ut ſuppono, non ſint filiationes, non poteſt dici, quòd profitens hic ſit hujus Monaſterii filius; ſed potiùs totius Ordinis, vel Provinciæ; quia ubi non ſunt filii, nec reperiuntur Patres, & vice verſa; ſunt enim hæc relativa, quorum unum refertur ad aliud.

3. Perinde, hi poſt emiſſam Profeſſionem indifferenter removentur & aſſignantur, *D. Barthol. à S. Fauſto de Voto Paupertat. lib. 8. quaeſt. 39.*

4. Franciſcani autem de Obſervantia, Capuccini, & conſimiles, ex quo nec in communi poſſident, nec habent filiationes in Ordine, de jure novo *Martini V. & Pauli IV.* quoad uſum, & commodum pecuniæ, & omnium aliarum rerum, quæ ipſis conceduntur, quærunt Monaſterio, vel Ordini; quantum verò ad proprietatem, & dominium, Sedi Apoſtolicæ; *Rodr. tom. 2. q. 125. art. 6.* quid verò de jure veteri, vide *Navarr. comm. 2. de Regul. num. 3. & Azor. lib. 12. cap. 24. q. 5.*

Quaeſt. 5. Profeſſio ſolemnis, an transferat Profitentem in jus & poteſtatem Religionis?

1. AFfirmativè dic; quia Profeſſio Religioſa, qua Profeſſus verè & propriè efficitur Religioſus, ex *cap. porrectum, 13. de Regul.* & qua expreſsè vel tacitè promittitur Superiori in aliqua Religione, à Sancta Sede approbata, Obedientia, Paupertas, & Caſtitas, ex *cap. ad Apoſtolicam, eod. tit.* eſt quidam naturalis contractus reciprocus, ſeu mutuus inter Religioſum Profeſſum, & Religionem, ejus Profeſſionem acceptantem, ultrò citròque obligatorius, quo contractu, & Profeſſione media, Profitens ſe obligat in univerſum Religioni ſervire uſque ad mortem: & vice verſa, Religio ſe obligat, & promittit, ipſum Profeſſum ubique terrarum alere, defendere, & tueri, ſive ſanus, ſive infirmus ſit; quæ quippe obligatio naſcitur ex juramento, & profeſſione, ut latè dico in *tract. de Profeſſ. ſolemni, q. 1.* quo fit, ut Religio nedum jure naturæ, verùm etiam Jure Canonico, & Civili poſſit cogere & adſtringere ſuos Profeſſos ad ſibi obediendum, & ſerviendum in omnibus, quæ ſunt ſecundùm Regulam, & è contra Profeſſus poteſt ſuam Religionem convenire, ad exhibendum ſibi alimenta, & victui neceſſaria in omni loco; quamobrem Religioſus non poteſt ad ſui beneplacitum Religionem deſerere, nec Religio Religioſum dimittere. Unde ſicut dux belli, militiæ deſertores capit, & punit; & maritus ſua authoritate uxorem tanquam rem ſuam apprehendit, & Dominus ſervum fugitivum in domum reducit, & pœnis debitis plectit, ita à pari, Religio ſuos Apoſtatas, & ſui Religioſi ſtatus deſertores poteſt, immò tenetur quærere, capere, & juxta Regulam punire.

2. Hinc Profeſſus à Religione fugiens, peccat mortaliter contra juſtitiam, ex quo violat dictum pactum inter ſe, & Religionem initum, & venit contra votum, & jus Monaſterii lædit.

Quaeſt. 6. Bona Profeſſi an tranſeant in Monaſterium, ſi Profeſſus de illis anteà non diſpoſuit?

1. ET dico, quòd ſic, ſi Monaſterium habet jus ſucceſſionis; ſecus autem, tum quia bona ſequuntur perſonam, & veniunt in conſequentiam illius; at perſona Religioſi per profeſſionem tranſit in jus, & poteſtatem Monaſterii; ergo & ſimul cum illa tranſit poſſeſſio bonorum, ut dico *4. p. tract. de profeſſ. ſolem. q. 26.*

2. Tum etiam, quia non eſt rationi conſonum, ut dum quis ſe totum Deo dedicat, res ſuas faciat mundo ſervire: ſecus enim ejus dedicatio non diceretur plena, & poſſet res prædictas expendere in uſus prophanos, quod non decet, *Sanchez ad decal. lib. 7. q. 1. num. 4. in fin.* tum item, quia qui vult Chriſtum ſequi, ex conſilio ejuſdem ſua tenetur erogare pauperibus, juxta illud: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*; at inter pauperes, & perſonas miſerabiles Religioſi habent jus prælationis; quia hi ſunt pauperes ſpiritu, & recipiunt in æterna tabernacula; tum item, quia cùm Profeſſus à Monaſterio alimenta, & omnia victui neceſſaria debeat recipere, decet, ut illi potiùs ſua bona cedat, quàm aliis, à quibus nihil expectat; tum denique, quia Monaſterium habetur loco filii; qui ipſo jure debet ſuccedere in paternis bonis.

3. Dixi, de quibus non diſpoſuit; quia quivis, ſi aliàs ſit habilis ad diſponendum, poterit ante ingreſſum de ſuis bonis diſponere, & illa diſpoſitio valebit, prout dicitur expreſsè in *auth. de Monachis, §. illud*, & bona profitentis, ipſo jure, profeſſione ſequuta, pertinent ad inſtitutum, vel ad hæredes venientes ab inteſtato, ſi de illis non diſpoſuit, & Religio, in qua profitetur, ſit incapax bonorum: ſi autem ſit capax, & de illis diſpoſuit cauſa mortis, bona relicta, durante ejus vitâ, pertinent ad Monaſterium, per ea jura, quæ allegat *Covar. cap. 2. de teſtam. num. 6.* & latè *Navar. com. 2. de Regul. num. 50.* ubi ait, quòd Monaſterium ſuccedit in bonis Profeſſi mortui ſine teſtamento; etiamſi haberet liberos, excepta eorum legitima; & poſt multos *Megal. 1. 2. inſtu. confeſſ. lib. 2. cap. 14. q. 3. num. 18. & ſeqq. & Bonac. tom. 2. de contract. diſput. 3. quaeſt. 17. punct. 6. num. 7*

Quaeſt. 7. Bona Ingreſſi, ſi decedat ante Profeſſionem, an pertineant ad Monaſterium?

1. NEgativè dic, per ea multa, quæ dico in *tract. 4. de bonis Novitiorum, q. 25. & ſequent. Genuenſ. in prælicabilibus eccleſ. q. 462. & Navar. in cap. ſtatuimus, 19. q. 3.* ſeu *com. 4. de Regul. num. 7.*

Quæſt. 8. Renunciatio, qua Monachus ante ſuam Monachationem renunciavit hæreditatibus Parentum, an excludat Monaſterium ab omni ſucceſſione eorundem?

1. HÆc quæſtio eſt ardua, & pendet à ſolutione illius, an pactum de non ſuccedendo, ſeu de perdenda hæreditate valeat? De qua latè *Covarr. p.3. relect. in cap. quamvis pactum, de pact. in 6 in* §.1. *per totum. Afflictus deciſ.*161. *num.*3. *& ibi Urſill. num.*3. *Michael Craſſus* §. *ſucceſſio ab inteſtato, q.*10. latè *Sanchez ad decal. lib.* 7. *cap.*7. *per totum. Genuenſ. in practicabil. eccleſ. q.*258. & omnium optimè *D. Reg. Scipio Rouitus lib.*1. *conſ.*44. *D. Reg. Jo. Fran. de Ponte conſ.*40. *lib.*1. *Maſtrillus dec.*65. *Joan. Bapt. de Thoro* 2. *p. comp. deciſ. ver. renunciatio facta per filiam Monialem*, & alii plures, quos ſequitur Illuſtriſſimus *Carol. Maranta reſpon.*29. *par.*4. *à num.*15. *ver. ad rem verò.*

2. Qui quidem dicunt, Profeſſum, ſeu ejus Monaſterium, ob renunciationem univerſaliter factam excludi ab omni ſucceſſione Parentum, quorum hæreditatibus renunciavit; & habetur expreſsè in *cap. quamvis pactum, de pactis, in* 6. ibi, *nullum ad bona paterna regreſſum habebit.*

3. Proinde, non poteſt illis ſuccedere, ſi moriantur ab inteſtato; nam ſi Monaſterium ſeu ejus Profeſſus potiretur jure ſucceſſionis ab inteſtato, haberet utique regreſſum ad bona paterna, quod eſt expreſsè contra *textum dict. cap. quamvis pactum.*

3. Neque poteſt Parentum teſtamentum rumpere, ſi in eo fuiſſet prætermiſſus, aut exhæredatus; etiam ſine cauſa; quia ſolus ille, cui hæreditas debetur, gaudet hoc jure dicendi de nullitate teſtamenti; at huic, de quo agimus, nulla hæreditas debetur, ex quo tali hæreditati cum juramento renunciavit, ergo carebit hoc jure, *Molina tom.*1. *de juſt. diſput.*175. *ver. qui cum juramento*, & conſtat *ex textu l. cùm quæritur, C. de inoffic. teſtam.*

5. Quod totum procedit non tantùm in foro Eccleſiaſtico, verùm etiam ſæculari, *Gloſſ. ibid. ver. ſervari*, & hoc ob juramentum, quod firmat omne pactum, etiam impuberum, dummodò non ſit contra bonos mores, nec contra communem, aut publicam utilitatem, *D. Thom.* 2.2. *q.*89. *art.*6. *ad tertium, ibique Cajet. Craſſus ubi ſuprà, num.*4. *& Sanchez* cit. *loc. num.*2.

Quæſt. 9. Monaſterium an ſuccedat in bona Profeſſi jure Divino vel humano, & an ei poſſit derogari?

1. ET dico, quòd ſolo jure humano Monaſterium habet jus ſuccedendi in omnia bona Profeſſi, ab ipſo antè, vel poſt ſolemne votum quæſita, quomodocunque, nempe titulo emptionis, donationis, vel ſucceſſionis, aut quovis alio modo, & conſtat, tum ex *locis* citatis, quàm citandis, & maximè ex §. *ſi qua Mulier, auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis, &* §. *illud quoque, auth. de Monachis, & auth. ſi qua Mulier, & auth. ingreſſi, C. de ſacroſanct. Eccle. & C. ſi qua Mulier, & C. quia ingredientibus, cauſ.*19. *q.*3. & ſimilia, quæ comprehenduntur ſub jure humano, ultrà, quòd non reperitur Jus Divinum, quod de hoc diſponat, vel aliquid dicat.

2. Hoc autem jus humanum originem trahit à poteſtate civili, & afficit Monachos, non quia *Imperator* illud dixit; vel ex eo, quòd in *Decretis Gratiani* reperiatur inſertum; ſed quia *Gregorius Papa* illud poſuit in *Canone*, & voluit ab Eccleſiaſticis obſervari, ut liquet in *d. cap. quia ingredientibus*, ibi, *ſed res eorum ejuſdem Monaſterii juris fiant, aperta legis diffinitione decretum eſt.*

3. Poteſtas enim laicalis ex defectu poteſtatis nil poteſt in Eccleſiaſticis ſancire.

4. Quod verius dices, ſi advertas, alicubi huic juri conſuetudine derogatum eſſe; jus enim humanum per conſuetudinem poteſt abrogari, *Sanchez lib.*7. *decal. cap.*12. *q.*1. *num.*4.

Quæſt. 10. Monaſterium quod quis ingreditur, an ei ſuccedat loco filii, vel potiùs jure cujuſdam acquiſitionis naturalis & univerſalis acceſſoria ad translationem perſonæ?

1. SUnt qui affirmativè reſpondent ad quæſitum, & ſe fundant in *cap. in præſentia, de probat.* ibi, *quia tamen intelligendum non erat, ſine hærede decedere, qui Monaſterium ſibi hæredem inſtituit*, & in §. *ſed, & hoc præſenti, in auth. de Sanctiſſ. Epiſcopis*, ubi deciditur, quòd per ingreſſum Religionis evaneſcit illa conditio, *ſi inſtitutus ſine liberis deceſſerit*; & hoc ideo, quia Monaſterium cenſetur hæres, ſeu filius Profeſſi; etenim nomen hæredis capitur pro liberis; aliter ratio non concluderet, ut patet conſideranti illa verba, *ſine liberis.*

2. Prætermiſſa tamen Priorum ſententia, dicendum eſt, & veriùs. Monaſterium non haberi loco filii, quod evidenti ratione probatur; tum quia *in d. cap. in præſentia*, non dicitur, Monaſterium haberi loco filii, ſed hæredis; tum etiam, quia illa verba præcitati *Cap.* non ſunt verba *Innocentii Papæ*, ſed partis adverſæ; tum item, quia deciſio *Textus* non illis innititur, ſed verbis, §. *ſed, & hoc præſenti, auth. de ſanctiſſimis Epiſcopis*, ubi dicitur, hanc conditionem, *ſi abſque liberis deceſſerit*, haberi tanquam non ſcriptam, ut benè notat *Gloſſ. d. cap. ver. Monaſterium*, ubi dicit, quòd ingreſſus Monaſterium, fingitur habere hæredem; ergo, fictione juris eſt hæres, non autem propriè, verè, & realiter; unde inventarium conficere non tenetur; tum item, quia ſi Monaſterium haberetur loco liberorum, conditio appoſita diceretur adimpleta; tum item, quia *ibi* excipitur cauſa pia ſubſtituta; at ſi Monaſterium haberetur loco filii, ſicut verus filius, non foret neceſſe excipere cauſam piam; quia verus filius excludit quoque cauſam piam, & ſic de aliis inconvenientibus, quæ *Fel. in d. cap. in præſentia, num.*42. oſtendit ſequi ad opinionem contrariam.

3. Quapropter *Covar. variarum reſolut. lib.*1. *cap.*19. *num.*6. cenſet ex multis, erroneum eſſe dicere, Monaſterium haberi loco filii, *Afflictus deciſ.*83. *num.*14. *& ibidem Urſill. num.*10. *Vincentius de Franchis deciſ.*469. *num.*1. ubi dicit, quòd Monaſterium habeatur loco filii, nullo jure cavetur, quod latè oſtendit in *deciſ.*29. *& deciſ.*181. *num.*10. *Michael Craſſus* §. *hæreditas, q.*6. Illuſtriſſimus *D. Reg. Hector Capyc. Latro tom.*1. *conſult.*63. *num.*20. ubi dicit, quòd Monaſterium habeatur loco filii, eſt dictum vulgare, & oſtendit, unde venerit, *Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q.*148. *Sanchez* cum ſua Cohorte *lib* 7. *decal. cap.*16 *num.*1. *& ſequent. Barboſa in collect. d. cap. in præſentia, num.*1. *& ibid. Riccius in collect.*3074. *D. Donatus Antonius de Marinis quotidian. reſolut. cap.*88. *&* Illuſtriſſimus *Carol. Maranta controverſ. par.*4. *reſponſ.*22. *num.*6. & alii plures uno ore fatentur, Monaſterium non poſſe haberi loco filii, verè, & propriè; ſed fictione juris, & per quandam civilitatem; & quòd dato, & non conceſſo, quòd admittatur, Monaſterium haberi loco filii, hoc tamen non eſt extendendum ad alios caſus, in jure non expreſſos; quia à communi jure exorbitans, non eſt in conſequentiam trahendum; unde Monaſterium non venit nomine deſcendentium, nec ſuccedit Monacho jure hæreditario; quia hoc in jure non reperitur expreſſum; *Covar. & Afflict. ubi ſuprà*, ſed ſuccedit in bona Profeſſi, jure cujuſdam acquiſitionis naturalis, & univerſalis, acceſſo-

acceſſoriæ ad perſonam, juxtà *textum auth. ingreſſi, C. de Sacroſanctis Eccleſ. §. ſed, & hoc præſenti, auth. de ſanctiſſ. Epiſcopis*, ibi, *ipſo ingreſſu, ſe, ſuaque dedicat Deo*: ly enim *eo ipſo*, idem eſt, quod ipſo facto, quo quis ingreditur Religionem, & § *illud, auth. de Monachis*, ibi, *ſequitur omninò perſonam*; tum quia bona, naturali ſequela, ſequuntur perſonam, cujus ſunt, uti acceſſorium ſequitur ſuum principale; tum etiam; quia cum Ingreſſus de illis expreſsè non diſpoſuit, tacitè ſucceſſores à lege vocatos invitaſſe cenſetur, *l. conficiuntur, §. ſi quis cùm nullum, ff. de jure codicill. Bald. in l. Cunctos Populos, num. 17. ver. venio ad 2. C. de ſumm. Trinit. & Vincentius de Franchis deciſ. 45.* ubi latè oſtendit, quod ſi quis habet facultatem diſponendi de bonis ſuis, & non diſpoſuit, videtur tacitè diſponere in eum, qui ab inteſtato ſuccedit, quod pariter latè probat *4. p. deciſ. 600.*

4. Proindè ſuccedit, & illico adipiſcitur bona Religioſi, quoad dominium, & poſſeſſionem, nulla alia re expectata, hoc eſt, ſine aliqua traditione, ſine aditione acquiſitorum, ſeu abſque eo, quòd poſſeſſionem eorum capiat corporalem: hoc enim eſt proprium ſucceſſionis prædictæ, & liquet in bonis, quæ per arrogationem transferuntur cum perſona, in ipſum arrogantem, *l. ſi adoptavero, ff. de precario*, & docet *Gloſ. in cap. ſi qua Mulier, ver. non exiſtentibus, in fin. 19. q. 3. Genuenſ. in practicab. eccleſ. q. 149. Navar. com. 2. de Regul. num. 46. Rodr. to. 2. q. 80. ar. 2. D. Reg. Tap. in d. auth. ingreſſi, ver. ipſo ingreſſu, num. 3. Sanchez ad decal. cap. 12. q. 2. num. 23. & Ricc. collect. 2234.*

5. Quod intellige, nedum de bonis habitis à Monacho, tempore ingreſſus, verùm etiam & de acquiſitis poſt profeſſionem; quia ſicut Profeſſus in univerſum ſe, ſuaquè Deo dedicat; ità, & Monaſterium ſuccedit indefinitè; nulla enim reperitur differentia inter bona habita tempore profeſſionis, vel poſt habenda, & Monaſterium eſt capax utrorumque.

6. Dixi, hoc eſſe proprium acquiſitionis prædictæ; quia, eſto, quòd quis donet, & offerat Monaſterio omnia bona ſua, ſine translatione propriæ Perſonæ in illud, adhuc poſſeſſio eorum non transfertur, abſque traditione, & apprehenſione, licet translatio æſtimetur utilis, & eſt communis opinio *Doctorum*, teſte *Baldo in l. 1. C. de caduc. toll.* & eſt Privilegium inhærens Perſonæ translatæ, cum ſuis bonis, & non reperitur extrà illam.

7. Dixi, quòd poſſeſſio non transfertur; quia quòad dominium ſunt hinc inde opiniones, de quibus *D. Reg. Tapia in d. auth. ingreſſi, ver. in ipſo ingreſſu, num. 12.* vide illum.

Quæſt. 11. Renunciatio jurata, an excludat filium renunciantem à legitima portione, quæ ei aliàs jure competeret in bonis paternis?

1. HÆc quæſtio eſt difficilis, & in ea ità variant *Doctores*, ut utraque cenſeatur communis, *Grammaticus deciſ. 57. num. 26. Matth. de Afflictis, deciſ. 178. Craſſus ſentent. § legitima*, multis citatis *q. 3. num. 9. ver. quaero item, & Genuenſ.* poſt multos *in practicabil. Eccleſ. q. 258.* dicunt, renunciationem, etiam univerſalem, & juratam quomomodocunque, non extendi ad legitimam portionem; nec ad ſupplementum, & ſe fundant in *l. ſi quando, §. generaliter, C. de inoffic. teſtam.*

2. Verùm, *Covar. tom. 1. in d. cap. quamvis, de pactis, §. 3. num. 3. Menoch. conſil. 71. Cevallos* in ſuis *quæſt. commun. per totam quæſt. 116.* & alii multi, quos allegat *Sanchez* cit. *loc. num. 4.* tenent, & verius, per hanc pactionem juratam Filium excludi etiam à legitima portione, quæ ei alioquin jure competebat in bonis maternis, & conſtat ex *d. c. quamvis*, ibi, *dicitur, filiam ob pactum juratum, nullum habere regreſſum ad bona paterna*, quod verum non eſſet, ſi legitima ei deberetur.

3. Nec officit huic ſententiæ *d. §. & generaliter*; quia *ibi* non tractatur de hac renunciatione, ſed de ſecuritate facta hæredibus Patris per filium, qua cavet, ſe legatum à Patre relictum accepiſſe, nec adjecit, nullam ſibi ſupereſſe de hæreditate quæſtionem, quæ cautio maximè differt ab ea pactione, qua filia Paternæ hæreditati renunciat; etiam ſi nulla juramenti vis acceſſiſſet, prout ex multis oſtendit *Covar.* cit. *loc. in fin.*

4. Benè verum, quòd hujuſmodi filius, ſeu filia renuncians, poſſet petere alimenta, ſi aliundè ea non habeat; etiam ſi cum juramento, juri alimentorum renunciaverit; quia alimenta naturali jure debentur, cui prædictum *Capuulum*, in caſu neceſſitatis non poteſt adverſari; *Rodr. 1. p. ſum. cap. 10. de alimentis, concluſ. 5.* habita tamen priùs relaxatione, ſecus petens peccaret, ob fractionem juramenti, *Covar.* cit. *loc. 2. p. relect. §. 6. concluſ. 17. in fin.* ubi etiam ex multis oſtendit, quòd non poteſt renunciari juri alimentorum.

5. Hinc Renunciatio, per filiam Monialem facta Patri dotanti, in beneficium eius fratrum, qui poſt Patris obitum deceſſerunt, aliis non relictis hæredibus, excludit Monaſterium, non autem Agnatos à jure ſuccedendi in bonis prædictorum; & hoc ideò; quia hujuſmodi renunciatio cenſetur realis, non autem perſonalis, & ob id eſt perpetua, & non temporalis, adeò, ut perpetuò excludat renunciantem, & ex eius perſona Monaſterium, à jure ſuccedendi in bonis, tam Paternis, quàm Maternis, Avernis, Ziernis, Fraternis, & Conſimilibus, quibus ſe abdicavit, eo planè modo, ac ſi mortua omninò fuiſſet, nec amplius eſſet de numero viventium, juxtà *Ulpiani* verba in *l. 1. §. quibus ex edict. ff. de ſucceſſor. edicto.* prout latè *D. Reg. Scipio Rovitus* in propriis terminis *conſil. 44. num. 7. & 13. lib. 1.* ubi refert, ità fuiſſe deciſum poſt longam diſputationem, die 27. Junii 1613. Junctis Conſiliariis Trium Aularum in Cauſa Cæſaris Pignatelli, cujus adverſæ Partis argumenta refert *D. Joan. Bap. de Thoro in comp. deciſ. p. 2. ver. renunciatio facta per filiam Monialem*, & alii plures, quos ſequitur Illuſtr. *Carol. Maranta reſponſ. 29. p. 4. num. 15. & 49.* Cætera, quæ poſſent occurrere circa renunciationem univerſaliter factam, vel cum aliqua limitatione, ad favorem alicujus, vel nullius, vide apud *Michaelem Craſſum, Covar. & Sanchez* cit. *loc.* quia longa manu ferè omnia dicunt.

Quæſt. 12. Monaſterium ex perſona Profeſſi illegitimi, legitimati tamen per ingreſſum Religionis, an poſſit petere legitimam in bonis paternis, & dicere teſtamentum nullum, ſi prætereatur?

1. GEnuenſ. *in practicab. Eccleſ. q. 259.* poſt multos allegatos reſpondet affirmativè; quia ſicut Illegitimus per oblationem Curiæ, ſtatim fit legitimus, *§. quod verò, & §. quis igitur, in auth. quibus modis naturales efficiuntur ſui*: ità, & fortius, filius intrans Religionem, in qua fit oblatio Curiæ Cœleſti, legitimatur: Curia enim Cœleſtis præfertur Terrenæ, *Felin. in cap. cùm deputati, num. 2. de judiciis.*

2. Proindè, Illegitimus in Religione, quam ſubiit, poteſt fieri Sacerdos, & miniſtrare Altari, prout expreſsè dicitur in *cap. 1. diſtinct. 56. & cap. 1. de filiis Presbyt. & cap. ad abolendam*, adjuncta *Gloſſa eod. tit.* etenim Religionis ingreſſus tollit irregularitatem, & ingratitudinem *19. q. 6. cap. liceat*, & omnem maculam abſtergit, *d. auth. de Monachis, in principio*; & omnem infamiam aufert, per ea multa, quæ dico in *tract. 3. de qualit. recipiend. q. 4.* undè, favore Religionis habetur pro legitimo, & naturali, ſicut quilibet alius legitimus, & naturalis, & eſt com-

munis opinio, quamobrem poteſt adjuvare Patrem, quòad immunitates, ei ratione numeri filiorum competentes; item quòad excuſationem tutelæ; quia ſicut filius legitimus, & naturalis mortuus in bello, juvat Patrem, *Inſtitut. de excuſat. tut.* §. 1. ſic pariter filius ingreſſus Religionem, *Rebuff. in l. 1. C. de his, qui numero liberorum, lib.* 10. & ità deciſum refert *Vinc. de Franch. p.* 4. *dec.* 532. Et egregiè *Reg. Moles dec.* 43. *ſub tit. de eo, qui habet duodecim filios, fol.* mihi 167. in manuſcriptis, hinc poteſt petere legitimam portionem in bonis paternis, & paternum teſtamentum rumpere, ſi in eo fuerit prætermiſſus.

3. Nec objicies, quòd Religioſus reputatur mortuus; quia quòad favorabilia cenſetur vivere, & mortui pro Cœleſti Patria, proſunt; ſicut mortui pro temporali Patria; immò, Monachus potius vivit, quàm ille, qui moritur in Bello: ſpiritualia enim ſunt potiora temporalibus, prout latè *de Franchis, ubi ſuprà, num.* 5. *& ſequentibus.*

Quæſt. 13. ***Monialis, cui fuit dos relicta à Patre, ſi moriatur antè profeſſionem, an poßit de ea diſponere, ad utilitatem Monaſterii?***

1. RESolutio hujus, pendet ex illa, an filia maritanda à Fratribus, tranſmittat hæreditatem antè nuptias, ſtante ſtatuto excluſivo fœminarum? ad quam *Bartol. in l. Titio centum, §. Titio genero, ff. de conditionibus, & demonſtrationibus,* reſpondet negativè, ex quo putat, legatum hujuſmodi, utpotè, *relinquo mea filia, ut nubat, vel ut fiat Monacha* eſſe conditionale, quod per filiam non poteſt tranſmitti, niſi conditione adimpleta.

2. *Baldus* verò in *l. ſancimus, C. de nupt.* reſpondet affirmativè, & melius; quia dos ſuccedit loco legitimæ, quæ à filia ſtatim poteſt peti, adita hæreditate per maſculos ſuperſtites, non expectata nubili ætate; omnis enim dilatio removetur, *l. quoniàm in prioribus, C. de inoffic. teſtam.* quem ſequuti ſunt Graviſſimi *Doctores*, quos citat *Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q.* 261. ubi dicit, hanc *Baldi* opinionem eſſe communem contrà *Bartolum*.

3. Proindè, poteſt filia, ante nuptias, ſeu ante profeſſionem, de dicta ſua dote diſponere, ad favorem Monaſterii, vel aliorum, omni dubio procul, quod eſt valdè notandum.

Quæſt. 14. ***Si Pater inſtituit hæredem univerſalem Filiam, ſi Monialis efficiatur, ſecus, eam inſtituit in legitima, an ſi nupſerit, lucretur totam hæreditatem, rejecta conditione Monachationis?***

1. HÆc quæſtio habet ſuos Achilles hinc inde, quos allegat *Genuenſ.* in ſuis *practicab. Eccleſ. q.* 261. quibus prætermiſſis, reſolutivè dicas cum *Baldo in auth. cui relictum, C. de indict. vid. tollend.* quòd ſi legatum fuerit Virgini, ſub conditione, *ſi intraverit Monaſterium,* ſervanda eſt conditio, quandoquidem voluntates defunctorum, nihil illicitum continentes, fruſtrari non debent, §. *quæ verò, in auth. de nupt.* ſed legatum hujuſmodi, nedum non eſt illicitum; ſed eſt pium, & Sanctum: quis enim Chriſtianorum audebit dicere, quòd ſit illicitum, incitare Virginem, ut ingrediatur Monaſterium, & Altiſſimo ſerviat, & ut ſequatur conſilium *Apoſtoli*, immò *Chriſti*, dicentis, *ſunt multi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum*; niſi hæretico fallatur ſpiritu.

2. Confirmatur; nàm ſi illa conditio, *ſi Titio nupſerit,* debet omninò ſervari, ad hoc, ut detur locus legato, *l. Titio genero* §. 1. *ff. de condict. & demonſtrat.* multò magis ſervari debet illa, ſi Deo ſe deſponſaverit per Religionis ingreſſum: tum quia argumentum deſumptum à matrimonio carnali, procedit in matrimonio ſpirituali, *cap. inter corporalia, de translat. Afflictus deciſ.* 348. *num.* 4. tum etiam; quia ſpiritualia ſunt potiora corporalibus, §. 1. *in auth. de Monachis, ibique Gloſ. in ver. ceſſionem,* & docet ex multis *Archid. in cap. ſcripturis* 8. *q.* 1.

3. Proindè, ſicut ſpe lucri poteſt quis invitari, & ſollicitari ad matrimonium carnale, ità multò fortius, & melius, ad matrimonium ſpirituale; quia hoc, ut dixi, præſtantius eſt, ut in *auth. de Sanct. Epiſcopis,* §. *ſed, & hoc præſenti, & in auth. ſi qua Mulier, C. de ſacroſanct. Eccleſ.*

4. Nec dices, quòd timor amiſſionis hæreditatis, ſub ea conditione legatæ, ſit quædam pactio, vis, & pœna, cogens Virginem ad ingrediendum Monaſterium; contrà diſpoſitionem *Conc. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *&* 19. *de Regul.* Quia conditio prædicta, non poteſt dici pœna, nec coactio, ſed quædam invitatio, & allectio ad majus bonum, nempè ad ſequendum *Chriſtum*, juxtà conſilium *Pauli*, eo magis; quia tam legans, quàm legataria ingreſſura, ſcit legatum præfatum, per Religionis ingreſſum amitti, etiam quoad legitimam, & tranſmitti in Monaſterium, quoad uſum, & proprietatem; juxtà *cap.* 2. *Conc. Trid. eod. titulo:* undè non poteſt præſumi, quòd filia prædicta ingrediatur Monaſterium, ut ſibi lucretur, ſed potius, ut etiam & legitima privetur.

Quæſt. 15. ***Statutum; quòd ingrediens Religionem non ſuccedat, an valeat?***

1. BArtol. in l. final. in 1 lectura, num. 6. C. de pactis, & Baldus l. Deo nobis, §. ſic etiam, num. 8. C. de Epiſcopis, & Cleric.* quos multi ſunt ſequuti, cum quadam limitatione, reſpondent, *aut ſtatutum loquitur de ingreſſis, ut ſi dicat, volumus, ac ſtatuimus, ut ingreſſi Religionem, & Monachi non ſuccedant: & ſic eſt irritum, aut loquitur de ingredientibus, nempe, ſi dicat, ut ingrediens ſit inhabilis ad ſuccedendum, & ſic valet,* ducunturque ex eo; quia ſtatutum primo modo latum, tangit homines, jam effectos Religioſos; at Laici ex defectu poteſtatis, nihil validum poſſunt ſtatuere contra perſonas Eccleſiaſticas, abſque eo, quòd lædant libertatem Eccleſiaſticam, etenim exploratiſſimi Juris eſt, quòd Superior, ſubditos tantum ſuos poteſt ſua lege ligare, Eccleſiaſtici autem non ſunt laicorum ſubditi, ergo nequeunt eorum ſtatutis vinciri.

2. In ſecundo autem caſu dicunt, *ſtatutum valere; quia reſpicit tempus ingreſſus, in quo veſtiendus eſt laicus, perindè poſſunt laicorum lege ligari, & inhabilitari ad ſuccedendum:* hæc ille.

3. Verumtamen, Graviſſimi *Doctores*, quos allegat, ſequiturque *Didacus Covar. tom.* 1. *p.* 3. *relect. de pactis,* §. 2. *num.* 4. *in fin.* invehunt contrà *Bartol.* & eius Sequaces, dicuntque prædictam diſtinctionem eſſe verbalem, & ex multis infrà ponendis oſtendunt, eſſe falſiſſimam in utroque caſu, *Matth. de Afflictis deciſ.* 348. *num.* 4. remiſſivè, *Michael Craſſus, ſent.* §. *ſucceſſio ab inteſtato. q.* 8. *num.* 3. *Emanuel Rodr. tom.* 2. *q.* 77. *art.* 3. latè *Sanchez lib.* 7. *ad decal. cap.* 12. *à num.* 16. *Marcell. Megal.* 1. 2. *inſtit. Confeſſ. lib.* 2. *cap.* 27. *q.* 3. *num.* 31. *& var. tom.* 2. *reſolut.* 115. *per totum*, ubi agit, & invehit contrà *Statutum Mutinenſe. Ricc.* 3. *p. Deciſ. Cur. Archiep. Neapol. deciſ.* 178. *Genuenſ. in practicab. Eccl. q.* 148. & alii quamplurimi, quorum ratio poteſt eſſe multiplex.

4. Primò; quia Monaſterium de jure civili, ut in *auth. de Monachis,* § *illud, quoque, auth. ingreſſi, C. de Sacroſ. Eccleſ.* ac etiam de jure Canonico, ut in *Can. ſi qua Mulier, cauſ.* 19. *q.* 3. *& cap. quia ingredientibus* 19. *q.* 2. *& cap. in præſentia, de probat.* habet ſuccedere in bona, actiones, & jura Profitentium in eo, ſi ſit capax bonorum, ut dictum eſt ſuprà; at nullus, Papa excepto, poteſt facere ſtatuta contraria juri Canonico, ut latè docet *Cardin. in conſ.*

consil. post *Hostiens. in cap. final. de offic. Archiep. & Joann. Andr. in cap. final. de appellat. & cap. quod super his, de major. & obedient. & cap. inferior. 1. distinct.*

5. Secundò; quia Monasteria capacia habent jus succedendi in bonis Professorum, ex multiplicibus Privilegiis, & maximè Conventus Dominicanorum, qui ex *Privilegio Clem. Papæ IV.* & aliorum habent succedere, ac si essent in sæculo.

6. Nec dices, Privilegia Summi Pontificis in favorem Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum concessa, non habere locum in terris, in quibus Papa non exercet jurisdictionem temporalem: quia hoc est falsum, & temerarium, immò & hæreticum: non enim possumus dicere Romano Pontifici, cur ità facis? nam judicat omnes, & à nemine judicatur, & eius Diœcesis est universus Mundus, in quo etiam de bonis temporalibus, in ordine tamen, ad finem spiritualem, ut hîc consideratur, potest disponere, absque ulla controversia, ut docent Catholici, & praxis observat.

7. Tertiò; quia dispositio contrà Religionem, censetur esse contrà favorem publicum, cujus favore quis cogitur vendere rem propriam, *l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. funer. l. jus publicum, ff. de pactis*; proindè, non potest sustineri, aliàs multi retraherentur à Religione, & sic esset impeditiva vitæ contemplativæ, quæ est melior activa, *cap. cùm infirmitas, de pœnit. Genuens.* cit. *loc.*

8. Quartò, statutum fundatum in odium matrimonii carnalis, ut si quis statueret, ut filii nati ex tali matrimonio, amittant nobilitatem, vel non possint succedere suis Consanguineis, est nullum, & irritum, ex *Conc. Trid. sess. 24. cap. 9. de reformat. matrim.* ubi deciditur; quòd nec Principes sæculares, nec alii, quovis modo directè, vel indirectè, sub pœna excommunicationis possunt prohibere, quominus matrimonia liberè contrahantur; quæ quippe *Tridentina* dispositio debet habere locum in matrimonio spirituali: valet enim argumentum de uno ad aliud, ut dictum est suprà, & constat ex *cap. inter corporalia, de translat. Prælat.*

9. Ergò sicut conditio impediens matrimonium carnale, rejicitur favore matrimonii; ità & impediens matrimonium spirituale, favore Religionis; quia utrobique eadem est ratio: si enim ingrediens Religionem, fit inhabilis ad succedendum, non reperietur, qui volet esse Monachus: etenim ad se cavendum à tali pœna, nunquàm voluerit habitum suscipere; & sic saltem per indirectum impediretur matrimonium spirituale, quod esse non potest, absque lapsu censuræ, & damno Religionis.

10. Quintò, hoc statutum laicorum, quod specialiter de Religiosis disponit, est nullum, sive loquatur de ingrediente, sive de ingresso; nam quibusvis verbis concipiatur hujusmodi statutum, eius effectus dirigitur ad tempus, quo ille est ingressus Religionem, & in ea profitetur; nam usque ad illud instans, quo verè professus est, non excluditur à successione, nec illius incapax redditur: sed ita est, quòd in illo tunc profitens, est verè Religiosus, & omninò exemptus à jurisdictione sæculari; ergo tunc temporis non potest laicorum statuto ligari; quia non est subditus, & aliàs statuentes, lædunt Ecclesiasticam libertatem.

11. Confirmatur; quia idem est, fieri aliquid tempore inhabili, & eius effectum conferri in tempus inhabile, ut clarè deciditur in *l. quod sponsæ, C. de donat. ante nuptias*; ergo; quamvis statutum hoc fiat ante ingressum, & sic tempore habili, erit irritum; eò, quia eius effectus confertur post ingressum, & in tempus inhabile, ut de communi opinione *Doctorum* contrà *Bartol.* docet *Decius in cap. Eccles. Sanctæ Mariæ, num. 188. de Constit. & in l. fin. C. de pactis, ibidem Angel. & Bald. in l. omnes Populi, tit. 7. ver. sed quid si statutum diceret, ff. de just. & jur. Paulus de Castro in l. si quis id, quod, ff. de jurisdict. omn. judic.*

12. Hinc, benè dixit *Rodr. ubi suprà*, quòd ista differentia est tantùm verbalis, eo, quòd qualitas juncta verbo, intelligitur secundùm tempus verbi, at statutum dicit, quòd ingrediens, cui antequàm non ingrederetur, non erat quæsita hæreditas, unde sequitur, quòd verba statuti referuntur ad ingredientem post ingressum, & sic includunt personam Ecclesiasticam, ut rectè advertit *Fulgosius*, contrà eundem *Baldum in l. Deo nobis, ver. omni modo, C. de Episcopis, & Cleric.*

13. Confirmatur; quia illa statuta dicuntur esse contrà Ecclesiasticam libertatem, quæ sunt contrà Privilegia concessa Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis à Domino Papa, vel ab Imperatore, ut docent indifferenter *Doctores*; ergo erit nullum statutum, quo cavetur, ut bona, jura, & actiones volentium Religionem ingredi, pertineant ad venientes ab intestato, si eorum sequatur professio, & professus ipse ante sui Monachationem de illis legitimè non disposuerit, tum quia tale statutum est contra jus Civile, & Canonicum, ut dictum est suprà; tum etiam, quia est contrà multa Privilegia, nobis ab Imperatore, & Papa concessa.

14. Nec obstat dicere, quòd tale statutum loquitur de ingrediente, & non de ingressis; quia est idem per diversa, ut dictum est.

15. Nec replices, quòd Privilegia ab Imperatoribus concessa, possunt ex justa causa nobis auferri; quia ubi semel transierunt in posse Ecclesiæ, & fuerunt ab Ecclesiasticis acceptata, non possunt amplius, sine consensu Papæ revocari, nec præsumitur justa causa revocandi, per ea, quæ dicit *Sanchez* cit. *loc. num. 18.* & egomet *tract. 13. de revocat. Privil. q. 4. p. 1.* quia censentur concessa in remunerationem multorum, quæ Imperatores ab Ecclesia receperunt.

16. Et tandem, hoc hodie, meo videri, est de fide tenendum; quia ita in facti contingentia fuit decisum per *Clem. VIII.* ut constat ex eius *Brevi*, incip. *cùm sicut exponi nobis*, edito, die 2. Decembris 1599. & per *Paulum V.* sub die 4. Aprilis 1615. quod refert per extensum *Marcell. Megal. 112. instit. confess. lib. 2. cap. 27. q. 3.* post *nu. 37. fol.* mihi 467. ex quo consimile statutum Civitatis Ferrariæ, fuit dictum esse revocandum, & à libris abolendum, uti illicitum, & contrà libertatem Ecclesiasticam; prout de facto fuit abolitum, juxtà *auth. Cassa, C. de Sacros. Eccles. & Constit. Freder. de statut. & consuet. in usibus feudorum, & cap. noverit, de sent. excom.*

17. Secus, tam Conservatores, quàm Judices Judicantes secundùm tale statutum, essent excommunicati, juxtà *textum d. cap. noverit*: immò, & ipso jure infames, ut in *d. Constit. Freder.* quod amplia ad consulentes, item ad non impedientes exequutionem hujusmodi Municipalis Constitutionis, latæ in odium Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum.

Quæst. 16. Monasterium succedens Monacho, an teneatur conficere inventarium, & non facto, an teneatur ultrà vires hæreditatis?

1. INventarium est libellus, in quo bona hæreditaria, vel etiam alia, apud aliquem inventa scribuntur, secundùm praxim Curiarum, quod quidem hæredi facere est utile; quoniam si non fecerit, tenebitur de omnibus legatis, & debitis, si autem fecerit, gravari non poterit ultrà vires hæreditatis, modò cœperit illud facere infrà legitima tempora, nempè, infrà triginta dies à morte testatoris, vel postquàm scit, se institutum hæredem, & scribat omnes res defuncti, manu Notarii Curiæ coram testibus, & loci Prætore, auditis, & citatis interesse prætendentibus, & faciat, & perficiat intrà sexaginta alios dies,

dies, vel intrà annum, si res sunt remotæ, & in aliena Provincia, secundùm *Legistas* in vulgata *l. final. C. de iure deliberandi.*

2. Hoc verò inventarium Monasterium non tenetur conficere, quando succedit Monacho, vel eius Parentibus; quia non succedit jure hæreditario; ut quidam dixerunt; sed jure cujusdam acquisitionis naturalis, ut constat ex decisis, & docent *Felin. in cap. in præsentia, de probat. num. 41. Bartol. auth. ingressi, in 2. lectura, num. 58. C. de sacros. Eccles. & Baldus in l. final. num. 4. & 5. C. de jure deliberandi*, & est communis sententia *Legistarum, Crassus in §. hæreditas, q. 6. in fin.* Proindè, eo non confecto, nullo modo tenetur solvere, ultrà vires hæreditarias, & quando succederet jure hæreditario, & inventarium non faceret, neque de eo teneretur, *Genuens. in practicab. Eccles. q. 475. Ricc. in collect. 1102.* latè *Novar. in prax. miserab. person. Privileg. 133. & D. Reg. Rovit. in pragmatic. 1. de legat. piis, num. 11.* cum *seq.* ubi etiam probat, è contrà hæredem non conficientem inventarium, teneri Ecclesiæ de proprio; quia non est par ratio præsumptæ fraudis, quod est valde notandum.

3. Bene verum est, quòd quando aliqua hæreditas defertur Monacho, & adit, Monasterium potest compelli à legatariis, facere inventarium, non sumptibus Monasterii; sed petentium fieri; quia quod tibi non nocet, & alteri prodest, debet admitti; argum. *l. 2. §. item varus, ff. de aqua pluvia*, ibi, *qui factus mihi prodesse potest, ipsi nihil nociturus est, hæc æquitas suggerit, etsi jure stricto deficiamus, Sanchez lib. 7. ad decal. cap. 12. num. 34.* ubi ex multis notat, quòd Monasterium ad petitionem legatariorum, & creditorum, tenebitur pati, bona Professi describi, ex quo hoc est generale in omnibus, inventarium facere, non obligatis, ut late *Molina lib. 1. de primogen. cap. 15. num. 34.*

4. Amplia, ut etiam in foro conscientiæ, Monasterium teneatur registrare bona Religionem intrantium, quæ si forte sunt restituenda, sine lite, & fraude restituantur, quibus competunt: potest enim esse, ut ingressus habeat ascendentes, vel descendentes, qui in eius bona sunt successuri, vel creditores, quibus etiam est satisfaciendum.

Quæst. 17. Religiosi Mendicantes, an possint esse testes ad beneficium Monasterii?

1. QUòd Religiosi possint esse testes, tam judiciales, quàm cujuscunque contractus, non est qui dubitet, habetur enim expressè in *cap. nuper 2. de testibus*, ibi *nullius testimonio, quantumcunque Religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi*, & in *auth. de Monachis, §. cogitandum*, & ratio esse potest; quia quilibet non prohibitus, potest esse testis; dispositio enim pœnalis est stricti juris, nequitque extendi ad casus non expressos; at in jure non reperitur expressum, quòd Religiosi non possint testificari, seu testes esse, *Angel. ver. testes num. 1.* immò oppositum, quòd scilic t possunt esse testes, quod verum censeo, etiam respectu Fratrum Minorum de Observantia, Capucinorum, & similium. Testes enim non tangunt pecuniam, nec aliquid judiciale exercent, ob quod non possunt à testificando repelli, *Angel. cit. loc. num. 3. D. Reg. Capyc. Latro decis. 10. lib. 1.*

2. An autem possint esse testes ad beneficium Monasterii, in quo habitant? quæsitum est; & resolvitur affirmativè; quia, etsi testes producti de propria familia, non admittantur. Tamen illi de Collegio admittuntur super facto, vel non facto à Collegio ipso, prout clare habetur in *c. 3. loco 5. de probat.* ubi singulares de Universitate, ad commodum Universitatis reprobant Instrumentum falsò confectum, nomine Universitatis; tum quia, quando factum est tale, quòd per alios probari non potest, admittuntur testes de familia, ex *cap. veniens* [illegible] *de testibus*; tum etiam; quia pars Communitatis testificatur in eo, quod resultat, non ad speciale singulorum commodum, sed ad Communitatis, & Universitatis utilitatem, non potest dici, quòd testificetur in propria causa, quia id, quod in Communitatis utilitatem, & non singulorum immediatè vergit, non potest dici singulorum proprium; tum item; quia Regulares carent proprio, ut benè notant *Bartol. in l. in tantum 3. num. 1. ff. de rerum divisione, & Farinacius* eruditè, ac latè, multis citatis in *tract. de Testibus q. 60. num. 468. Syl. ver. testamentum q.* [illegible] *in med. & Sanchez, ad Decal. lib. 6. cap. 13. conclus. 4. num.* 100. proinde, cum Monasterium repetit Professum, possunt illi de Conventu adduci pro testibus super professione facta ab illo, qui repetitur, quia causa non est singularis, sed Monasterii; & sic non dicuntur testificari in causa propria, ut clare dicitur in *d. cap. nuper, de testib.*

3. An autem exigatur Superioris licentia, ad hoc, ut Religiosus testis sit Judiciarius, hoc est, ut deponat in Judicio: difficultas est, quæ deciditur affirmativè per *Angel. in ver. testis, num. 3. & Syl. ver. Testam.* cit. *loc.* quia Judex coram quo facienda est depositio, petiturus est juramentum ab eo Religioso, quem intendit examinare; quia non creditur testi, nisi jurato; Judex autem, ex quo non est illius Religiosi Superior, non potest ab illo exigere juramentum, nec sponte Religiosus potest se ei subjicere: perinde, indiget delegata auctoritate, *Speculator tit. de teste, §. 1. num. 36. & Abbas in cap. cùm Nuntius, num. 4. de testib.* quæ quippe licentia non requiritur, ut Regulares sint testes Instrumentarii, hoc est, ut scribantur in aliquo Instrumento; quia hoc nullibi interdicitur, nec id est, alicui jurisdictioni alienæ se submittere, *Farin. cit. loc. q. 61. num. 128.*

4. Sed pone, quòd Religiosus testificetur absque licentia sui Superioris, coram Judice sæculari, [illegible] non suo, an valeat eius testimonium? & quid [illegible] dicunt *Abbas in d. cap. cùm Nuntius, num. 4. de te*[illegible] cit. *loc. dict. 1. Mascardus de probat. conclus. 26* [illegible] *Farin.* post multos cit. *loc. num. 134.* & decisum [illegible] quidquid alii dicant, *Guido Papa decis. 517.*

Quæst. 18. Legatum factum Monasterio construendo, an debeatur cum fructibus medii temporis?

DIxi in *tract. de Privil. Monaster. q. ult.*

Quæst. 19. Monasterium, an rumpat testamentum sui Professi, conditum antè professionem ab eodem?

1. CElebris est quæstio, de qua latè disserunt *Doctores*, quos allegat *Didacus Covar. c. 2. de testam. n.* [illegible] *Clar. in sent. lib. 3. §. testamentum, Michael Crassus in § testamentum, q. 34. Vincentius de Franchis decis. 425. Navar. com. 2. de Regul. num. 51. Rodriq. tom. 3. q. 16. ar. 2. q. 69. ar. 11.* cum suo *Comp. de Novit. resol. 101. nu. 49. & testam. resolut. 135. num. 9. Marc. Anton. Genuens. in practicab. Eccles. q. 333. & Sanchez ad decal. lib. 7. cap. 3. num. 28. Bartol.* verò, ante eos in *auth. si qua mulier, C. de sac. Eccl.* post cæterorum opiniones, cum distinctione respondet; aut qui fecit testamentum, cogitavit de Religionis ingressu; aut non, sed simpliciter se habuit: in primo casu non rumpitur testamentum; quia ingressus perseverat in voluntate, secus autem in secundo; quia qui nihil cogitavit de ingressu in Monasterium, & postmodum intrat, præsumitur intrare, voluntate mutata; & per novam collationem suæ Personæ, tacite dedicare Ecclesiæ omnia bona sua: *auth. ingressi, C. de sacrosan. Eccles.* unde, censetur revocare primum testamentum, quod cer-

[illegible] eſt tolli per ſecundum, *l. ſancimus, C. de teſtam.*

[illegible] Quam *Bartoli* opinionem, licet ſint qui dicant, [illegible] veriorem, ac tutiorem in conſulendo, & judicando, ſive teſtamentum ſit conditum inter liberos, ſive [illegible] extraneos: nihilominus advertunt, non irritari omninò teſtamentum inter liberos confectum, abſque cogitatione ingreſſus, ſed quoad legitimam portionem [illegible] liberis, reſiduum verò eſſe Monaſterii, *Covar. Rodriq. & de Franchis* cit. *loc.*

3. Quòd autem hæc cogitatio de ingreſſu in Religionem ſit habita, vel prætermiſſa, remittitur arbitrio Judicis, qui ex variis conjecturis, nempe, ex intervallo ſuſ[illegible] habitus, & conſimilibus, poterit judicare, ſi [illegible] in foro contentioſo, ſecus in foro conſcientiæ, [illegible] ſtandum eſt juramento Profitentis, an cogitaverit de ingreſſu, vel habuerit animum prius teſtamentum revocare, *Genuenſ. & Sanchez ubi ſuprà.*

4. *Abbas* autem in *cap. in præſentia, de probat.* de directo opponit ſententiæ *Bartoli*, dicens, præfatum teſtamentum firmum manere, profeſſione ſequuta, ſive tempore teſtamenti cogitatum ſit de ingreſſu, ſive non; & eum ſequitur *Syl. ver. Religioſus 6. q. 1. dict. 3. Tabiena ver. Religio, q. 35. num. 36. Armilla ibid. num. 23. Navar.* cit. [illegible] *num. 51. Clarus ubi ſuprà,* examinans opinionem *Bartoli, eſſe veram, dummodo teſtator, in ipſo Monaſterii ingreſſu non ſolùm ſe ipſum, ſed etiam bona ſua expreſſè Monaſterio dedicaverit, alias verò, licet ingrediens Monaſterium cenſeatur etiam bona ſua tacitè dicare Monaſterio, non crederem, quòd per hanc tacitam voluntatem remaneat revocata prior expreſſa voluntas:* hæc *ille. Rodr. in 2. p. ſum. cap. [illegible] de donat. & teſtam. Novit. num. 9. Ricc. 3. p. praxis, reſol. [illegible]6 num. 3.* ibi, *nec illud profeſſione revocabitur, utpotè factum eo tempore, quo teſtator, liberam facultatem habuit, D. Reg. Tapia in d. auth. ingreſſi, ver. ideoque nec de his, cap. [illegible] 5.* & alii infiniti, quos ſequitur *Sanch.* cit. *loc. n. 34.*

5. Et horum ratio poteſt eſſe multiplex, Primò; quia [illegible] habetur expreſsè in *auth. nunc autem*, canonizata à *Gregor. Papa in d. cap. quia ingredientibus, & cap. ſi qua* [illegible], ibi, *ſi prius teſtatus non ſit*, per quæ verba clare [illegible]tur, teſtamentum non rumpi per profeſſionem [illegible]quutam, ſed res Religioſi devolvi ad hæredem in[illegible]: Secundò; quia id ipſum habetur in *§. illud, auth. de Monachis, & d. auth. nunc autem, C. de Epiſcopis, & Cler.* ubi generaliter, & ſimpliciter habetur, quòd quis antè ingreſſum, ſi aliàs ſit habilis, poteſt teſtari, & de ſuis bonis valide diſponere, & lex indefinite loquens, [illegible]ſaliter debet intelligi, abſque ulla limitatione, de teſtamentando inter liberos, vel inter extraneos, vel co[illegible]ndo, vel non cogitando de ingreſſu. Tertiò; quia voluntati expreſſæ, ut eſt illa per teſtamentum anteà factum declarata, per tacitam, quæ in ingreſſu elicitur, non derogatur, arg. *l. final. in princip. & ibi Bartol. ff. de legat. 2. Clarus ubi ſuprà, & Megalius 1. 2. inſtit. confeſſ. lib. 2. cap. 27. q. 5. num. 19. in fin.*

6. Nec nocet *Genuenſ.* in cit. *loc.* dicens, quòd expreſſa diſpoſitio teſtatoris, licet non tollatur per præſump[illegible], tollitur tamen, quando voluntas, aliquo facto declaratur; quia hoc tunc poſſet habere locum, quando [illegible] manifeſtativum mutationis voluntatis, eſſet cer[illegible], ad hoc unum tantùm deſtinatum, nempe, ad oſtendendum dumtaxat voluntatem, dicandi Deo ſe, & ſua: quod non poteſt dici de profeſſione, quam profitentis emittit, non ad caſſandum teſtamentum, nec ad adimendum donata, ſed ad expreſsè, & actualiter tra[illegible]dum perſonam ſuam in jus, & poſſeſſionem Mona[illegible], & tacitè bona ſua, ſi qua habet, & de illis non di[illegible]; nam ſi profeſſus, tempore ſuæ profeſſionis, res [illegible]bebat, vel de illis diſpoſuerat, nec quidem tacitè bona ſua dicat Monaſterio, ut conſtat ex *auth. nunc autem, C. de Epiſcopis, & Cler.* & conſtat ex d. verbis, ibi *ſi prius teſtatus non fuit:* unde profeſſio non poteſt dici, quòd ſit certum ſignum ademptionis hæreditatis legatæ.

7. Nec objicies, teſtamentum revocari, quaſi ex agnitione poſthumi; quia, ut dictum eſt, Monaſterium non habetur loco filii, niſi in caſibus in jure expreſſis, nullibi autem exprimitur, Monaſterium haberi loco filii, ad rumpendum teſtamentum, cætera vide apud præfatos *Authores*, & præſertim apud *D. Joan. Bapt. de Thoro in comp. deciſ. Neapol. tom. 1. verſ. Monaſterium, an excludat proximiores ingreſſi, adeò, ut rumpat teſtamentum, quod ingrediens fecerat,* ubi dicit, Sacrum Conſilium affirmativè deciſiſſe, ob Conſuetudinem forſitan Neapolitanam, *Ricc. collect. deciſ. p. 5. collect. 1938. ſuper Rubrica de peculio Clericorum.*

Quæſt. 20. Monaſterium, an ſuccedat in donatione facta Monacho, ſub hac conditione, ut de bonis in donatione contentis, poſſit in ſua morte diſponere, ſi de illis non diſpoſuit?

1. Affirmativè dic, & conſtat ex immediatè deciſis; quia ex quo Profeſſus expreſsè, de illis non diſpoſuit cum licentia ſui Prælati, videtur, tacitè teſtari ad beneficium ſui Monaſterii, quod quidem in omnibus ſuccedit Monacho ab inteſtato morienti; per ea multa, quæ allegat *Præſes de Franchis in d. deciſ. 45. & 600. & D. Donatus Antonius de Marinis quotid. reſolut. cap. 88.* ubi in facti contingentia conſultus, ità reſpondit, & conſtat ex ſolutione illius, an facta donatione alicui de mille, ea conditione adjecta, quòd ſi donatarius abſque liberis deceſſerit, ſuccedat in donatione Titius, verùm valeat in morte diſponere de ducatis bis centum, & facto caſu, quòd ſit mortuus, abſque liberis, nulla facta diſpoſitione de dictis ducatis ducentis, an in tota donatione ſuccedat Titius, vel in illos ducentos, de quibus poterat donatarius diſponere, ſuccedant eius venientes ab inteſtato, *Surdus deciſ. 272. num. 9.*

Quæſt. 21. Monaſterium an excludat ſubſtitutum, & rumpat fideicommiſſum, ſeu, an faciat deficere illam conditionem, ſi ſine liberis deceſſerit?

1. Ad conſervandum bona in familia, ſolet quis ſub hac forma teſtari, *inſtituo in meis bonis hæredem Titium; verùm ſi ſine filiis deceſſerit; voco ad ea Sempronium,* quæ quantò eſt frequens in uſu, tantò eſt intricata; & ſuper ea latè digladiantur *Doctores*, quos allegat *Didacus Covar. var. reſolut. lib. 1. cap. 19. num. 7. Cacher. deciſ. 126. Menoch. de præſump. lib. 4. præſump. 83. per totam, Vincent. de Franch. deciſ. Neap. 29. Michael Craſſus §. teſtamentum, q. 50. num. 12. Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q. 148. Ricc. collect. 3074. p. 7.* Illuſtriſſimus *D. Reg. Hector Capyc. Latro tom. 1. conſult. 63. num. 1. & ſequent. Gaſpar Ant. Theſau. qq. forenſ. lib. 1. q. 59. Rodr. tom. 2. de Regul. q. 127. art. 1.* cum ſuo *Comp. reſolut. 88. de legatis, num. 22. Panor. in cap. in præſentia, de probat. ibidem Felinus, Decius, & Barboſa* cum ſua Cohorte, *num. 4. Navar. de teſtam. conſ. 9. Syl. ver. legatum 1. num. 13: Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſput. 33. num. 29.* & latiſſimè *lib. 7. ad decal. cap. 16. per totum,* & præcipuè *num. 51. & Portell. ver. legatum, num. 10.*

2. Et quòd Monaſterium excludat ſubſtitutum, rumpat fideicommiſſum, & faciat deficere illam conditionem, *ſi abſque liberis deceſſerit*, eſt manifeſta deciſio *§. ſed, & hoc præſenti, in auth. de Sanctiſſimis Epiſcopis:* unde deſumitur *auth. niſi rogati, C. ad trebellian. & cap. in præſentia, de probat.* in quo § expreſsè diſponitur, quod conditio nuptiarum, liberorum, dotis, & antenuptialis donationis, deficit per ingreſſum in Monaſterium; ergo, grava-

gravato profitente, certum eſt, expirare prorsùs fideicommmiſſum, & bona illa fideicommiſſo ſuppoſita pertinere in perpetuum ad Monaſterium, excluſo pœnitùs ſubſtituto.

3. Quam Deciſionem *Doctores* præfati videntes, à communi jure exorbitare, & præjudicare arbitrio, & facultati teſtantis, limitarunt multifariè, quas limitationes, & fallentias late ponit *Marc. Anton. Genuenſ. Sanchez. Ruc. & de Franchis ubi ſuprà*; & dixerunt præcipuè, non habere locum contra expreſſam, vel conjecturatam mentem teſtatoris, in caſu, quo conſtaret de eius voluntate, quòd ſcilicet, voluit, ſua bona conſervari in familia, vel quòd ſit loquutus de matrimonio conſumando per carnis copulam.

4. Quibus limitationibus prætermiſſis, ſunt qui tenent, deciſionem procedere abſolute, etiam contrà expreſſam, vel conjecturatam mentem teſtatoris, quod, ajunt, expreſsè haberi in *d. §. ſed & hoc præſenti*, ibi, *ſi nupſerit, ſi liberos ſuſceperit*: quæ conditiones referuntur clarè, & manifeſte ad matrimonia conſumanda per carnis copulam; & tamen rejiciuntur, & habentur pro non ſcriptæ, & pro non adjectæ; & hoc factum eſt, favore Religionis; qui præferendus eſt favori nuptiarum, ut omnes volunt. Sed illa conditio, nempe, *Titia, ſi non nupſerit, ducenta; ſi nupſerit, centum legavit*; ob favorem nuptiarum evaneſcit, contrà expreſſam defuncti voluntatem, ut deciditur in *l. titia, § ult. ff. de condit. & demonſtr. & ibi Bartol.* ergo multò fortius conditio, quæ Religioni refragatur, debet evaneſcere, & pro non adjecta haberi, & reputari: ſtatus enim Cœlibatus præfertur ſtatui matrimoniali, ut dictum eſt, & docent *Rodr. Genuenſ. Portell.* & ſimiles in cit. *loc.*

5. Nec objicies, quòd voluntas teſtatoris, in conditionibus primum locum obtinet, & quòd valde durum eſt, bona diſponentis, contrà eius voluntatem acquiri Monaſterio; cum quilibet in re ſua ſit moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandati*; quia hæc, & ſimilia non procedunt, contra caſum legis expreſſum favore Religionis, cujus favore tollitur potentia diſponendi, & ob id, in re, de qua agitur, non eſt conſideranda voluntas teſtatoris, ſed mens jura diſponentis, cui placitum eſt, ad favorem Chriſtianæ Religionis, ità leges ſancire.

6. Sunt tandem, qui dicunt, quòd utraque opinio eſt probabilis, in utroque foro, & arbitraria in conſulendo, & judicando. Unde in caſu occurrentiæ, parvi momenti non eſt, habere Judicem benevolum.

Quæſt. 22. Filia, cui Pater legavit mille, ſi nubat, & centum, ſi Religionem ingrediatur, an conſequatur mille, ſi fiat Monialis?

1. COvar. *in lib. 1. var. reſolut. cap. 19. num. 9.* de hac re latè diſputat, & ſequi videtur partem negativam. Tu autem affirmativè dic; quia illa conditio, *ſi nupſerit*, & omne aliud gravamen, evaneſcit; & habetur pro non ſcripta, & pro non adjecta, favore Religionis; prout expreſsè habetur in *d. §. ſed, & hoc præſenti, in auth. de Sanctiſſ. Epiſcopis*, & facit pro deciſione *textus d. l. titia, §. ultim. ff. de condit. & demonſtrat.* ubi favore matrimonii carnalis rejicitur illa conditio, *titia, ſi non nupſerit ducenta*, quod fortius debet habere locum in matrimonio ſpirituali; quia ſicut expedit Reipublicæ, habere fecundas fœminas, ut hominibus repleatur; ità, & ei utilius erit, habere Religioſos utriuſque ſexus, ut nocte, & die ſint coram Domino, pro cuſtodia, & conſervatione eorundem, *Syl. ver. legatum 1. q. 9. num. 13.*

Nec his obſtant argumenta quorundam; ſunt enim facilis ſolutionis; prout *Rodr. to. 2. de Regul. q. 127. ar. 1. & Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q. 150.* ſatis oſtendunt.

Quæſt. 23. Legatum factum alicui, ſub hac conditione, ut habeat centum, ſi intraverit Monaſterium, ſi intravit, & exiit, an ei debeatur legatum?

1. REſpondeo affirmativè, ſi is intravit cum propoſito profitendi, & per ipſum non ſtetit, in eo perſeverare: etenim quando conditio appoſita pendet à duabus voluntatibus, habetur pro adimpleta, reſpectu eius, qui fecit, quod in ſe eſt, ut ſi legentur Titiæ centum, *ſi nubat Antonio*, qui recuſat eam ducere, & per Titiam non ſtat contrahere, debetur ei utique integrum legatum; quia fecit, quod in ſe eſt; nec poteſt ei nocere aliena voluntas.

2. Secus autem, ſi tantum intravit ad habendum legatum, & exivit; quia ei non placuit remanere; nam qui reliquit legatum, ſub conditione ingreſſus, intellexit, & debet intelligi, de ingreſſu formali, quo quis fit verè, & propriè Religioſus; ſed ità eſt, quòd non habitus, nec Novitiatus, ſed profeſſio ſolemnis Religioſum facit, prout ex multis oſtendit *Bartol. in l. reprehend. C. de inſt. ſub condit.* ergò.

3. Nec nobis objicies verba *D. Thom. 2. 2. q. ultim. ar. 4.* quòd vovens intrare Religionem, ſi in vovendo ſimpliciter de ingreſſu Religionis cogitavit, abſque hoc, quòd cogitavit de libertate exitus, vel de perpetuitate remanendi, non tenetur perpetuò in Religione remanere; tum quia, ut *ibid.* advertit *Cajet.* ingreſſus, in foro conſcientiæ non poteſt egredi ſine cauſa rationabili, ſecus in foro Eccleſiaſtico; tum etiam, quia aliud eſt, examinare votum propriæ voluntatis, & aliud, verba teſtatoris, quæ potuerunt hæredibus præjudicare: cum verba teſtantium intelligenda ſunt cum effectu; ità, ut ſi teſtator leget pro ingreſſu Religionis, debeat intelligi de ingreſſu effectuali, hoc eſt, de eo, qui facit verè Monachum, & non de ingreſſu jocoſo, quia jocus, nugæ, & facetiæ, non ſunt materia legis.

Quæſt. 24. Monaſterium, an excludat ſubſtitutum per ingreſſum factum in Religione, in ultimo mortis articulo?

1. RAdix deciſionis quæſiti, pendet à judicando, an iſte ingreſſus factus in ultimo mortis articulo, cenſeatur factus doloſè, ac fraudulenter, ad excludendum ſubſtitutum ab hæreditate, ſibi debita, in caſu, quòd inſtitutus moreretur, ſine liberis; etenim *Doctores* communiter docent, ſubſtitutum non excludi, quando de dolo, & fraude conſtat, *Sanchez de matrim. lib. 7. de impedim. matrimon. diſput. 105. num. 10.* & ſe fundat præcipuè in *l. filia mea emancipata, & agra. ff. ſolut. matrim. & in cap. 2. de renunciat.* ſed *Baldus in auth. niſi rogati, num. 24. C. ad Trebel. & Felin. in cap. in præſentia, de probat.* negativè reſpondent ad quæſitum; quia penſant, quòd hujuſmodi ingreſſus ſit fraudulentus, & doloſus, & quòd proinde non poſſit nocere ſubſtituto.

2. Contrariam opinionem tenent alii, quos allegat Illuſtriſſimus *D. Reg. Hector Capyc. Latro tom. 2. conſul. 123. num. 20. & ſeqq.* eo, quia per ingreſſum Religionis, nullo modo poteſt præſumi fraus, nec conſiderari; nam ſi intra annum probationis moriatur; certum eſt, quòd ſubſtitutus non excluditur à Monaſterio; quo verò ad profeſſionem, præſumendum eſt, id potiùs feciſſe, Religionis ardore, ut faciliùs ad æternam vitam pervenire, & Deo ſervire poſſet, & ſic potiùs ſaluti eius animæ proſpicere, quàm ſubſtitutum fraudare, prout communiter docent *Doctores in cap. in præſentia, de probat.*

3. Et hæc opinio eſt veriſſima, quoad eos, qui Religioni incorporantur irrevocabiliter, Novitiatu prævio; at quoad reliquos, qui ſine Novitiatu fiunt Fratres, ut

ſunt

ſunt Tertiarii, ſeu Fratres de pœnitentia Sancti Dominici, & Oblati, qui per contractum ſe, ſuaque offerunt Monaſterio, videndum eſt, an id fecerint vafrè, nempe ad finem excludendi ſubſtitutum, an potiùs ad ſe cavendum ab omni malo; finis enim coronat opus; *Sanchez* tamen ad *decal. lib.7. cap.16. num.*28. ex multis oſtendit, hos ſubſtitutum non excludere.

Quaeſt. 25. Monaſterium, an excludat piam cauſam?

1. NEgativè; tum quia ità habetur in *d. §. ſed, & hoc praeſenti, in auth. de Sanctiſſ. Epiſcopis*, ibi, *ſi tamen in redemptione captivorum, aut egentium alimento, ſub dictis conditionibus ſubſtitutio fiat, ex nullo memoratorum modo, eam excludi permittimus*, tum etiam; quia Privilegiatus non utitur ſuo Privilegio contrà alium Privilegiatum: concurrentibus pariter Privilegiis utriuſque, *L. ſi duas, C. qui potior. in pign. habeantur.*

2. Quae concluſio procedit pro quocunque loco pio, etiamſi locus ſubſtitutus, eſſet minus pius; quoniam duplex ratio vincit unam, *L. nam etſi parentibus, ff. de inoff. teſtam.*

3. Sed ità eſt, quòd Monaſterium excludit ſubſtitutum ob unicam rationem, quae eſt, cauſam eſſe piam: & cauſa pia ſubſtituta habet duo, nempe, eſſe cauſam piam, & eſſe à teſtatore ſubſtitutam, & ut dici ſolet, duo vincula magis ligant, *Abbas, & Felinus in c. in praeſentia de probat. & Sanchez* poſt multos *in d. cap. 16. num. 34.*

Quaeſt. 26. Subſtitutus ſucceſſurus in bona Profeſſi, an ea conſequatur, à die profeſsionis, vel mortis naturalis?

1. DE hac re latè *Doctores in cap. in praeſentia, de probat. & in d. § ſed, & hoc praeſenti*, & praecipuè *Covar. de Teſtam. cap.2. num.2. Vinc. de Franchis deciſ.14. num.7. de ... num.2. de Regul. num.*54. ubi examinat illa verba ... *ſi poſt ingreſſum moriatur, Sanchez lib.7. decal. cap. ... num.16.* & nuper Illuſtriſſimus *D. Epiſcopus Maranta reſpon. 82. part.4.*

2. Ex quibus collige, quòd Profeſſus, aut diſpoſuit de ſuis bonis inter vivos, titulo donationis irrevocabiliter; & ſic eius bona, profeſſione ſequuta, abſque ullo ſcrupulo ſpectant ad donatarium: eſt enim unuſquiſque ſuarum rerum moderator, & arbiter.

3. Aut de illis potuit diſponere, & diſpoſuit, cauſa mortis; & in tali caſu eſt diſtinguendum: aut iſte emiſit profeſſionem in Religione incapaci bonorum in communi, prout ſunt Fratres Minores de Obſervantia; & tunc bona legata debentur ſubſtituto, ſtatim poſt profeſſionem, tum quia, Monaſterium non eſt capax ſucceſſionis, tum etiam; quia non poteſt dici, quòd habeatur loco filii, nec propriè, nec fictitiè, tum item; quia profeſſio facta in Ordine incapaci, aequiparatur omninò morti naturali.

4. Aut tandem fecit profeſſionem in Religione capaci bonorum in communi; & ſic legata cauſa mortis, non debentur ſubſtituto; niſi ſequuta morte naturali ipſius Profeſſi, & interim bona quoad uſumfructum remanent in poſſe Monaſterii, per argumentum à contrario ſenſu. Idem procedit de legitimis, quotis, & portionibus debitis in bonis Profeſſi, poſt mortem naturalem ejuſdem.

* * *

Quaeſt. 27. Monaſterium ex perſona ſui Profeſſi, an poſſit infringere teſtamentum ſuae Matris diſponentis de ſuis bonis, in beneficium eius filiae, relicto certo legato eidem Monacho ſuo filio?

1. ILluſtriſſimus Praeſes S. R. C. Neap. *D. Vincentius de Franch.* in ſua *deciſ.* 411. refert, per S. Conſil. pluries fuiſſe reſolutum, quòd quando quis decidit cum teſtamento, pluribus Fratribus haeredibus inſtitutis, & non inſtituto Clerico, vel Religioſo, quòd Religioſus non inſtitutus, non poteſt petere portionem medietatis bonorum antiquorum, de quibus Frater, ſervata forma *Conſuetudinis Neapolitanae*, non poterat diſponere; quia licet Religioſi ſuccedant de jure communi, ſecus tamen de jure conſuetudinario, ex authoritatibus, & rationibus, *ibi* aſſignatis: quam deciſionem *p.4. deciſ.667.* idem *de Franchis* extendit in facti contingentia, ad caſum cujuſdam Portiae, quae poſſidebat pro eius dotibus quoddam Rus, poſt mortem eius Viri ſibi adjudicatum, illudque reliquit, medio teſtamento filiae Beatrici, quam item in ſuis bonis inſtituit haeredem, relicto tamen quodam annuo cenſu alteri ſuo filio Profeſſo in Religione Servorum, ex cujus Profeſſi perſona Monaſterium movit litem ſuper relatione Ruris, dicens, ad Monaſterium ſpectare, ex quo Mulier ſecundùm Conſuetudinem Neapolitanam poteſt diſponere de decima parte tantùm, & novem reliquae ſpectant ad haeredes venientes ab inteſtato, & ità obtinuit in Sacro Conſilio, die 28. Decembris 1573.

2. Verùm, in reclamatione ad idem habita, fuit excluſum; quia ſub diſpoſitionibus factis ſecundùm *Conſuetudinem Neapolitanam*, non comprehenduntur Monaſteria, nec Perſonae Eccleſiaſticae; undè de jure conſuetudinis nequeunt ſuccedere, *D. Thoro ver. Monaſterium ex perſona, in ſupplemento*, de quibus vide *Matthaeum de Afflictis deciſ.*310 *ibiq; Caeſarem Urſillum, Thom. Gramm. deciſ.*100. *Martam de juriſdict. p.4. cent.2. caſ.2. nu.8. & 18. & Molfeſ. in conſuet. tit. de perſonis, p.2. q.7.* ex quibus colligitur, an Eccleſiae, Perſonaeque Eccleſiaſticae ligentur *Conſuet. Neapolit.*

Quaeſt. 28. Monaſterium capax bonorum ex perſona Monachi, an poſſit teſtamentum eius Patris impugnare, ob praeteritionem dicti Profeſſi?

1. CElebertimum Sacrum Conſilium Neapolitanum in facti contingentia affirmativè deciſiſſe, quoad legitimam tantùm, refert *D. Joan. Bap. de Thoro in compend. deciſ. Neapol. p.3. ſect.2. ver. Monaſterium ex perſona ſui Monachi, & ver. Monaſterium haeres inſtitutus, pag.* mihi 97. ubi ponit Partium Allegationes, omninò videndendas; quia latè de materia diſcurrunt, vide *Sanchez lib.7. ſum. cap.*12. ubi ait, quòd ſi Pater filium Monachum non inſtituit, rumpi poteſt eius teſtamentum, ob filium praeteritum, quod intellige, quoad legitimam.

Quaeſt. 29. Monaſterium ex perſona Profeſſi, an excludat eius Matrem, à proprietate ſibi debita in antefato, ob praecedentem mortem Profeſſi ſui filii?

1. DE *Conſuetudine Neapolitana* certum eſt, quòd quando moritur vir, uxore ſuperſtite cum filiis, uxor lucratur antefatum, quoad uſumfructum tantùm: verùm, ſi filii praemoriuntur, lucratur antefatum, etiam quoad proprietatem.

2. Sed pone, quòd filius ſuperſtes fiat profeſſus in Religione capaci ſucceſſionis, & quod moriatur ante Matrem; an Mater lucretur proprietatem praedictam, an verò Monaſterium Profeſſi?

Vincentius de Franchis decif. 469. multis citatis dicit, Monaſterium in tali caſu non poſſe lucrari, nec conſequi proprietatem præfatam; tum quia Monaſterium non habetur loco veri filii, nec hæredis; tum etiam; quia etſi Monaſterium habeatur loco filii ficti, filius autem fictus non habet ſuccedere; niſi in caſibus, in jure expreſſis, in quo non reperitur, quòd Monaſterium in caſu, de quo agitur, debeat ſuccedere; ergò.

3. Tum item; quia Monaſterium ſolùm in illius Profeſſi jus ſuccedit, quod hujuſmodi Monachus habebat tempore ingreſſus, vel quod fuit ei delatum, tempore ejus vitæ: Monachus autem in caſu poſito non habet jus ad præfatam proprietatem conſequendam: niſi ſupervivat matri; ità nec Monaſterium ex eius perſona poteſt ſuccedere, & ſic eo præmortuo proprietas dicti antefati, non Monaſterii, ſed eius Matris erit: explorati enim juris eſt, quòd ſpes non transfertur, *Sanchez ad decal. lib.7. cap.16. num.23.*

Quæſt.30. Monaſterium, an excludat Patrem ab uſufructu, quem habebat in bonis adventitius ſui filii?

1. UT certa ab incertis ſeparentur, adverte, quòd peculium filiifamilias eſt quadruplex, nempe, Peculium Caſtrenſe, quaſi Caſtrenſe, Adventitium, & Profectitium.

2. Peculium Caſtrenſe, dicuntur illa bona, quæ in Caſtris acquiruntur, intuitu militiæ, ſive donentur à parentibus, cognatis, aut ab aliis, vel quæ ipſe in militia acquiſivit, nec illa aliàs fuiſſet adeptus; niſi militaſſet, ut *ff. de Caſtr. Pecul. l. Caſtrenſe.*

3. Peculium verò quaſi Caſtrenſe, illud dicitur, quod acquiritur ex aliquo Officio publico, ſeu ex cauſa publica; uti ſunt bona acquiſita per Advocatos, Medicos, Tabelliones, Judices, & ſimiles, & dicuntur ſic; quia ſalaria, & ſtipendia publica æſtimantur quaſi militaria, *C. de inoffi. teſtam. l. cùm antiqu.* de quibus filiusfamilias poteſt diſponere; quia eſt illorum Dominus, quoad proprietatē & uſumfructum: etenim effecta ſunt ſua, omni modo.

4. Peculium Adventitium eſt, quod acquiritur ex propria induſtria, & labore, non ex bello, nec ex officio publico, nec ex bonis paternis, nec eius occaſione, ſed aliunde, utpote donatione, legato, ſucceſſione materna, ziernа, opera propria, vel artificio, & dicitur adventitium; quia non ex paterna ſubſtantia, ſed aliunde venit, & hoc eſt filii, quoad proprietatem, at Patris, quoad uſumfructum.

5. Profectitium tandem eſt, quod pecuniis, aut rebus patris, aut patris occaſione acquiritur; & ſic dicitur, quaſi ex patris ſubſtantia profectum, & hoc omninò pertinet ad patrem, quoad proprietatem, & uſumfructum, de quibus latè noſter *Syl. ver. Peculium,* ubi quærit, an iſtud Peculium poſſit dici mixtum, ut ſi filius acquirat ex rebus patris, & ſuo labore.

6. Igitur, quæſtio eſt de uſufructu, quem habet pater in rebus adventitiis filii, ſi hunc contingat fieri profeſſum in aliqua Religione capaci bonorum, quam negativè reſolvit idem *Syl. ver. Religio 6. q.1.* ubi de his filiis *dict. 5. & ver. Clericus 4. q.14.* examinat opinionem *Panormitani,* dicentis, bona adventitia filii, quoad uſumfructum, & proprietatem fieri Monaſterii, & Profeſſi patrem, etiam in vita privari illorum uſufructu, quod probat per illud Axioma, nempe, quod eſt in laico adventitium, Clerico eſt quaſi Caſtrenſe, quod reprobant. *Tab. Armilla* cit. *loc. Covar. cap.2. de teſtam. num.8. Navarr. comm.2. de Regul. n.55. Rodr. tom.3. q.16. art.4.* & alii plures, tum quia filius quantumcunque Religioſus, non poteſt diſponere de rebus alienis, ſed uſusfructus bonorum adventitiorum eſt patris pro vita ipſius; tum etiam; quia filius non poteſt paterno juri præjudicare, tum item; quia Monaſterium ſuccedit in omnia jura Profeſſi; prædictum autem uſusfructus non cenſetur inter jura Profeſſi: unde, Monaſterium tenetur uſumfructum prædictum patri ſolvere, durante illius vita.

Quæſt.31. Si Paterfamilias fiat Monachus in Religione capaci bonorum, an uſumfructum, quem habet in his bonis adventitiis, transferat in Monaſterium?

1. NEgativè *Covar. ubi ſuprà;* quia is uſusfructus fundatur in patria poteſtate, quæ mox, profeſſione ſequuta expirat: & ob id, hujuſmodi uſusfructus redit ad proprietatem filii, & cum illa conſolidatur. *Marc. Anton. Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q.474.* & colligitur ex *l.1. C. de bonis maternis, & l. cùm oportet, C. de bonis quæ liberis, & l. patre furioſo. ff. qui ſunt ſui, vel alieni juris.*

2. Quòd patria poteſtas, per ingreſſum Religionis extinguatur, docet *Bald. in d. l. patre furioſo, & in l.2. C. de liberis exhibend.* quod de communi *Genuenſ. ubi ſupra* teſtatur.

3. Nec objicies, quòd hujuſmodi uſusfructus debeatur ratione adminiſtrationis perſonæ; quia Adulti, & Majores non indigent adminiſtratione perſonali; & tamen tenentur patri ad uſumfructum, ratione honoris, & quia ſubjiciuntur patriæ poteſtati, quæ eſt fundamentum, & cauſa originaria talis fructus, ut dictum eſt.

Quæſt.32. Monaſterium capax ſuccedendi, an ſuccedat in jura ſuitatis?

1. UT ſciatur, quod quæritur, adverte, quòd Suitas ex *textu leg. in ſuis, ff. liber. & poſthum.* & in *Inſtit. tit. de hæred. ab inteſt. §. ſui,* eſt jus quoddam intellectuale, directum, non flexibile, propter patriam poteſtatem, & quandam domeſticitatem, atque dominii bonorum deſcendentium continuationem ad deſcendentes proximos, poſt mortem immediatè inducens. Vel brevius dicas, quòd ſit hæredum qualitas, qui hæredes, primùm in poteſtate paterna locum tenent, continuationem dominii, neceſſitatemque ſucceſſionis, ipſo jure inducens, *Alciat. lib.5. Parergon. c.19.* Hinc ſuus hæres dicitur, quaſi naturalis, proprius, nativus, & domeſticus, ad paternam hæreditatem, & natura, & ipſo Parentum voto vocatus.

2. Dixi, propter patriam poteſtatem; quia baſis, & fundamentum ſuitatis eſt ipſa patria poteſtas, *l. lege Cornelia, ff. de teſtam.* unde, ſui hæredes propriè ſunt, qui in poteſtate morientis fuerunt, & quidem legitimi, & naturales; quia in eos, ſaltem liberos, habebant eam poteſtatem Cives Romani, qui ex juſtis, & legitimis nuptiis procreati ſunt; ut communiter notant *DD.*

3. Quibus attentis, dico, quòd Monaſterium capax bonorum, ſuccedit in jura ſuitatis Profeſſi; quia Religioſus, per Profeſſionem non amittit talia jura, dum in capaci Religione profitetur, ſed ſecum ea transfert in Monaſterium, quod tanquam ſuus hæres ſuccedit, ut conſtat ex *l. final. C. de Epiſcopis, & Cleric.* ubi dicitur, perinde hunc ſuccedere, ac ſi Religionem ingreſſus non fuiſſet, ut notant omnes, quos ſequitur *Sanchez lib.7. decal. c.12. q.1. num.5.*

4. Nec obſtat dicere, quòd ſuitas fundatur in patria poteſtate, & quòd ſui dicuntur, qui fuerunt in poteſtate morientis, quod non poteſt Monaſteriis adaptari: quia ſuitas verè, & propriè dicta, non comprehendit, niſi deſcendentes modo prædicto; verū large, ſeu fictè, & interpretativè accepta, extenditur ad alios caſus, & præcipuè ad Epiſcopum, vel Religioſum profeſſum; quia licet hi ſint

sint exempti à patria potestate; tamen jura suitatis non amittunt, ex quo finguntur, esse in potestate, quoad commodum illorum, ob quod retinent omnia Privilegia suitatis, ex *l. Deo nobis, C. de Episcopis, & Cleric.* & de communi ostendit *Didac. Covar. in cap. quia nos, n. 5. de testam.* & latè *Michael Crassus sentent. § suitas, quæst. 4. n. 8.*

5. Quamobrem, retinet Monasterium, Professi nomine omnes qualitates, & prærogativas filiorum, ut de jure sanguinis, & cognationis probat *Glos. in d. l. final. §. hoc autem, ver. Parentum:* quod intellige esse verum; duobus tamen concurrentibus; nempe, & quòd Monasterium sit capax bonorum in communi, & quòd ille Religiosus vivat, nam mortuo Monacho professo cessat omnino jus Monasterii: unde Monasterium nequit succedere Parentibus, Agnatis, & Consimilibus morientibus ab intestato post mortem Professi, tum quia Monasterium succedit ex persona Monachi existentis in Monasterio, quod non potest dici de mortuo; tum quia jus succedendi non potest competere, nisi post eius obitum, cui succedendum est; hoc autem jus Professus nequit in Monasterium transferre, sed solam spem, quæ mox evanescit, ubi primùm Professus ille desinit esse filius illius Monasterii, ut *Instit. de acquisitione per arrogationem, d. §. mortuo,* & docet ex multis *Glos. cap. final. 18. q. 1. Felin. in cap. in præsentia, n. 56. de probat. & Sanchez cit. loc. n. 7.* ubi reprehendit eos, qui dixerunt, Monachum obeuntem, vivo Patre transmittere in Monasterium jus succedendi in bona Paterna; quia, ut dictum est, Monasterium non potest succedere hæreditatibus: nisi quæ deferuntur tempore vitæ Monachi, ex cujus persona succedit: spes enim non transfertur, ut dictum est, quandoquidem non computatur inter bona, vel jura Monachi, qui professionem emittit.

6. Exindè collige Primò, Monasterium in his, quæ sibi acquiruntur, aut in quæ succedit ex persona Monachi, illis actionibus posse agere, quæ Professo ante ingressum possent competere: etenim succedit in omnia eius jura, *Syl. ver. Religio 6. q. 4. & Tab. eod. ver. quæst. 39. num. 4.*

7. Secundò, Patrem posse meliorare hunc filium professum in tertia parte bonorum, prout potest, & est sibi permissum respectu aliorum filiorum; & descendentium ab eo, ex *l. 1. tit. 6. lib. 5. recompilat. legum Hispaniarum, & l. cohæredi, §. cùm filiæ, ff. de vulgari, Rodr. tom. 3. q. 59. ar. 9.* quia talis Professus retinet omnia jura filii.

8. Tertiò, Testamentum, quo Pater filium Monachum præterminisit instituere, posse rumpi, saltem quoad legitimam portionem ei debitam, ob eandem rationem, quia nempe Monachus retinet omnia jura filii, ut dictum est hic suprà, *q. 28.*

Quæst. 33. *Nobilitas Monachi, an per Professionem amittatur?*

1. NEgativè dic; quia nobilitas est quoddam jus sanguinis naturale, & incommutabile, *l. ius agnationis ff. de pactis;* & computatur inter jura suitatis, quæ, ut dictum est suprà, per Professionem non amittuntur. Unde, Titius ex eo, quòd est Religiosus, non desinit esse de genere, familia, & agnatione sua, & ità Romanam Curiam decidisse, testatur *Sanchez lib. 7. cap. 12. num. 12.*

2. Nec nocet *cap. scripsit 27. q. 2. & cap. præsens 20. q. 3.* ubi dicitur, nobilitatem amitti per professionem; quia dicunt, amittere dignitates nobiles sæculares, utpote, Ducatum, Comitatum, ex quo per Professum nequeunt administrari, *Roman. in singul. 37.* sic pariter amittitur illa nobilitas accidentalis, & politica, quæ consurgit ex publico officio, aut sæculari militia, vel administratione; quia Professus hæc administrare non potest: at non amittitur illa naturalis, quæ in temporali administratione non versatur, sed in ortu, sanguine, & propria virtute habet fundamentum, *Gulielmus Benedictus in c. Raynutius, num. 210. & Rebuffus de nominationibus q. 12. num. 31.*

3. Hinc, Religiosus potest esse Doctor, Confessarius, & similis.

4. Nec obstat, Religiosum mortuum esse Mundo: etenim non est mortuus quoad naturalia perdenda, sed quoad illorum contemptum, & quoad possessionem propriæ voluntatis; unde Monachus in Monasterio existens, prodest Patri, ad excusandum eum à tutela, *de Franchis decis. 532.* & Moniali, in bonis Matris debetur legitima, debita sibi de jure naturæ, *Afflictus decis. 348.* & Professus dans aliquid pro spiritualitate, committit simoniam, *Capell. Tholos. decis. 312.* & potest esse in Judicio cum licentia sui Superioris; item, & esse Vicarius Episcopi, & similia agere, quæ sunt vivorum, non autem mortuorum, de quibus latè *Aloys. Ricc. collect. 1624.*

Quæst. 34. *Monasterium, an succedat in juspatronatus, quod Religiosus habet in sæculo?*

1. GLossa in *cap. beneficium 4. de Regul. in 6. ver. conferendum, in fine, & ibid. Additio, Rodr. tom. 2. q. 122. ar. 2. & Sanchez ad decal. lib. 7. cap. 14. per totum,* præsupposita capacitate Monasterii succedendi in bona Profitentium in eo, cum distinctione respondent: aut tale jus competebat in sæculo huic Patrono, jure Collegii, & sic nequit cum eo in proprietatem Monasterii transire; quia per professionem amittitur; tunc enim Patronus desinit esse pars, & membrum Collegii; ideoque non potest in illud Monasterium succedere; secus autem, si jure singulari pertinebat ad illum; sic enim transit in Monasterium, quod succedit in omnia jura Monachi, inter quæ computatur juspatronatus; quod nihil aliud est, nisi quædam potestas præsentandi Instituendum ad beneficium in Ecclesia, quam dictus Patronus suis sumptibus fundavit, vel ampliavit, aut dotavit; his enim tribus modis consuevit erigi beneficium, quod non potest vendi, sine labe simoniæ, sed transit ad hæredes successores, cum universitate bonorum.

2. Amplia, id ipsum procedere, si Monachus ex legitima licentia ædificaret, vel dotaret, aut ampliaret dictam Ecclesiam; quia, in tali casu juspatronatus, non ipsi, sed Monasterio acquiritur, cujus sunt omnia, quæ Monachus acquirit, ut dictum est suprà.

3. Proindè, Monachus ille, ex cujus persona, vel labore juspatronatus translatum est in Monasterium non potest solus præsentare ad beneficium, tum quia non est capax proprii; tum etiam, quia quærit immediatè Monasterio, & ex quo caret velle, & nolle, nec de quæsitis potest disponere, sine licentia sui Prælati: & esto, quòd eligat, talis electio erit ipso jure nulla, utpote facta de re non propria, sed aliena, *Lambertin. de jur. patron. lib. 2. p. 1. q. 2. ar. 11. num. ultim.*

4. Amplia, ut nec solus Prælatus, ad dictum juspatronatus possit præsentare: nisi de consensu majoris partis sui Capituli, ex *cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt à Prælat.*

5. Nec obstat *cap. ex litteris, de jure patronatus,* ubi Abbatissa præsentavit; tum quia illa verba sunt narrativa, quæ dispositionem non inducunt; tum etiam; quia *ibi* non dicitur, quòd sola Abbatissa præsentavit, sed debet præsumi, quòd id egerit regulariter, hoc est de consensu sui Capituli.

6. Quibus omnibus adde primò; quòd licet juspatronatus transeat in Monasterium, quoad jus præsentandi, & eligendi; verùm tamen jus instituendi pertinet ad solum Episcopum, privativè quoad Regulares, ut constat ex *cap. cùm sæculum,* adjuncta *Glossa, de jure patronatus.*

7. Et secundò, quòd licet juspatronatus ex persona Professi

Profeſſi transferatur in Monaſterium, nihilominùs, conditiones appoſitæ in fundatione patronatus, ſunt omninò obſervandæ: nequeunt enim alterari, aut prætermitti.

8. Perindè, ſi Fundator juriſpatronatus voluit, ac ſtatuit, ut jus eligendi, & præſentandi ſit, & conſervetur in ſua cognatione, & ſanguine, & quòd hoc juspatronatus, jure ſanguinis deferatur in poſteros, non poteſt à ſua familia avocari, & pœnes Monaſterium perpetuò remanere.

9. Quamobrem, ſi Laicus patronus ex fundatione efficiatur Religioſus, aut ſecum non transfert tale jus, aut Monaſterium illud non habebit perpetuò, ſed durante vita Monachi, prout advertit *Nicol. Garzias de benef. p. 5. cap. 1. num. 555.* ubi id refert ex *Rot. Rom.* fuiſſe deciſum coram *D. Seraphino*, die 17. Maii 1600. in una Abulenſ. vide illum, quia multa dicit.

Quæſt. 35. Monaſterium, an ſuccedat in jus nominandi in emphyteuſim?

1. QUidam, in facti contingentia dedit Sempronio quandam ſuam poſſeſſionem in emphyteuſim, pro vita trium perſonarum, nominandarum in ultimo vitæ fine, ut clarius ex contractu, qui quidem Sempronius in fine vitæ, ad præfatam poſſeſſionem, ſibi in emphyteuſim conceſſam nominavit Titium, cui placuit ingredi Religionem capacem bonorum, ob quod quæſitum fuit, an in hoc jus nominandi in emphyteuſim prædictam ſuccedat Monaſterium ex perſona Ingreſſi? quod reſolve affirmativè; quia Monaſterium ſuccedit in omnia jura Monachi, ſi de illis ante profeſſionem non diſpoſuit, *Lezana p. 2. ſum. cap. 19. num. 24.* ubi limitat; niſi illud jus foret perſonale, vel ex conjecturis eliciatur, electam eſſe induſtriam perſonæ.

Quæſt. 36. Monaſterium capax ſuccedendi, an ex perſona Monachi ſuccedat in bona ſtabilia, eius Patri in ſæculo in emphyteuſim conceſſa?

1. HÆc quæſtio eſt gravis, & pendet ex illa, an emphyteuſis tranſeat in Monaſterium, de qua diſceptant *Doctores*, & diſſidium eſt inter eos, teſte *Claro in § emphyteuſis, q. 33. & Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q. 96.* Quibus prætermiſſis, affirmativè reſolve: tum quia, ſicut empyteuſis poteſt legari Eccleſiæ, quæ nunquàm moritur, in præjudicium Domini directi, *Clar.* cit. *loc. in fin. Surd. conſ. 521. vol. 4.* ità poteſt tranſire in poſſe Monaſterii, cum univerſalitate bonorum ſui Profeſſi, etiamſi foret alterius Eccleſiæ, *Genuenſ.* cit. *loc.* tum etiam; quia, ex quo Monaſterium eſt capax bonorum, ut ſupponitur; & ſolutio penſionis ei non repugnat, nec indecens eſt, non poteſt aſſignari aliqua ratio, ob quam Eccleſia repellatur à ſucceſſione prædicta; quandoquidem, emphyteuſis eſt jus habendi rem aliquam immobilem, quoad dominium utile, cum onere ſolvendi realem aliquam penſionem Domino, in recognitionem directi dominii.

2. An autem Eccleſia cogatur vendere, & quomodò poſſit res illa ab ipſamet Eccleſia revocari, conſule præfatos *Doctores*, qui expungunt contractum conceſſionis in emphyteuſim.

Quæſt. 37. An item ſuccedat in jus renovationis emphyteuſis, & retractus?

1. PRo intelligentia terminorum adverte ex *Syl. ver. Emphyt. num. 11.* Emphyteuſim poſſe finiri, triplici modo: nempè, ob commiſſum, ſeu ob culpam emphyteutæ, nempè, illam non meliorando, ſed potius deteriorando, vel illam alienando, inrequiſito Domino naturali, aut ceſſando à ſolutione canonis, contra [illegible] lege præſcriptum, vel quid aliud male operando: in tali caſu renovatio nullatenus debetur; quia emphyteuſis jus eſt omninò extinctum, & emphyteuta eſt illo jure deſtitutus: ſecundò, finitur caducitate, ut quando conceſſa eſt alicui, pro ſe, ſuiſque filiis, & deſcendentibus, & tunc finitis illis, ceſſat omninò illa emphyteuſis, nulla alia revocatione facta; tertiò finitur, quando conceſſa fuit pro generatione limitata, nempe, uſque ad tertiam, vel quartam generationem.

2. Si hæc finita eſt, & filii ſupervivunt, aut alii deſcendentes ultimi poſſeſſoris: hi poſſunt renovationem emphyteuſis petere, & cogere Dominum directum, ut renovet emphyteuſim, & in eorum perſona confirmet, uſque ad aliam tertiam generationem.

3. Hoc ſtante, & facto caſu, quòd filius unicus [illegible] poſſeſſoris fiat profeſſus in aliqua Religione capaci bonorum, an Monaſterium ex eius perſona habeat jus petendi renovationem emphyteuſis prædictæ?

Quod negativè reſolve; quia Profeſſus, de quo agitur, habebat illam facultatem, jure ſanguinis, nempe, ut illa bona in emphyteuſim conceſſa eſſent in familia: Id ipſum dicas, quoad jus retractus: quandoquidem venduntur bona, ſalvo jure redimendi pro eodem pretio, ad hoc, ut bona vendita conſerventur, & ſemper ſint in familia, quæ cauſæ finales, ex quo ceſſant per Religionis ingreſſum, ceſſant illa jura tranſire cum perſona Profeſſi, in poſſe Monaſterii: etenim, bona tranſlata in Monaſterium, non poſſunt dici, quòd aſſervantur in familia, & ſanguine Profitentium in eo: Eccleſia enim non poteſt dici, quòd ſit hujus, vel illius familiæ, *Sanchez* cit. *loc. num. 25.*

Quæſt. 38. Monaſterium ex perſona Monachi, an ſuccedat in Officium publicum, utpotè Senatoris, Tabellionatus, & ſimile, quod habebat in ſæculo?

1. QUamvis indecens ſit Monaſterio, exercere præfata Officia ſæcularia; ſunt tamen, qui dicunt, quod ſi Profeſſus dum erat in ſæculo, mediante pretio aliquod à Rege emiſſet Officium, aut jura Fiſcalia, jura focularioum, aut alias gabellas venales, hujus emptoris profeſſione ſequuta, ſi Monaſterium ſit capax bonorum, & de illis, ante Profeſſionem non fuiſſet diſpoſitum, poterit, ſervatis ſervandis, gabellas, Fiſcalia, & ſimilia, ſi venalia ſint, vendere; & pretium illarum, ad ſui utilitatem convertere.

2. Verùm, ſi Officium ſit perſonale omninò, ſcilicet, inhærens perſonæ habenti jus ad illud, per Profeſſionem utique expirat, & redit ad Regem, & Regis erit; etenim Monachus, per profeſſionem amittit omne jus propriũ perſonale, nec poteſt illud in Religionem tranſmittere; quia perſonalia non tranſmittuntur; eò maximè, ſi Religioſo ſtatui repugnent, & ità fuiſſe deciſum in Sac. Reg. Conſ. Neapolit. refert doctiſſimus, & laborioſiſſimus *D. Thoro tom. 1. comp. deciſ. Neap. ver. Monaſterium, an ſuccedat in feuda, in fin.* ubi ait, quòd cum quidã Guardianus Portus Neapol. angreſſus eſſet Religionem Miniſtrorum Infirmorum, eadem Religio, ex gratia obtinuit à Rege, ut dictum Officiũ venderet alicui, ſicut actũ fuit.

Quæſt. 39. Monaſterium ex perſona Monachi, an ſuccedat in majoratu, vel ad feuda?

1. EX quo, Principum, Comitum, Marchionum, & Conſimilium Primogeniti ſolent profiteri in Religione capaci bonorũ, quæſtio eſt graviſſima, & frequens in uſu de qua latè *Doctores*, quos citant *D. Matth. de Aff. deciſ. 320. ibique Urſillus*, *Julius Clarus*, cum *Addit. §. feudum q. 78. Frecc. de ſubfeud. diff. 31. Capyc. deciſ. 10. Carol.*

rel. de Grass. effect. 4. nu. 22. Genuens. in practicab. Eccles. q. 15. & 19. ubi quærit, an Monialis succedat in feudo, & *q. 20.* an Equites Hierosolymitani succedant in feudis, *Ricc. collect. 2153. Cacher. decis. 27. D. Thor. tom. 1. comp. ver. Monaster. an succedat in feudo, Molina de primogen. lib. 1. cap. 13. n. 81. Rodr. tom. 2. q. 78. art. 12.* cum suo *comp. resolut. 66. de feudo, Sanchez* plena manu *lib. 7. ad decal. cap. 15. per totum,* & nuper *Lezan. p. 2. cap. 19. num. 4. & 14.*

2. Qui ferè concorditer ajunt, quòd Monasterium, ex persona Monachi non succedit in feudo, quod præstat servitium personale, & juramentum fidelitatis; quia ista requirunt industriam personæ: Monasterium non potest jurare, nec personaliter servire, item, feudum tenetur solvere Adoham, quæ ad electionem Regis nunc solvitur in pecunia, nunc autem in propria persona, assistendo in Castris, vel in aliis servitiis militaribus, quæ dedecent Ecclesiam: item, feudum non debet pervenire ad manus mortuas, in præjudicium Regis, alias Regia Camera amitteret relevia, pretium investituræ, servitia personalia, & spes caducitatis feudi evanesceret, & similia, quæ sunt de jure feudorum, perirent; & habetur clarè in *cap. 1. de vasallo milite, qui arma bellica, & c. 1. de benef. fæminæ, §. qui Clericus, si de feudo defunct. fuerit controversia,* ea ratione; quia miles Christi desinit esse miles sæculi; & quia non debet habere beneficium, qui non potest exequi officium, *cap. final. de rescriptis, in 6.* & magis expressè in *cap. scripsit 27. q. 2.* ibi, *scripsit nobis Tierberga Regina, se Regia dignitate, vel maritali copula velle exui, profitendo Religionem.* ubi *Glossa* notabilis, *in ver. Dignitate,* ait, *argue, quòd hoc solo, quòd quis efficitur Monachus, desinit esse Rex, vel Imperator, vel Papa, vel Episcopus, argum. 7. q. 1. can. hoc nequaquam, & jus Regni non transit in Monasterium. sed ad successores sanguinis tantum, ubi per successionem habetur, sic de Comitatu, & Ducatu.*

3. Tum denique; quia Monachi ex *cap. recolentes, de statu Monach.* non possunt succedere in Oppidis, & Castris, jurisdictionem habentibus.

4. Secùs autem, si feudum præstaret servitium reale, quod posset per ipsos Monachos persolvi, *Afflict. decis. 30. & Capyc. dec. 31.* vel si serviret per substitutum; quia, in tali casu Monachi admittuntur in successionem feudorum, *Afflictus, decis. 310.* vel si foret feudum franchum, quia in illo succedunt Clerici, & Monasterium, *Afflict. decis. 32.*

5. Quas successiones limitatas, ut suprà, intellige, Monasterium posse habere, non perpetuò, sed vita tantùm durante Monachi, ex cujus persona debet succedere, & quoad feudi commoditates, non autem quoad proprietatem, *Afflictus decis. 65. & Capyc. decis. 10.* & ità praxis observat de consuetudine, & communi opinione *Doctorum, Genuens. in practicab. Eccles. q. 13. in fin.* & secundùm hæc, intellige jura, si qua sint, quæ dicunt, Abbates, & Abbatissas in usibus feudorum non posse habere feuda, nec non & privilegia, uti est illud *Cælestini V.* quod concessit suæ Congregationi, quod habetur in *Comp. Privil. Cistercii, §. 4. & in Comp. Societ. tit. bona, §. 7.* & refert ferè per extensum *Rodr. tom. 1. de Regul. q. 38. ar. 3.* quo Privilegio probat, Regulares capaces bonorum, ob communicationem dictorum Privilegiorum, indiscriminatim posse recipere, & retinere bona feudalia, dummodò Monasterium, cui feudalia legantur, suscipiat onera, ad quæ donator tenebatur, & sint compossibilia cum statu Religiosorum, circa quam concessionem notat *Collector d. Compendii,* quòd juri communi non refragatur, præsertim quando servitium, si quod imminet, per Monasterium, vel per alium præstari potest, prout ait *Decius in cap. in præsentia, de probat. num. 74. & ibi Abbas,* etiamsi restitutioni sint obnoxia; quia tunc Monasterium habebit usumfructum, vita durante Monachi, & *Sylv. ver. feudum, §. 2.*

Quæst. 40. Monasterium possidens Castrum, an censeatur possidere in feudum, vel in allodium?

1. ET dico, quòd in hac re duo sunt consideranda; Primò, an Monasterium solvat Adoham, & præstet servitium, saltem per substitutum: hæc enim feudum ostendunt. Secundò, inspicienda est concessio Castri, quia si Dominus directus Castrum concessit, nulla facta mentione feudi, in tali casu concessio æstimatur facta in allodium, & non in feudum; quia quælibet res præsumitur allodialis, & non feudalis, nisi probetur: feudum enim est species servitutis, *Glos. in l. si ususfructus legatus, ff. de usufructu,* & quælibet res præsumitur libera, nisi servire probetur, *l. altius, C. de servitutibus,* quod præcipuè locum habet in Ecclesia, cujus favore concessio ei facta, latiorem suscipit interpretationem, quàm si sit facta laico, argum. *l. ut inter Divinum, C. de sacrosanct. Eccles.* & latè ostendit *Marc. Anton. Genuens.* in suis *practicab. Eccles. q. 1.*

Quæst. 41. Monasterium, in suis feudis & Castris an possit habere jurisdictionem criminalem, & exercere causam sanguinis?

1. FElinus *in cap. dilecti, nu. 2. de majorit. & obed. & Sot. lib. 1. de just. q. 4. art. 5.* respondent, quòd Monasteria, tam Virorum, quàm Mulierum, possidentia bona in communi, sunt capacia jurisdictionis temporalis, cum potestate utriusque gladii, exercenda tamen in causis sanguinis per substitutos idoneos sæculares, quod jus, & potestas residet penes ipsum Monasterium, sicut Monasterium Monialium est capax possidendi jus curæ animarum, cujus licet sint incapaces Mulieres, quoad actuale exercitium; non tamen, quoad habituale, seu quoad potestatem instituendi Viros capaces; prout ex multis ostendit *Rodr. tom. 2. q. 78. ar. 12. §. neque obstat,* cum suo *Compendio resolut. 96. num. 10. & resolut. 72. de hæreditat. num. 20.* & constat ex decisis, quibus dictum est, quòd Monasteria sunt capacia succedendi in majoratu, & feudis, etiam si illis sit annexa jurisdictio, dummodò per substitutum possit administrari.

2. Confirmatur ex praxi tot Conventuum, qui habent Vasallos, eisque jus, & justitiam per idoneos sæculares administrant, quibus absque ullo scrupulo dicere possunt, ut faciant justitiam, etiam si sciant, jus, & justitiam fieri non posse, absque sanguinis effusione.

Quæst. 42. Fratribus Mendicantibus, an possit legari?

1. ET dico, quòd sic, si Monasteria eorum sint bonorum capacia, ut constat ex decisis; tum quia, Monasterium loco Monachi succedit, & non Monachus ipse, *cap. in præsentia, de probat. & ibid. Barbos.* cum sua turba *Doctorum, num. 2. Vincen. de Franchis decis. 29. & Sanchez ad decal. lib. 7. cap. 12. n. 36.* tum etiam; quia licet Servus acquirat Domino, & Filius Patri, uterque tamen potest esse hæres, & legatarius: ità, & Fratres Mendicantes, quamvis quærant Monasterio, quia quidquid in jure dicitur de Servis, & Filiis, aptari potest Mendicantibus, ut dictum est; tum item; quia ex tot Privilegiis, quæ sunt communia, ob Privilegium communicationis licitum est eis succedere, ceu, si essent in sæculo.

2. Hinc, *Jul. Clar. §. Testamentum, q. 29. in fin. & Michael Crassus §. hæreditas, q. 7.* inquiunt, conclusionem esse certam, & de ea nullum posse dubitare, *Rodr. tom. 2. q. 125. ar. 1.*

Quæst. 43. Legatum relictum Professo, sub hac conditione, ut ad eum, & non ad Monasterium pertineat; an transeat in Ecclesiam, conditione rejecta?

1. BArtol. in auth. excipitur, C. de bonis, quæ liberis, quem sequuntur plures, quos allegat *Navar. cons. 75. de Regularibus, lib. 3.* in 1. edit. *dub. 18. num. 50. Rodr. tom. 2. de Regul. q. 125. ar. 2.* & longa manu *Novar.* in quadam sua *Allegat.* quam Typis dedit *Aloysius Riccius in collect. 3027. p. 7.* respondent, legatum valere, & Monasterio acquiri, nulla habita ratione conditionis appositæ, *Graff. decis. Aur. 1. p. lib. 3. cap. 5. num. 41. & Sanchez* latè *lib. 7. sum. cap. 17. per totum*; quia dicta conditio æstimatur impossibilis, quandoquidem quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit, *auth. ingressi, C. de sacros. Eccl.* immò turpis, & repugnans paupertati Professi, qui ex Voto non est capax proprii, ex *cap. non dicatis 12. q. 1.*

2. Sed conditiones turpiter, vel impossibiliter adjectæ legatis, non vitiant legatum, sed potiùs vitiantur, & habentur pro non scriptæ, & adjectæ, *l. 1. §. si quis ita, l. si quis constitutus, l. quæ sub conditione, l. conditiones, quæ, & l. conditiones contra, ff. de condit. instit.*

3. Sed quia voluntas testatoris, sivè donantis debet adimpleri, & explicari ad minus per indirectum; Sunt qui dicunt, præfatum legatum, sub dicta conditione relictum, esse benignè interpretandum; ità ut eius sensus sit, ut nihil facti pertineat ad Monasterium, secus autem de jurè, hoc est, ut commoditas, & usus, quæ sunt quid facti, pertineant ad Monachum, Abbate permittente, sed dominium, quod est quid juris, spectet ad Monasterium; & sic illud legatum valebit, *Molina,* post multos *de just. & jur. disput. 140. ver. si aliquid testamento, tom. 1. & Sanchez* cit. *loc. num. 4.*

4. Quod verum existimant, etiam si testator in ea conditione exprimeret, *ut nihil juris acquiratur Monasterio*; quia ad hoc, ut dispositio valeat, sunt ea verba intelligenda, ut nihil juris afferens commoditatem, seu quoad usum acquiratur Monasterio; secus autem quoad dominium, *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 10. & Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 3. tit. 9. num. 1.* ubi advertunt, quòd ad hoc, ut legatum reddatur validum, dispositio explicanda est, etiam cum aliqua violentia, si aliter nequeat intelligi, & benignè interpretari; quia verba in dispositionibus debent intelligi secundùm conditionem personæ, *l. plenum, §. equis, ff. de usu, & habitat.*

5. Dixi, Abbate permittente; quia Religiosus, ex quo non habet velle, neque nolle, non potest quidquam agere, sine sui Superioris licentia, qui non debet esse austerus, nec durus ad id concedendum; dummodò concedat ad finem virtuosum, & licitum, *Syl. ver. Religio 8. q. 5. Tab. ver. Monachus, q. 14. num. 15.* Secus autem peccarent, & recipientes bona de manu hujusmodi Monachi, tenerentur restituere; quia reciperent turpiter, & ab homine non habente auctoritatem, *Sanchez, & Rodr.* cit. *loc.*

6. Bene verum est, quòd si Superior non intenderet consentire, ut commoditas legati ad Religiosum illum pertineat, tunc legatum statim erit nullum, & spectabit ad hæredem, deficiente conditione, sub qua est relictum, *Novar.* cit. *loc. num. 50. in respons. ad primum argum. in fin. & Azor. instit. moral. lib. 1 tom. 2. cap. 10. q. 3.*

7. Nec sufficit, semel consentire, ne donatio perdatur, si deinceps Superior licentiam auferat, per ea multa, quæ notat *Sanchez* cit. *loc. num. 7. & Novar. ubi suprà,* ubi tandem, multis examinatis concludit, & verius, legatum valere, & transire in dominium Monasterii, conditione rejecta, tanquam turpi, & impossibili.

Quæst. 44. Si Testator in legato ponat pœnam, ut si dicat, volo, ut illud pertineat ad Monachum, & non ad Monasterium, & Superiore non consentiente in id, aut inferente Legatario molestiam, legatum pertineat ad Titium, an talis dispositio valeat?

1. BArtol. in l. Lucius Titius 78. §. tres hæredes, num. 3. ff. ad trebell. Syl. ver. Relig. 6. q. 7. dicto 3. Tab. ver. Monach. q. 14. Navar. de Regul. cons. 75.* in 1. editio. *dub. 18. num. 50. in respons. ad 1. argum. Rodr.* cit. *loc. ar. 3. D. Reg. Tapia in auth. ingressi, ver. in ipso ingressu, cap. 3. num. ultim. C. de sacros. Eccles.* & alii *Doctores* non pauci dicunt, legatum valere, & pertinere ad Monasterium, rejecta illa pœna, & horum ratio esse potest; quia adjectio pœnæ actui interdicto, est ipso jure nulla, qua pœna rejecta, valet legatum, *l. unic. in fin. C. de his, quæ pœna nomine relinquuntur,* ibi, *quòd si aliquid facere, vel legibus interdictum, vel aliàs probosum, vel etiam impossibile, iussus aliquis eorum fuerit, tunc sine ullo damno, etiam neglecto testatoris præcepto, servabitur:* at hæc omnia concurrunt in casu posito; nam velle Monachum habere peculium independenter à voluntate Superioris, est fateri duo contraria, nempe, illum esse Monachum, hoc est, habere votum paupertatis, & obedientiæ; & consequenter esse incapacem proprii peculii, & velle, ut independenter possideat, quæ simul vera esse non possunt, *l. ubi repugnantia, ff. de regul. jur. cap. solitudinem, de appellat.*

2. Item, turpe est, arctare Abbatem, ne possit Monachum impedire.

3. Item, est impossibile, quòd Monachus sibi acquirat, & non suo Monasterio; conditio autem turpis, aut impossibilis, ut dictum est, habetur pro non adjecta & scripta, & maximè favore Religionis.

4. Nihilominùs, *Archid. in cap. quia ingredientibus 19. q. 3. num. 3. ibi Bellemer. num. 3. Graff. decis. aur. p. 1. lib. 3. cap. 5. num. 41. Sanchez ubi suprà, num. 16.* dicunt, valere pœnam, & ideò, Prælato non consentiente amitti legatum, & competere Titio substituto; & ratio est in promptu; quia conditio adjecta, intelligitur modo licito, hoc est, ut Prælatus consentiat, Monachum habere usum, seu commoditatem legati, Monasterio retinente dominium, & ideò pœna censetur adjecta actui licito, ob cujus præteritionem deperditur legatum, ut dictum est, & probat ex multis *Navar.* cit. *loc.* si tamen expressisset testator, ut etiam, quoad dominium pertineret legatum ad Monachum, & nolente Prælato consentire; quia excepto Papa hoc nullus potest concedere, præfatum legatum pertineret ad extraneum substitutum; quia in tali casu, pœna verè esset adjecta actui interdicto, & conditio foret turpis, *Sanchez ubi suprà, nu. 17.* ubi advertit, quòd aliud sit, loqui de legato, & aliud, de donatione; quia *d. l. unic.* allegata probans, rejici eam pœnam, loquitur de ultimis voluntatibus, & non de donationibus; quia nullibi jure cavetur, contractus reddi irritos, adjecta pœna turpi.

Quæst. 45. Quæ cautela potest esse tuta, & adhiberi in legato faciendo Monacho, ad evitandas controversias?

1. NAvar. in d. consil. 75. de Regul. dub. 18. nu. 49. Rodr.* cit. *loc. art. 3. Sanchez, & Novar.* post Priscos *ubi suprà* ajunt, quòd optima cautela est, ut testator leget Monacho, quousque Superior ei usum illius legati permiserit, & ex eo tempore, quo non permiserit, legatum sit nullum, & amittatur, & spectet ad venientes ab intestato, vel ad alium extraneũ, quod multipliciter probat *Navar. ubi suprà,* tum quia id nulla lege naturali, vel divina vetatur,

vetatur, cùm talis uſus non ſit voto ſolemni, nec ſimplici contrarius; tum etiam, quia nulla lege humana hoc prohibetur, cùm ille ſolus Monachus dicatur proprietarius, qui tenet occultè, vel contra voluntatem Superioris, ut ait *Joan. Andr.* communiter receptus in *cap. cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*, at præfatus Monachus per diſpenſationem hujuſmodi legati nihil tenet occultè, neque contra voluntatem ſui Prælati, qui ſciens & prudens, uſum & commoditatem illius legati permittit, quippe qui poterit non conſentire, vel revocare conſenſum, perdendo legatum, *Syl. ubi ſuprà*, proinde in re legata tali modo non poteſt dici, quòd reperiatur alicujus pœnæ impoſitio, ſed quædam legati obtinendi à Monacho taxatio, nec continetur aliquid turpe, cùm Religioſus legatarius ſit capax uſus facti dependenter à Prælato, *Tab. & Armill. ver. Monach. num. ultim.*

2. Nec mirum, quòd legatum amittatur à tempore contradictionis; nam quoties aliquid legatur, vel donatur per verba denotantia principaliter tempus, & ſecundariò conditionem, ut donec, vel quouſque, vel dum legatarius hoc fecerit, ſi contraveniatur conditioni, ſoli fructus in poſterum percipiendi amittuntur, *l. qui concubinam 19. § uxori, ff. de legat. 3. Mantica de conjectur. ultim. volunt. & Novar. cit. loc.*

Quæſt. 46. An expediat Prælatis legata hujus generis acceptare?

1. RODriq. in *d. art. 3. in fin.* ait, quòd licèt prædictus modus legandi procedat de jure, Fratres tamen, qui propter Chriſtum abnegarunt ſuas proprias voluntates, non debent has cautelas amplecti; etenim velle frui his legatis, ſub pœna amiſſionis illorum, ſi per Prælatos moleſtentur in illis, non correſpondet voto paupertatis, nec quidem obedientiæ, quam jurarunt; ſuſpicor enim, hæc legata fieri à parentibus, & amicis, ad inſtantiam ipſorum, ut per pœnam adjectam Prælatorum prudentiam valeant exprobare, objiciendo, quòd per eos ſtetit, Monaſterium minimè locupletari, aut liberè legatis uti, velint, nolint, Superiores prædicti.

2. Perinde, timorati Prælati, qui tenentur invigilare ſuper gregem ſuum, nullatenus debent acceptare legata, hoc modo relicta: niſi conditio in ipſis appoſita omnino tollatur.

3. *Navar.* tamen in *conſ. præd. dub. 19. num. 52.* reſpondet, *quòd Prælati debent prudenter, & ſeriò penſare, an Monaſterium egeat, an abundet, & an per repudiationem exaſperentur Legantium Filii, vel Cognati, adeo, ut averterent animos ab amore Ordinis; an item Monachi Legatarii ob morbos, vel complexionis debilitatem egeant alimentis, vel medicinis extraordinariis; an item ſint tales, qui valde, & ad multum temporis ſcandalizarentur, eò quòd non conceditur eis id, quod licitè ſine Ordinis damno concedi poteſt; an item ſint ad prudenter diſpenſandum propenſi, an ad effundendum vanè inclinati, & ſecundùm hæc, & alias circumſtantias, finis, loci, perſonæ, & Monaſterii, poterunt Prælati hujuſmodi legata acceptare, vel repudiare, ſecundùm quod eis meliùs videbitur expedire: non igitur licet mox ex abrupto repudiare,* hæc *ille*; & meritò, quia fieri poteſt, ut Monaſteria ſint egena; adeò, ut nec Fratribus poſſint neceſſaria exhibere.

Quæſt. 47. PP. Dominicani, an poſſint accipere ex teſtamento, & perpetuò retinere?

1. AFfirmativè deciditur in *Conſtit.* eorundem, *diſtinct. 2. de domibus concedendis, cap. 1. lit. H. ver. item poſſeſſiones, pag. 97.* tum quia hi Religioſi profitentur ſecundùm *Regulam Sancti Auguſtini*, ſecundùm quam licitum eſt, in communi poſſidere, ut conſtat ex illa, tum etiam, quia eorum Ordo fuit ab *Honorio Papa III.* confirmatus cum caſtris, poſſeſſionibus, & redditibus, ut conſtat ex *Bulla* ejuſdem Papæ, ibi, *præterea, quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona, eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, &c.* quam per extenſum habes in *Bull.* dicti *Ordinis, fol. 4.* tum item, quia hoc eis licet ex ſpeciali *Indulto*, ſibi facto à *Sixto IV.* incip. *conſiderantes attentiùs*, ibi, *Generali prædicto, ac Prioribus, & Fratribus Domorum dicti Ordinis, præſentibus, & futuris, quòd poſſeſſiones, Domos, Cenſus, & alia immobilia bona eis, & ipſorum Domibus prædictis, pia fidelium largitione, inter vivos, vel cauſa mortis donata, aut teſtamentaria diſpoſitione largita, vel aliàs relicta, & quæ eis pro tempore donari, relinqui, ſeu largiri contigerit, pro ſubſidio Studentium, & aliorum eis incumbentium onerum ſupportatione in communi, & non aliter retinere, ac illa per deputandos ab eis adminiſtrare liberè, & licitè valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter, & indulgemus, non obſtantibus, &c.* quod pariter per extenſum habes in *d. Bull. fol. 148.* edito juſſu Reverendiſſimi Patris Fratris Stephani Uſuſmaris Genuenſ. ejuſdem Ordinis Magiſtri Generalis.

2. Tum denique, quia ita definitum eſt à *Sac. Conc. Trid. cap. 3. ſeſſ. 25. de Regul.* ob quod non eſt ampliùs dubitationi locus, *Gloſſ. cap. 1. ver. domum, de Relig. Domib. in 6.* & ex *l. Deo nobis, C. de Epiſcopis, & Cler. Covar. cap. quamvis pactum, part. 3. § 2. num. 4. de pactis*, & eſt communis, *Craſſ. § ſucceſſio ab inteſtato, q. 8.*

3. Neque his obſtat dicere, quòd quamvis hic Ordo fuiſſet confirmatus cum poſſeſſionibus, caſtris, & redditibus, quos tunc habebat, & in poſterum erat habiturus: nihilominus poſtea in primo Capitulo Generali celebrato Bononiæ, ſub Beatiſſimo Patre noſtro Sancto Dominico, anno Domini 1220. prædictis poſſeſſionibus & redditibus non ſolùm præſentibus, ſed etiam futuris renunciavit, quod pariter fecit in Capitulo Generaliſſimo, Pariſiis habito, ſub B. Jordano Magiſtro, anno Domini 1228. ob quem *ibidem* ſtatutum fuit, ne Fratres in poſterum poſſeſſiones, & redditus recipiant; prout meliùs eſt videre in dict. *Conſtit.* cit. *loc. fol. 97.* quia hæ prohibitiones de non habendo bona ſtabilia, fuerunt revocata per d. *Conſtit. Sixti IV.* & per dictum *Decretum Conc. Trid.* qua revocatione ſtante, prędictus Ordo rediit in primævam ſuam naturam, in qua uſque adhuc ſine ullo ſcrupulo feliciſſimè Dei gratiâ perſeverat.

4. Nec nocet prædictis, quòd ſint verè Mendicantes, & quòd ex mendicitate vivant, ut dicitur in *dict. Bulla Sixti*, & luculenter notat *Clarus, ſentent. lib. 3. § teſtamentum q. 29.* quia id non impedit, poſſe habere in communi.

5. Unde non eſt verum, quòd hi Patres coguntur vendere hæreditates ſibi relictas, & pretium illarum in eorum utilitatem convertere; quia potiùs bona immobilia, poſſeſſiones, & redditus Conventus, ſub pœna excommunicationis prohibentur vendere, & quovis modo alienare, ut conſtat ex *Conſtit.* prædic. cit. *loc. fol. 98. col. 1.*

Quæſt. 48. Fratres Ordinis Prædicatorum, an poſſint ſuccedere in bona morientis ab inteſtato, ac ſi eſſent in ſæculo, & de illis diſponere?

1. CLemens Papa IV. Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, nec non Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum, ſua *Conſtitutione*, quæ incipit, *obtentu divini nominis, &c.* quam per extenſum refert *Confectiùs, pag.* mihi 13. & habetur in *Monumentis trium*

Ordinum, in 1. impreſſione, *fol.* 64. & in 2. *fol.* 147. *concluſ.* 357. & refert in partem *Rodr. tom.* 2. *q.* 78. *art.* 6. & *Caſarubius in comp. ver. hæreditas*, conceſſit, ut poſſint ſuccedere ab inteſtato, ac ſi forent in ſæculo, & de bonis relictis libere diſponere, ibi, *auctoritate Apoſtolica daclaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſæculo exiſtentes, licitè poſſitis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac vendere liberè bona ipſa, & eorum pretium, in utilitatem veſtram convertere, prout vobis meliùs videbitur expedire.* hæc ibi.

2. Quibus in verbis duo debemus advertere: Primò, quòd prædicta *Conſtitutio* non habet locum quoad Fratres Minores de Obſervantia, ſed tantùm quoad Conventuales: illi enim ex Regula, & Papalibus Conſtitutionibus nequeunt poſſidere, nec in proprio, nec in communi, nec ſibi, nec Conventui quærere. Secundò, quòd prædictum Privilegium, quoad alienandum liberè cenſetur reformatum ex novis *Conſtitutionibus*, & *Decretis* Sacræ Congregat. quæ prohibent omnibus, etiam Mendicantibus alienare inconſulto Romano Pontifice, & conſtat ex *d. Conſtit.* præfati *Ordinis Prædicatorum, fol.* 98.

Quæſt. 49. *Fratres Minores Conventuales, an poſſint in communi bona immobilia habere ab inteſtato, vel teſtamento, ſuccedere, & quæſita retinere?*

1. RESpondeo, quòd ſic, ut conſtat ex *Bulla* ſibi conceſſa à *Sixto IV.* quæ incipit, *Dum fructus uberes*, & eſt 2. inter *Conſtitutiones* ejuſdem Papæ, in *Bull. Rodr. tom.* 1. *fol.* mihi 136. & reconfirmatur *Bulla* 13. ejuſdem in *eod. loco, fol.* 146. quæ incipit, *Ut interna Beatitudinis amatrices*, qua dicti Conventuales ſuffulti ſuccedere poſſunt, ac ſi eſſent in ſæculo, & bona quærere in communi, & quæſita exigere per Syndicum, inſtituendum à Prælatis Ordinis, juxta ſeriem ſuarum *Conſtitutionum.*

Quæſt. 50. *Fratres Minores de Obſervantia, an poſſint aliquid capere ex teſtamento?*

1. RESpondeo, quòd Fratres Minores de Obſervantia, nullo modo poſſunt capere ex teſtamento, neque ex relictis, ſi quæ eis fieri contingat, aliquid eis acquiritur, neque in proprio, nec in communi, & habetur expreſsè in *c. exiit, de verb. ſignif. in* 6. & *in Clem. exivi, eodem tit.* & *in Regula*, ibi, *Fratres nihil ſibi approprient, nec Domum, nec locum, nec aliam rem, ſed tanquam Peregrini, & advenæ in hoc ſæculo, in paupertate, & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſyna confidenter.*

2. Igitur hi Fratres, in vim *Regulæ*, præter alimenta, & victui neceſſaria, & hæc, non niſi titulo eleemoſynæ, nihil aliud poſſunt habere, nec petere, quod magis patet ex *d. Bulla Sixti IV.* incip. *Ut internæ*, qua ſuam *primam Bullam* declaravit, ibi, *nihilominùs, cùm deſideremus familiam, & Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, in ſua Regulari Obſervantia conſervare; nec dare eis materiam alicujus ſcandali, vel inquietudinis, cùm expreſſè adverſetur eorum emiſſæ profeſſioni, & paupertati promiſſæ, ex certa noſtra ſcientia decernimus, pariter & declaramus, mentis & intentionis noſtræ fuiſſe, & eſſe, ut prædictæ noſtræ, & aliæ ſimiles litteræ, circa ſucceſſionem hæreditatum hujuſmodi, ad Fratres familiæ de Obſervantia, ſe nullatenus extendant, nec eis, aut eorum alicui, in judicio, vel extra, quoquo modo ſuffragentur, nec vim aliquam habeant, ſeu habere cenſeantur: mandantes in virtute ſanctæ Obedientiæ, omnibus Fratribus ejuſdem familiæ de Obſervantia, ne quis eorum conceſſione hujuſmodi uti velle præſumat, quovis prætextu vel colore, qui nimirum in puritate ſuæ Regulæ; ſicut decet eos, permaneant, perinde ac ſi litteræ prædictæ nunquam emanaſſent.* hæc ibi.

3. *Rodr. tom.* 2. *q.* 78. *art.* 1. dicit, quòd licèt hi Fratres ſint incapaces hæreditatum, & relictorum in teſtamentis, attamen eis conſulitur multipliciter, & primò Judicis officio; quippe qui ex ſuo mero officio, nemine adhoc agente, poteſt compellere vel illum, qui ad hoc tenetur ex teſtamento, vel aliàs, ut relicta Monaſterio, vel Fratribus Minoribus adimpleat, & ſolvat. Secundò, quia quivis de Populo poteſt agere, & inſtare, ut relicta ad pias cauſas, Monaſterio, Hoſpitali, Fratribus Pauperibus, & ſimilibus, adimpleantur per illum, qui gravatus eſt à teſtatore, vel ab alio; tertiò, ut Syndicus petat nomine Papæ, exigat, & provideat neceſſitatibus prædictorum Religioſorum.

4. Verum cenſeo, prædicta non poſſe habere locum in Minoribus de Obſervantia; tum quia præſumi poteſt, fieri in fraudem paupertatis promiſſæ, & proinde erunt petra ſcandali; tum etiam, quia legatum relictum incapaci, habetur pro non ſcripto, *l.* 1. & *l. ſi metallum, ff. de his, quæ pro non ſcriptis habentur*; etenim ubi diſpoſitio legis reſiſtit, nullum ſortitur effectum, *l. non dubium, C. de legibus*, ergo relicta Minoribus de Obſervantia, nullatenus debentur, ſed cenſentur ipſo jure prohibita, ex quo Minores ſunt incapaces habendi, & habent legis reſiſtentiam; at nemo poteſt cogi ad ſolvendum id, quod non debetur.

5. Tum item, quia in *d. Clem. exivi*, expreſsè dicitur, quòd hi Fratres nullatenus ſunt capaces ſucceſſionum, quæ ex natura ſua indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, vel immobilia ſe extendunt, conſiderata ſui puritate voti, quæ clauſula cùm ſit univerſalis negativa, excludit etiam quamcunque minimam partem, & negat omnes modos & caſus, & omnem poteſtatem diſpenſandi, *Barboſa dict.* 91.

6. At inter modos recipiendi hæreditates, unus eſt, recipere æſtimationem, & pretium illarum; ergo dicti Fratres, abſque eo quòd deturpent votum, non poſſunt accipere pretium legatorum, vel quid ſimile, in excompotum illorum; tum item, quia hi præfati ex *d. declaratione Sixti IV.* non poſſunt quoquo modo, prætextu, & colore, uti litteris, quibus alii Minores utuntur in materia ſucceſſionum, & exigendi ex teſtamento, per Syndicum petentem legata nomine Eccleſiæ Romanæ, ad ſubvenendum eorum neceſſitatibus.

7. Proinde ut audio, hi Fratres hodie ex *Decreto* Sacr. Congregat. juſſu Papæ habito in obſervantiam paupertatis promiſſæ, nequeunt onera perpetua Miſſarum recipere, nec celebratarum, in judicio ſtipendium petere, nec alias habere, niſi à ſponte dantibus, & titulo eleemoſynæ, ob quod doctrina *Sylveſtri, ver. legatum,* 2. §. 4. & *Rodr. tom.* 2. *q.* 126. *art.* 4. hodie non procedit, vide *Caſarub. in comp. privil. ver. hæreditas*, & *ibid. Sorb. Capuc. num.* 2. *Miranda tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 11. *art.* 4. *Sanchez ad decal. lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 7. *in fin. Clar. ſent. lib.* 3. §. *teſtamentum, quæſt.* 29. & *Michael Craſſ.* § *hæreditas q.* 7.

Quæſt. 51. *Fratres Minores, an poſſint ex conſuetudine fieri habiles ad poſſidendum bona immobilia in communi?*

1. NEgat *Azor. tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 23. *quæſt.* 8. *in fin.* quia conſuetudo vim habere non poteſt contra vota ſubſtantialia Religionis, quorum unum, reſpectu Minorum eſt, de non poſſidendo, nec in proprio, nec in communi; vota enim, & maximè ſolemnia, obligant de jure naturali, & Divino, & quæ ſunt de jure Divino, non ſubſunt conſuetudini, ergo.

2. *Sanchez* verò *ad decal. lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 16. contrarium verius exiſtimat, ex quo ipſi Minores, non expreſsè

voto

voto paupertatis promittunt, se non habituros bona in communi; sed solam paupertatem promittunt, juxta suas *Constitutiones*, quibus tanquam jure humano inductis, consuetudo potest derogare, & consequenter inducere, ut Fratres Minores bona immobilia possideant in communi.

3. Confirmatur, quia Regulares sunt inhabiles ad testamentandum, ex quo dominium non habent, & tamen ex consuetudine ad id habiles fieri possunt; etenim solo jure humano statutum est, ut Religiosi testari non possint, *Navar. com. 2. de Regul. num. 44. D. Reg. Tapia in auth. ingressi, ver. ideoque nec de his, cap. 1. num. 6. C. de sacros. Eccles.* & post alios *Merolla, tom. 3. disput. 5. de consuet, cap. 4. dub. 10. diff. 2. num. 105.*

4. Mihi autem verior videtur prima sententia; tum quia Profitens in Religione Minorum, non profitetur convenienter, nec cœcutienter, sed certus de votis, & ubi à Prælato Capituli expressionem, & declarationem votorum audivit; & sic expressè promisit, nec in proprio, nec in communi, se aliquid habiturum; tum etiam, quia relatum est in referente cum omnibus qualitatibus suis; ergo dum Frater Minor vovet paupertatem contentam in *Regula*, etiamsi sibi in individuo haud fuerit expressa: ad hoc enim fecit Novitiatus annum, ut de illa inquireret, & certus esset, quod si indagare omisit, sibi imputandum.

Quæst. 52. Ecclesia Fratrum Minorum de Observantia, an possit hæres institui?

1. Bartolus in sua *Minorica, & in l. Civitatibus, de leg. 1. in l. servos, de aliment. & cib. leg. Navarr. de testam. cons. 13.* in 1. edit. *num. 3. Rodriq. tom. 2. quæst. 78. art. 5.* cum suo *Comp. resolut. 72. num. 14. Sorbus Capucc. in Comp. privil. ver. hæreditas, vers. sed cùm Fratres, Portell. eod. ver. num. 5.* Illustriss. *Maranta p. 4. respons. 18.* & alii plures, quos allegant *Addentes ad Jul. Clar. sent. lib. 3. §. testamentum, q. 29. lit. C. & Sanchez lib. 7. decal. cap. 25. n. 13.* respondent affirmativè; tum quia Ecclesia verè & realiter est capax institutionis hujusmodi, eique licito jure possunt legi legata, ut constat ex *l. 1. C. de sacrosanct. Eccles. l. ann. ff. de ann. legat.* sed Ecclesia, & Templum Fratrum Minorum est de jure, & proprietate Ecclesiæ Romanæ, ut dicitur in *Clem. exivi de verb. signif.* ergo.

2. Tum etiam; quia aliud est Ecclesia, & fabrica ejus, & aliud, Collegium, Conventus, vel Capitulum, quod eam tenet, gubernat, & regit, *cap. per exemptionem, de privil. in 6.* argum. *cap. si Civitas de sent. excom. in 6.* ergo quando testator relinquit Fratribus Minoribus, non dicitur relinquere eorum Ecclesiis, & vice versa, quando legat Ecclesiæ, non censetur legare Minorum Collegio.

3. Quapropter, annuum legatum relictum Ecclesiæ, vel ejus Altari, vel Sacristiæ Minorum, pro fabrica, oleo, cereis, vino; & similibus, valet, & tenet, possuntque Minores illud acceptare; secus verò, si fiat Fratribus Minoribus, *Navar.* cit. *loc.*

4. Idem procedit, si Guardianus Ecclesiæ, vel Capellæ instituatur hæres, quamvis Guardianus ille esset Frater Minor; quia sustineretur, secùs si instituatur, ut Guardianus Minorum; quia inter hunc, & illum modum instituendi est differentia, *Bartol.* cit. *loc.*

5. His tamen non obstantibus, verior ac tutior est sententia negativa, quam sequitur *Sanchez*, post multos de prædictis, cit. *loc. num. 14.* etenim Ecclesia Religionis Fratrum Minorum non succedit in bona Profitentium, nec de illis antea disponentium, nec Ecclesia Romana, sed hæres ab intestato, ut dictum est; igitur neutra Ecclesia succedit alicui ex institutione in testamento.

6. Confirmatur; quia æqua est ratio utriusque; nam ideo non succedit in bona Profitentis, quia medium est incapax, nempe Profitens in Ordine Minorum, & ideo Ecclesia Romana succedit in particularibus legatis, licitè factis Fratribus Minoribus; quia sunt capaces hujusmodi legatorum.

7. Ergo, tota ratio acquirendi Ecclesiæ Romanæ, pendet & pullulat à medio capaci; quia si medium sit incapax, nulla prorsus ei erit acquisitio, per quæ, & similia, quæ observat *Bald. in rubric. de sacrosanct. Eccles.* detestans opinionem prædictam, ait, Ecclesiam materialiter sumptam, seu Templum, prout est quoddam exaggeratum ex calce, arena, tegulis, & lapidibus, non esse medium sufficiens ad acquirendum Ecclesiæ Romanæ, civili acquisitione; quia est medium inanimatum, quod quidem nec velle, nec capere potest: ergo recurrendum est ad organum animatum, & habile, quod non potest esse Ecclesia Fratrum Minorum, etiam formaliter sumpta; quia horum Conventus, & Collegium est incapax successionis, institutionis, & annui redditus, ob votum profundæ paupertatis: & quòd Templum supponat pro Religiosis habitantibus in eo, non est novum in Ecclesia, teste *Paulo Apostolo: Templum Dei estis vos*, ergo Fratres Minores collectim sumpti, sunt Ecclesia ipsorum.

8. Confirmatur; nam quando testator instituit hæredem Ecclesiam Fratrum Minorum, intellexit, & voluit instituere propriè Ecclesiam ipsorum Fratrum Minorum identificè; si ergo testator hoc intellexit, & voluit, clarè sequitur, quòd non valet talis institutio incapacis.

9. Secus autem, nocte diuque pateret janua fraudibus, & dolus serperet de nomine ad nomen, contra manifesta jura, per eundem *Baldum* allegata, ob quæ, & majora idem *Bartol.* se retractavit in *l. unic. in fin. C. de conductoribus, lib. 11.* & cum ipso ejus Sequaces.

10. Hinc falsum est, Fratres Minores posse retinere annuum legatum, eorum Ecclesiæ relictum pro vino, & oleo, & magis falsum, Altare Ecclesiæ Minorum posse rectè fieri hæredem, & quærere dictis Fratribus, & falsissimum est, Guardianum Ecclesiæ, vel Altaris ipsorum posse institui hæredem, prout *Bald. & Sanchez* in cit. *loc.* quia hi Fratres, nec directè, nec per fideicommissum, nec via substitutionis possunt institui, nec hæredes fieri; prout *Sorbus* post alios timoratæ conscientiæ advertit in cit. *loc.* & latè *Genuensis in practicab. Eccles. q. 328. in fin.* Et juxta hanc nostram sententiam latè consuluit, & obtinuit decisum per Sacr. Cons. Neapolitan. *D. Paul. Staban Senior. consil. 49. & 50.*

11. An verò in his casibus possit subintrare Reverenda Fabrica S. Petri, vide *D. Episcopum Marant. respons. 35. par. 1. & Illustriss. D. Regent. Capyc. Latro decis. 180. lib. 2.*

Quæst. 53. Legatum factum dictis Fratribus de Observantia, vel Capuccinis, an possit commutari in alios pios usus?

1. Angelus, post multos in suo *consil. 224.* ob multa, ad quæsitum respondet negativè, & ubi solvit objecta, subdit: *Caveant Mendicantes, ne anhelent ad relicta bonorum immobilium, & aliarum rerum, quarum sunt incapaces, & sub colore eleemosynæ retineant, quousque vendiderint, & pretium in victum quotidianum convertant; nam id fieri non potest, nisi testator signanter bona immobilia reliquisset, ut venderentur, & pretium converteretur in victum*, hæc ille.

2. *Genuens.* verò *in practicab. Eccles. q. 440.* dicit contrarium, ex quo censet, legatum factum esse pro anima, & juxta *Regulam* relicta ad pium usum sunt in alios usus convertenda, quando non possunt deservire pro usu destinato, *cap. nos quidem, de testam. l. legatum, de usufructu legat. l. legatum, ff. de administratione rerum ad Civitatem pertinentium, l. 1. C. de expensis ludorum, lib. 11.* quæ

Angelus

Angelus dicit procedere in legatariis capacibus relictorum, ſecùs autem in incapacibus.

3. Sed quidquid ſit de jure communi; alii reſpondent ad quæſitum affirmativè, ex *Privil. Sixti IV.* qui conceſſit Prælatis Minorum, ut legata ſibi relicta pro uno uſu, poſſent convertere in alium uſum; dummodò non ſit ſcandalum illorum, ad quos pertinet, & *Leonis X.* quod incipit, *Exponi nobis feciſti,* & habetur in *Bull. Rodr. tom.* 1. *fol.* mihi 286. & eſt 13. inter *Bullas* ejuſdem, & *Clem. VII.* qui conceſſit Miniſtris Provincialibus Ordinis Minorum, & Guardianis in ſuo Conventu, ut quando ſibi relicta fuerint legata, etiam perpetua, quorum non ſunt capaces per ſuam Regulam, poſſint de conſilio Diſcretorum, per ſuos Procuratores, vel Syndicum componere, vel paciſci cum Exequutoribus teſtamentorum, & hæredibus, circa prædicta legata, & inſtitutiones, ſicut illis viſum fuerit æquum, & juſtum, ut ſolvant ſemel tantùm in pecunia, vel aliis rebus, una tantùm vice, vel locis conſtruendis, & quòd facta illa unica ſolutione, hæredes authoritate Apoſtolica in perpetuum liberentur, ad aliquid ultrà ſolvendum, ut pleniùs conſtat ex *Bulla d. Papæ,* quæ incipit, *nuper pro parte veſtra,* & habetur in *d. Bull. Rodr. tom.* 2. & eſt 39. inter *Bullas* ejuſdem *pag.* 335.

4. *Portellus* autem in *ver. legat. in addit. num.* 2. *in fin.* dicit, Minores de Obſervantia non poſſe uti dictis conceſſionibus, tum quia repugnant puritati *Regulæ,* & paupertati, juxta *Declarationes* Pontificias *Nicolai III.* & *Clem. V.* inſertas in corpore juris, qui dicunt, Minoritas incapaces eſſe illius hæreditatis, & *Sixti IV. ubi ſuprà.*

5. At per Syndicos illam hæreditatem vendere, eſt illam acceptare, & illius dominium accipere, quod repugnat *Regulæ* puritati, & prædictis Declarationibus Pontificiis, ut dictum eſt: eò magis, quia in Capitulo Generali Toletano, anno 1606. totum Capitulum renunciavit omnibus conceſſionibus Pontificiis, quæ repugnarent puritati *Regulæ,* veluti eſt iſta *Clem. VII.* & quòd ſervarentur ad unguem *Declarationes Regulæ* editæ per dictos Pontifices *Clem. V.* & *Nicolaum III.* ubi docent, prædictos Fratres eſſe incapaces prædictorū redditų annualium, neque concedunt, ut circa hæreditatem, vel legata, quorum ſunt incapaces, poſſint paciſci modo conceſſo à *Clem. VII.* & Capitulum Provinciale vel Generale habet authoritatem hujuſmodi.

6. Ex quibus dictus *Portell.* multa infert, & Primò, non poſſe Minoritam procurare, immò nec accipere legatum annuum, ſibi ſoli relictum à Parentibus, vel Amicis, pro ſuis neceſſitatibus ſublevandis; eò præcipuè, quia annuus reditus computatur inter res ſtabiles, ut docent *Juriſtæ,* & patet ex eo, quia Clericus habens ſolum annuum reditum pecuniarium, cenſetur habere patrimonium ad ordines.

7. Secundò, non poſſe Minoritas in communi habere redditus annuales olei, vini, & ceræ pro Sacriſtia, & ſic retractat, quod dixerat in *ver. hæreditas, num.* 5. ſecundùm opinionem *Navarri:* quod etiam ait procedere in modica quantitate, *Rodr. tom.* 2. *q.* 126. *art.* 2.

8. Ego autem, quia eos amo, & timeo de illorum voto, & ſcandalo, conſulerem eorum Devotis, ut ad tollendum omne ſcrupulum, vellent ſuos hæredes gravare, ut morte ſequuta hoc vel illud mobile, vel immobile teneantur vendere; & rei venditæ pretium mox dictis Fratribus eleemoſynaliter dare, nulla expectata inſtantia, vel petitione prædictorum; qui etenim potuit inter vivos eleemoſynas facere, non prohibetur poſt mortem manu hæredum pauperibus elargiri, de quo vide *reſponſion. ultimam D. Epiſcopi Marantæ p.* 1.

TRACTATUS DUODECIMUS.

DE OBLIGATIONIBUS MONASTERII.

Quæſt. 1. *Monaſterium, an teneatur acceptare, vel repudiare hæreditatem damnoſam?*

1. Certum eſt, quòd Eccleſia, ex quo gaudet Privilegio Minorum, & miſerabilium perſonarum, non tenetur acceptare hæreditatem damnoſam, *Genuenſ. in practicab. Eccleſ. q.* 272. *num.* 4. immò dato, quòd acceptet, erit ejus receptio invalida, quam poteſt etiam ex poſt facto repudiare, abſque alia reſtitutione, prout dixit *Bald. in l. final. C. de jur. deliber.* quia, ut dixi, ejus receptio fuit invalida, per *textum auth. ſicut alienatio, C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & *cap.* 1. *in fin. de teſtam.* & gaudet beneficio reſtitutionis in integrum, *Abbas in d. cap.* 1. *in fin. de teſtamentis.*

Quæſt. 2. *Monaſterium, an teneatur exhibere libros, ex quibus reus conventus poterit relevari ab onere probandi?*

1. Quòd libri Monaſterii plenè probent contra ipſum, non eſt, qui dubitet: immò, contra tertium, ſi ſint reperti in Archivio publico, & per Officiales publicos ſervati, ex *textu cap. ad audientiam, de præſcriptionibus,* & *ibi gloſſ. auth. ad hæc,* ubi etiam *Gloſſa C. de fide inſtrument.* & *Gloſſ. in cap. cùm cauſam, extrà de probat. Maſcard. concluſ.* 76. *num.* 50. & latè *Genua de ſcriptura privata, lib.* 5. *cap.* 1. & 2. & eò fortius, ſi ſint antiqui, prout expreſsè habetur in *d. cap. cùm cauſam,* & *in cap. ſane, el ſecondo* 24. *quæſt.* 2. & agatur de modico præjudicio; tunc enim talibus libris Monaſterii pleniſſimam adhibendam eſſe fidem, docent communiter *Doctores, Menoch. de arbitrar.* multis citatis *caſu* 3. *num.* 4.

2. Amplia hoc, ad libros rationum Adminiſtratorum, & conſimiles, *Genua* cit. *loc. num.* 23. Monaſterium tamen non poteſt cogi à Judice ſæculari ad exhibendum hos libros; tum quia Judex laicus caret poteſtate cogendi Monaſterium, quod eſt ſpirituale; tum etiam, quia de jure communi, ut dictum eſt ſuprà, eſt ſubjectum Epiſcopo loci, non autem laicali poteſtati; tum item, quia cùm libri, qui conficiuntur à Monaſteriis, quotidie eis ſint neceſſarii, non ſunt ab illis extrahendi; unde oculati Judices in caſu quòd his indigeant, ſolent decidere, ut per Scribam cauſæ fiat acceſſus, & à libris Monaſterii extrahantur partitæ, de quibus diſceptatur; ſumptibus tamen partis indigentis; prout ſæpè fuit deciſum in Sac. Conſ. Neapolit. & refert *D. Joan. Bap. de Thoro in ſupplement. comp. deciſ. Neap. ver. Monaſterium, fol.* 408. quandoquidem non eſt inconveniens, nec præjudicat Monaſterio, quòd ab ejus libris extrahantur partitæ, quibus fides adhiberi debet ad litis direptionem; etenim exempla ſolemniter ſcripta, eandem habent fidem, quam habent originalia, *Abbas in cap. final. num.* 5. *de fide inſtrum.* & *Genua ubi ſuprà.*

Quæſt. 3.

Quæst. 3. *Monasterium hæres laici, in lite cœpta contra defunctum in Curia Laicali, an teneatur prosequi dictam litem in eodem foro?*

1. HAc in re variant *Doctores*, & sunt duæ opiniones. Prima est affirmativa, quam multi gravissimi *Authores* sequuntur cum *Didac. Covar. practicarum quæst.cap.*8.*per totum,* & *Felin.in cap. quia* 5. *de judic.* tum quia judicium ubi cœptum, ibi finiendum est, *l. ubi cœptum, ff. de judic.* tum etiam, quia explorati juris est, instantiam ad hæredes transire, *l.si constante,* §.*final. ff. solut. matrim.* tum item, quia hæres censetur una, & eadem persona cum defuncto, §.1. *auth.de jur.jurand. à morient. præst l.heredem ff.de regul.jur.*

2. Secunda opinio est negativa, eamque sequuntur multi etiam *Doctores*, quos allegat *Covar.* cit.*loc. num.*3. *in fin. ver. verùm contraria opinio, D. Carol. de Grassis in tract. de effect.lib.Clericat.effect.*1.*num.*278. *Glossa in cap.is, qui in jus succedit alterius,de Regul.juris in* 6. *Ascan. Tambur. tom.*1. *de jur.Abbat. Marcell. Vulpes* in sua *praxi fori Eccles.cap.*43.*num.*27. *Andr. Molfes. in comment.super Consuet.Neapol.p.*2.*q.*8. *per totam,* ubi disputat ad partes, & *Seraph. dec.*957. *n.*7. & rationem dicunt esse; quia cùm persona Ecclesiastica sit omninò exempta à jurisdictione laicali, *auth.statuimus,C.de Episcopis,*& *Clericis,* & *cap.si diligenti, de foro compet.* adjuncta *Gloss.final. in cap. significasti,eod.tit.*non potest conveniri coram Judice laico.

3. Sed doctissimus *D. Cons. Carleval. tom.*1. *de judiciis disput.*2. à *num.*309. ad *num.*319. latissimè omnibus relatis, discussis, & examinatis probat, sequendam esse primam opinionem, vide illum, & *D. Barbos. in tract. de universo jure Ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. à *num.*101. ad *num.*104. & *D. Reg. Sanfelic. decis.* 2. *num.*13.

Quæst. 4. *Prælatus Monasterii, an possit per se solum, absque consensu Capituli contractus facere, aut faciendi curam alicui committere?*

1. NEgativè dic, & est decisio *cap. sine exceptione* 52. *caus.*12. *q.* 2. ibi, *decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat; nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ: secùs alienatio irrita erit, & vacua;* & in *cap.novit,* 4. *de his, quæ fiunt à Prælat.sine consensu Capituli,* habetur, quòd Prælatus, sine consilio Capituli, instituere, vel destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare non debet; id ipsum sancitur in *cap. subsequenti,* & *cap. ea noscitur,eod. tit.* ibi, *fiat de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinet firmitatem;* & in *cap. quod quibusdam* 4. *de fidejussoribus,*ibi, *mandamus, ne quis Religiosus, absque majoris partis Capituli,* & *Abbatis sui licentia, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultrà summam, communi providentia constitutam: alioquin non teneatur Conventus pro his aliquatenùs respondere, nisi fortè in utilitatem Domus ipsius manifestè constiterit redundasse,* quas decisiones quidam limitant, dicuntque habere locum quoad contractus faciendos circa res graves, & quæ sunt alicujus momenti; secùs autem quoad res leves, & modicas, ut quæ ad victum, & vestitum communem pertinent; quia Prælatus per se solum hæc minima potest peragere, absque consensu sui Capituli; tum quia ita habet consuetudo; tum etiam, quia id videtur secum ferre administratio rerum temporalium; tum item, quia valde durum videtur, quòd debeat Prælatus consensum sui Capituli requirere toties, quoties vult emere vinum, vel frumentum, vel quid simile, *Lessius lib.*2. *de just. cap.* 28. *dub.*2. *num.*20. *Peyr.* citat. *loc. num.*14.

2. Verùm quoad has res minimas, quæ ferè quotidie emuntur, & sunt victui necessariæ, non potest dari certa Regula, sed observandæ sunt Constitutiones, vel laudabiles Consuetudines cujusvis Ordinis.

3. In Dominicana enim Familia Prior Conventualis ultrà decem carolenos usuales regni nequit expendere sine consensu sui Capituli.

Quæst. 5. *Prælatus Monasterii, an teneatur stare contractui sui Prædecessoris?*

1. ROdr.*tom.*2. *q.*49. *art.*7. & *tom.*3. *q.*26. *art.*1. cum suo *comp. resolut.*35. *de contract.lib.* cui favet *Sanchez lib.*7. *summ. cap.*31. *num.*41. affirmativè respondet, & est decisio *Can. Illud* 8. *caus.*16. *q.*6. ibi, *quòd præcedentes dederint Sacerdotes, subsequentes Pontifices nullatenùs auferre præsumant,* & *cap. litteris* 39. *de rescriptis,* ubi etiam Papa saltem ex æquitate, clementia, & urbanitate tenetur ex contractu sui Prædecessoris, ibi, *cùm factum prædecessoris nostri potiùs, quàm nostrum fuerimus prosequuti:* quod verum ex multis *ibidem* ostendit *Glossa*, & constat ex contractu Juris Patronatus, quem posteri ad unguem observare tenentur, & praxis ipsa in consimilibus docet, dummodò hi contractus sint justi, & liciti, & ut juris, & moris stipulati, & propriæ Regulæ non contrarii.

Quæst. 6. *Prælatus an valeat annullare licentiam, quam præteritus Superior concessit?*

1. AFfirmativè dic, si res est integra, hoc est, si licentia, quam Superior concessit, non sit exequutioni mandata; secus autem, si habuit effectum consummatum; tum quia Prælatus successor tenetur stare contractui sui prædecessoris, ut dictum est suprà; tum etiam, quia cùm ex contractu oriatur quædam obligatio naturalis, & civilis, qua scilicet Monachus contrahens potest cogi & astringi, non valet Prælatus hujusmodi jus tertiò acquisitum tollere, *Sanchez de matrim. disput.* 40. *num.*14. & *ubi suprà, num.*41.

Quæst. 7. *Religiosus ex suo contractu inito, sine licentia Superioris, an obligetur naturaliter, hoc est, in foro conscientiæ?*

1. EMinentiss. Cardinalis *Hostiens. lib.* 3. *sum. sub Rubrica de fidejussoribus, num.*2. *ver.* & *quis,* respondet negativè; ibi, *item excipitur Monachus, qui nec naturaliter obligatur, cùm nec velle habeat,*12.*q.*2.*cap. non dicatis: si tamen administrationem habeat, videtur obligari de his, quæ ad administrationem pertinent, arg. ff.eod. l. si quis inscio Domin.* & *l.sequent. quod intelligas, quando administrationi expedit, aliàs contrà.* hæc ille, cui inhæret *Panor.cap.ex rescripto, de jur. jur. num.* 1. & *ibi Felin.* & *Portell. in dub. ver. pactum, num.* 2. ibi, *si quis cum particulari Religioso pactum faciat, de mutuando, vendendo, vel quid simile;* & *ibi non interveniat licentia Superioris saltem implicita, pactum in conscientia non valet,* & *Rodr.tom.*3. *quæst.*33. *art.*1. cum suo *compendio, resolut.* 35. *num.*3.

num. 3. *& resolut.* 107. *de pactis*, tum quia ad obligationem naturalem necessariò requiritur priùs consensus, *l. stichum*, §. *naturalis*, *ff. de solut.* hoc autem consensu caret Monachus, ex *cap.* 2. *de testam. in* 6. tum etiam, quia dicto contractui leges resistunt: vetitum enim est Religiosis contrahere sine licentia Prælati, ut constat ex *d. cap.* 2. *de testam. in* 6. *& cap. non dicatis*, 12. *q.* 1. ergo.

2. Confirmatur; quia quando lex humana contractum reprobat, ipsum prohibet, & ei resistit, neutra obligatio nascitur ex illo, nempe nec civilis, qua datur actio in foro causarum, nec naturalis, qua contrahens in foro conscientiæ obligatur ex lumine naturæ, quod dictat, ut pacta, & promissiones serventur, sed contractui Monachorum inito sine Superioris licentia jus non assistit, sed resistit, ergo.

3. Nec objicies, quòd sicut Religiosus tenetur suis votis, licèt emissis absque Superioris licentia, usque dum non irritentur; ita pariter tenetur contractibus; paritas enim non currit, quia Monachus ad vovendum non habet legis resistentiam, sicut habet ad contrahendum, & legis resistentia, ut dictum est suprà, absolvit contrahentes ab utraque obligatione, scilicet civili & naturali.

4. Neque dices, quòd Monachus comparatur servo, qui sine Domini licentia contrahens, obligatur naturaliter, non autem civiliter, *l. naturaliter* 13. *ff. de condit. indeb.* quia ista comparatio procedit, cùm subest eadem ratio: in casu autem nostro concurrit dispar ratio; nam Regularis renunciavit voluntati suæ, ex *d. cap. non dicatis* 12. *q.* 1. *& d. cap.* 2. *de testam. in* 6. *& cap. si Religiosus, de elect. in* 6. Servus autem non sic; nec non lex resistit obligationi Monachi, non autem obligationi servi, licèt non assistat, non tamen resistit, prout subtiliter dixit *Panor. in d. cap. ex rescripto, de jur. jur.*

5. Benè verum est, quòd *Navarr. in comm.* 2. *de Regul. num.* 42. concordat *Doctores*, qui in hac re videntur variare; dicitque, quòd aliud est loqui de votis, pactis, & contractibus Religiosi subditi, ante irritationem Prælati, & aliud post; in primo enim casu ex multis ostendit, Religiosum subditum teneri suis votis & contractibus naturali obligatione; secus autem in secundo, quod verius putat *Sanchez lib.* 7. *decal. cap.* 31. *q.* 2. *n.* 36.

6. Tu autem considera, quòd vota Regularis facta Deo sine consensu Prælati, si non sunt contra Regulam in genere, nec in specie; valent & obligant voventem, si non revocentur, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *ad* 3. tum quia non habent legis resistentiam; tum etiam, quia censentur fieri, & facta esse, de tacita licentia Prælati; nam dum vota, ut supponitur, non sunt contra Regulam, nec in genere, nec in specie, nec impediunt servitia Communitatis, non potest præsumi, quòd displiceant Prælato, quippe qui, si super his interrogaretur, utique illa laudaret, & approbaret; sed ita est, quòd taciti & expressi consensus eadem est virtus, ergo. Quod regulariter non potest dici de pactis & contractibus, ob prædicta: nisi forsan sint notoriè utiles, aut Communitati necessarii; quia in his item censetur adesse tacita voluntas Prælati, cujus est ea omnia permittere, & rata habere, quæ nulli nocent, & alteri prosunt.

Quæst. 8. *Contractus Religiosi subditi initus sine licentia Superioris, an sit ipso jure nullus?*

1. Affirmant illi, qui dicunt, dominium voluntatis Religiosorum esse apud Superiorem; unde actus promittendi in Religiosis subditis, non est obligatorius, nec Deo acceptus, donec Superior consentiat, ut expressè dicitur in *cap. Monacho* 20. *q.* 4. ibi, *Monacho non licet votum vovere, sine consensu Abbatis sui; si autem voverit, frangendum erit*; quod procedit ex defectu voluntatis, quam Religiosus non habet: ex quibus inferunt contractum Monachi, initum absque Superioris licentia, esse ipso jure nullum, nullamque inducere obligationem; quia censent esse factum sine consensu simpliciter necessario ad contrahendum.

2. Secus putant illi, qui dicunt, hujusmodi contractus non esse ipso jure nullos, sed irritandos, vel approbandos per Prælatum: perinde, ajunt, quòd quamvis firmi sint, nullam tamen inducunt obligationem, quousque per Superiorem approbentur, tacitè, vel expressè, ut patet ex decisis immediatè suprà, & refert *Rodr.* in suo *comp. resolut.* 35. *de contract. num.* 6. *& Peyr. tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. *in fin.* ubi docet, per licentiam Prælati præsumptam multos contractus initos ad utilitatem Monasterii sustineri; ut si Monachus ex sua pecunia emat Domum, vel quid aliud in proprietate Conventus, & sibi fructus retineat, quoad usque Superioribus placuerit; quia tunc præsumitur Prælatus consentire in utilitatem Conventus.

3. Et *Sanchez* cit. *loc. num.* 32. post multos putat, hos contractus tenere, etiamsi non præsumatur de mente Prælati; peccare tamen Religiosum sic contrahentem, & *num.* 34. ait, quòd licèt venialiter peccet Religiosus, hæreditatem sibi legatam acceptans sine licentia Prælati; acceptatio tamen in favorem Monasterii tenet: verum hæc omnia præsumuntur fieri de tacita voluntate Prælati, ad hoc, ut gesta per Fratres dicantur rationabiliter facta.

Quæst. 9. *Religiosus si cum licentia præsumpta Prælati, suis pecuniis emat aliquam Domum, vel Censum, an possit ipse solus, absque licentia Prælati eam Domum vendere, vel pretium Census à venditore redimente recipere?*

1. Negativè dic; tum quia nemini Regularium licet bona immobilia, cujusque qualitatis sint, & quovis modo acquisita, tanquam propria, aut nomine Conventus possidere, ut constat ex *cap. nemini* 2. *de Regul. sess.* 25. *Conc. Trid.* ergo non potest illa vendere sine metu pœnarum; quia effecta sunt sui Monasterii, à quo non possunt avocari; nisi de expresso consensu Capituli, & servatis servandis, secundùm Apostolicas Constitutiones; quod procedit de Censibus Bullariis, seu factis cum potestate redimendi quandocunque, quia hi Census computantur inter stabilia Conventus, ut infrà dico. Tum etiam, quia venditio domus emptæ, & census redemptio, censentur contractus graves, & rei non modicæ considerationis; qui petunt juris solemnitates; secùs incurritur in censuras, & contractus erunt nulli; tum item, quia non potest rationabiliter præsumi, quòd fiant de tacita licentia Prælati: nisi forte pecunia recepta manifestè convertatur statim in utilitatem supradicti Monasterii, & ultrà hoc desideratur juris solemnitas, ut dictum est suprà.

Quæst. 10. *Debitum contractum cum Monacho, sine licentia Superioris, an possit eidem rectè solvi, ità ut debitor nequeat ampliùs molestari?*

1. Affirmat *Rodr. tom.* 3. *q.* 26. *art.* 3. cum suo *Compendio resolut.* 35. *de contract. num.* 2. & est decisio *Capellæ Tolosanæ, q.* 122. & colligitur ex *l. quod servus, ff. de solut.* & docet *Bartol. in l. cùmque*, §. *qua sibi*, *ff. de verb. obligat. & in l. si unus* 1. *respons. ff. de pactis*, ubi ex multis ostendit, quòd quando in contractu intervenit factum, id est, consensus Abbatis, seu Superioris, non rectè solvitur id, quod debetur ratione contractus, illo Superiore inconsulto; secus autem dicendum, quando in contractu non intervenit.

2. Pro-

2. Proindè quando Monachus mutuat, vel deponit pecuniam apud aliquem, ut ei restituatur, sine licentia Superioris; Debitor, vel Depositarius liberatur, si dicto Monacho absque alterius licentia restituat depositum, ut solvat, quod debet, *Aufrerius* addens ad dictam *decis. Capellæ Tholos. & Peyr.* cit. *loc. num.* 8. & ratio esse potest; quia ex pacto, & contractu nascitur civilis, vel naturalis obligatio, ut dictum est suprà.

Quæst. 11. Prælatus an obligetur ex contractu inito inter se, & suos subditos?

1. NAvar. com. 2. de Regul. num. 42. cui favet *Rodr. tom.* 3. *q.* 29. *ar.* 9. cum suo *Comp. resolut* 107 *num.* 3. *Portellus. ver. pactum, num.* 3. *& Peyr. tom.* 2. *q.* 3. *cap.* 5. *nu.* 9. respondent affirmativè; quia sicut pactum de jure naturæ obligat inter Servum & Dominum; ita pariter inter Prælatum & Religiosum subditum; & colligitur ex *cap. ex Epistolæ verbis* 1. *de probat.* ibi, *quatenùs pacta, &c. ut ex his colligere, quid tibi servare deberet,* ubi Dominus Papa loquitur de pactis initis inter Justinianum Imperatorem, & Tancredum Regem, & *ibi Panor. & Felin.* idem tradunt ex multis.

2. Proindè si Monasterium de consensu Capituli concedat alicui sibi subdito annuos redditus, ad eum sublevandum à suis necessitatibus, non poterit Prælatus successor sine culpa & causa illum præfatis censibus privare, & secùs faciens, graviter peccabit; quia Prælati ad Monachum datur obligatio ex pacto; *Navar. & Portell.* cit. *loc.* & Prælatus successor obligatur ex contractu, seu pacto sui Prædecessoris, si sit licitum & justum, & suæ Regulæ non contrarium, ut dictum est suprà.

Quæst. 12. Monasterium, an teneatur ex delicto sui Monachi, vel Abbatis?

1. NEgativè; quia delictum personæ non est convertendum in Ecclesiæ damnum; prout expressè deciditur in *cap. si Episcopum* 16. *q.* 6. *& in cap. delictum, de Regul. jur. in* 6. ubi *Glos.* ostendit, quod ipsi Monachi delinquentes sunt puniendi, etiamsi sint Prælati, & non eorum Ecclesiæ; quia Ecclesia uti minor & pupilla non tenetur ad pœnas, culpis Procuratoris vel Administratoris debitas; etenim Procuratorum est, utilia agere, & inutilia prætermittere, & sibi imputandum, si terminos suæ administrationis excedant.

2. Secùs tamen dicendum, quando Monasterium ex delicto Monachi, aliquid ad ipsum pervenit, vel quatenùs illius delictum conversum est in Monasterii utilitatem; quia tunc in tantùm tenetur, & non plus, ut constat ex *Can. Casellas* 10. *q.* 2. ibi, *hoc jus*, & docet *Syl. ver. Religio* 8. *q.* 3. *Tab. ver. Monasterium, nu.* 10. *& Armilla ver. Monachus, nu.* 13. *&* 14.

3. Proindè, Monasterium non tenetur de furto, nec de homicidio commisso à Monacho, neque de aliis, quæ inferuntur à Prælatis: nisi fortè Religiosus, communicato consilio cum Prælato & Capitulo, delictum admiserit, *Glos. final. l. si quis in tantùm* 7. *ver. de Abbate, C. unde vi,* & docet *Navar. com.* 2. *de Regul n.* 62. *Sanchez lib.* 7 *decal. cap.* 51. *nu.* 13. *& D. Reg. Tapia in auth. ingressi, ver. sua, cap* 18. *num.* 45. *C. de sacros. Eccles.* quorum ratio esse potest; quia excedunt limites, & abutuntur potestate.

4. Nec obstat dicere, quod Monasterium æquiparatur Filiisfamilias & Servis, & quod Dominus tenetur de Servi delicto, etiamsi nihil ad eum perveniat, & se ignorante vel contradicente id faciat, & quod etiam Pater de Filii delicto; quatenùs est in peculio, saltem post condemnationem filii, *l.* 1. *§. quid ergò, ff. de vi, & vi armata, & l. quod si minor,* §. *si servus, ff. de minoribus.* quia etsi jura loquentia de Servo, vendicent sibi locum in Regularibus, hoc tamen debet intelligi, quando militat eadem ratio, quod deficit in casu nostro; quia pœna dandi Servum pro noxa, quâ tenetur Dominus, non potest aptari Monacho, qui ut liber homo est res inæstimabilis, insuper & sacra pro noxa æstimabili commutari nequit.

5. Nec correspondet id, quod dicitur de Patre; quia licet Pater non teneatur pro noxa dare Filium; tenetur tamen post condemnationem, de dolo filii, quatenùs est in ejus peculio: undè non immeritò de damno dato per Monachos, habentes peculium, coguntur ipsi, vel Monasteria eorum, resarcire illud, quatenùs peculia sufficiunt, ut praxis docet cum *Navarr. ubi suprà.*

Quæst. 13. Monasterium, an obligetur ex contractu sui Professi?

1. NEgativè *Innoc. in cap. olim, il secondo, de Privil.* quem sequitur *Angelus, ver. Monasterium, num.* 1. *Tab. eod. ver. nu.* 10. *& Sylv. ver. Religio* 8. *q.* 3. nisi illi sit aliqua administratio tacitè vel expressè commissa, vel nisi ex dicto contractu aliquid emolumenti Monasterium recipiat; nam tunc ad illud, in quo factum est locupletiùs, tenetur; & ratio esse potest multiplex; tùm quia Professus perpetuò non habet velle, neque nolle, quod necessariò requiritur ad contrahendum, ut dictum est suprà; tùm etiam, quia hoc est expressè Religiosis vetitum in *Capitulo non dicatis* 12. *q.* 1. *& cap.* 2. *de testam. in* 6. tum item, quia Religiosus comparatur Servo, & Filiofamilias, qui suis contractibus nequeunt Patrem, vel Dominum obligare; nisi quatenùs indè facti sunt locupletiores, prout expressè dicitur in *l.* 1. *§ si cum impubere, ff. de peculio;* ex quibus *Syl.* cit. *loc.* infert, quod solus Monachus obligatur, sed non tenetur solvere; quia non habet undè solvat, *c. Odoardus, de solut.* nec potest conveniri ratione contractus; nec ille, qui cessit bonis 11. *q.* 1. *c. de persona* 38. ubi *Glos. in ver. aut Monachum,* subnectit, *utpotè conventum nomine Monasterii, ratione alicujus successionis, quæ obvenit Monasterio per eum, aliàs non competit actio contra Monachum, cùm nihil habeat,* argum. *instit. de auth. tutor, Sanchez* cit. *loc. num.* 9.

2. Quod adeò verum est, ut versâ vice, contrahentes cum Religioso non habente facultatem à suo Superiore, minimè obligentur contractu: nisi post Prælati approbationem, ipsi quoque ratificent; quia contrahentium par esse debet conditio, ut constat ex ludo, in quo, qui non potest perdere, nec potest lucrari. *Covarr. in Regula peccatum, p.* 2. *§.* 4. *ver. deindè, & Sot. lib.* 4. *de just. q.* 5. *ar.* 2.

3. Nec obstat, quod dentur multi contractus, ex una solùm parte claudicantes, ut Minorum, Pupillorum, Servorum, de quibus *Sanchez num.* 28. nam hi omnes propriam habent voluntatem, secundùm quam naturaliter obligari possunt, *l. naturaliter, ff. de condict. indeb.* undè non est mirum, si eorum contractus, ex una solùm parte claudicantes, ex parte contrahentium cum ipsis firmi sint; at Monachorum contractus, qui propriâ voluntate carent, cùm habeant defectum perpetuum in radice, ex neutra parte possunt esse validi, *Peyrin. tom.* 2. *de Prælat q.* 3. *cap.* 5. *num.* 5.

4. Dixi suprà, Monasterium teneri ex contractu Monachi, si ei sit tacitè vel expressè commissa aliqua administratio, & quatenùs non excedit limites suæ administrationis; quia eo ipso censetur ei commissa facultas ineundi contractus, ad illam administrationē pertinentes, *Sylv. & Tab.* cit. *loc.* secùs quandò excessisset; quia quandò excedit, non potitur jure administrandi, *Sanchez* cit. *loc n.* 10. proindè Monasterium non tenetur restituere, si Prælatus mutuo accepit pecuniam in usus proprios, vanos, & turpes, aut in alios, in quos bona Monasterii expendenda non erant; quia tunc excedit suæ administrationis limi-

limites, ex *l.* 1. §. *si cum impubere, ff. de peculio*, & post prædictos advertit *Rodr.* in suo *compendio resol.* 35. *de contract. num.* 3. quod est valdè notandum pro recto gubernio, & bonâ administratione bonorum Monasterii.

Quæst. 14. *Monachus, qui suo delicto, aut contractu aliquod damnum alicui injustè intulit, an teneatur resarcire?*

1. RESpondeo, quod Monachus injustè damnificans omni modo sibi possibili, tenetur restituere, quod habet locum in utraque opinione prædicta; quia licet Prælatus possit sui subditi vota & contractus annullare, & per talem annullationem illum eximere ab obligatione voti, & contractus; subditus enim post irritationem sui voti, ad illud ampliùs non tenetur, *Cajet. in* 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 8.

2. Nihilominùs irritatiò voti, seu contractus per Prælatum facta, non liberat à restitutione damni injustè illati; etenim injusta causa damni illati non evanescit per irritationem contractus, *Sanchez* cit. *loc. num.* 38.

3. Modum autem restitutionis per Religiosum faciendæ, docet *Peyr. tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 5. *nu.* 6. *in fine.*

Quæst. 15. *Monasterium, an teneatur ad omnia Ingressi onera, nempè solvere debita contracta ante Monachatum, alere Parentes, aut Filios, & similia?*

1. RESpondent affirmativè *Doctores*, tàm *Civilistæ in auth. ingressi, C. de sacros. Eccles. & ibi Glossa, Bartol. nu.* 33. *& in* 1. *lect. num.* 13. *Alberic. num.* 7. *& D. Reg. Tapia* multis citatis *cap.* 18. *num.* 2. quam *Canonistæ in cap. in præsentia, de probat. Felin. in cap.* 1. *nu.* 10. *de re judicata*, & alii quamplures.

2. Quod intellige habere locum, quandò Monasterium successit in bona Professi; secùs autem, si bona Profitentium ad Monasterium minimè pervenissent; quia in tali casu Monasterium haud teneretur, *Farinac. in decis.* 333. *num.* 1. *tom.* 2. *in civilibus, Gratianus discept. forens. cap.* 363. *num.* 15. & ita decisum fuisse in Sac. Cons. Neap. refert *D. Thoro tom.* 3. *par.* 2. *comp. decis. Neap. ver. Monasterium, an teneatur, & Lezan.* 1. *p. sum. cap.* 24. *num.* 38. tùm quia hoc est commune unicuique bonorum successori, ut astringatur ære alieno ejus, cui successit; tum etiam, quia juxtà vulgatam Regulam, qui sentit commodum, debet sentire & incommodum; tum etiam, quia non licet locupletari cum aliena jactura.

3. Hinc Monasterium non tenetur alimenta præstare iis, quibus tenebatur Religiosus subditus, utpotè ejus Parentibus & Filiis, & Spuriis; quia bona Professorum, transeunt in Monasterium cum illa clausula, & obligatione, *si illi indigeant, & Monasterium habeat de bonis Professi*, Covar. multis citatis *tom.* 1. *p.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 14. ubi de alimentis multa dicit, *pag.* mihi 248. *Surdus de aliment. tit.* 1 *num.* 1. *& sequent. & Molina lib.* 2. *de primogen. Hispan. cap.* 15.

4. Quod amplia ad similia, ob eandem rationem; quia scilicet Monasterium tenetur ad omnia Ingressi onera, modo, quo suprà.

5. Si roges, an Monasterium teneatur prædicta solvere juxtà vires hæreditatis, an verò ad unguem, secundùm quantitatem debitam, absque ulla diminutione, etiamsi vires hæreditarias excedant?

Angelus in sum. ver. Religiosus, num. 59. quem sequitur *Syl. ver. Religio* 6. *q.* 2. *& Tab. eod. ver. q.* 39. *num.* 40. respondent, Monasterium teneri solvere in totum, eò, quia Monasterium succedit, jure quodam successionis universalis.

6. Verumtamen falluntur; quia Monasterium tenetur ad opera professi, juxtà vires bonorum, in quæ successit, & non aliter, nec alio modo, & ita tenendum est omninò, *Panor. in d. cap. in præsentia, num.* 77. ubi tractans illam quæstionem, quomodò aget Monasterium in præfatis, in quibus succedit, vel ei acquiruntur, dicit, quod his actionibus aget, quibus ille Professus egisset ante ingressum, & pro gestis ante per ipsum, tenebitur Monasterium in quantum ad ipsum pervenit de bonis Ingressi, argum. *l.* 2. *C. de impub. & aliis substit. Sylv. ver. Religio.* 8. *q.* 3. *D. Reg. Tapia in dict. auth. c.* 18. *num.* 2. & alii multi, quos sequitur *Sanchez lib.* 7. *decal. cap.* 31. *q.* 1. *num.* 3. *& Lezan.* 1. *par. sum. cap.* 2. *num.* 18. tùm quia nullum præjudicium fieri potest Monasterio; undè ejus jura & bona debent esse semper illæsa, argum. *cap. cassella caus.* 10. *q.* 2. ibi *hoc jus*, ex quo colligitur, quod in tantum tenetur Monasterium, in quantum versum est in ejus utilitatem, & non ampliùs; etenim Monasterium hanc obligationem subiit, ratione bonorum, quæ habuit ex persona Professi, ergò non potest esse amplior quantitate eorundem, prout idem *Angelus* tradit in *d. sum. ver. Religiosus, num.* 6. tum etiam; quia Monasterium comparatur Minoribus & Pupillis; undè habet restitutionem in integrum, & non tenetur stare contractibus odiosis, seu damnosis, initis inter quoscunque per suos Administratores, perindè dicit de læsione etiam minima, ut dictum est suprà.

7. Amplia, ut secundum supradicta Monasterium teneatur solvere debita Professi, nedum ex bonis, quæ acquisivit tempore ejus Professionis, sed etiam ex illis, quæ post professionem ad se pervenerunt, ratione illius, ut si professus post suam professionem, emptione, donatione, vel legato, aut suo labore & industriâ comparavit.

8. Nec dices, quod Religiosus quidquid acquirit post professionem, non sibi acquirit, sed Monasterio primò & immediatè; quia hujusmodi Regula & axioma habet locum, quando Religiosus, tempore professionis non reperitur oppressus ære alieno, secùs autem, nam si tempore professionis reperiatur gravatus, tunc non Monasterio, sed creditoribus acquirit, quidquid antè, labore, industriâ, hæreditate, vel donatione comparat. Professio enim nullatenùs derogat juri creditorum: ergò sicut antè professionem hic Monachus tenebatur ex his bonis solvere creditoribus, ita & Monasterium in ea bona succedens tenebitur, *Felin. in cap. L. & A. nu.* 10. *de sent. & re judicata, Azor. tom.* 1. *institut. moral. lib.* 12. *cap.* 10. *quæst.* 8. *D. Reg. Tapia, & Sanchez* cit. *loc.*

9. Proindè Monasterium tenetur solvere debita sui Professi ex bonis ejusdem indistinctè, & generaliter, hoc est ex bonis habitis tempore professionis, vel post professionem habendis, *Joan. Andr. in additionibus ad Speculatorem, tit. qui filii sint legitimi*, §. 1. *num.* 14.

Quæst. 16. *Monasterium, an teneatur solvere debita contracta à Sacrista, pro necessariis Ecclesiæ?*

1. NEgativè respondet *Bald. in l.* 1. *C. de exercitatoria actione*, & hoc ideò; quia Sacrista non fuit præpositus ad obligandum, nec ad negotiandum, sed ad custodiendum Altaria; & colligitur ex *l. sed si pupillus*, §. *conditio, & in l. si cum villico, ff. de institor. act.* censetur enim in casu posito excedere limites suæ administrationis, *Innoc. in c. quod quibusdam, c. quod quibusdam, de fidejussoribus*, ad quem excessum Ecclesia non tenetur, ut dictum est suprà.

Quæst. 17. *Monasterium, an obligetur ex contractu inito cum Monachò, non habente mandatum, vel administrationem?*

1. REspondeo, quod quando Religiosus habet mandatum ad aliquid peragendum, indistinctè repetit omnia,

omnia, quæ expendit pro Monasterio, sive utilia, sive inutilia fuerint expensa; si autem non habuit, repetit solùm, quæ expendit utiliter in negotiis suæ Ecclesiæ, ex *textu cap. quicunque*, 12. q. 4. & docent *Doctores in cap. cùm pro causa, de Procurat.* & constat ex decisis.

2. Hinc si Mandatarius ob aliam causam ivit ad Curiam, vel ad alium locum, non poterit repetere expensas, nisi propter procurationem traxerit longiorem moram, *l. ex parte ff. fam. ercisc.* & tradit ex multis *Genuens. in practic. ab eccles. q. 579. num. 6.*

3. Sed pone, quod quis utiliter cœpit, si post modum succumbat in lite, an repetat expensas? *Glos. in dict. cap. cùm pro caus;* ait, quod si egit cum mandato, sivè succumbat, sivè obtineat, repetit expensas: si verò agit sine mandato, ita demum repetit, si obtinuit in favorem Ecclesiæ, secùs autem.

4. Verum, si certum est, quod utiliter cœpit negotium, licet succumbat, repetit expensas, per *Tex. l. sed an ultrò. ff. de neg. gest.* quod enim succumbat, non ei imputandum, cùm litis & belli incertus sit exitus, alia hujus generis tradit *Genuens.* cit. *loc.* vide illum.

Quæst. 18. Monasterium, an teneatur de re deposita apud Monachum, si culpa sui subditi pereat aut deterior fiat?

1. Sanchez *lib. 6. decal. cap. 14. num 29.* post *Armillam, ver. Monach. num. 13.* respondet negativè, etiamsi Prælatus alicui Religioso concedat, ut Depositarius sit; nisi quatenùs res deposita sit conversa in utilitatem Monasterii, ex quo delictum Monachi, vel Abbatis non obligat ad restituendum damnum illatum: nisi quatenùs ex eo factum est locupletiùs, ut sæpè dixi, & habetur expressè in *cap. gravis, primo, de deposito*, ibi, *cùm non constet, pecuniam tuam, qua ille vir furatus est, in Ecclesia utilitatem conversam, non debemus de jure contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ, præcisè intentare jussionis instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, persona, non Ecclesiæ commendatam*, & magis expressè in *cap. quod quibusdam 4. de fidejussoribus*, ibi *non teneatur Conventus aliquatenùs respondere: nisi fortè in utilitatem Domus, manifestè constiterit redundasse.*

2. Ex quibus *Syl. ver. Religio 6. q. 8.* ait, quod nec Monasterio competit actio agendi contra eos, qui sunt furati res depositas apud particularem Fratrem, sed jus agendi contra Fures, pertinet ad Patronum bonorum, *D. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 6. §. 7. & Innoc. in cap. cum olim, el 2. num. 4. de Privil.*

3. Verùm, si Monachus Depositarius delinquat circa res prædictas, nempè, dolosè, vel negligenter conservando; debet puniri ab Abbate, tanquàm à suo legitimo Superiore, juxtà dispositionem *cap. Odoardus, 3. de solut.* vel si non potest in bonis, luat in corpore.

4. Sed quid, si Abbas videat res apud Monachum depositas furtim auferri, vel culpa illius perire, & non obstet, valens obstare; tenetur ne depositi? & quidem teneri, docet *Sanchez* cit. *loc. num. 33.* ex quo Abbas non solùm est institutus in Religiosorum bonum, verùm etiam eorundem Judex effectus est, ut subditos delinquentes coerceat, & puniat; quamobrem, sicut lege justitiæ tenetur Religiosum astringere, ut depositum illud Domino petenti restituat; ita eâdem lege tenetur impedire damnum, quod ab aliquo inferri videt, & potest facilè impedire; secùs faciens tenetur ipse, loco illius restituere, *D. Reg. Tapia auth. ingressi ver. sua cap. 18. n. 17. C. de sacros. Ecclesiis*, post *D. Anton. & Sylv. ubi suprà.*

* * *
* * *

Quæst. 19. Monasterium, an teneatur actione depositi sibi commendati; si sua culpa, aut dolo deteriùs fiat?

1. Glossa *d. cap. 1. de deposito in ver. Persona*, respondet affirmativè; quod verum ostendit ex verbis ejusdem *Cap.* ubi Dominus Papa ex eo ait, Ecclesiam non teneri restituere pecuniam de qua *ibidem* agebatur; quia erat commendata particulari Personæ, & non Ecclesiæ; ergò secùs dicendum, quando fuerit Ecclesiæ commendata: tunc autem depositum dicitur factum Ecclesiæ, seu Monasterio, quando fit de consensu, & in præsentia Prælati, & Capituli, *Glos.* cit. *loc. in fin.*

2. Nec dices, Ecclesiam habere privilegium de non restituendo res, dolo, & culpa sui Prælati perditas; nisi exindè ditior sit effecta, & commoditatem habuit; quia hoc Ecclesiæ Privilegium nullibi reperitur. Nec Monasterium potest juvari beneficio restitutionis in integrum, quando dolo, in re deposita, deliquerit; Ecclesia enim æquiparatur Minori, *c. 1. de restit. in integrum.* Minor autem non restituitur, quandò præcessit dolus, ut ex multis ostendit *Ioan. Andr. in d. cap. 1. de deposito, num. 2. & Sanchez*, post allegatos cit. *loc. n. 36.*

3. Verùm sunt, qui negant, Minorem non habere beneficium restitutionis in integrum, adversùs latam culpam, & dolum præsumptum, vide illos.

Quæst. 20. Monasterium, an teneatur de fidejussione Monachi?

1. Negativè dic; nisi Religiosus subditus fidejubeat, de licentia Prælati, & majoris partis Capituli; prout expressè deciditur in *d. cap. quod quibusdam 4. de fidejussor.* ubi Religioso vetatur aliàs, pro aliquo fidejubere; secùs autem hujusmodi fidejussio erit ipso jure nulla; tùm quia Religiosus ad id habet legis resistentiam; tum etiam, quia caret consensu, qui est omninò necessarius, ad assecurandum contractum vel debitum, *Glos. in d. cap. in ver. fidejubeat*; tum item, quia non habet, quod possit obligare, *Rodr.* in suo *comp. resolut. 35. de contractib. in addition. num. 7. & Peyr. tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 5. nu. 10.*

2. Amplia, ut prædicta locum habeant, etiam in Abbate & Superiore Monasterii; cùm is neque absque consensu Capituli fidejubere possit, *Syl. ver. fidejussor, q. 4.* quod intellige in re gravi; secùs in modica, de qua disponit Superior Conventus, absque consensu Capituli, ut dixi suprà,

3. Amplia, ut item præfata procedant in Religioso, qui de licentia sui Superioris vacat studiis in aliqua Universitate, in qua licet possit contractus inire; nequit tamen validè fidejubere, ut docent *Glos. ex parte, in ver. licet de accusat. & ibi Felin.* & alii plures, quos sequitur *Sanchez in d. cap. 14. nu. 42.*

4. Proindè Sæculares, qui sapiunt, fugiunt contrahere cum Monachis particularibus, absque Superioris, & Capituli licentia; etenim sciunt, Regulares subditos, sine licentia prædicta nullatenùs posse aliter contrahere, nec habere peculium, de quo possint disponere; & præcipuè fulciri dicto. *c. odoardus 3. de solut.*

Quæst. 21 Laici fideiussores insolidum obligati cum Monacho, sine tamen licentia Prælati, an remaneant obligati, etsi obligatio quoad Monachum non valeat?

1. Affirmativè dic, si hi fidejussores sint insolidum, & uti principales cum juramento obligati, ad favorem Monachi; etsi res gesta sit sine licentia Prælati, per ea multa jura, quæ allegat *Emanuel. Rodriq. tom. 3. q. 26. ar. 2.* ubi id decisum refert à Rota Placentina, *Mandosius de atat.*

ætat. minor. q 33. *Alexand. conf.* 39. *col. penult. Jason conf.* 58. *lib.* 3. *& Hier. Rodr. de pactis Regul. resolut.* 107. *nu.* 2.

2. Nec dices, quod fidejussores censentur accessoriè obligati, accessorium autem sequitur naturam sui principalis, quo deficiente, deficit, *cap. accessorium de Regul. jur. in* 6. quia hoc fallit in casu posito, tum ratione juramenti præstiti, quod firmat contractum, aliàs non firmum; tum etiam quia fidejussores se obligarunt, ut principales & in solidum, ut praxis observat.

Quæst. 22. *Monasterium, an obligetur ex mutuo suscepto à particulari Monacho?*

1. ET dico quod non, nisi mutuum versum sit in utilitatem Monasterii; prout expressè dicitur *in dict. cap.* 1. *de deposito*, & *c. quod quibusdam, de fidejussor. & c.* 1. *de solut. in fin.* ibi, *pro Ecclesiæ necessitate contracta, & caus.* 10. *q.* 2. *hoc jus*, §. *& is creditor*, & constat ex eo, quod observatur in mutuo facto Administratori, vel Tutori Pupilli, aut alicujus Civitatis, *l. Civitas* 27. *ff. de reb. credit. l.* 3. *C. quando ex facto tutor.*

2. Onus autem probandi, pecuniam versam esse in utilitatem Ecclesiæ, incumbit creditoribus, *d. auth. hoc jus* ibi, *versam esse probaverit*, facit *l.* 1. *C. de solut. & liberat. debitor, lib.* 11. *& Bartol. in l. Civitas, ff. si cert. petat*, & multis citatis *Genuens. in practicab. Eccles. q.* 139. *num.* 2.

3. Hæc autem versio, an debeat probari verè, vel saltem per conjecturas? Variant *Doctores*, de quibus latè *Genuens. ubi suprà, num.* 3. *& Ricc.* 1. *p. decis.* 3. *Glossa* autem in §. *si verò quis, in auth. de alienat. & emphyteut.* vult requiri veram probationem, cùm agatur de obliganda Ecclesia vel Civitate, ex facto alterius, per dictam *l. Civitas, Glos.* autem *in dict. auth. hoc jus*, dicit, quod sufficit probare per conjecturas: hanc autem opinionem, communiorem & urbaniorem existimant *Genuens. & Ricc.* cit. *loc.* & addunt, quod inter conjecturas optima est, quæ resultat ex antiquitate temporis, *Cravet. de antiquitate tempor. part.* 2. *cap.* 17. *num.* 13.

4. Item, quod negotium fuit tractatum coram Generali Ordinis, item, quod plures solutiones debiti sunt factæ, quæ non multum distant à summa justi pretii, prout decisum à Rota Romana refert *Ricc.* cit. *loc.* Sed adverte, quod sola Prælati confessio non probat versionem in utilitatem Ecclesiæ, absque aliis adminiculis, *Rot. decis.* 258. *lib.* 1. *divers.*

5. Nec sola narrativa contractus; etenim requiruntur conjecturæ legales, non autem frivolæ, ut si solum sit in contractu dictum, quod Ecclesia pluribus indigebat, vel quod monetæ receptæ fuerunt conversæ in Ecclesiæ utilitatem; prout latè de his *Mascar. conclus.* 1166. *Menoch. lib.* 4. *præsumpt.* 55. *num.* 4. *& Molina de just. disput.* 300. *num.* 2.

Quæst. 23. *Si mutuum accipiatur ab ipso Prælato, & Capitulo simul, an sit necessum probare versionem in utilitatem?*

1. ET quidem multi ajunt, quod necesse sit, probari versionem in utilitatem Ecclesiæ. Verùm *Didacus Covar. var. resolut. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 3. post multos allegatos negat, ibi, *quod si mutuum detur Prælato & Capitulo, Decurionibus & Præsidi, tunc non est necessarium probari, eam pecuniam expensam esse ad Ecclesiæ vel Civitatis utilitatem*; cui subscribit *Marc. Ant. Genuens. ubi suprà*, aliàs magnum esset incommodum Ecclesiarum & Civitatum, quia non possent de facili reperiri, qui in necessitatibus eis mutuam vellent pecuniam dando subvenire; & consequenter, quod earum favore inductum esset, in odium verteretur, contra juris Regulam.

2. Verùmtamen adverte, quod quamvis in prædictis casibus & similibus non sit probanda versio in utilitatē: nihilominùs si Ecclesia vel Universitas reperitur læsa, potest petere restitutionem in integrum, adinstar mutui facti Minori, cum authoritate Curatoris, qui potest restitui; nisi probetur versio, *l.* 1. *&* 2. *C. si adversùs creditor.* & docet ex multis *Covar. ubi suprà*, 1. propè *finem d. num.* 3. & quod Ecclesia æquiparetur Minori, constat ex *cap.* 1. *de restit. in integrum*, & quod ei in casu posito sufficiat allegare læsionem, licet non probet, dixit *Imola in d. cap.* 1. *de deposito, num.* 17. & esse valdè notandum, asserit *Genuens.* cit. *loc.* qui sub *nu.* 6. subjungit, quod ubi contractus cum Prælato & Capitulo fuit celebratus, est probanda Ecclesiæ versio in illam causam determinatam, expressam scilicet in contractu, & ad evitandum oppositiones, debet esse sollicitus emptor, ut fiat versio in illam causam, juxtà seriem contractus.

Quæst. 24. *Monasterium, an obligetur ex contractu Monachi, existentis in scholis, vel in alio negotio, de licentia Superioris?*

1. AFfirmativè respondent *Glos. cap.* 2. *ne Clerici, vel Monachi, ver. licentia, & ibi Joan. Andr. num.* 4. *Archidiacon. num.* 6. & noster *Turrecremata in d. cap. non dicatis, ar.* 7. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 24. *cap.* 53. *in in fin. Sylv. ver. excomm.* 9. *cas.* 29. *nu.* 5. *in fin. & Navarr. com.* 2. *de Regul. nu.* 65.

3. Perindè fatentur teneri Monasterium ad illius expensas, tam factas pro sustentatione vitæ, quàm pro aliis necessariis licet discretè & religiosè, & præcipuè pro infirmitate curanda; quia eo ipso, quod Abbas concedit licentiam Religioso subdito, recedendi à Monasterio, & standi in alio loco, censetur ea omnia concedere, sine quibus non potest Monachus abesse; qualia sunt expensæ necessariæ, faciendæ in illo studio vel negotio, juxta Regul.

3. Confirmatur; quia tenetur ad expensas, ad quas solvendum Filius familias in studio, vel in alio negotio, de licentia Patris existens, se obligavit, *l. sed Julianus*, §. *proindè, si accepit ver. quod dicitur, ff. ad Macedonianum*, ita Abbas, respectu sui Professi, *D. Reg. Tapia auth. ingressi, ver. sua, cap.* 18. *num.* 16. *C. de sacros. Eccles.*

4. Amplia, Religiosum hujusmodi posse obligare libros, & alias res ad usum, sibi à Monasterio concessas, pro mutuo ad expensas necessarias contracto; quia si potest obligare Monasterium in casu posito, quantò fortiùs, res sibi ad usum concessas? *Navarr.* cit. *loc. num.* 65.

5. Dixi religiosè ac discretè, quia si Religiosus prædictus excedat expensas sibi à Monasterio taxatas, ad illum excessum expensarum non tenetur: nisi fortè ob urgentem necessitatem, ut putà causâ morbi; quia excedens limites suæ commissionis, delinquit, & Monasterium non tenetur de delicto sui Professi.

6. Nec item tenebitur prædictas expensas solvere, si inter ipsum & Religionem prædictam conventum sit, ut alimenta & cætera necessaria, non ab ipso Monasterio, sed ab alio petantur; quia ex pacto nascitur obligatio; *Sanchez* multis citatis *lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 17. cui inhæret *Rodr. in comp. resolut.* 8. *de alimentis, num.* 11.

7. Quibus adde, quod hodie ad solam Sanctam Sedem pertinet, privativè quoad alios, licentiare Fratres ad commorandum extrà septa, & non nisi causâ benè cognitâ & discussâ.

Quæst. 25. *Monasterium, an teneatur alere Monachum?*

1. ET dico quod sic, quia qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede; etenim teste *Apostolo, qui Altari servit, de Altari vivere debet*, at Monachus deservit Monasterio eique acquirit; nam quidquid acquirit, ut dictum est suprà, acquirit Monasterio, & in ejus obse-

obsequio est deputatus, ut in *cap. quod sedem, de off. ord. & cap. unic.* 18. *q.* 1. ergò & est decisio *cap. cùm secundùm Apostolum*, 16 *de præbend. & dignitat.* ubi deciditur, Clericos alendos esse de Patrimonio Jesu Christi, ex quo ejus obsequio sunt deputati; & docent communiter *Doctores*, post *Innoc. in cap. cùm olim, il secondo, num.* 3. *de privil.*

2. Quod est verum, etiamsi illum vellet expellere ex justa causa; quia pendente lite alendus est à Monasterio, etenim per contestationem litis non desinit esse pars & membrum sui Monasterii, ut latè ostendit *Surdus de alimentis tit.* 1. *q.* 75. *&* 108. *num.* 10. & est *decisio Rotæ Antiqua, tit. de accusat. decis.* 1.

3. Sed pone, quod Monasterium sit inops, & necessaria ministrare non posset, quid agendum? dic, ad aliud Monasterium transferendum esse, *Bald. in l.* 1. §. *sed scimus, in fin. C. de latin. libert. tollen. & Megal.* 1. 2. *instit. confess. lib.* 2. *cap.* 27. *q.* 1.

4. Quod hodie maximè procedit ex eo; quia in unoquoque Monasterio præfigi debet numerus Professorum, qui ex redditibus ejusdem sunt alendi, ut dictum est suprà.

Quæst. 26. *Monasterium succedens in bona Conjugis, an teneantur alere alterum Conjugem, inopem relictum in sæculo, si ingressus est Religionem de consensu illius?*

1. NEgativè *Surdus de alimentis, tit.* 1. *q.* 37. *num.* 3. cui favet *Sanchez lib.* 7. *ad decal. cap.* 31. *num.* 7. etenim certum est, quod professione Religionis transferuntur bona Profitentis in Monasterium; quia eo ipso, quod Conjux consentit, alterum in Religionem transire, censetur pariter consentire hujusmodi alienationi; sed ita est, quod ex bonis per Conjugem alienatis altero Conjuge consentiente, non sunt ab illorum possessore præstanda alimenta; quia consentiens alienationi, præjudicat sibi, *l. si fundum per fideicommissum, & l. nihil, ff. de legat.* 1. *& l. fideicommisso*, §. *de pignoribus, & l. Mater, C. de rei vendicatione*: ergò non poterit Conjux astringere Monasterium, ad sibi præstandum alimenta ex bonis, quæ de ejus consensu effecta sunt illius.

2. Confirmatur; quia aut tempore ingressus erat alter Conjux egenus, & sibi imputet, quod alienationi bonorum consenserit; aut supervenit egestas, & illa non nocet Monasterio, cui anteà bona erant quæsita liberè & absque ullo alendi onere.

3. Nec dices, quod sicut Monasterium tenetur ad alimenta Filii, vel Patris pauperum, Religionem ingredientium, si in eorum bona successit; ita tenebitur alere Conjugem inopem relictum in sæculo, altero Monacho facto, dum in ejus bona successit; quia paritas non est eadem; quia Pater & Filius possunt ingredi Religionem, altero reluctante, quod nequit dici de Conjugibus; hinc illi dissentiendo sibi non præjudicant, secùs autem isti, ut dictum est suprà.

4. Nec replices, quod quando matrimonium non est consummatum, potest alter, altero reluctante ingredi: ergò tunc saltem tenebitur Monasterium. Respondeo, quod per professionem jam dictam dissolvitur prorsùs matrimonii vinculum, ob quod nequaquàm tenebitur alimenta præstare; sed vide *Hier. Rodr.* in suo *comp. resolut.* 8. *de alimentis debitis Religiosis, num.* 8. quia contrarium asserit.

* * *

Quæst. 27. *Alimenta legata Monacho ad certum tempus, ut putà ad decennium; an extinguantur morte legatarii, præfixo tempore non finito, an potiùs debeantur Monasterio, pro rata temporis decurrendi?*

1. ET quidem extingui, & nullatenùs deberi Monasterio, tradit *Surdus*, post allegatos *de alimentis, tit.* 15. *q.* 1. *nu.* 3. quem sequitur *Sanchez ad decal. lib.* 7. *cap.* 13. *nu.* 10. *& Rodr. in comp. resol.* 8. *de alimentis, num.* 12. & habetur ex *textu l. si cum præfinitione, in princ. ff. quando dies legati cedat*, tum quia alimenta habent ex sui natura determinationem ex illius persona, cui debentur; tum etiam, quia relictum ad certum tempus, habet illam tacitam conditionem, dummodò legatarius toto eo tempore vivat; tum item, quia omnis dispositio intelligitur juxtà subjectam materiam, ita ut conveniat naturæ actus, qui celebratur, ut docent communiter *Doctores*; ergò cùm alimenta suaptè natura expirant, sequutâ morte alendi; præfinitio temporis est intelligenda: nisi ille priùs obeat.

Quæst. 28. *Monasterium an teneatur administrare alimenta Monacho accusanti suum Abbatem?*

1. AFfirmativè deciditur in *cap. Episcopi* 2. *q.* 7. §. *Joannes*, ubi latè Eminent. *Turrecremat. Genuens. in practicab. Eccles. q.* 576. & habetur expressè in *cap. ex parte* 11. *de accusat.* quod procedit, nedum quòad expensas victus, verum etiam litis, & hoc ideò; quia cùm Religiosus proprium non habeat, ei expensæ debentur de bonis Monasterii, donec causa debitum finem accipiat: quod limita; nisi Monachus accusans habeat peculium aliquod, tunc enim Monasterium non tenetur ad litis expensas, ex quo cessat ratio *d. cap. ex parte*; secundò limita, dummodò Monachus accuset Abbatem ob Monasterii utilitatem, secùs quando ob propriam, *Surdus de alim. tit.* 1. *q.* 121. *num.* 3.

Quæst. 29. *Si Monachus causam propriam prosequatur, ut in electionis causa, an habeat expensas à Monasterio.*

1. NEgativè respondet *Speculator, tit. de inquisit.* §. *ultim. n.* 8. *Archid. cap. cùm Pastoris* 2. *q.* 7. quod *Sanchez lib.* 6 *cap.* 12. *nu.* 26. intelligit, quandò dignitas, ad quam eligitur, est extrà Monasterium, secus autem, si ad Prælationem in suo Monasterio eligatur; quia tenetur Monasterium ad expensas litis motæ contribuere, ipsius enim interest, ut *ibidem* per eum censent allegati.

2. *Peyr.* verò *to.* 2. *de Præl. q.* 3. *c.* 1. *n.* 129. ait, Monasterium ad has expensas non teneri; immò potiùs Fratribus se opponentibus tali electioni, etiamsi sint in minori parte, eò magis, si persona electa, cui se opponunt, erat ineligibilis, ambitiosa, vel de fidelitate suspecta; quia tunc infallibiliter se opponentibus debentur expensæ, ducitur que ex multis; tum quia sic electus, nondum confirmatus, non habet possessionem officii, undè non potest bonis officiis frui; tum quia ambitio fovenda non est, sed extirpanda; tum item, quia qui se opponunt, videntur duci zelo Religionis, ne ei aliquod malum irrogetur: multum enim prodest, Prælatum ambitiosum non habere, quod totum consultò observat Dominicana familia, cujus Professi, ad Prælaturam electi, ex vi electionis, nullum jus habent, nec in re, nec ad rem, ut benè constat ex eorum *Statutis*.

Quæst. 30. *Monasterium, an teneatur ad debita contracta per Fugitivos?*

DIxi suprà *in tract. de Fugitivis, q.* 28.

Quaest. 31. *Monasterium, an teneatur alere ejectos & in carcere detentos?*

Dixi suprà in *tract. de Ejectis, quaest.* 31. *&* 32.

Quaest. 32. *Monasterium revocans Apostatas, aut Fugitivos, an teneantur solvere expensas & debita, per eosdem contracta?*

Dixi suprà in *tract. de apostatis, q.* 16.

Quaest. 33. *Monasterium, an possit agere pro injuria facta Monacho?*

1. Affirmativè deciditur in *cap. cùm contingit, de sent. excomm. & ibi* docent *Innoc. & Hostiens.* quod procedit, nedum de injuria facta Ecclesiae Rectori, verùm etiam & de facta cuivis Monacho privato, ut constat ex *d. cap.* & tradit *Genuens.* in suis *practicab. Eccles. q.* 568. *num.* 7.

Quaest. 34. *Monachus pro injuria sibi illata, an possit quem accusare?*

1. *Sylv. ver. Religio* 8. *q.* 4. respondet, quod Monachus non potest agere de injuria sibi illata, nisi Praelatus absit, vel reliquerit Procuratorem, ad instar Filiifamilias, *ff. de injur. l. si unius*, & docet *Clarus in pract. lib.* 5. §. *final. q.* 58. *num.* 25. *& Navar. comm.* 2. *num.* 64. *de Regular.* ubi notat, quod Regularis simplex non est persona legitima, contra quam, vel pro qua, nomine proprio, judicium fundari possit super juribus temporalibus, quorum ipse capax non est, ut unanimiter docent *Doctores in c. dilecta, de rescriptis*; tum quia ut dictum fuit, aequatur Servo & Filiofamilias, contra quos, vel pro quibus non potest fundari judicium: nisi in casibus in jure expressis; tum etiam; quia Monachus nihil habet, nec quidem velle, aut nolle, ex *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. undè dicitur Mundo mortuus, & hujus Orbis Exul.


2. Ex quibus colligunt, Monachum, nedum non posse quem accusare de injuria sibi illata; verùm nec etiam noxam remittere, neque transigere aut pacem facere. *Farinac. p.* 1. *prax. tit. de accusat. q.* 15. *num.* 28. *& Sanchez lib.* 6. *decal. cap.* 12. *num.* 34. & habetur expressè in *cap. placuit* 8. *caus.* 16. *quaest.* 1. ibi, *neque aliis quibuscunque negotiis se implicare, quia Mundo mortuus est*, & in *cap. in praesentia, de probat.*

Quaest. 35. *Patre Monacho occiso, ad quem pertinet agere de ejus morte, ad illius Filium legitimè genitum ante Monachatum, an verò ad ejus Monasterium?*

1. *Julius Clarus in d. q.* 58. *num.* 38. respondet, quod si injuria est facta Monacho, intuitu Monasterii, ad Monasterium pertinet; si intuitu Consanguineorum, ad Filium; *Bajardus* verò in praedicta *quaestione* aliter distinguit, si Monasterium denegat, potest dari à Filio, si hic denegat à Monasterio, *Farinacius ubi suprà* affert aliam responsionem, dicens, vel agitur de poena exigenda ab homicida & applicanda haeredibus, & debetur Monasterio capaci, à quo pax haberi debet, vel de pace obtinenda, ad minuendam poenam propter pacem, & pertinet ad Filium, quod pariter amplectitur *Sanchez ubi suprà.*

2. *Rodr.* autem *to.* 2. *q.* 42. *ar.* 3. inquit, quod spectat ad Monasterium, si Monachus transtulit se & sua in Monasterium, si verò haeredem instituit filium, ad ipsum existimat pertinere, ex quo pensat, quod ad haeredem omninò pertinet agere de injuria illata defuncto, & hoc ob multa jura.

3. *Peyr.* tandem *in d. tom.* 2. *de Praelat. q.* 3. *cap.* 1. §. 4. *num.* 26. absolutè judicat, spectare ad Monasterium; Monachus enim totus est Monasterii, & nihil Mundi, cui per professionem dixit vale, etiam quoad jura sanguinis; undè in casu posito non censetur injuria Consanguineis facta sed Monasterio, utcunque res succedat, quod aliter dicendum est de Novitio, cùm adhuc sit sui juris, & Religioni irrevocabiliter minimè incorporatus.



TRACTATUS XIII.

DE EXEMPTIONE RELIGIOSORUM.

Quaest. 1. *Exemptio, quid sit & quotuplex?*

1. Exemptio venit à verbo eximo, & impraesentiarum idem est quod quaedam liberatio, seu eductio, vel ablatio à potestate Ordinarii inferioris à Papa; etenim illo tempore, Regulares subdebantur Episcopis loci; nunc autem liberati sunt ab illorum jurisdictione, ut patet per tot Privilegia sibi elargita, per quae subjiciuntur immediatè Domino Papae.

2. Haec autem exemptio est multiplex, sicut & Privilegium; nempè altera personalis, quâ eximitur persona, ut à nullo, neq; etiam à Legato Sedis Apostolicae, vel Judice delegato, excommunicari, suspendi vel interdici possit.

3. Altera localis, quae fit loco seu Monasterio, vel Ecclesiae, ita ut non solùm Monasterium, seu Ecclesia sit exempta, sed etiam res propriae, vel annexae Monasterio, vel Ecclesiae.

4. Item altera est universalis, seu mixta, quae scilicet amplectitur exemptionem realem, localem & personalem, quae personas, res, & loca Monasterii eximit ab omni & totali jurisdictione Illustrissimi ac Reverendissimi Ordinarii, etiam ratione commissi delicti, contractus, rei sitae & similium.

5. Altera denique limitata, altera illimitata, ut suprà dictum est de *privilegiis*; exindè benè vides, quod Regularis exemptus dicitur ille, qui exemptione potitur, seu qui non subest jurisdictioni Ordinarii, ut patet ex *cap. cum personae, de Privil. in* 6. quapropter solus Papa, vel Legatus à Latere, vel ille, cui Summus Pontifex commisit, potest cognoscere causas Exemptorum, & constat ex *cap. post translationem, de off. delegat.*

Quaest. 2. *Exemptio Regularium, quando incepit?*

1. *Rodr. tom.* 2. *q.* 63. *ar.* 1. *in medio*, post *Navar. in cap. nullam, num.* 3. dicit, incepisse à tempore Papae Gregorii, ibi, *ubi tamen Papa Gregorius eximit ab Episcopis Regulares electionem Abbatis committit Monasterio*, ob quod constat, quod prima institutio Monachorum, nihil Episcoporum jurisdictioni detrahebat.

2. *Tambur. tom.* 1. *de jur. Abbat. disput.* 15. *q.* 4. de hac re latè

latè differens, ait, quòd prima exemptio ab Ordinariorum jurisdictione, fuit antiquitus facta à D. Germano Parisiensi Episcopo Monasterio D. Vincentii Ordinis S. Benedicti, sub anno Domini 509. die 21. Augusti.

3. Quàm exemptionem posteà *D. Gregorius* Magnus confirmavit, & roboravit, particulari *Privilegio*, quod *ibidem* per extensum habes, quod item fecerunt successores Papæ, quorum pariter ponit diplomata, & supputat tempora.

4. *Barbosa* tamen 3. *p. de off. & potest. Episcopi, allegat.* 105 *num.* 11. non admittit, quòd *Gregorius* Magnus generaliter exemerit omnes Monachos à jurisdictione Episcoporum, & damnat *Gratianum in cap. quàm sit necessarium* 18. *q.* 2. etenim aliud est, eximere universaliter, & omninò, & aliud, hoc, vel illud Monasterium, non privativè quoad Episcopum, de qua re non pigeat legere *Lauretum de Franchis* in suis *Controversiis inter Episc. & Regul. & Jo. Valerum* doctissimum Carthusianum *de differentiis, ver. Regularis, diff.* 6. & invenies digna notatu.

Quæst. 3. *Exemptio Regularium, à quo, qua de causa, & ad quid sit instituta?*

1. CAusa efficiens exemptionum omnium Regularium, est Romanus Pontifex, ut dictum est suprà, & habetur in *cap. Frater* 16. *q.* 1. *cap. luminoso* 38. *q.* 2. *cap.* 1. juncta *Glos. in ver. exempt. de Privil. in* 6.

2. Impulsiva tamen fuit oppressio Ordinariorum, seu gravamina Regularibus illata per Episcopos, teste *Rebuff. respons.* 142. *& Mandos. de signat. grat. ver. exemptiones ab Episcopis*, & habetur expressè in *cap. conquerente, de off. Judic. & in cap. nimis iniqua, & cap. nimis prava, de excessibus Prelat.* ubi describuntur viginti septem Gravamina, quæ Prælati Religiosis inferebant, & *Clem. unic. eod. tit.* ubi *Clem. V.* in Concilio Viennensi providet contrà triginta Gravamina, per Superiores Episcopos inferri solito, & hujus generis alia multa numerantur in *Bulla Aurea Pii V.* quæ incipit, *Etsi Mendicantium Ordines*, quam per extensum refert *Rodriq. tom.* 2. *Bullarii*, & est *prima* inter *Bullas* ejusdem, *fol.* mihi 395. ob quæ inquietabantur Ordines, & perturbabatur Religiosorum quies, de quibus gravaminibus *Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ*, notat viginti quatuor per Episcopos Monachis illata.

3. Proinde, Sedi Apostolicæ visum fuit, concedere exemptiones omnibus ferè Congregationibus, & Religiosis, ac illos sibi immediatè subjicere.

4. Et meritò; quia sicut Pater inique se habens in Filium, compellitur, ut illum emancipet, *Glos. in* §. *ultimo, quibus modis jus patr. potestat. solvit. Glos. in cap. constitutus, ver. emancipavit, de restit. in integrum.* & sicut Dominus iniquus in Servum, ut eum manumittat, *Llenones, C. de spectac. lib.* 11. & sicut Dominus Subditos, vel Vasallos suos gravans, jurisdictione, seu feudo privatur *Boer. decis.* 305. *n.* 5. *& Curt. de feud. p.* 6. *per tot.* ita, & Episcopi, ob tot continuata gravamina, licitè, ac justè sunt à Sancta Sede Regularium subjectione privati.

5. Finalis autem causa subjectionis multiplex esse potest, nempè, ut cognoscatur meritum, & vita exemplaris Religiosorum, aut favor Religionum, vel quia Sedis Apostolicæ interest, sibi proximè subjectos habere, *Clem. Pastoralis de re Judic. Rebuff. respons.* 142. aut tandem, ut Religiosi, cum majori quiete possint Divinis vacare.

Quæst. 4. *An solus Dominus Papa possit exemptionem concedere?*

1. REspondeo; quia Exemptio, seu Privilegium est contrà jus commune, ille solus potest à legis obligatione eximere, qui potest legem destruere, ut notat *Glos. in cap. quod autem* 25. *q.* 2. *Hostiens. in sum. de privil. lib.* 5. *num.* 5. § *quis possit privilegium concedere*, *& Guido Papa decis.* 354. *in addition.*

2. Solus autem Papa, quoad finem spiritualem, immò, & temporalem, maximè in Ditione Ecclesiæ, & respectu Personarum Ecclesiasticarū, habet potestatem leges ferendi, easq; abrogandi, ut patet in materia de decimis, & in privilegio legitimationis, *cap.* 2. *de privil. & cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi*; etenim ipse solus dicitur Ordinarius Judex totius Mundi, habens plenariam auctoritatem disponendi de juribus Ecclesiæ, ad bonum finem, & ex causa rationabili.

3. Amplia, etiam in præjudicium tertii, ut dicitur in *cap. bonæ rei* 12. *q.* 2. *& cap. conquestus.* 9. *q.* 3. *cap. pronunciandæ, de consecrat. distinct.* 100.

4. Proindè, Papa potest in totum, & universaliter, Regulares eximere à potestate, & jurisdictione Ordinariorum 16. *q.* 1. *c. Frater, & 6. q.* 3. *cap. nunc verò*, & notat *Joan. Andr. in cap.* 1. *de privil. in* 6. *Syl. in summ. ver. exemptio.* prout de facto multifariè eximit; ut quotidiè videmus.

5. Et probatur exemptio, si Papa in privilegio exemptionis, vel sententiando super exemptione dicat, Ecclesiam juris D. Petri existere, vel ad jus, & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertinere, sive ad Romanam Ecclesiam specialiter, aut sine medio, & simpliciter pertinere, ex *cap. si Papa, de privil. in* 6. *Abbas num.* 2. *in cap. recepimus, de privil.* cujus rationem *ibidem* expressit Dominus Papa; quia scilicet de natura privilegii est, ut ejus verba semper aliquid operentur; quamobrem cùm omnes Mundi Ecclesiæ ad jus B. Petri pertineant, & Romanæ Ecclesiæ subjectæ nascantur, *cap. cùm cuncta per Mundum.* 9. *q.* 3. est enim Ecclesiæ Romana Caput, & Magistra omnium Ecclesiarum, ex *cap. Sacrosancta* 22. *distinct. & in cap. rogamus* 24. *q.* 1. ergo, ut prædicta verba Privilegii aliquid specialiter operentur, debet fieri interpretatio, quòd per illa verba Romanus Pontifex voluit concedere, ut Regulares speciali modo subjecti remaneant juri suo, eximendo scilicet ab omni Ordinariorum potestate.

6. Item, si Papa dicat, quod Eccclesia sit libera, vel gaudeat plena libertate Ecclesiæ Romanæ, ceu si dicat, quòd Episcopus non audeat illic Cathedram collocare, seu aliquod Imperium exercere, aut potestatem, vel si clarè dicat, quòd eam eximit à potestate Episcopi, vel si dicat, recipio in speciales subjectos, vel si solvatur census in signum specialis subjectionis, seu exemptionis, per quæ, & similia cognoscatur exemptio.

7. Secùs, dicat, recipio in filios, ex *d. cap. si Papa*, §. *non sic in filios*, quia hoc foret titulus honoris: nam unus Filius plures poterit habere Patrés adoptivos, de quibus omnibus, vide *Syl. ver. exemptio q.* 4. *nu.* 5. *& Barbos.* 3. *p. de off. & potestate Episcopi allegat.* 123. *num.* 11. *& sequent.* ubi multa congregat, examinando prædicta.

Quæst. 5. *Si Papa dicat, recipio vos sub potectione Sedis Apostolicæ, an censeatur eximere à potestate Ordinarii?*

1. E*Manuel Rodriquez tom.* 2. *de Regul. q.* 63. *ar.* 3. *in fine* dicit, *advertendum etiam, quòd in prædictis Privilegiis sæpè Papa ait, quòd recipit Regulares in suam protectionem*, per quæ verba facilè inducit exemptionem à jurisdictione, & potestate Ordinarii; prout videmus in appellatione ad Papam, vel ad S. Sedem, quo casu, omnium Ordinariorum ligantur manus, ex *cap. sollicitus, & cap. ad audientiam, de appellat.*

2. Verùmtamen, vera est negativa sententia, quæ manifestè deciditur in *cap. recepimus* 8. *de privil.* ibi, *si verò ad judicium percepta protectionis, census persolvitur, non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid videtur esse subtractum*, in quo verbo *ibid. Glos.* subjungit, *licet Papa recipiat aliquos sub*

sub sua protectione, non sunt propterea subtracti à jurisdictione Episcoporum, & habetur magis expressè in *cap.* 18. *eod. tit.* incip. *ex parte tua fuit quæsitum, utrum Clerici, & Laici, qui litteras protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis, sub Apostolica protectione consistere declarantur, à jurisdictione Episcopi Diœcesani sint exempti.*

Nos autem tibi respondemus, quòd per litteras hujusmodi, ab Episcoporum potestate minimè subtrahimus, hæc ibi, & *Glos.* subnectit in positione casus, *nota, quòd per verbum protectionis non datur exemptio, secùs si diceretur, ad Judicium libertatis percepta*; & ratio esse potest; quia protegere idem est, quòd defendere, ut notat *Glos. in l. desertorem*, § *ult. ff. de re milit.* ac proinde, non importat superioritatem, ut patet in Militibus, qui defendunt Coronam, & ad Regis custodiam assistunt; non ideò censentur Regi præesse; & Imperatores sunt defensores Ecclesiæ Romanæ, ut dicitur in *Clem.* 1. *de jur. jur.* non ob id dicuntur Superiores Papa; immò Inferiores se profitentur, ut in *c. Valentinianus* 63. *distinct.* ibi, *Cui, & Nos, qui gubernamus Imperium, sincerè nostra Capita submittimus*; & Patroni Ecclesiarum eas tuentur, & tenentur defendere: nihil tamen juris, aut superioritatis in eas possunt usurpare, ex *cap. filiis, vel nepotibus* 16. *q.* 7. ibi, *non liceat quasi proprii juris, &c.*

3. Nec his adversantur jura, in quibus se fundat *Rodr.* cit. *loc.* quia loquuntur de appellatione, quæ interdum fit, ne dicam semper, intuitu alicujus gravaminis, quod Reus appellans, injustè est passus, & appellat; ut suâ mediâ appellatione ligentur manus Judicis à quo, & levamen habeat à Judice ad quem: adeò, ut innovata ad pristinum reducantur.

4. Hoc autem remedium reducendi omnia innovata ad pristinum, non fundatur in subjectione appellantium, sed in gravamine passo, prout communiter *Doctores in cap. non solùm, de appellat. in 6.*

5. Nos autem loquimur de his, qui generaliter, & gratiosè ex mera benignitate Rom. Pontif. recipiuntur sub protectione Sedis Apostolicæ, & aliud est, appellare ex causa necessitatis, ut sublevetur à gravamine, & aliud, fieri commensalis, vel sub protectione Principis, ex liberalitate ejusdem, prout latè *Barbosa* ostendit, multis citatis 3. *p. de off. & potest. Episcopi allegat.* 123. *nu.* 26. *Sylv. ubi suprà, & Tamb. tom.* 1. *de jur. Abbatum disput.* 15. *q.* 5.

Quæst. 6. Regulares de jure communi, an sint Episcopis subjecti?

1. AFfirmant *Navar. com.* 2. *de Regul. nu.* 63. *Rodr. tom.* 2. *q.* 63. *ar.* 1. 2. 3. cum suo *comp. resol.* 63. *de exempt. quoad Episcopos, num.* 14. *Barbosa p.* 3. *de off. & pot. Episcopi, allegat.* 105. *num.* 1. *& cap. final. de stat. Monach. num.* 11 *Bordonus resolut.* 7. *q.* 1. *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 1. *Cespedes in tract. de exempt. Regul. cap.* 24. *dub.* 391. *D. Episc. Ricc. in* 1. *p. praxis resol.* 409. in 1. editio & 346 in 2. *D. Episc. Maranta in responsio.* 8. 2. *p. & responso* 81. *nu.* 42. *p.* 3. *Rota Rom.* 1. *p. divers. decis.* 286. *num.* 1. *& decis.* 376. *nu.* 3. *& ead. part. in una Baren. jurisdictionis* 16. *Februarii* 1609. *apud Coccinum Decanum decis.* 448 *num.* 2. *& apud Cardinal. Cavaler. decis.* 306. & alii plures, & habetur expressè in *Decretis caus.* 10. *q.* 1. *can.* 3. ibi *Decretum est, ut omnes Ecclesiæ cum dotibus suis, & decimis, & omnibus suis in Episcopi potestate consistant, atq; ad ordinationem suam pertineant*; & in *Can. omnes Basilicæ* 16. *q.* 3. dicitur, *omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidiè construuntur, placuit secundùm priorum Canonum Regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt*, & *distinct.* 61. *cap. obitum*, ibi. *Monasteria autem, si qua sunt, in ipsius constituta Parochia, sub tua cura, dispositioneque esse concedimus, & in Can. Monasteria* 18. *q.* 2. dicitur, *Monasteria, vel Monachorum disciplina, ad eum pertineat Episcopum, in cujus territorio sunt constituta*, & in *cap. conquerente OEconomo Monast. S. Benedicti* 16. *de off. Judic.* ibi, *decernimus, ut in Ecclesiis, vel Capellis tuæ Diœcesis, ad Monasterium ipsum spectantibus, habeas Canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, destitutionem, correctionem, & reformationem ac censuram Ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium, ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium*, & ratio horum omnium esse potest: quia Judex ordinarius est Episcopus in sua Diœcesi, tam Monachorum, quàm aliorum, ut dicit *ibid. glos. ver. jurisdictionem*, & habetur in *causa* 11. *q.* 1. *can. de persona.*

2. Immò, & eo tempore Episcopus in sua Diœcesi erat quasi Generalis Monachorum, etenim instituebat & deponebat Abbates, admittebat ad professiones in d. Monaster. ut notat *Glos.* in præcit. *loc.* & sanxit *Concil. Aurasic. cap.* 6. *& Concil. Tyburtinum in cap. si quis Abbas* 18. *q.* 2. *& cap. viduitatis* 27. *q.* 1. & advertit *Rodr.* cit. *loc.*

3. Quamobrem, Episcopus de jure communi habet fundatam, seu juris assistentiam, & fomentum Sacrorum Canonum in omnibus casibus civilibus, & criminalibus, contrà omnes Abbates, & Regulares, ut multis citatis advertunt *Ricc. & Maranta in loc.* cit. & est decisio *Rot. Rom.* 1. *p. divers. decis.* 78. & refert *Barbosa ubi suprà.*

4. Nec dices, quòd illa *capitula* loquuntur de Monachis, non autem de Mendicantibus, qui tunc temporis non aderant: quandoquidem incœperunt à Patriarchis S. Dominico, & S. Francisco sub anno 1216. quia lex semper loquitur, *l. Arianus, ff. de hæret.* & comprehendit subditos, tam præsentes, quàm futuros, & nisi exempti facti fuerint, subjectionem ad Episcopos Diœcesanos, ceu, & Monachi habuissent; & ita in Religione nati essent, nempè, Episcopis subjecti, quod fortassè necesse esse censeo, quonam modo quis potest dici exemptus, si aliquando non fuit subjectus? unde, exemptus, & non subditus coincidunt; exemptus, ut dixi, est, qui eximitur à jurisdictione Ordinarii, & immediatè subjicitur Papæ, ex *Can. Frater noster* 16. *q.* 1. *& cap. sicut nobis*, § *final. de suppl. neglig. Prælat. Graff. in prax. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 23. *& tom.* 2. *cons.* 2. *difficul.* 3. *nu.* 5. *de pœnit.* ubi docet, exemptionem ponere exemptum extrà jurisdictionem alterius, unde exemptus dicitur, qui anteà erat subjectus, *Bordon. ubi suprà.*

5. Secùs tandem dicendum est, de jure speciali; quia multa extant Privilegia, quibus ferè omnes Regulares sunt exempti ab Episcoporum jurisdictione, & potestate, de quibus infrà multa dico.

Quæst. 7. Regulares hodiè, an possint dici exempti de jure communi?

1. GLossa in *cap. dilectus* 18. *de off. Judicis*, cui favet *Sylver. Episcopus, quæst.* 7. *Lezana in sum. ver. exemptio num.* 3. *& Tambur. tom.* 1. *de jur. Abbat. disput.* 15. *q.* 7. *num.* 1. respondet affirmativè, quoad legem Diœcesanam, secùs autem, quoad legem jurisdictionis; in his enim duabus legibus consistit totum jus, & potestas Episcoporum, ut dicitur in *d. cap. dilectus*, quarum una distinguitur ab alia, nam ad legem jurisdictionis pertinent illa, de quibus contendebatur in *d. cap. dilectus*, ut datio curæ Animarum, delictorum coercitio, causas audire, & omnia, quæ circa judicium aguntur, expedire, visitare, corrigere, suspendere, interdicere, statuta facere, inquirere, tam de vita Clericorum, quàm de officiis, & status Ecclesi. ordinatio, seu consecratio earundem, Altarium, & Virginum, Confectio Chrismatis, & generaliter omnium Sacramentorum, & ordinum collatio, & alia plura, & similia, quæ numerantur in *Cap. conquerente*, ibi, *habeas Canonicam obedientiam, &c.* usque ad verbum *Synodum*, in quo verbo incipit numerare quædam, quæ perti-

pertinent ad legem Diœcesanam, ad quam legem Diœcesanam spectat vocatio ad Synodum, & ad sepulturas Mortuorum, Cathedraticum, tertia, & quarta mortuorum, de quibus in *d.cap. conquerente*; hospitium, & similia, quæ consistunt in recipiendo.

2. Ex quibus colligit, quòd omnia Monasteria, ipso jure, in favorem Religionis exempta sunt à lege Diœcesana 10.*q.*1.*cap.*1.*& q.*3.*Can. inter cætera*, *&* 16.*q.*1.*Can. cùm pro utilitat.*, *&* 18.*q.*2.*cap.quàm sit*, *& cap.ult. &* 16.*q.*1.*cap.placuit.*

3. A lege autem jurisdictionis non sunt exempta: nisi speciali privilegio sint munita; sed manent sub jurisdictione Episcopi.

4. *Bordonus* autem *resolut.*7.*de exempt.n.*1.*& Cespedes in tract.de exempt.cap.*24.*dub.*39. dicunt, talem exemptionem absolutè, & absque ulla limitatione competere Regularibus de jure communi; nam hæc exemptio convenit præfatis per multa Privilegia, quæ inserta sunt in corpore juris, ut in *cap.nimis iniqua* 16.*& cap.nimis prava, de excessibus Prælatorum, Clem.*1.*eod.tit. Clem.*2.*de censibus, Trid.sess.*25.*c.*2. per quæ clarè apparet, quòd olim Regulares habebant omnimodam exemptionem, quoad utramque legem, nempè, Diœcesanam, & jurisdictionalem, contrà Prælatos Ecclesiasticos, sed cum temporum mutatione varientur Privilegia, *c.quia sancta* 28. *distin.* 63.*§.verum*, nimis mutata sunt, & mutantur in dies.

5. *Rodr.* verò *tom.*2.*q.*2.*ar.*7. *& Barbosa in collectanea Doctor.ad cap.fin.de statu Monach.num.*11. ajunt, quòd Regulares in pertinentibus ad Regulam, & Regularia instituta, de jure communi subsunt Regulari Prælato, nempè Abbati, vel ejus Vicesgerenti; secùs quoad externa, & se fundant in *l.final. C.de jurisdict. omn. judic. & in cap.ab Ecclesiarum Prælatis, de off. judic. ordin. & in Can. nullam.* 18.*q.*2. ubi Papa Pelagius dat Abbatibus omnimodam auctoritatem super Monachos existentes in Monasterio, ibi, *ad quem potestas tota pertinere convenit*, ubi *Glos.* subjungit, quod illud verbum, *tota*, non excludit Episcopum Diœcesis, sed ipsos Monachos; exinde *Navar.com.*1.2.*de Regul.num.*63.*& Barbosa* inferunt, certissimum esse, exceptis iis, quæ concernunt Regularia instituta, Episcopum habere omnimodam jurisdictionem in Regulares suæ Diœcesis, *cap.*1.*ne Sede Vacante*, *Glos. in cap.nullus, ver.ut Episcopus, de elect. in* 6. *& ibi* communiter *Doctores*, & colligit *Farinac.decis.*69.*nu.*2.*p.*1.*recent.& Tambur.tom.*1.*de jur.Abbat.disput.*15.*q.*2. ubi ex multis latè probant, quòd nulla reperiatur lex canonica, per quam de jure communi excludantur Episcopi à gubernio Monachorum.

Quæst. 8. *Regulares, per quæ Privilegia sunt exempti à jurisdictione Episcoporum?*

1. Exemptio Regularium adeò manifesta est, ut de ea dubitare nefas sit: *Navar.in com.*2.*de Regul.num.* 63.*ver.addo* 2, ait, *quòd licet prædicta sint vera, attento jure communi, non tamen attentis privilegiis, quibus omnes ferè Regulares sunt exempti ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione per sua privilegia, sibi competentia per concessionem directam, vel indirectam, ob communicationem privilegiorum, & consequenter Prælati Regulares habent potestatem quasi Episcopalem*, hæc ille. cui inhæret *Tambur. tom.* 1.*de jur.Abbat.disput.*15.*q.*7.*Rodriq.tom.*2. *q.*2.*ar.*7.*q.*63. *ar.*1.2.3.*& Barbosa* 3.*p. de off.& potestate Episcopi, allegat.* 105.*nu.*3. & docet *Glos.ver.proprii.in Clem.*1.*de rebus Eccles.non alien.* quam *Navar. ubi suprà* vocat singularem; ita ut Prælati ea omnia agere possint in suos, quæ Episcopi in subditos, *Navar.de privileg.consf.*23.*in novis, Sayr.in floribus decis.*25.*eod.tit.*

2. Privilegia autem Ordinis Monachorum ponit per extensum *Tambur.* cit.*loc.q.*3. & summatim *Rodr. & Barbosa ubi suprà*, *& Nov. in luc. ver. exemptio.*

3. Privilegia Mendicantium sunt quasi infinita, de quibus nobis liceat aliqua in individuo demonstrare.

Ordo Dominicanorum, multa hujus generis habet privilegia, quæ per extensum habes in *Bullario* edito jussu Reverendissimi P. Generalis Fratris Stephani Ususmaris Genuensis, & præcipuè à Domino *Nicolao Papa IV.* ex Ordine Minorum, incip. *dum sollicitæ considerationis*, *fol.* 63. quo eximitur omninò à jurisdictione, & potestate Episcoporum, ibi, *vos, & dictum Ordinem, ac Ecclesias, Oratoria, Domos, & Loca vestra, in quibus habitatis, & habitabitis; tum etiam inhabitaveritis, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, à cujusvis alterius jurisdictione, ac potestate omnimoda prorsus eximimus de gratia speciali; decernentes ex nunc, eundem Ordinem, ac personas, Ecclesias, Oratoria, & Loca præfata, soli Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, absque ullo medio subjacere.*

4. *Benedictus Undecimus* ex Ordine Prædicatorum assumptus, sub anno Domini 1304. suo *Privilegio*, incip. *inter cæteros Ordines*, *&c.* non solùm præfatam ratificavit exemptionem, verùm, & addidit, *ita, quòd nec etiam ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei sitæ, positæ, vel existentis, extra vestra loca exempta possitis coram eis, non obstante Constitutione fel.recor. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri in contrarium edita, impeti, molestari, seu quomodolibet conveniri.*

5. *Nicolaus V.* sua *Constit.* incip. *licet*, nedum confirmat prædicta omnia, verùm etiam eximendo à jurisdictione, & potestate Episcoporum ait, *Apostolicæ potestatis plenitudine, & ex certa scientia, eximimus, & totaliter liberamus, illaque in jus, & proprietatem B.Petri, & Sedis Apostolicæ, & sub eorum speciali, & immediata protectione suscipimus, atque nostra, decernentes, Ordinem, Magistrum, Priores, Fratres, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, Domos, Monasteria, Loca, & Hospitalia supradicta, eorumque Rectores, & Gubernatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis hujusmodi, solùm, & immediatè Sedi prædictæ subjacere, ita quod Ordinarii, & Prælati, aut hujusmodi, seu quævis alia persona, in ea (utpote prorsus exempta) generaliter, vel specialiter, aut communiter, vel divisim, non possint, quavis auctoritate, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, aut aliàs, etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei, de qua agetur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem, seu jurisdictionem aliquam quomodolibet exercere, quòd si Magister, Priores, Fratres, Sorores, Rectores, & Gubernatores præfati, ratione Domorum, Locorum, Monasteriorum, & Hospitalium prædictorum, aut quorumcunque aliorum bonorum, aut possessionum, quæ in præsentiarum habent, & justis modis, præstante Deo, habebunt in futurum, seu censum, vel procurationem aliquam, vel subventionem aliam Legatis, vel Nuntiis dictæ Sedis, aut Ordinariis Locorum, vel aliis quibuscunque, aut pedagia, vel telonia, & alias exactiones, quibusvis Regibus, vel aliis personis Ecclesiasticis, vel Sæcularibus, dare, & solvere minimè teneantur; nec ad id compelli possint, vel super hoc, aut alias à quoquam quomodolibet conveniri, per litteras Sedis prædictæ, vel Legatorum, aut Delegatorum, vel Nuntiorum ipsius, ac Diœcesanorum Locorum, vel Rectorum Terrarum Ecclesiæ Romanæ, aut quorumcunque aliorum, etiam si in ejusdem Sedis litteris contineatur expressè, quod ad quævis exempta, vel non exempta Loca, seu Monasteria se extendant, & aliqua eis cujuscunque tenoris extiterit, ipsius Sedis indulgentia non obsistat, nisi forsàn dictæ literæ Apostolicæ, de dicto Ordine, & præsentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monasteriis, Locis, & Domibus, ipsorumque Rectoribus, & Gubernatoribus, & Personis prædictis, plenam, & expressam, ac etiam specialiter, & notanter fecerint mentionem, &c.* ut meliùs est videre in dicta *Bulla*, quæ habetur in nostro *Bullario* Ususmaris, *fol.* mihi 116.

6. Sixtus

6. *Sixtus IV.* ex Ordine Minorum assumptus, sua *Bulla*, quæ incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ*, quæ alias *Mare Magnum* appellatur, non solùm eximit Ordinem nostrum à jurisdictione Prælatorum; verùm amplissimè confirmando omnia prædicta, adjecit; *& ne prætextu Constitutionis Innocentii IV. prædecessoris nostri, quæ incipit (volentes) Locorum Diœcesani, & alii Ordinarii, ac alii quicunque in personas, & loca Fratrum Prædicatorum, contrà ejusdem Gregorii prædecessoris ordinationem, sibi quamcunque jurisdictionem, superioritatem vendicare præsumant, districtiùs inhibemus, ne quispiam, absque dictæ Sedis speciali commissione, & auctoritate, in Personas, Domos, & Loca dicti Ordinis Prædicatorum, utpotè prorsus exempta, aliquam excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter quomodolibet promulgare, aut in Personas, Domos, & Loca hujusmodi aliquam præeminentiam, superioritatem, & jurisdictionem quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei, de qua contrà ipsos ageretur, ubicunque iniatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque, ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasvis pœnas, & sententias, generales, vel speciales continentes, quos, vel quas promulgari, vel haberi, & omnia, quæ contrà Fratres, Domos, & Loca dicti Ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione, utpotè notoria, non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti esse, & pro infectis haberi debere, &c.* ut melius est videre in eodem nostro *Bullario, fol.* 158.

7. *Gregor. XI.* per suam *Constitutionem septimam* in *Bullario Laertii Cherub.* concessit Fratribus Prædicatoribus præfata omnia, ut liquet in ejus §. 31. ibi, *caterùm cùm fel. record. Innocentius Papa IV. prædecessor noster olim duxerit statuendum, ut exempti quantumcunque gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua contrà ipsos agitur, ritè possint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in illis jurisdictionem, prout jus exigit exercere, &c.*

8. *Martinus V.* eisdem Fratribus exemptionem hujusmodi concessit, eodem modo, quo suprà, cujus propria verba refert *Tambur. de jur. Abbat. disputat.* 15. *quæst.* 4. *num.* 17. *pag.* mihi 156.

9. Et alia hujus generis, quæ nobis ob Privilegium communicationis effecta sunt propria, refert *Confectius tit.* 5. *per totum compend. Privil. ver. exemptio*, & habetur in aliorum *Bullariis*, vel *Bullarum compendiis*; etenim omnis ordo suum habet *Bullarium*; vel *Bullarum compendium*, & præsertim habentur in *Monumentis trium ordinum*, & *Bullario Rodriquez*.

10. Nec obloquendo latrent, si qui sint, dicentes, quòd Religiosi reperiuntur tot Privilegiis muniti à Papis Monachis; nam, & Papæ, qui anteà nunquam Religiosi extiterunt, hæc, & majora concesserunt, uti est *Nicolaus V. Leo X. Greg. XIII. Martinus V. Clem. VIII. Paulus V. Urbanus VIII.* & consimiles, qui paterno zelo Regulares amaverunt. Sed suprà dicta privilegia intelligenda sunt; quatenus non sint revocata, & sint Regulares in possessione illorum privilegiorum.

Quæst. 9. *Regulares exempti à jurisdictione Episcoporum, an sint etiam exempti à potestate Legatorum?*

1. NEgativè, quoad Legatos de latere, secùs autem, quoad alios, & habetur expressè in *cap. si Abbatem* 36. *de elect. in* 6. ibi, *ei tamen ab alio, quàm à nobis, vel ab Apostolicæ Sedis Legato, si sit in Provincia de latere nostro missus.*

2. Dixi, secùs; quia Legati nati, & alii inferiores, sine speciali mandato Domini Papæ, non possunt de causis exemptorum se intromittere, ut notat *Quintil. Mandos. de signat. gratia, ver. exemptiones ab Episcopis, vers. Amplius exemptio, & Glos. in d. cap. ver. commissum.* Unde, illustrissimus Nuntius Regni Neapolit. habet cognoscere causas Regularium, etiam exemptorum; non solùm civiles, ac etiam criminales; vel quia censetur Legatus à latere, aut quia habet à Domino Papa super his speciale mandatum, ut constat, & potest constare ex litteris patentibus, & praxis docet; de quibus vide *cap. 2. de off. delegat. in* 6.

Quæst. 10. *Regulares, an possint huic exemptioni renunciare?*

1. SYl. *ver. exemptio, num.* 11. *Rodr.* in suo *compendio, resolut.* 63. *num.* 23. *Barbosa* 3. *p. allegat.* 105. *num.* 76. *Diana* 3. *p. tract.* 2. *resolut.* 134. *& Navar. in prax. elect. & variat. fori, sect.* 1. *q.* 12. *num.* 28. & in sua *luc. Regul. ver. exemptio, num.* 32. dicunt, Regulares dictis privilegiis non posse renunciare, sine licentia Papæ, nec expressè, nec tacitè; quia Dominus Papa est immediatus Superior Religiosorum; & sicut Clericus non potest renunciare privilegio fori, nec Diœcesanus in præjudicium ejus, cui jus competit, ex *cap. cùm tempore, in fin. de arbitris, & cap. significasti, de foro competenti*: ita in casu nostro, & multo fortiùs cum agatur de præjudicio Sedis Apostolicæ, vel totius Religionis, cui in quæsitis nequeunt præjudicare inferiores Prælati, nec Capitula, nec Regulares, etiam capitulariter congregati: & referunt, ita fuisse à Sacra Congregatione decisum in Ulissiponensi Monasterii, die 19. Novembris 1625.

2. Proinde, Episcopus non habet jurisdictionem judicandi Regulares exemptos.

Quæst. 11. *Regulares, si dicant, quòd sunt exempti, an teneantur probare, & quomodo?*

1. CErtissimum est, quòd Episcopus habet intentionem fundatam, & juris assistentiam administrandi jus, & justitiam super omnes Sæculares, & Regulares suæ Diœcesis, ut constat ex decisis, proinde, nulli credendum est, quòd sit exemptus à jurisdictione ejusdem, nisi ostendat Privilegium suæ exemptionis, in quo hoc expressè reperiatur; quia asserenti incumbit probatio, & ex inspectione verborum privilegii probatur exemptio, ut dicitur in *cap. porrò, & cap. recepimus, de privil. & cap. accessimus, de fide instrumentorum.* Quod privilegium debet esse in scriptis, ut dixi in *p.* 1. *tract.* 2. *de natura privilegii q.* 3. *&* 13. & quòd ejusdem copiæ probent, & quomodo, dixi *ibidem.*

2. Quod intellige, procedere in iis Regularibus, quorum exemptio non est notoria, nec certa in aliquibus casibus.

3. Forma autem probandi exemptiones reperitur præscripta à *Bonifacio VIII.* & habetur in *cap. cùm persona, de privil. in* 6. ibi, *nos volentes super hoc de salubri remedio providere, statuimus, ut hi, qui se asserunt, per Privilegia, seu Indulgentias Apostolicæ Sedis exemptos: à Locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi privilegia, vel indulgentias, quibus se dicunt fore munitos, ipsis Ordinariis in loco congruo, & securo, aliquibus prudentibus Viris omni suspitione carentibus, ad hoc per dictos Ordinarios deputatis, infrà terminum competentem, pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum, vel Delegatorum suorum arbitrio moderandum, justo impedimento cessante ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere: nec non de articulis, de quibus controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur, si autem ad fundandam intentionem suam super hujusmodi libertate solummodò præscriptionem Canonicam duxerint opponendam: eisdem Ordinariis, vel Delegatis* ab

ab eis Viris prudentibus non suspectis, de præscriptione hujusmodi facere debent fidem: quod si tales privilegio, & præscriptione asserant se munitos, Privilegium quidem ipsum exhibeant, ut in primo hujusmodi Constitutionis articulo superius est expressum, & si Privilegium exhibitum, non ad plenum per se sufficiat ad exemptionē, seu libertatem hujusmodi comprobandam, sed tale est, quòd saltem causam præbeat præscribendi: coram personis prædictis annorum quadraginta præscriptionem teneantur probare, præscriptionisque probatione pendente, licet Ordinariorum intentio de jure communi fundetur, tamen quia de privilegio (quod saltem causam præscribendi præbet) faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessionē, non violenta, non clandestinā, nec concessa precario, de qua fidem coram eisdē fecerint, non turbentur. Si verò privilegium per se sufficiens, quando solo privilegio se defendunt, vel saltem tale, quòd præscriptioni Canonicæ causam præstet, cùm præscriptionem allegant, non exhibuerint, ut est dictum de jure communi, Ordinariorum intentio sit fundata: sua jurisdictione uti possint liberè in eosdem: donec de præscriptione Canonica, ut præmissum est, fecerint plenam fidem, hæc ibi.

Quæst. 12. Episcopus, an habeat jurisdictionem in Regulares exemptos, si sit in possessione judicandi illos?

1. SUnt, qui dicunt, quòd sic, apud *Syl. ver. exemptio, q. 10. nu. 11.* quia dum Regulares patiuntur subjici & corrigi, videntur consentire; & consequenter tacitè renunciare exemptionum privilegiis, attamen, & meliùs, præcitati *Doctores* respondent negativè; tum quia Regulares non possunt, nec tacitè, nec expressè renunciare exemptionum privilegiis, quæ fuerunt nobis indulta, in favorem totius Religionis, ut dictum est immediatè suprà *q. 10.* tum etiam, quia non possumus præjudicare Domino Papæ, ut *ibidem.*

2. Nec datur locus præscriptioni contrà Ecclesiam Romanam; nisi fuerit continuata per spatium centum annorum, ut dicitur in *cap. ad audientiam, de præscriptionibus.* Nec pariter datur locus actuali consuetudini: nisi reperiatur introducta de scientia, & tolerantia Rom. Pontif. ut latè dixi suprà *par. 1. de privil. tract. 12. q. 4. & 10.*

3. Hinc Regulares coram Conservatoribus, vel in cætu Purpuratorum poterunt excipere hæc prædicta, & se eximere ab Ordinariorum potestate, *Rodr. cit. loc. q. 59. ar. 9. Bordon. resolut. 7. q. 23. num. 100.* & latè *Barbosa 3. p. de off. & potest. Episc. allegat. 123. num. 40.*

Quæst. 13. Regulares, an debeant privari usu possessionis, vel quasi possessione, pendente lite super validitate?

1. PAnor. *in cap. 1. ut lite pendente, & Syl. ver. exempt. num. 7. q. 6.* dicunt, quòd lite pendente super validitate privilegii exemptionis; an scilicet fuerit concessum, vel non? adhuc exemptus est manutenendus in sua possessione, etiam quòd hæc esset contrà jus commune: dummodò ex aliqua probatione, licet non sufficienti ad finale intentum, ipse justificet possessionem; & est decisio *d. c. cum persona, in §. quod si tales,* cum *§. sequenti:* etenim nullus de facto, nec quidem Prædo, est turbandus in possessione, in qua reperitur, secus diceretur spoliatus jure suo.

Quæst. 14. An liceat Episcopus interpretari Privilegia Regularium, in casu tangente eorundem jurisdictionem?

1. NEgativè; tum quia de jure communi nullus potest esse Judex in causa propria, ut docent communiter *Doctores in cap. ex parte de verb. signif.* & habetur in *l. qui jurisdictioni. ff. de jurisdict. omn. jud. & l. unica, C. ne quis in re sua jus sibi dicat;* sed si Episcopus posset agere contrà Regulares ostendentes Privilegia exemptionum, faceret se Judicem in causa propria, contrà tot vulgata jura:

2. Perinde non potest judicare de Privilegio, quod sit vitiatum, vel subreptitiè obtentum, vel quod cessaverit, vel quod sit ablatum, *Rodr. tom. 1. q. 56. ar. 12. conclus. 5. & tom. 2. q. 63. ar. 7. § secunda via, ver. in favorem Regularium,* cum suo *comp. resolut. 60. de Episcopis num. 14. Tambur. tom. 1. de jur. Abbat. disput. 15. q. 6. Bordonus resolut. 7. q. 22.* & est communis: tum etiam, quia hoc est prohibitum in *cap. cùm venissent, de judic.* ubi Papa sibi soli reservat cognitionem, & interpretationem dubiorum faciendorum in Privilegiis Apostolicis, eo quòd ejus est, legē interpretari, cujus est condere, ut dixi *de Privil. tr. 8. q. 5.* tum item, quia hoc est nobis specialiter concessum à *Clement. Papa IV.* qui prohibet quibuscunque Ecclesiarum Prælatis, Regularium Privilegia clara, vel dubia interpretari, sub hac forma verborum.

Clemens Episcopus, &c. Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Generali Magistro, & Fratribus Ordinis Minorum. Ordinis Vestri Sacra Religio, sub qua virtutum Domino in humilitate spiritus laudabiliter deservitis, promeretur, ut Nos ipsum Ordinem syncera diligentes in Domino charitate, illa vobis libenti animo concedamus, per quæ materia submota gravaminis, status vestri tranquillitas procuretur. sanè, transmissā nobis conquæstione monstrastis, quòd nonnulli Archiepiscopi, & Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati vestris libertatibus derogantes, Indulgentias, seu Privilegia vobis ab Apostolica Sede concessa interpretari, & ad suum intellectum trahere moliuntur, quamquam intellectum ipsum verba Indulgentiarum, & Privilegiorum hujusmodi exprimere videantur, ac vos juxtà ipsorum interpretationem Privilegia ipsa servare compellunt, in vestrum non modicum præjudicium, & gravamen; quia verò super hoc Apostolicæ provisionis remedium implorastis: nos vestris supplicationibus annuentes, ne præfati Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati alii, prædicta Privilegia, & Indulgentias, sive clara sint, quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, de cætero interpretari præsumant, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus, volentes, ut cùm ejus sit interpretari, cujus est condere, interpretatio super hujusmodi dubiis, & obscuris, dictæ Sedis judicio requiratur, nulli ergo hominum liceat, &c. Datum Viterbii nonis Julii, Pontificatus nostri anno 4. & refert per extensum *Joan. Bapt. Confect. pag.* mihi 11. quod ob communicationem Privilegiorum extenditur ad omnes, & fuit iterùm in specie concessum Patribus Societatis Jesu à *Paulo III.* & refert *Collector Privilegiorum* ejusdem Soc. in *Compendio Privil. §. 1. & 4.* inquiens. *Privilegiorum Societatis per Paulum Tertium usque ad 15. kal. Novembris, anno Domini 1549. concessorum interpretationem reservavit Sedi Apostolicæ; quia inhibitum est omnibus Prælatis, ne præsumant interpretari Privilegia Regularibus concessa, sive clara sint, quæ interpretatione non indigent, sive dubia contineant, prout concessit Clemens IV. Prædicatoribus, ac Minoribus, ut patet ex libro Privilegiorum Sancti Augustini,* hæc ille.

3. Benè verum est, quod Episcopus potest per Viros doctos, Privilegiorum dubium exagitare coram Superiore Religiosi, contrà quem intendit procedere, *Bordon. cit. loc.* & maximè coram Reverendissimo Generali Ordinis,

dinis, qui uti Delegatus, ex speciali Diplomate, poterit authenticè dubia declarare, quod per extensum habes apud dictum *Confect.pag.93.*in impressione Veneta, & egomet refero in *tract.de Privil.tract.8.q.7.*ubi multa habes de modo declarandi.

4. Et additur, quòd quoties super intelligentia Privilegiorum occurrerit dubitare, Jurisperiti, ac Judices, ad favorem Regularium debent judicare, ex concessione facta Congregationi S. Justinæ de Padua ab *Alexandro VI.*sub Dat.Rom.Kal. Aprilis 1501. & à *Julio Secundo* fuit extensa ad Congregationem Monachorum Vallis Umbrosæ, prout refert idem *Collector Privilegiorum* Illustrissimæ Societatis Jesu, & *Tambur.in d.disput.15.q.6. & disput.16.ar.6.& Rodr. tom. 2. q.63. ar. 3. ver. secunda via.*

5. Nec obstat dicere, quòd exempti, de suo exemptionis Privilegio requisiti, debent illud Ordinariis ostendere, ex *d.cap.cum persona 7.de Privil.in 6.* nec exinde obest inferre; ergò ad Episcopum pertinebit de exemptionis Privilegio judicare, nec nocet, quòd in *d. cap.* dicatur, quòd allegantes Privilegium, debent illud Episcopis ostendere, tum quia hoc *ibi* dictum est, non ut illi de Privilegio judicent, sed ut se informent, *Panor. in cap. cùm venerabilis, n. 3.de religiosis domibus*, tum etiam; quia hodiè debent attendi Privilegia, quæ non adversantur *Decretis Sac.Conc.Trid.*nec ab eodem abrogantur, etiamsi alias essent contraria juri communi; quod non occurrit in casu nostro. Quæ suprà dicta intelligenda sunt, quatenus sint in usu tali, ut asseritur.

Quæst. 15. Si Ordinarius dicat, suam esse jurisdictionem, & Subditus neget, ad quem spectat judicare?

1. RESpondet *Glos.in d.cap.cum persona 7. de privil. in 6.ver.Ordinarius*, cui subscribit *Syl.in sum. ver. exempt.q.5.num.6 in fin.* quòd Ordinarius benè cognoscit, an sua sit jurisdictio, *cap.super literis, de rescriptis*, sed ad omnem suspicionem tollendam, meliùs videtur, id esse expediendum per Delegatum, *cap.si quis, de foro compet.* quæ *Glos. d.cap.* est omninò legenda in *ver. Ordin.* quia considerat, quòd nullus Judex potest judicare in causa propria, ut dictum est suprà ex *l.unica, C.ne quis in re sua jus sibi dicat, & Can.1.& 2.caus.4. q.4.* & resolvit, quòd Ordinarius benè cognoscit de causa Ecclesiæ, licet non de propria, & *ibid.Glossa* marginalis subnectit, hoc esse verum, si quæstio sit tantùm inter Judicem, & Patrem; & hoc potest, quia jus suum defendit, ex *cap. dilecto, & ibi Innoc.de sent. excom.* si autem esset quæstio inter Patres, Judex tanquam alteri favens, non se pronunciabit competentem, vide *ibidem.*

Quæst. 16. Regulares quot, & quibus modis possint se tueri à molestiis Ordinariorum?

1. RESpondeo, quòd multis modis Regulares possunt se tueri à molestiis Episcoporum: Primò, declinando forum, poterunt allegare privilegium exemptionis super re, de qua disceptatur, quod requisiti, & moniti allegare non sufficit, sed tenentur integrum privilegium ostendere, vel articulorum copiam tradere, de quibus agitur, juxtà dispositionem *d.cap.cùm persona 7. de privil. in 6.* quod per extensum habes immediatè suprà *q.11.ibi statuimus, ut hi, qui se asserunt per privilegia, &c. transcriptum tradere teneantur, Syl.ver.exempt. q.5. num.6. Rodr. tom.2.q.63.ar. 7.* cum suo *comp. resolut.63. de exemptione quoad Episcopos, num.18.& Tambur tom.1.de jur.Abb.disput.15.q.6.*

2. Hoc autem privilegium exemptionis à jurisdictione Episcopi non suffragatur exemptis; nisi probata possessione exemptionis; & habetur in *dict.cap.cùm persona* ibi, *quia in privilegio faciunt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, nec concessa precario, de qua fidem coram eisdem fecerint, non turbentur, &c.* dum ergo Papa mandat, eos non turbari in possessione, per necessarium antecedens supponit, quòd possideant: privatio enim præsupponit habitum, ex *l.decem ff. de verb.obligat.* & est *decisio Rotæ* in una Sipontina jurisdictionis, 23. Maii 1613. coram Cardin.*Sacrato*, & [illegible] *Farinac.decis.491.num.4.p.1.recentior.& Barbosa de off.& pot.Episc.par.3.allegat.123.num.34.*

3. Nec potest Subditus dici constitutus in quasi possessione exemptionis, ex eo solùm, quòd non apparet, Superiorem in illum exercuisse jurisdictionem, nisi probetur, quòd venerit casus exercendi, & volens exercere fuit repulsus, & repulsioni acquieverit, vel alias se habuerit pro spoliato, ut docent communiter *Doctores.*

4. Quæ omnia limita, non procedere in privilegiis, & possessione notoria, & manifesta: exinde, Mendicantes non tenentur exemptionis privilegium ostendere; quia, ut sæpè dixi, est notorium cum sua possessione, & titulo, *Hier.Rodr.ut suprà* cum præcit.DD. An autem, pendente lite super validitate privilegiorum, debeant exempti manuteneri, & quis in casu dubio? dixi suprà.

5. Secundò, poterunt Regulares se defendere, opponendo præscriptionem Canonicam, quæ debet esse quidragenaria, ad hoc ut præscribat contrà Episcopum; de qua tenentur eidem Ordinario, vel Deputatis ab illo, juxtà terminos *d.cap.persona* fidem facere; & allegare privilegium solùm, vel privilegium, & præscriptionem simul, de quo vide *ibi.*

6. Tertiò, Regulares poterunt Conservatorem privilegiorum adire, qui juxtà litteras conservatorias Mendicantibus concessas, sub gravissimis censuris poterit Ordinariorum molestias frænare, ut infrà dico in *tract. de conservatoribus.*

7. Quartò tandem, per viam gravaminis, & querelæ, de justitia indebitè sibi ministrata poterunt appellare ad Sac.Congregat.Regul.& Episcoporum, & infrà legitima tempora, litteras inhibitorias præsentare, & similia juxtà praxim peragere.

Quæst. 17. Regulares exempti, citati ab Ordinariis, an teneantur comparere?

1. NEgativè; quia Illustrissimi Ordinarii nullam Superioritatem habent in Regulares, maximè super Prædicatores, & Minores, ex prænarratis *Bullis*, & præcipuè ex illa *Sixti IV.* quæ incipit, *Regimini*; hi namque sunt prorsus exempti; adeò ut nec teneantur privilegium exemptionis ostendere, ut *ibidem* dicitur; & notat *Panor. in cap.cùm ordinem, de rescriptis, Tab. Armill. ver. exemptus, num.1.Rodr tom.2.q.63.ar.6.ver.2.infertur, Graff. decis. Aur.1.p.lib.2.cap.49.nu.71.Laur.Peyr.tom. 1.privil. Minim.in Constit.2.Sixti IV.§.10.num.15.not.2.& tom.3.seu* in addit.ad *d.Constit.Sixti cap.2.num.5.not.4.*& est de jure communi, *l.2.ff.si quis in jus vocetur*, & docet multis citatis *Vantius de nullitat.tit.de nullit.ex defectu citat.nu.18.*

2. Immò, est ipso jure nulla, cùm sit à Judice non competente, & contrà privilegium notorium, *Glos.in cap. si Episcopus 3 q.2.*& *Syl.ver.citatio,q 2.num.3.*ibi, *ratione judicis, ut si est evidens, eum non esse Judicem, qui citat.*

3. Quod maximè procedit in omni Tribunali Ecclesiastico, ex *Constit.Clem.VIII.de nullitatibus*, edita Romæ die 22. Martii 1593. quæ incipit, *litium dispendia*, quam per extensum ponit *Steph.Quaranta* in suo *Bull.ver.nullitas*, quà *Bulla*, non datur locus nullitatibus: nisi provenientibus ex defectu jurisdictionis, citationis, & mandati; quamobrem, is, de quo agitur, non dicitur contumax, si non compareat; contumacia enim non habet locum in eo, qui comparere non tenetur, nec potest excommunicari;

cari; etiam si aliquam esset legem transgressus, cui ab homine, vel à jure esset imposita excommunicatio, *Navar. lib. 5. consf. 2. de sent. excomm. & Lezan. tom. 1. sum. cap. 11. num. 15.*

4. Benè verum, quòd licet non teneatur, debet nihilominùs ex quadam decentia comparere, ad allegandum privilegium suæ exemptionis; dico ad allegandum, non autem ad exhibendum, quia non tenetur exhibere privilegium exemptionis, quando exemptio est notoria, ut dictum est suprà, & sunt in possessione exemptionis.

5. Secùs autem, si foret dubia; quia in tali casu esset observanda dispositio *d. cap. cùm persona, de privil. in 6.* adjuncta *Glos. Syl. ver. exempt. q. 7. nu. 8. & Lezan.* cit. *loc. num. 14.* Vel si in citatione exprimatur causa, quæ fundat jurisdictionem Ordinarii, ut si citet, quia vocati ad publicas processiones noluerunt venire, contrà *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 13.* in quo datur facultas Ordinariis, compellendi Regulares ad intercessendum publicis processionibus. Quod amplia ad similes casus, in quibus Ordinarii habent eandem auctoritatem.

Quæst. 18. Prælati Regulares, an possint propria auctoritate suos Subditos captos ab Episcopis, recuperare?

1. RESpondeo, quòd quàmvis tanta sit potestas Prælati suprà suum Professum, ut etiam eum extrà suum Monasterium, & territorium manentem, vel fugientem, & benè, vel malè facientem, sine aliqua licentia possit capere realiter, & personaliter, & vinctum in suum Monasterium reducere, per multa jura, quæ allegat *Navar. comm. 3. de Regul. num. 50.*

2. Nihilominùs secùs est dicendum, si Subditus reperiatur in fortiis Episcopi; tum quia esse potest, ut ob aliquod delictum effectus sit de foro illius; tum etiam, quia eripere aliquem de manu Curiæ, non potest esse sine injuria illius: ideoque existimo, quòd Prælatus Regularis ita faciens, posset ab eodem Episcopo puniri: quamobrem, in facti contingentia debemus repetere Subditos omni urbanitate, & charitate, interrogando de causa detentionis, petere remissionem, protestari de incursu censurarum, in quas incurritur, ob violationem exemptionis, & de injuria illata Religioni agere apud Reverendissimum Conservatorem, vel Sacram Congregat. omni modo, & decentia sibi permissa.

Quæst. 19. Episcopus, an possit punire Religiosos exemptos, si deliquant in Loco non exempto?

1. NEgativè; quia Religiosi Mendicantes hodiè sunt exempti universaliter, & omninò, hoc est, nedum ratione domicilii, verùm etiam ratione rei sitæ, ac initi contractus; immò, & personarum ubicunque existentium; unde exceptis casibus à *Sac. Trid.* præscriptis, in nullo casu possunt coram Episcopis conveniri.

2. Nec objicies *cap. volentes, de Privil. in 6.* quia, ut patet ex eorum Privilegiis, fuit sæpiùs in specie abrogatum.

3. Neque his obstat dicere, quòd de hac re multi multa dixerunt, quoniam loquuntur de iis, qui sunt tantùm exempti ratione domicilii, non autem de illis, qui sunt exempti ratione personarum, ut dictum est suprà.

Quæst. 20. Excommunicatio lata per Episcopum, an comprehendat eos, qui delinquunt in Loco exempto, sito tamen infrà Diœcesim?

1. NEgativè *Syl.* multis citatis in *summ. ver. excom. 2. num. 12. dub. 1.* cui favet *Avila de censf. p. 2. cap. 3. disputat. 2. dub. 5. Ricc. var. resolut. 177. Paul. Squill. de Privil. Cler. cap. 2. num. 67.* & nuper *Alphons. de Leon. de censuris, recoll. 2. num. 307.* & ratio est; quia Locus exemptus, & Locus extrà Diœcesim æquiparantur, etenim uterque censetur extrà jurisdictionem Episcopi. Proinde, suspensio lata in Synodo Cassanensi ab Episcopo ejusdem, contrà Clericos ludentes Aleis, vel Taxillis; non afficit eos, qui ita ludunt in Monasteriis Mendicantium; quia hæc sunt Loca exempta à potestate, & jurisdictione Episcopi.

2. Nec nocet, quòd sunt in Diœcesi; quia Locus exemptus est in Diœcesi materialiter, hoc est, quoad situm, sed non est de Diœcesi formaliter, id est, quoad jurisdictionem, ut omnes notant: & est decisio *c. ut animarum, secundo de Constit. in 6.* ubi habetur, per statutum Episcopi, quo excommunicantur omnes, qui furtum fecerint, non ligari Subditos ipsius, committentes furtum in aliena Diœcesi, & ratio, in qua *ibidem* se fundat Dominus Papa, est desumpta à *l. final. ff. de jurisdictione omnium Judicum*, quòd scilicet Jus dicentibus extrà territorium impunè non paretur, id est, nulla pœna imponitur non obedienti Superiori, extrà ipsius jurisdictionem.

3. Quod intellige, juxtà dispositionem *d. l. final.* quando scilicet censura lata est per statutum locale: hoc enim per se absolutè, & directè non infertur in personas, sed respicit quietem, & pacem territorii: & sic differt à lege, quæ habet respicere personas, ubicunque sint.

4. Amplia, ut decisio prædicta sit vera, etiam si Episcopus habeat intentionem per suum statutum ligandi delinquentem extrà Territorium, quia in *d. cap. 2.* non dicitur, tale statutum non ligare ex defectu voluntatis, sed ex defectu potestatis, & jurisdictionis: hoc enim significant verba illa, *Jus dicenti extrà territorium impunè non paretur*, ut bene advertit *Navar. cap. 27. num. 273.*

5. Amplia Secundò, ut dicta decisio procedat, etiamsi Episcopus hoc ipsum exprimat in d. statuto, nempè, si dicat, *volo, ut tale nostrum statutum, comprehendat etiam delinquentes extrà territorium nostræ Diœcesis, Avila* cit. *loc. ver. 2. notatur, & de Leone ubi suprà*, ubi attestatur, hanc esse veram sententiam.

6. Secùs tamen dicendum, si Episcopus prohiberet, ne fiat accessus ad Locum exemptum, cum tali animo ludendi; tunc enim incurritur in censuram latam, ut post *Syl.* notat *Avila ubi suprà*; nam licet Locus, ad quem itur, sit exemptus, via tamen, qua pergitur in illum, non est exempta à jurisdictione Episcopi, *Covar. in cap. alma mater p. 1. §. 10. nu. 21.* & Doctissimus *P. Diana 3. p. tract. 5. Miscell. resol. 74.*

7. Non reticeam tamen hic dicere, quòd *Ferdinandus de Castro Palao, in opere morali tom. 1. tract. 3. disput. 1. punct. 24. §. 5. num. 21.* ex pluribus rationibus fatigatur ostendere, delinquentes extrà territorium ligari lege, & statuto prohibente: perinde, Episcopum posse sub excommunicatione, ipso facto incurrenda, prohibere Subditis, ubicunque existant, furtum, homicidium, ludùm, & quamlibet aliam actionem committere, cui subscribunt multi, qui dicunt, hoc esse probabile, & allegantur à *Diana 3. p. moral. tract. 6. Miscell. resolut. 78. & Bonac. de censf. disput. 1. q. 1. punct. 11.*

8. Sed, meo videri, loquuntur explicitè contrà *textum d. cap. ut animarum 2. de Constit.* & tollunt differentiam de jure cognitam inter legem, & statutum.

Quæst. 21. An Episcopus possit punire, qui delinquunt in Loco exempto, ubi fuerint extrà illum, & in suam Diœcesim reversi?

1. ET quidem, posse censeo, ut infrà dico: tum quia delinquens pro delicto à se commisso ex *l. 1. C. ubi de crimin. agi oporteat*, potest tribus in Locis puniri, primò,

primò, in loco delicti, secundò, in loco, ubi lis fuit contestata, & tertiò, in loco domicilii, latè *Boerius decis.* 270.

2. Unde committens furtum hic, potest puniri per Judicem alterius territorii, ad quod transivit cum re furtiva; quia censetur ibidem domicilium contraxisse, ut multis citatis eruditè *Sylv. ver. furtum q.* 4. *num.* 9. quod confirmat utraque praxis, nempè, Civilis, & Canonica, per quam Rei delinquentes in alieno territorio remittuntur ad Judicem territorii delinquentis, *Zerola in praxi Eccles.* 1. *p. ver. remissio.* Hinc Episcopus, vel Provincialis repetit suum Subditum ab alio Judice detentum, quod potest fieri, etiam invito Subdito, *cap. dilectus, & cap. si Judex laicus, de appellat.*

3. Sed adverte diligenter, quod delinquens extrà territorium statuentis, non potest puniri pœnâ statuti, sed punietur secundùm dispositionem juris communis, si factum sit eo jure punibile, sin minùs, pœnâ statuti loci, in quo deliquit.

4. Proinde, Clericus portans arma extrà Diœcesim Cassanensem, licet non incurrat pœnas prædicti Episcopatus: nihilominùs potest puniri secundùm jus commune, prout eleganter *Joann. Bapt. Ciarlinus controver. forens. c.* 61. *num.* 21. *& sequent.* cui subscribit *Alphon. de Leone in tract. de cens. recollect.* 2. *num.* 332. *pag.* 113. de materia vide *Dianam p.* 5. *tract.* 9. *de excom. resol.* 32. 33. 34. *&* 66.

Quæst. 23. Religiosus deliquens cum Clerico, an sit puniendus ab Episcopo, vel à Prælato suæ Religionis?

1. HUjus decisio pendet ex illa, an Laicus delinquens cum Clerico, sit puniendus ab Episcopo, de qua re latè Jurisconsulti, quos allegat *Carolus de Grassis tract. de effect. Cleric. effectu* 1. *num.* 520. *Gratianus discept. forens. cap.* 641. *num.* 1. *&* 2. *Rodr. tom.* 2. *q.* 2. *ar.* 4. *Duard. in Bull. Cœn. Domini, Can.* 15. *q.* 11. *nu.* 47. *Farin. in prax. q.* 8. *Mar. Antonin. var. resolut. lib.* 1. *resolut.* 42. *num.* 4. *& resolut.* 98. *nu.* 1. *Bellet disquis. Cleric.* 1. *par. tit. de favor. Clericor. real.* §. 1. *num.* 2. *Ciarlinus* in facti contingentia *contr. for. cap.* 34. & alii plures, qui de jure cum distinctione resolvunt, aut loquimur de causis divisibilibus; & sic quilibet est conveniendus coram suo Judice competente: etenim æquum & justum est, ut unusquisque Reus à suo Judice judicetur, nempè, Laicus à Laico, & Clericus à Clerico: aut loquimur de causis indivisibilibus, in quibus nulla congrua fieri potest divisio; & sic ratione connexitatis, & ne continentia causæ dividatur, & ne fortè etiam diversæ sententiæ sequantur; tunc Clericus, qui est dignior Laico, trahit ad forum suum; quia magis dignum trahit ad se minus dignum.

2. Et ajunt, prædicta procedere, non solùm in causis civilibus, sed etiam in criminalibus, ut si Clericus sit socius Laici occidentis, furantis, vel pejora peragentis, ex quo delictum est individuum, & ut servetur continentia causæ, *Menoch. de arbitr. jud. cas.* 371. *num.* 14.

3. Quonam modo causa possit cognosci esse dividua, vel individua, *Ciarlinus* cit. *loc. n.* 40. ubi pro Regula advertit, quòd quoties negotium est quantitativum, certum est, quòd causa est divisibilis, ut patet in credito, quod pro rata debetur, quod item habet locum in omni re, quæ consistit numero, pondere, & mensura.

4. Attamen, quidquid sit de jure, certum est, quòd de praxi Laicus cognoscitur à Laico, & Clericus à Clerico; quia jurisdictiones sunt distinctæ, & una non tollit alteram, tam in civilibus, quàm in criminalibus; & colligitur ex *textu l. si quis uxori, in princ. ff. de furt.* & docet *Cravetta consil.* 232. *lib.* 2. *Covar. pract. quæst. cap.* 34. *Capyc. decis.* 173. latè *Jul. Clar. lib.* 5. § *final. q.* 36. *& ibid. Bajard. de Grassis* cit. *loc. de Franchis decis.* 426. *Ursill. ad decis. Afflict.* 213. *Ciarlinus ubi suprà. Paul. Squillant de Privil. Cleric. cap.* 7. § 5. *num.* 77. *& sequent. Grammat. decis.* 21. & alii plures, quos citat, & sequitur *D. Reg. Carol. Tapia in annot. ad Const. De burgensaticis, n.* 13. *Muscatell. in praxi Sac. Concil. lib.* 1. *p.* 3. *Glos. nominet, num.* 5. *Nunt. Tartaglia in praxi crimin. p.* 2. *num.* 4. & ita sæpè servatum, & judicatum fuisse in Sac. Consil. Neapolit. refert *D. Joann. Bapt. Thoro in comp. decis. Regni Neapolit. tom.* 1. *ver. Clericus litigans insimul cum laicis*, & talem esse praxim d. Sac. Consil. Neapolit. testatur *Capyc.* cit. *loc.* ubi inter dividuas causas advertit, esse hypothecariam.

5. Quæ omnia extende ad Monachum delinquentem insimul cum Clerico, quia sicut Laicus delinquens cum Clerico, à suo Judice judicatur, ut patet ex decisis; ita & Monachus delinquens cum Clerico; sunt enim diversi fori, & alter alterum non trahit, ut patet in Muliere, quæ etsi fornicetur cum Clerico, & delictum sit insolidum; adhuc tamen non efficitur de foro Clerici, ut ex multis ostendit *Rodr.* cit. *loc. in fin. & Ricc.* 1. *p. praxis, decis.* 381. in 1. edit. *num.* 4.

6. Amplia, ut hujusmodi Religiosum complicem in delicto, nec possit Episcopus processare, nec carcerare, ex quo est exemptus simpliciter, sed tenetur instare apud Religiosi Superiorem, & ad eum omnia remittere, ut dictum est suprà, & advertit *Bordon. resol.* 7. *q.* 25. *num.* 102.

Quæst. 23. Episcopus an possit Regulares Censuris mulctare?

1. ET dico, quòd non; quia excommunicare, interdicere, vel suspendere, est actus jurisdictionis, quam quis tantùm habet in sibi subditum, *cap. ut animarum, de constit. in* 6. Regulares verò, & maximè Mendicantes, sunt exempti à jurisdictione Episcopi, unde non possunt dici illius subditi, nec tenentur obedire *D. Thom.* 2. *sent. dist. inct.* 44. *in fin. in exposit. litteræ ad* 3. *Sylv. ver. obedientia, q.* 8. *&* 10. *dicto* 2. & colligitur ex *c. nobis, il primo, de sent. excom.* ideoque non possunt dici contumaces, si illi non obediant; quia ut dictum est, non tenentur, ob multa Privilegia, ut constat, ex *cap. quàm sit necessarium* §. 18. *q.* 2. & notat *Navar. in cap. non dicatis num.* 63. *& in cap. nulla* 18. *q.* 2. *num.* 40. & magis expressè in *cap. cùm Capella* 16. *& cap. quanto* 26. *de Privil.* ubi dicitur, quòd Privilegia non sunt violanda, & in *cap. volentes, eod. tit. in* 6. §. 2. ibi, *in eos autem, quibus, ne interdici, suspendi, vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede Apostolica est indultum: sicut sunt Religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopus Monasteriorum suorum Monachos, pro ulla causa, ullove loco interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat: eidem Ordinarii jurisdictionem suam quantum ad ista, ubicunque illi fuerint, penitùs exercere non possunt*, hæc *ibi.*

2. Quibus accedunt alia specialia, quæ ob Privilegiorum communicationem effecta sunt propria cuivis Religioni approbatæ à Sancta Sede, prout latè noster *Joan. Crucius lib.* 2. *de statu Religionis, cap.* 4. *conclus.* 3. *Rodr. tom.* 1. *q.* 15. & ostendunt *Compendia Religionum, ver. communicatio, vel exemptio*, & maximè, quæ hic suprà notavi *q.* 8. 17. *&* 19.

3. Et præcisè illud *Sixti IV.* concessum Minimis, quòd incipit, *Sedes Apostolica, in* §. 10. ibi, *decernimus quoque ex nunc, omnes & singulas excommunicationum, suspensionum, & interdicti, aliasque Ecclesiasticas sententias, censuras, & pœnas, ac processus, quos, & quas contrà vos, & Eremitas, ac personas, Ecclesias, Eremitoria, & Loca hujusmodi, & vestrum quemlibet promulgari contigerit, vel habere irritas, & irritos, & inanes, ac nullius existere firmitatis, vel momenti, &c.* Quod Privilegium, per extensum refert *Peyr. tom.* 1. *Privil.* & est 2. inter *Privilegia Sixti IV.* in eod. *Bullar.*

Bullar. Et illud *Martini V. Eugenii IV. Clementis IV.* & aliorum Summorum Pontificum, quod, & quæ refert per extensum *Rodriq tom.2. de Regul.q.59.ar.5.* & alia, quæ refert *Lezana 1.p.summ.cap.11.num.14.* His item accedit illud Congregationi Fuliensi concessum à *Paulo V.* item, & alia quæ notat *Cæsarub.* in suo *compendio, ver. exemptio.*

4. Proinde, si Episcopus ferat contrà nos aliquam censuram, in neutro foro est observanda, ex *cap. sanè, & cap. cùm ad quorundam, de excessibus Prælatorum, & Navar. in summ. cap.27 num.3. & Sylvest. ver. excomm. num.1. cas.1.*

5. Et hoc ideò; quia exemptio Religionis est notoria Populo, & Ordinariis Locorum, *cap. ex parte 1. de Privil.* unde liquido infertur, quòd si Episcopi velint aliquo modo, vel de facto tentent procedere in judicio, vel extrà, contrà Regulares, aut contrà res Monasterii, in quavis causa civili, vel spirituali, processus, sententiæ, & inde sequuta, sunt nulla, & irrita, ut dictum est, & hoc est defectu jurisdictionis, *Rodriquez to.2. quæst.63. art.6. & quæst. 58. ar.5.*

6. Ex quibus collige, non posse Episcopum aliis pœnis procedere in Regulares, nisi ex speciali commissione Sedis Apostolicæ.

7. His tamen non obstantibus, tenentur Regulares revereri, & honorare Dominum Episcopum; quia exemptus à jurisdictione, non est exemptus à jure reverentiali, prout *Lezana 1.p.cap.11.num.3.* de quibus vide *Sanchez de matrim. lib.3. disput.33.nu.23. & ad decal. lib.6. cap.1. num.14. Portell. ver. Episcopus, num.5. & Rodriquez tom.2. quæst.63. ar.7.* cum suo *compendio, resolut.50. num.61.*

Quæst. 24. Excommunicatio lata per Episcopum contrà Regulares, dictis Privilegiis ignoratis, an valeat?

1. NEgativè *Syl. ver. exemptio, q.8. num.9. & Richard. in 4. sent. distinct.18.* si hujusmodi Regulares ante sententiam, in suam defensionem allegant Privilegium exemptionis, & per eos non stetit, illud ostenderet si verò illud non allegant, nec excommunicatio tenet, si ipsum Privilegium est publicatum, si verò non sit publicatum, nec quidem valet excommunicatio, si Privilegium sit notum Judici, argum. *cap. si duobus, de appellat.* adjuncta *Glossa*, si autem non erat notum Judici, nec publicatum, nec Privilegiatus fuit in longo libertatis tenore; tunc sententia tenet, argum. *d.c. si duobus, quod intelligo* (inquit ipse) *nisi in Privilegio esset clausula irritans; quia tunc non valeret sententia.*

2. *Si verò Privilegiarius allegat Privilegium non publicatum, nec Judici notum, nec fuit in longo tenore libertatis illius, & Judici petenti Privilegium sibi ostendi, non vult illud ostendere, nec clausulam continentem suam libertatem, tenebit sententia, si feratur contrà eum, ex cap. cùm persona, de Privil. in 6. nec propter ostensionem Privilegii subsequentem, judicabitur, sententiam esse nullam, vel revocandam,* hæc ille.

3. Exinde benè infertur, Episcopum non posse excommunicare Mendicantes; ex quo eorum exemptio est publica, & notoria, ideoque licet Episcopus ignoret hujus exemptionis Privilegium, adhuc ejus censura lata contrà hujusmodi, esset ipso jure nulla, & sine effectu, & in nullo foro servanda; ut docet post multos *Didacus Covar. in cap. alma mater* 10. §.7 *nu.5. Panor. in cap. gravi, de offic. ordin. num.3. & Natta consil.257. num.7.* & dixi immediatè suprà, & constat ex præcitato *Privilegio Martini V.* Minoribus concesso; ibi *quòd Ordinarii, & Prælati alii, sive quævis alia persona generaliter, vel specialiter, aut communiter, aut divisim non possunt quavis auctoritate, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare*, hæc ibi, & habetur in *libro* attitulato, *Monumenta trium Ordinum, & in supplemento*, sub nomine *Eugenii, fol.80 concess.240.* quibus in verbis adverte ly, *non possunt*, quia ex defectu potestatis, censura redditur nulla, nisi in casibus à jure Episcopo permissis.

Quæst. 25. Regulares, ad hoc, ut excommunicentur, an sit necessarium, quòd nominatim exprimantur?

1. AFfirmativè dic; quia ultrà concessa Minoribus à *Martino Papa V.* ita *Nicolaus V.* declaravit, noluitque, *Fratres ligari aliqua censura excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, juris, & hominis; nisi nominatim fiat mentio de illis, nec sufficit, si dicatur in sententia generaliter, ut proinde valeat, ac si essent expressè nominati, &c.*

Quæ declaratio habetur in *Bibliotheca Vaticana*, ut dicitur in *Compend. Societ. Jesu ver. excom.* & refert *Rodr. tom.2.q.59.ar.5.*

2. *Clemens* autem *IV.* concessit Fratribus Minoribus, ne ab aliquo Legato, nisi de Latere Sedis Apostolicæ misso, vel Delegato, aut subdelegato, authoritate litterarum Sedis prædictæ, possint excommunicari, suspendi, & interdici: nisi litteræ ipsæ, plenam, & expressam de ordine præfato, & indulto hujusmodi, facerent mentionem; & habetur in *d. lib. Monumenta ordinum fol.29.* in 1. editio, & in secunda *fol.26. concess.23.* & per extensum ponit *Rodr.* in suo *Bullario, pag.79. & 124.* ubi ait, Cardinalem Legatum id pariter posse facere; quia isti regulariter semper sunt à Latere.

3. Hinc collige, quòd licet Regulares possint excommunicari à Legatis de Latere; non ideò comprehenduntur sub excommunicatione in communi fulminata, sed specialiter in illa debent esse nominati, *Rodr. tom.2.q.59. ar.5. in fin.* & in facti contingentia, ita esse practicatum, testatur *Novar.* in sua *Luc. Regul. ver. excomm. num.8. & Sanchez lib.6. Opuscul. Moral. cap.9. dub.1. num.19.*

4. Secundo collige, statuta, leges, ut censuras Synodales, & Provinciales Episcoporum, non obligare Regulares: nisi ex quadam decentia, aut ratione scandali evitandi, vel ex vi directiva, &c, ut se conforment cum aliis, *Suarez de leg. lib.4. cap.2. num.11. Michael Zanardus* in suo *directorio Theol p.2. præcep.4. c.12. in fin. & Diana*, multis citatis *1.p. tract.10. de legib. resol.11.*

5. Perinde, suspensio lata in Synodo Episcopali, contrà Confessarios non observantes quosdam ritus in confessionibus audiendis, utpota, si toties non accedant ad lectionem casuum conscientiæ, non comprehendit Regulares; quia, ut dictum est, sunt exempti, & per particulare Privilegium nequeunt censurari, *Fagundez lib.1. in princ. præcept. Eccles. cap.7 num.10. in fin. & Alphonsus de Leon. de potestate confess. p.2. recollect.1. num.241. pag.* mihi 53. *& de censuris, recollect.2. num.470. fol.130. col.2.*

6. Nec dices, quòd Confessarius Regularis, si non obedit ex casu rationabili, amovetur ab audientia Confessionum Sacramentalium; quia responderi posset ex *d. cap. ut animarum de Constit. in 6. & cap. à nobis, il primo, de sent. excomm.* quòd statutum, & Constitutio Episcopi non obligat, nisi sibi subditos: Regulares autem, ut dixi, non sunt subditi, ergò non tenentur obedire, nisi habeant curam animarum, vel his dumtaxat, quæ specialiter sunt commissa Episcopis à Domino Papa, ut in *Conc. Trid.* Meliùs tamen esset Episcopo obedire, & illi morem gerere, sic decet bonos Religiosos.

7. Hinc, *Duardus lib.1. Bulla Cœnæ, can.1. q.3. num.23. & Alphons. de Leone de off. confess. p.1. recol.5. num.34. pag.103.* dicunt, quòd hujusmodi suspensio lata in Synodo contrà Confessarios, respectu Regularium, non habentiũ curam animarum, non est propriè suspensio, nec censura,

fed tantùm approbationis ad arbitrium Ordinarii, ex causâ revocatio, unde etsi peccent contraveniendo dictis statutis, & maneant suspensi ab audientia Confessionum; non incurrunt tamen in irregularitatem, si divinis administrent, licet alii contrarium dicant.

Quest. 26. Episcopus an possit declarare, Regulares exemptos incidisse in excommunicationem inflictam à jure, vel Apostol. Constitut. ad hoc, ut evitentur?

1. QUaranta *in sum. Bull. ver. Monasteria Monialium, vers. hic tangenda veniunt, fol.* 350. *Marc. Anton. Genuens.* in sua *praxi Archiep. Neap. cap.* 59. in 2. editio. *num.* 1. *Ricc.* 1. *p. prax. decis.* 654. in 1. editio. *num.* 3. *& in* 2. *p. d. prax. resol.* 210. *num.* 4. *Ciarlinus controver. for. cap.* 50. *nu.* 208. *Confect. in collect. Privil. ordin. Mend. num.* 73. *tit.* 5. *cap.* 2. *Barbosa allegat.* 105. *in casu* 35. *num.* 73. *& in collect. ad cap.* 14. *sess.* 25. *Conc. Trid. de Regul. num.* 11. licet utrobique loquatur de notoriis, *Rodr. tom.* 2. *q.* 63. *ar.* 1. ubi item loquitur de notoriis, *Merolla,* multis citatis *tom.* 3. *Privil. disput.* 7. *de jurisdict. Episc. cap.* 5. *dub.* 9. *in casu* 32. *num* 175. *Joann. Maria Novar.* in sua *luc. Regul. ver. excommunicare, num.* 6. *in fin. Bordonus resolut.* 7. *q.* 7. & alii plures cum *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *q.* 7. *in casu* 29. *num.* 37. resolvunt affirmativè quæsitum; & ratio eorum potest esse multiplex; & primò, authoritas tot Priscorum, & Gravissimorum *Doctorum*, secundò; quia ita habetur expresse in *Clem.* 1. *de Privil.* ubi Episcopus denunciat excommunicatos Regulares, tertiò; *textus cap. cura sit, caus.* 11. *q.* 3. ubi *Honorius* Papa mandat omnibus Episcopis, ut excommunicatos vicinis Episcopis indicent, quartò, *cap. fin. de Regul.* ubi dicitur, quòd Prælati Regulares excommunicent suos Fratres Apostatas, & Fugitivos, & tales illos denunciari faciant ab Episcopis, quintò; quia qui potest excommunicare, potest etiam denunciare talem à se excommunicatum; quia concesso principali, censetur concessum accessoriũ; sed Episcopus, in casibus sibi subjectis potest excommunicare Regulares contumaces: ergò, & illos tales denunciare, sextò; quia judicium, ubi fuit inceptum, ibi finiendum est, *l. ubi cœptum, l. si quis postea, ff. de judiciis, & ibi Glos. ver. præventus, cap. proposuisti* 19. *de foro compet.* sed in casu nostro judicium terminatur cum denunciatione, ergò possunt denunciare tales, à quo fuerunt excommunicati, septimò; quia Episcopus denunciando nihil novi facit; declaratio enim nihil novi inducit, *l. hæredes palam, ff. de testam.*

2. Nihilominùs, negativam sententiam tenent Sapientissimus *Navar.* 2. *p. de sent. excom. consil.* 3. in 1. editio. *Rodr. tom.* 2. *q.* 63. *ar.* 7. *ver. ex quibus infertur primò,* cum suo *compendio, resolut.* 62. *de excom. num.* 8. *Portellus ver. Episcopus, num.* 9. *Jacob. Graffius decis. aur. p.* 1. *lib.* 2. *de explicat. Canonis, cap.* 49. *num.* 68. *& sequent. Sorbus Capuccinus in annot. ad Comp. Cæsarub. ver. exemptio, Peyr. tom.* 1. *Privil. Constit.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *num.* 13. *&* 14. ubi cum limitatione procedit, ut infrà dico, *Thomas Zerola in praxi Episcoporum p.* 1. *ver. excommunicatio, de excommunicationis causa materiali in fin. Antonin. Diana p.* 3. *tract.* 2. *de dub. Regul. resol.* 35. ubi latè de opinione contraria, *Marcell. Vulpes* in sua *praxi fori Eccles. cap.* 42. *n.* 25. ubi existimat hanc opinionem de jure veriorem, & in conscientia tutiorem, *Lezana* 1. *p. summ. cap.* 11. *num.* 15. & novissimè *Alphonsus de Leone tract. de cens. recoll.* 2. *num.* 491. *& sequent. pag.* mihi 134.

3. Et hoc ideò, tum quia non potest quis denunciari excommunicatus: nisi priùs citetur, & declaretur in illam incidisse; hæc autem declaratio, & citatio nequit fieri ab Episcopo; etenim est actus jurisdictionis, quam nullatenus habet in Regulares, quandoquidem hi sunt exempti, nedum ratione Loci Monasterii, verùm etiam, & respectu personarum, ac rerum, ubicunque existentium, etiam in loco non exempto: tum etiam; quia ex *cap. ut animarum* 2. *de Constitut. in* 6. *& cap. à nobis, il primo de sent. excom.* Episcopus non nisi subditos potest excommunicare, & *Martinus V.* voluit, excommunicatos non posse denunciari; nisi à suo Judice competenti; juxtà *extravag. ad evitanda,* quam etiam per extensionem refert *Navar. in sum. cap.* 27. *num.* 35. Episcopus autem respectu exemptorum non est Judex competens: nisi in quibusdam à Papa sibi delegatis.

4. Hinc, si Regularis exemptus percutiat Clericum Regularem extrà Claustra, loci Ordinarius non potest ipsum denunciare excommunicatum, sed illum poterit punire mediatè, juxtà dispositionem *Concil. Trident. cap.* 14. *sess.* 25. *de Regul. Rodriq.* cum suo *comp. & Portell. cit. lo.*

5. Nec nocent rationes in contrarium adductæ, non quidem prima; tum quia in his opinionibus non attenditur numerus *Doctorum*, sed rationes quibus inhærent; tum etiam; quia hi DD. non uno ore loquuntur; nam quidam de notoriis, secùs in non notoriis, quidam in limitatis casibus, in quibus id Episcopis specialiter permittitur, ut notat *Peyr. ubi suprà*, quidam verò absolutè, quidã loquuntur de exemptis, qui delinquunt in loco non exempto, prout *Joan. Andr. in d. cap.* 1. *de Privil. in* 6. *& Francus in cap.* 2. *de Constit. in* 6. quod fallit in Mendicantibus, qui sunt exempti ratione delicti, etiam in loco non exempto; quia hæc exemptio convenit personis, & inhæret eorum ossibus, ad quod facit *tex. in Clem.* 2. §. *final. ver. sibi subjectos, de pœnis,* & notat *Graff. ubi suprà.*

6. Nec item nocet *d. Clem.* 1. *de Privilegiis* quia loquitur specialiter, nempè de Religiosis, qui audent, sine licentia absolvere publicè excommunicatos, matrimonia solemnizare, Sacramentum extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ Laicis administrare.

7. Nec facit ad rem nostram *textus d. c. cura*; quia aliud est, indicere nomina excommunicatorum, & aliud est, excommunicare, hoc enim debet antecedere, ad hoc, ut excommunicatorum nomina publicentur.

8. Nec textus *cap. final. de Regul.* quia *ibidem* dicitur, ut Prælati Regulares excommunicent Subditos Apostatas, & ita faciant denunciari per Prælatos Locorum, nempè, implorando brachium eorundem, ut sint contenti, illorum Cedulones in suis Diœcesibus affigi, & publicari.

9. Nec obstat objectio *Felini in cap. non potest, de re judic. num.* 3. qua dicit, qui potest excommunicare, potest etiam denunciare excommunicatum esse, per illam Regulam, quòd concesso principali, censetur esse concessum accessorium; quia præsupponit, Episcopum posse excommunicare Regulares in casibus sibi subjectos, & hoc est, quod quæritur; & de eo sunt opiniones in contrarium, nimis probabiles, ut dictum est suprà: nec reperitur textus Canonicus expressus, aut aliqua Constitutio Summi Pontificis, tribuens Episcopo facultatem excommunicandi Regulares in omnibus, in quibus ipsi subjiciuntur: tunc enim valeret illatio, qui potest excommunicare, multò facilius poterit excommunicatum denunciare, ut evitetur: verùm hoc deficit in casu nostro, in quo tantum per argumentum, quidam deducunt, docentes opinionem contrariam, quòd non sufficit ad derogandum tot Privilegiis exemptorum; opinio enim non potest derogare Privilegiis manifestis, ut docet *Suar. de legib. lib.* 8. *c.* 38. *num.* 3. *Bonac. eod. tit. disput.* 1. *q.* 3. *pun.* 8. §. *un.* 14. *& Tambur. to.* 1. *de jur. Abbat. disput.* 16. *q.* 10. *num.* 3.

10. Nec officit dicere, quòd judicium ubi est inceptũ, ibidem sit finiendum, tum quia Episcopus in Regulares exemptos non potest formare processum informativum; & multò minus decisivum, cùm sit Judex omninò incompetens; unde ejus acta, processus, sententiæ, & omnia attentata, ex decisione Domini Papæ, sunt nulla, & irrita; tum etiam, quia licet Episcopus in quibusdam specialibus

cialibus habeat potestatem delegatam à Summo Pontifice, compellendi Regulares, non tamen in omnibus sibi delegatis habet potestatem cogendi per censuras, sed tantùm in iis, in quibus reperitur declaratum; arguere ergo ab amplo ad strictum, fit fallacia consequentis: non valet, potest cogere, ergò potest per censuras; quia coactio aliter fieri potest, nempè, per detentionem in Monasterio, per incarcerationem, vel similia, ut dictum est.

11. Nec tandem obstat *d. textus l. heredes*, ubi disponitur, quòd qui declarat, nihil novi facit; quia hoc est verum, & procedit, quando fit à Judice competenti, qui non est Episcopus in casu posito, in praxi prima opinio servatur ex dispositione textus, in Clementin. Unica de privilegiis.

Quæst. 27. An decisio prædicta juxtà secundam opinionem, extendatur ad casus notorios?

1. NEgativè *Rodr. tom. 2. q. 63. ar. 11. Barbosa, & Tambur. ubi suprà*, quod etiam amplectitur *Sanchez lib. 6. opusc. moral. cap. 9. dub. 1.* & extendit ad delictum, intrà Claustra commissum, eò, quòd in notoriis non requiratur cognitio judicialis; nec etiam sit necessaria citatio; perinde cessat ratio decisionis prædictæ.

2. Tu autem dic affirmativè, quòd Episcopus, nec in notoriis poterit Regularem exemptum, excommunicatum declarare; quia etiam in notoriis requiritur citatio, & declaratio; prout benè dixit *Genuensis in d. praxi, cap. 24. num. 16. in principio, Alphons. Villaut.* in sua *practica Canonica, lib. 3. tract. de modo procedendi in notor. cap. unic. conclus. 4.* & probat praxis Curiarum utriusque Fori, & ostendit ex multis *Cespedes de exempt. cap. 18. dub. 295. nu. 4.* & egomet latè dico infrà, proinde non licet replicare.

Quæst. 28. Regulares excommunicati, vel tales denunciati ab Episcopis, an possint absolvi à suis Prælatis intra septa?

1. ARmilla in *sum. ver. exemptio, num. 6. Abbas in cap. significasti, de for. compet. num. 11. Præfectus in prax. Episcop. par. 2. cap. 3. de visit. Regul. ver. ad extremum ponendum, & Peyr. tom. 1. Privil. Constit. 2. Sixti IV. §. 10. nu. 13. in fin.* dicunt, quòd debent absolvi à suis Prælatis, non autem ab Episcopis; quia non sunt eis subditi; etenim unusquisque est absolvendus à suo legitimo Superiore.

2. Nihilominùs, pressius est loquendum, aut enim loquimur in foro conscientiæ, & sine præjudicio tertii, & sic potest procedere dicta opinio, aut loquimur de foro externo, & contentioso, & sic est absolvendus ab Episcopo excommunicante, vel ab ejus Superiore; nempè Archiepiscopo, Delegato Sanctæ Sedis, aut à Romano Pótifice, causa tamen cognita, & parte satisfacta; etenim excommunicatus nominatim in foro fori, non debet absolvi, nisi ab excommunicante: aliter magnum præjudicium fieret Episcopo, ad quem spectat terminatio causæ, quæ etiam in absolutione juridica consistit, prout, multis citatis dicit *Bordon. resolut. 3. q. 7.* aut tandem loquimur de excommunicato à jure, & ab Episcopo denunciato, incidisse in excommunicationem Papalem, quæ si Domino Papæ sit reservata, à nemine potest absolvi: nisi à Romano Pontifice, & parte satisfacta, ut plenius intrà dicemus.

Quæst. 29. Regulares lacerantes Cedulones, an incidant in excommunicationem ibi appositam?

1. ILlustrissimi Episcopi in Cedulonibus affigendis jubent apponi illa verba in calce eorumdem. *Amovantes, Lacerantes, aut quomodolibet Deturpantes sint ipso facto excommunicati*, quos quidam Regularis laceravit, ac deturpavit, unde quæsitum est, an incurrerit excommunicationem prædictam?

Ad quod fuit responsum negativè; quia illa excommunicatio fuit lata per verba generalia, Regulares autem non comprehenduntur in Constitutione odiosa, lata per verba generalia: nisi in specie exprimantur, ut dictum est hîc suprà.

2. Sed potest hujusmodi Regularis ab illo puniri, uti turbator, & offensor ejus jurisdictionis; prout notant *Doctores in cap. 1. de off. delegati*, & docent *Ciarlinus cap. 48. num. 8. & Alphon. de Leon. de censuris, recoll. 2. nu. 475. pag. 130. col. 2.*

3. Nec obest, quòd sit persona exempta, publica, vel in dignitate constituta, *Farinac.* post multos in *praxi crim. q. 114. num. 64. & Bellectus in dispositition. Clerical par. 1. tit. de favore Clericorum reali, §. 5. num. 25.*

4. Immò potest, uti suspectus de hæresi ab Inquisitore interrogari, quid sentiat de potestate Prælatorum, ac censuris Ecclesiæ, *Pegna in com. 24. 3. p. direct. inquisit.* & eò magis, si dicat in contemptum censurarum, *che scommunicat che scomunica? Genuens.* in sua *praxi cap. 8. nu. 6.*

5. Sed pone, quòd Episcopus in dictis verbis id exprimat, an ligat Regulares? & dic, quòd sic; quia turbantes jurisdictionem Episcopi possunt puniri etiam per censuras, ut docent *DD. in d. cap. 1. de off. delegati.* & allegat *Farinac. d. prax. crim. q. 114. nu. 67. & cons. 114.*

6. Proinde, Regulares impedientes Episcopum, ne utatur suis Insigniis & vestibus, possunt excommunicari, & colligitur ex *cap. si quis distinct. 94.* & ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 3.* ubi censuræ dari permittuntur, ob causam arduam; causa autem honoris est nimis ardua, *vulgatis juribus.*

Quæst. 30. Episcopus, an possit acceptare querelam factam ab aliquo Regulari, contra alium Regularem?

1. DOctissimus *Bordonus* in facti contingentia *resol. 7. q. 43. nu. 121.* respondet negativè; tum quia Religiosus non habet jus quærelandi, sed ejus Prælatus; tum etiam; quia Episcopus nullatenus potest punire Religiosum delinquentem extrà Claustra notoriè, & scandalosè; nisi in defectum Prælati negligentis punire.

2. Immò hi, qui recurrunt ad Superiores non suos, sunt valdè punibiles à Prælatis suæ Religionis, ex *Bulla Pii V.* quæ incipit, *etsi Mendicantium, §. 20.* ibi, *Fratres quoque si contigerit, eos ad hujusmodi Ordinarios recursum habere à præfatis Generalibus, Ministris, seu Provincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis Superioribus castigari, & puniri posse, & debere, neque ipsos Ordinarios præfatis Superioribus Ordinum hujusmodi, circà delictorum inquisitionem, vel castigationem facere posse decernimus: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis.* hæc ibi.

3. Nec non censentur excommunicati ipso facto: tam recurrentes, quàm Judices appellati, *Sot. lib. 5. de just. q. 6. art. 3.* & alii plures, quos allegat *Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 20. conclus. 3.* & constat ex *Constitutione Bonifacii IX.* quam refert *Confect. in comp. Privil. Mendicantium in Bonifacio, fol. 21.* quæ incipit, *Sacra Religionis, & Leon. X.* quam refert idem *Confectius in Leone, fol. 120.* & incipit *Rom. Pontifices*, de qua dixi in *tract. de appellationibus*, ubi nota, quòd *Bulla Gregorii* loquitur de recurrentibus ad Tribunal laicum, & in odiosis non fit extensio.

Quaest. 31. Episcopus in causis spectantibus ad Sanctam fidem, an possit procedere contra Regulares exemptos?

1. Affirmativè dic; quia Regulares in causa hæresis subduntur Episcopo; ut probat *textus in cap. ad abolendam, § fin. de haeret. & in cap. ut officii, § denique eod. tit. in 6.* & notat, post multos *Barbos. 3. p. de potestate Episcopi allegat.* 105. *nu.* 56. & quamvis prædicti *textus* loquantur de Inquisitoribus; tamen nomine Inquisitorum venit Episcopus Ordinarius loci; immò ipsi Episcopi de jure censentur Inquisitores hæreticæ pravitatis, ut notat *Rodr. tom.* 1. *q.* 20. *ar.* 10.

2. Verùm; quia multi Ordines Religiosorum, ex privilegio non poterant de hæresi inquiri; nisi ab eorum Superioribus, *Pius IV.* sub anno 1562. sua *Constit.* incip. *Pastoris aeterni* 51. inter *Bullas* ejusdem, *tom.* 2. *Bull. Cherub. fol.* 661. voluit, statuitque, Inquisitores contrà quoscunque Religiosos debere procedere: dummodò per illorum Superiores non fuerit præventum, ut in §. 2. & ita solùm judicari debere, §. 3.

3. Nihilominùs; quia causa fidei in Tribunalibus Sanctissimæ Inquisitionis magis juridicè, & secretè geritur, & ob quotidianam experientiam, diligentiùs, ac cautiùs fabricantur processus, ut notat *Pegna in direct. inquisit. p.* 3. *comment.* 77. *ver. justissimè.*

Paulus V. sub anno 1606. sua *Const.* incip. *Rom. Pontifex* 26. inter *Bullas* ejusdem, *to.* 3. *Bullarii Cherub. pag.* 210. quascunque facultates, cujuscunque ordinis Prælatorum, cognoscendi Regularium causas, ad officium Sanctissimæ Inquisitionis spectantes, revocavit, & eas Ordinariis denunciari mandavit, & pendentes coram dictis Superioribus, ad Inquisitores, & Ordinarios remisit, & omnia acta ad eosdem transmitti jussit, & contravenientibus pœnas imposuit.

4. Quapropter; hodiè Superiores Regulares, in causis fidei, nullo modo possunt se intromittere. Benè verum est, quòd si aliquis Generalis, vel Magister Ordinis, de hæresi haberetur suspectus, privati Inquisitores non debent de facili procedere: sed si videbitur eis, rem Inquisitoribus Generalibus denunciare, qui causa cognita, optimè decernent, quid facto sit opus; etenim causæ omnes graviores, etiam hæresis, contra Prælatos, & Episcopos Sedi Apostolicæ reservantur, ex *cap.* 5. *Conc. Trid. sess.* 24. *de refor.* & notat *Pegna in d. comment.* 77. *in fine*, cui favet *Rodr. tom.* 2. *q.* 81. *ar.* 1. cum suo *comp. resol.* 73. *nu.* 1. *de haeresi.*

Quaest. 32. Episcopus, an possit sub censuris vetare Mendicantibus, ne ostiatim quaerant in sua Diaecesi?

1. Respondeo ob multa negativè; tum quia verè egentes, & inopes, non ficti, qui nequeunt se opere, & labore sustentare, de jure communi Civili, & Canonico, Naturali, & Divino possunt mendicare, sibique escam quærere, absque ulla differentia, sive sint Cives, sive advenæ, tam intrà, quàm extrà patrios fines, per rationes, & jura, quæ ad hoc adducit noster *Sotus cap.* 4. & 5. in illo *libello*, quem transmisit ad Serenissimum *Philippum* Hispaniarum Regem, & *Caroli V.* Magni, & Invictissimi Imperatoris Primogenitum dignissimum. Ex quibus benè colligit, quod nemo, cujusque sit authoritatis, vel potestatis, inhibere potest, Pauperes è sedibus propriis mendicatum exire: Nisi Cives lege omninò compellat, ut non solùm, tanquàm ex misericordia, sed veluti ex debito, Pauperes pascant, cæteraque eis necessaria administrent; Secùs cogeret miseros extrema pati: Immo, estò; quòd Summus Pontifex tulerit legem, ut quilibet Episcopus sub gravi pœna suos aleret Pauperes, Cives tamen non omninò providerent egentes; tunc edicto liberi essent, possentque, quocunque vellent, mendicatum abire. Nam quomodò lex potest miseros prohibere patriam exire, si id nec crimen, nec culpa est? aut quomodò culpa esse potest, si non sibi ministrantur necessaria?

2. Hæc omnia extende ad Regulares, & maximè ad Mendicantes, qui nec habent, nec possunt proprium habere, sine labe peccati; ergo sine mendicitate quomodò vivent? & quomodò habebunt victui necessaria? nisi huc veniant, vel illuc vadant? *Cap. quiescant* 42. *distinct.* & *cap.* 1. § *de Relig. Domib. in* 6.

3. Tum etiam; quia dicere, quòd sunt Mendicantes, & quòd non possunt mendicare, implicat in adjecto, & sese evertit, contrà *l. ubi repugnantia, ff. de regul. jur.* prout latè *Navar. cons.* 79. *de regul.* in 1. editione.

4. Amplia, ut secùs dicere, sit error Hæreticorum adversus quos latè ac eruditè invehit *D. Thom. in opuscul.* 17. *contrà retrahentes homines ab ingressu Religionis, cap.* 15. ubi multa de Paupertate Christi, & 2. 2. *q.* 187. *art.* 3. & *in Cajet.* quibus subscribit *Sanchez lib.* 7. *decal. cap.* 24. *nu.* 1. & 2.

5. Tum item; quia ita sanxerunt Summi Pontifices, etenim *Sixtus Papa IV.* sua *Const.* incip. *Sacri Praedicatorum, & Minorum Fratrum Ordines*, quæ aliter dicitur, *Bulla Aurea*, & per extensum habetur in nostro *Bull. pag.* mihi 164. ibi, *praetereà; quia, ut intelleximus, &c.* inhibet Ordinariis hæc prædicta.

6. *Leo Papa X.* sua *Constit.* quæ incipit, *exponi nobis fecerunt*, quam habes in dicto *Bullar. pag.* 182. id, quod dicebamus, ultrà alia gravamina, prohibuit nobis fieri per Ordinarios in *lit. D.* & confirmavit *Bullas Sixti IV.* & concessit, ut contrà inobedientes possint procedere Ecclesiarum Prælati, usque ad invocationem brachii sæcularis, ut item habetur in *supplemento ordinum, fol.* 147. *conclus.* 142. & notat *Rodriq. tom.* 2. *q.* 58. *ar.* 7. *in fin.*

7. Hoc ipsum idem *Sixtus Papa IV.* Concessit Carmelitis in *Bulla, Dum attenta*, quæ est *Mare magnum* d. Ordinis; & subjunxit, ibi, *quòd prohibentes, nobis fieri eleemosynas, sint ipso facto excommunicati, & quòd contrà tales possunt Rectores Ordinum Mendicantium, & Auditor Camerae Apostolicae, ac Inquisitores haereticae pravitatis, sicut contrà haereticos, procedere*; & refert per extensum *Rodr. tom.* 2. *q.* 58. & *Lezan. p.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. *in fin.*

8. Nec his obstat *cap.* 9. *sess.* 21. *Conc. Trid.* tum quia non potest præsumi, quòd *Tridentinum* velit præcipere contrà jus Naturale Divinum; tum etiam; quia *d. cap.* loquitur limitatè, hoc est, de quæstoribus, qui quærunt eleemosynas prædicando, vel publicando indulgentias eis, qui manus adjutrices porrexerint piis locis, quorum sunt quæstores, & pro quibus petunt; & colligitur ex *fine* prædicti *cap.* 9. quatenus prohibet, publicari indulgentias per quæstores, & permittit earum publicationem per Deputatos ad id ab Ordinariis, ut latè *Navar. in d. consil. num.* 6. cui inhæret *Rodr.* in cit. *loc.* cum suo *compen. resol.* 59 *de eleemosyna, num.* 5. & *tom.* 1. *sum.* in 2. editio. *cap.* 102. *num.* 4 & *Sanchez dict. lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 7.

9. Tum item; quia ita *Pius V.* declaravit in sua *Constit.* incip. *etsi Mendicantium*, lata sub anno 1567. tum item, quia ita sæpiùs Sacra Congregatio declaravit, quòd scilicet Fratres Mendicantes nullatenus à quæstuatione, quæ de licentia suorum Superiorum fit, & in dies fieri contingit, prohibeantur, & nuper sub anno 1621. ad dubium sibi propositum per Procuratores Ordinum Mendicantium, respondit tali modo.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trident. interpretum censuit, Fratres Ordinum Mendicantium, nequaquam posse ab Episcopis prohiberi, quominùs possint per se ipsos in Diœcesibus, ubi habent Conventus, Eleemosynas quaerere. sed tantùm si extrà loca, ubi Monasteria sunt, quaeritare voluerint, teneri suorum Superiorum licentiam Ordi-

Ordinario ostendere, R. Cardinal. Ubaldinus, Prosper Fagnanus Sacra Congregat. Secret. & reperitur Romæ impressa in Typographia Cam. Apostol. & refert per extensum *Peyr. 3. p. Privil. cap. 2. additam. ad Constit. Sixti IV. num. 41. & Barbosa 3. p. de potestate Episcopi, allegat. 109. num. 10.* qui est omninò legendus; quia multa colligit, ostendendo, quid possit Episcopus facere contra pravos eleemosynarum quæstores, & in *collect. Doctorum ad d. cap. 9. Conc. Trid. sess. 21. n. 4. & 5. Genuens. in praxi Archiepisc. Neap. c. 49. num. 11.*

10. Amplia primò, ut omnes Regulares, qui ex institutione, aut facultate Sedis Apostolicæ Eleemosynas quæritare, aut aliàs mendicare valent, non teneantur ab Ordinariis licentiam petere, quærendi Eleemosynas per Diœcesim, cùm in erectione Monasteriorum, saltem tacitè censeatur impartita, prout resolutum à Sac. Congregat. refert *Aldan. in Compend. Canon. resolut. lib. 3. tit. 8. num. 6. & Barbosa in d. cap. 9. num. 6.*

11. Amplia secundò, ut Regulares non possint prohiberi à petitione eleemosynarum, etiam in Terris excommunicatorum, per *Privilegium Jul. II. Const.* ejus 2. §. 8. & refert *Peyr.* in suo *Bullario.*

12. Amplia tertiò, ut nec possint prohiberi, colligere frumentum, vinum, & similia, etiam anteaquàm Rector Parochialis collegerit sibi debitas primitias, ut declaravit Sacra Congregat. ad instantiam Rectorum Bononiensis Diœcesis, & eam ponit *Peyr. in d.* suo *Bull. in Constit. 7. Pii V. §. 10. tom. 2. nu. 16.* ad *dub.* 13. eidem Sac. Congregat. propositum.

13. Amplia quartò, ut Regulares unius Conventus non possint impediri à quæstuatione ab aliis Regularibus alterius Conventus, quoquomodo sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, ex *Constit. Julii II.* & refert *Compendium privil. Minim. ver. elemosyna, nu. 9. & Rodr. in d. compendio.*

14. Amplia quintò, ut impedientes, etiam indirectè, oblationes fieri inter Missarum solemnia, in Ecclesiis Mendicantium sint excommunicati, excommunicatione Papæ reservata, per *Bullam Sixti V. & Bonif. IX.* & refert idem *Compend. cit. loc. ver. eleemosyna.*

15. Si tandem roges, an Episcopus loci Ordinarius possit impedire Mendicantes, quærentes eleemosynas superfluas?

Marc. Anton. Genuensis ubi suprà, num. 11. & Barbosa in d. allegat. 109. num. 9. dicunt, quod in facti contingentia, cùm Vicarius Generalis Neapolit. quendam Regularium impedisset, ac incarcerasset, ex quo quærebat immoderatas eleemosynas, & in ejus Conventu essent pauci Fratres, nempè unus, aut vix duo, & sic auferebat verè indigentibus.

Sacra Congregatio respondit, ut faceret cum benignitate, non tamen ei prohibuit, & sequitur *Lauretus de Franchis in controver. inter Episcopos, & Regul. fol. 39.* Nihilominùs *Lezana* ait in *cap. præcit.* quod licet Mendicantes ita facientes, peccent, & ob id à suis Superioribus debeant coerceri; non videt tamen, qualiter competat Ordinariis judicare, an elemosynæ, quas petunt, sint, vel non sint superfluæ, cùm non sint Judices illorum. Et additur, quod secùs Episcopi, sub isto prætextu, possent ad libitum Mendicantes impedire, & sic idem per diversa. Sed servanda est supradicta responsio Sac. Congreg.

Quæst. 33. Episcopus, an incurrat in censuras appositas in Constitut. Papalibus, si ibidem expressè minimè nominetur?

1. Negativè deciditur in *cap. quia periculosum 4. de sent. excomm. in 6.* ibi, *& Episcopi, & alii Superiores Prælati nullius Constitutionis occasione, sententia, sivè mandati prædictam incurrant sententiam, nullatenus ipso jure: nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur:* & ratio esse potest, tum quia sublimes personæ, speciali notâ sunt dignæ, argum. *c. de multa, 28. de præbend.* tum etiam, quia majores & graviores, sub clausula generali non intelliguntur inclusi, *cap. Sedes 15. de rescriptis.*

2. Undè causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, (quod absit,) quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm Romano Pontifice cognoscuntur & terminantur, ex *Decreto Conc. Trid. sess. 24. cap. 5. de reformat.*

3. Quapropter etsi Generales, & Provinciales Ordinum possint ex multis privilegiis excommunicare Fugitivos Fratres, & eos retinentes quoscunque licet sint Ecclesiastici; non ob id poterunt excommunicare Episcopos; quia non comprehenduntur sub odiosa clausula generali, nec *ibidem* in specie nominantur. Nec nocet, si in aliqua Constitutione dicatur, quod sint ipso facto excommunicati, etiamsi excommunicari non possint per litteras non facientes expressam mentionem.

Quandoquidem hoc privilegium Episcopis concessum est valde notorium, ad quod derogandum non sufficit clausula universalis, sed debet esse particularis, & in specie expressa, ob prædicta.

4. Hinc *Pius V.* in sua *Bulla*, quæ incipit, *etsi Mendicantium ordines, in fin. §. 34.* hoc totum observavit, ibi, *aut si locorum Ordinariis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem*; hæc ibi.

Quæst. 34. An Episcopus possit immediatè punire Regulares, qui vivunt extrà Claustra?

1. Affirmativè deciditur in *cap. 3. Concil. Trid. sess. 6. de reformat.* ubi habentur hæc præcisa verba.

Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, & nemo sæcularis Clericus, cujusvis Personalis vel Regularis, extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu tutus censeatur; quominùs, si deliquerit ab Ordinario loci; tanquam super hoc à Sede Apostolica Delegato, secundùm Canonicas Sanctiones visitari, puniri & corrigi valeat.

2. Quod amplia primò, sive deliquerit notoriè, sive non notoriè, sive criminaliter, sive civiliter; quia *textus* loquitur universaliter & absolutè, *Bordon. resolut. 7. q. 16. Alphonsus de Leon. & Cespedes tract. de exemptione Regul. c. 16. dub. 244.* ubi tuetur partem negativam, & *Lezana cap. 16 tom. 1. num. 17.* qui citat *Mirand. in Manual. tom. 1. q. 51. & Navarr. comment. 3. de Regul. num. 50.*

3. Amplia secundò, totiès, quotiès fuerit etiam extrà visitationem, juxtà *cap. 4. sess. 6. de reformat.*

4. Amplia tertiò, ut item possit puniri à suis Prælatis Regularibus; quia prædictum *Decretum* non loquitur privativè quoad Regulares Prælatos, *Zanardus cit. loc.*

Quæst. 35. Si Regulares degant extra Claustra de licentia suorum Superiorum, an comprehendantur sub dicto Decreto Concilii Trid.?

1. Genuens. *in praxi, cap. 59. num. 2. Riccius 2. p. decis. Curiæ Archiep. Neap. decis. 276. Ciarlinus controvers. forens. cap. 48.* & alii plures respondent affirmativè: tum quia *Trid. in d. cap.* loquitur universaliter, ergò generaliter est intelligendum, ex *l. 1. ff. de legat. præstan.* tum etiam, quia est latè interpretandum, cùm tractet de restringenda exemptione in favorem Ordinariorum, juxtà tradita per *Felin. in cap. cùm omnes, de Constit.* tum item,

item, quia ita Sacra Congregatio Eminent. declaravit, & ita pluries fuit in Curia Archiep. Neapolit. decisum: unde universalis praxis inolevit, & ita apud omnes practicatur.

2. Nec licentia Superioris aliquid operatur; nisi ut Regularis ita degens extra septa, nequeat puniri, ut Apostata, vel ut Fugitivus.

3. *Peyr.* verò *tom.1. privil. in 2. Constit. Sixti IV.* §.11. *num.22.* ait, quod d. *Decretum Trid.* intelligitur solùm de Regularibus degentibus extra Monasterium, absque licentia Prælati, cui subscribit *Cespedes tract. de exempt. Regul. cap.16. dub.241. num.3.*

4. Tum quia Regularis dicitur esse in Monasterio, ubicunque reperiatur de licentia, aut jussu sui Superioris, *Panor. in cap. ex rescripto, de jure jur. num.5. Sylv. ver. Religio 3. q.19. ver. 2. inducitur Navar. com. 4. de Regul. num. 74. ver. adver. 3.* tùm etiam, quia justum & æquum non est, ut qui à suo Superiore, quotannis visitatur, & toties, quotiès opus fuerit punitur, ut puniatur ab alio, vel quod alii extraordinario Judici subdatur, aliter duplici contritione contereretur,

5. Nec dices, secùs fuisse à Sacra Congregat. decisum, prout refert *Barbosa cap.14. Conc. Trid. sess.25. de Regul.* quia, vel hæc decisio non erit authentica, aut libri hoc referentes sunt suspensi, vel decisio debet intelligi de illis Regularibus, qui ad longum tempus degunt extrà, & habent ibi domicilium ex aliquo speciali Privilegio Papæ, & non subjiciuntur correctioni, & visitationi annuæ Prælatorum Regularium, *Peyr. to. 1. Privil. in d. 2. Constit. Sixti,* §.11. *num.22. in fine.*

6. Undè *Michael Zanardus* Dominicanus *par. 2. directorii de Episcopis, cap. 12.* cum magna pietate subjungit: *si verò Regularis extra Claustra vivat, poterit immediatè ab Episcopo corrigi & puniri, ut suprà sess. 6. cap. 3. de reformat. huic autem potestati si possem, libenter adderem, quod Episcopus simul cum Prælato Regularis delinquentis possit de pœna determinare, sed etiam cum magna instantia rogarem Congregationem Sacri Concilii, ut vellet jubere Episcopis, quod non liceat eis immediatè mittere Satellites, & Religiosos tam Sæculares, quàm Regulares ligare, & publicè omnibus videntibus ad carceres deducere; quia Deus scit, quàm grave scandalum inter videntes suboriatur, undè tot mala sequuntur; primò, quod illi Sæculares, qui potiùs illos Religiosos, ut Sanctos habebant, deinde impios judicent, quæ infamia etiam ad tot probatissimos Viros transit, ita ut non possit, nisi cum magno rubore in publicum procedere, secundò, ex hoc maxima desidia inter Episcopos, & Regulares nascuntur, ita ut difficilè sit multos cohibere, ne multa mala de Episcopis obloquantur, deducendo eos in contemptum Sæcularium,* hæc *ille.*

Quæst. 36. *An d. Decretum Conc. Trid. comprehendat Regulares, quos Superior Regularis ad Religionem reducere procurat, etiamsi degant extrà Claustra, absque licentia suorum Superiorum?*

1. BArbosa, *3. p. de off. & potest. Episcopi, allegat. 105. num.16. Campanil. in diversor. jur. can. rub.12. cap. 13. num.22.* & alii plures, quos allegat *Peyr. 3. p. privil.* seu in *addit. ad Constit. Sixti IV. cap. 2. num. 17.* respondent negativè; nam licet extrà obedientiam sint, cùm tamen procurent eos ad obedientiam reducere, signum est, quòd eos non deseruerunt, nec à sua jurisdictione ejecerunt; & quod ovem deperditam, & infirmam reducere, & sanare curant: undè tenentur tunc Episcopi Prælatos Regulares adjuvare, ad eos reducendos in suum ovile; *Prædictum Decretum meo videri (ait ipse) intelligitur solùm de iis Regularibus, qui extrà Claustra vivunt, absque licentia Prælatorum, & quos Prælati tanquàm infectas oves, ne aliàs inficerent, expulerunt, & de quibus non habentes spem emendationis, nec curant, nec volunt ad Religionem reducere, qui, cùm non sit justum, ut sine Prælato vivant, subduntur Episcopis,* hæc *ille.*

2. Veruntamen fallitur *Peyr.* quia *d. Decretum Concilii Trid.* non intelligitur de ejectis, & expulsis duntaxat, ut ipse pensat, sed de omnibus extrà manentibus, quomodocunque sive sint Apostatæ, sivè translati, vel cum obedientia Superioris ad servitium Episcopi destinati, vel Parochiis addicti, vel aliàs in sæculo stantes, si delinquant, ut patet ex tot *Decretis* Sacræ Congregat. super id adhibitis, nec ejus ratio convincit; quia nos non loquimur de reducendo illos ad Caulam sui Ordinis, sed de puniendo & corrigendo crimina, per eos extrà Religionem patrata; nec nocet, quod adhuc subsint jurisdictioni Superiorum Regularium; quia non ob id tollitur potestas Episcopo, quin valeat eorum peccata punire; quia stare potest, quod Religiosus simul subdatur duobus Superioribus, ut concesserat in casu nostro *Paulus IV.* & liquet in iis Religiosis qui sunt Parochi; hi enim subduntur Episcopo loci, quò ad curam animarum, & suo Religioso Prælato, quoad reliqua, & potest ab utroque cognisci & puniri.

Quæst. 37. *An Episcopus solus puniat, & corrigat Regulares degentes extra Claustra, an etiam & Prælatus Regularis possit illos punire?*

1. ZAnardus, *& Bordonus resolut. 7. q. 16. num. 61.* inquiunt, quod hujusmodi Regulares degentes extra Claustra possunt puniri tam à suis propriis Prælatis, quàm ab Episcopis locorum, tam conjunctim, quàm divisim, ex quo *Decretum d. cap.3. sess.6. Trid.* loquitur indefinitè, & non privativè, quoad Regulares Prælatos, sed potiùs accumulativè, quibus favet *Wamesius tom. 2. cons. 465.* ibi, *immò etiam si Episcopo permissa sit visitatio, correctio, & punitio in Religiosum extra suum Monasterium degentem, id tamen non eripit, neque adimit Prælato ejusdem faciendi potestatem, cùm nihil vetet, quin in ea re Episcopum prævenire possit, per cap. ad nostram, de statu Monach. cap. reprehensibilis, de appellat. latissimè Cardinalis Zabarella consil. 5. ita quod per d. 3. cap. sess. 6. Concilii Trid. accumulativè Episcopo adjiciatur ista potestas, non privativè respectu proprii Abbatis, seu Prælati, cui per d. conciliare Decretum non est adempta superioritas, & jurisdictio in suum Monachum, quamdiu manet, & habetur ejus obedientiarius, cap. quantò, &c.* hæc *ille.*

2. Nec his nocet decisio Rotæ Romanæ, quam affert. *Farin. 1. p. decis. 15.* quia loquitur, ut *ibi* latè patet, de Regularibus non exemptis, & à diversis non sit illatio.

Quæst. 38. *Regulares, de licentia Superioris degentes in aliqua Domo Destinata ad erectionem Monasterii, an subdantur dicto Decreto cap. 3. sess. 6. Conc. Trid. de Reform.*

1. SAcra Congregatio sub die 14. Maii 1588. respondit affirmativè, proindè, si ibidem delinquant, possunt puniri ab Episcopo loci, juxtà *d. cap. 3. Trid.* Secùs autem, si in eadem Domo haberent Priorem, vel Guardianum, & viverent secundùm institutum Regulæ illius Religionis; quia sic viverent conventualiter sub Priore, & referunt *Piasecius in praxi Episcop. d. cap. 3. num. 42. p. 2. Barbosa 3. par. de officio, & potestate Episcopi, allegat. 105. num. 1. & in eod. cap. num. 2. & in collect. Doctorum ad d. cap. 3. Trid. num. 4. Aloysius Riccius 4. p. decis. 251. numer. 4.* ubi ex multis ponderat prædictam Declarationem Sac. Congregationis, ibi, *nisi in dicta domo sit Regularis observantia, ut saltem vivant sub Superiore conventualiter, Marcellus Vulpes* in sua *praxi fori Ecclesiastici, cap. 42. num. 21. Campanil.*

penul. in divers. jur. Can. cap. 13. sub num. 22. rubr. 12. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disputat. 15. q. 7. num. 7. ubi adducit Rota decis. 223. num. 5. & Novar. in luc. Regul. ver. delinquens, num. 1. & Novar. Canonic. 1. p. sum. Bull. de Reg. delinquentibus super Bulla Clem. VIII. num. 4. multis citatis.

Quaest. 39. Regulares, jussu Superioris stantes in aliqua Grancia, vel in aliquo Membro Monasterii, an comprehendantur sub d. Decreto Trid.?

1. Respondeo, quod Regularis degens in aliquo Membro, vel Grancia sui Monasterii de licentia sui Superioris, si ibidem delinquat, non est puniendus ab Episcopo loci, sed à suo Superiore, secundùm formam c. 14. sess. 25. Conc. Trid. de Regul. quod incipit, *Regularis non subditus*, & correspondet cap. 3. sess. 6. de reformat. tùm quia Superiores Regulares possunt illis dare licentiam manendi extrà Claustra, ut per multa ostendi suprà in tract. de Clausura, & habetur in cap. 4. Concilii Trid. sess. 25. de Regul. quod incipit, *prohibet Sancta Synodus*; tùm etiam; quia Granciæ & Loca annexa, habentur uti partes & membra Monasterii: quamobrem eodem jure censentur, & gaudent Privilegiis eorundem Monasteriorum, à quibus dependent, ex c. recolentes 3. de statu Monach. ubi Glos. in fine casus ait, *nota, quod qui simulem vitam ducunt, simili debent foro conveniri, vel Privilegio gaudere* & sequitur Aloys. Ricc. 4. part. Curiæ Archiep. Neap. decis. 231. num. 5. Barbosa in d. allegat. 105. nu. 17. & in coll. Doctorum ad cap. 3 sess. 6. de reformat num. 5. Novar. in luc. Regul. ver. delinquens, num. 11. & Bordonus resolut. 7. de exemp. q. 16. nu. 8. post plures, quos superiùs allegavi.

Quaest. 40. Regulares, qui causa prædicationis, vel confessionis, vel eleemosynæ, vel alicujus rei ad tempus & non permanenter, extrà Monasterium morantur; an comprehendantur sub d. Decreto Conc. Trid. sess. 7. cap. 14. de reform.

1. Negativè respondet Navar. in com. 2. de regul. num. 63. ibi, *Generalis differentia est inter Regulares exemptos degentes extrà Monasteria, & degentes infrà; nam hi super nullis causis possunt conveniri coràm Ordinariis; illi autem sic, super prædictis duobus generibus causarum*, hæc ille.

2. Sed præfati Religiosi, in casu posito non dicuntur degere extrà Monasterium, sed intrà: nam degere extrà Monasterium, idem est, quod extrà illud habere domicilium, & habitare permanenter ex speciali licentia, vel Privilegio, prout notat Rodri q. tom. 1. q. 65. ar. 13. § *pro cujus rei explicatione est notandum*, & tom. 2. q. 2 ar. 8 ver. *advertendum tamen pro prædict. explicatione*, Joan Crux de statu Relig. lib. 2. cap. 10. dub. 6. paululùm antè *secundam conclusionem*, Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in 2. Constit. Sixti IV. §. 21. num. 29. Aloys. Ricc. decis. Curiæ Archiepisc. Neap. decis. 231. num. 4. ubi expendit illud verbum, *extrà Monasterium*, & Lezana tom. 1. sum. cap. 11. num. 9. in fin. qui ajunt, tunc Religiosum existere extrà septa, quando vivit extrà obedientiam Prælati.

3. Proindè, Sacra Congregatio Eminent. Cardinal. consulta, an Regulares possint civiliter coràm Episcopo à creditoribus suis conveniri? sub die 19. Julii 1573. respondit, quod possint conveniri, si non sint sub Regulari observantia, at si sint sub Regulari observantia, non possunt conveniri coràm Episcopo; quia habent proprium Superiorem, & nihil habent cum iis commune Episcopi propter exemptionem, & refert per extensum Peyr. cit. loc. num. 30.

Quaest. 41. Regularis Parochus, jussu sui Superioris degens extra Monasterium in Domo Parœciæ, suo Monasterio unitæ, si delinquat, à quo est puniendus?

1. Cum distinctione resolve: aut iste Regularis commisit delictum concernens curam animarum, & Sacramentorum administrationem, & sic potest puniri ab Episcopo, secundùm formam Cap. 3. Trid sess. 6. de reformat. vel deliquit extrà officium, in eo scilicet, ad quod non fuit deputatus ab Episcopo, & sic debet puniri à suo Regulari Superiore; & ita esse à Sacr. Congregat. decisum, sub die 14. Februarii 1585. & 1601. testatur Aldanus in compen. Canon. resolut. lib. 1. tit. 6. num. 3. & Barbosa in d. collect. ad d. cap. 3. Trid. sess. de reform. num. 7. quod anteà pariter retulerat in cap. 14. sess. 7. de reform. num. 1. ubi ponit duas declarationes, alteram spectantem ad Regulares inservientes, de licentia suorum Superiorũ, beneficiis simplicibus, quæ si sint membra Monasterii, nequeunt visitari ab Illustrissimo Loci Ordinario.

Alteram pertinentem ad Canonicos Regulares, qui de consensu, vel mandato suorum Superiorum deserviunt aliquibus Parochialibus Ecclesiis, suis Monasteriis unitis, qui si ibidem extrà officium delinquant, non possunt ab Episcopo puniri.

2. Hæc ferè eadem refert Eminent. Bellarminus in d. cap. 14. sess. 7. de refor. ver. declarat. Cardinal. vers. item, *si Regulares delinquant extrà Claustra, &c.*

Et habetur expressè in Constit. Gregor. XV. quæ incipit, *inscrutabili Dei providentia*, in §. 9. ibi *Episcopus possit toties, & quando opus fuerit, etiam extrà visitationem contra delinquentes in tali cura, &c.*

3. Secùs igitur de iis, quæ non spectant ad curam, Ricc. 1. p. praxis, decis. 736. in 1. editio, & Peyr. 1. p. Privil. in 2. Constit. Sixti IV. in §. 21. num. 27. ubi declarat, quid sit subjici omnimodè & plenè, & tom. 3. seu adduam. ad d. Constit. Sixti, cap. 2. num. 18. ubi expendit ly, *sub tali cura*.

Quaest. 42. Regulares addicti Monasteriis Monialium, an subjiciantur d. Decreto Trid. sess. 7. de reform.?

1. Negativè Rodr. & Crucius, ubi suprà; quia ibidem dicuntur esse secundùm Regularia instituta, & jussu sui Superioris; proindè non dicuntur degere extra Monasterium; etenim qui extra illud est cum licentia sui Superioris, & sub ejus obedientia, censetur esse intrà illud: prout docet Abbas in cap. cùm illorum, de sent. excom. & post alios multos, Navar. consil. 73. de Regul. num. 8. & constat ex suprà positis decisionibus Sacræ Congregat.

Quaest. 43. Milites Sancti Ioannis Hierosolymitani, an comprehendantur in d. Decreto cap. 3. sess. 6. Trid.?

1. Affirmativè respondent Navarr. cons. 21. de Regul. in 1. editio. & 12. in novis, quod incipit, *Milites S. Joan.* Sayr. in floribus, decis. 26 eod. tit. de regul. Azor. Moral. instit. p. 1. lib. 13. cap. 4. q. 3. Campanil in divers. jur. Canon. rubr. 12. cap. 13. num. 22. Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disput. 15. q. 7. num. 7. Riccius 4. p. decis. 231 num. 3. & in collect. 503. & Barbosa in d. cap. 3. sess. 6. & in collect. ad idem cap. num. 3. ver. *Regularis*, & nuper Novar. in luc. Regul. ver. delinquens, num. 2. & Bordon. resol. 7. q. 16. num. 60.

2. Et hoc ideò; quia Equites præfati sunt verè Religiosi, & propriè Regulares, etenim in Religione approbata à Sancta Sede legitimè emittunt tria vota substantialia, prout idem Navar. in tract. de Reddit. Eccles. q. 1. num. 55. & q. 3. num. 27. & 29. & Riccius in collect. 216.

3. Nec obest dicto Decreto Trid. Constit. Sixti V. quæ inci-

incipit, *cùm primùm* 12. in ordine *Bull. Cherub.* qua aliquibus Cardinalibus, ibidem nominatis, committit causas Religiosorum degentium extrà Claustra; tum quia illa delegatio fuit temporalis; tum etiam, quia solùm loquitur de Religiosis vagantibus; *Concilium* autem de delictis post egressum; tùm item, quia non loquitur privativè quòad *Trid.* tum pariter; quia per *Clem. VIII.* fuit renovatum, & imposita gravis pœna nolentibus observare, & constat ex *Bulla* ejusdem, quam expungit *Novar. 1. p. sum. sub tit. de Regul. delinquent. extrà Claustra, nu. 13.*

4. Proindè in vim d. *Decreti* Episcopus, vel Delegatus Sedis Apostolicæ poterit hujusmodi extrà Claustra delinquentes visitare, corrigere, & punire, non obstantibus eorum Privilegiis.

5. Et quamvis *Navar. in d. consil. 21. de Regul.* dubitet *num. 6.* ibi, *an intenderit Concilium derogare Privilegiis militaribus; nisi facta expressà mentione de illis: & sic videtur necessaria declaratio Papalis.*

6. Nihilominus hoc aliis *Doctoribus* clarum apparet, & maximè, quia ita sæpiùs Sacra Congregatio declaravit, teste *Barbosa in d. cap. num. 7.* ubi ex multis ostendit, quod Milites Hierosolymitani comprehenduntur sub *d. Decret. Conc. Trid.* etiam ubi de eis non fit expressa mentio; nisi specialibus privilegiis post *Concil.* muniantur.

7. Nec nocet idem *Navar.* dicens ubi suprà, *num. 1.* litteram veram prædicti *Decreti* clariorem desiderari, quoniam ea, quam habemus, subdifficilis, & subobscura videtur, quod attinet ad illa verba, *cujusque personalis.*

8. Quandoquidem littera non videtur obscura, pace tanti Viri: etenim sensus est, *nullus Clericus sæcularis, cujusque personalis, videlicet Privilegii prætextu, vel Regularis, extrà Monasterium degens, etiam sui Ordinis Privilegii prætextu, tutus censeatur, quominùs, si deliquerit, ab Ordinario Loci tanquam, &c.*

Quæst. 44. Regulares degentes intra septa, in causis civilibus Mercedum, & Miserabilium personarum, an possint conveniri coram Episcopis?

1. NEgat *Rodr. tom. 1. q. 65. ar. 13.* cum suo *Comp. resolut. 33. de conservatoribus, num. 26.* & noster *Crucius de stat. Relig. lib. 2. cap. 10. dub. 6. conclus. 2.* quia sunt exempti, & habent, quòad hoc multa privilegia, quæ *ibidem* in individuo ostendit, perindè dicit, quod sunt conveniendi coràm suis Prælatis, qui sunt eorum Judices Ordinarii. His tamen non obstantibus, hodie si careant Conservatore, conveniuntur coràm Ordinario Loci, ut novissimè statuit *Greg. XV. Constit.* incip. *Sanctissimus in Christo Pater,* edita anno Domini 1621. die 20. mensis Septembris, qua revocantur Privilegia, ut liq. et in ejus §. 4. & habetur in 4. *tom. Cherub.* & est *nona* inter *Bullas* ejusdem *Papæ pag.* 80.

2. Nec refert dicere, quod Religiosi Carmelitæ ex *Bulla,* incip. *Religiosum sub gravi,* sibi concessa à *Paulo V.* in defectum Conservatoris, conveniebantur coràm suo Superiore, & non coràm Episcopo; quia tale Privilegium hodie vacat, & desinit esse, per *d. constitut. Gregorii XV.* & ita sunt intelligendi *Navar. in cap. non dicatis,* seu *in 2. comment. de Regul. num. 63. & Barbosa de potestate Episcopi p. 3. allegat. 105. nu. 21.* qui dicunt, quod Regulares degentes intra septa, non possunt pro debitis civilibus conveniri coràm Episcopo, vel Conservatore; sed coram suis Superioribus; quia non solùm ob tot Privilegia sunt exempti à potestate & jurisdictione Episcoporum, verum etiam de novo jure *Concilii Trid. cap. 14. sess. 7. de reform.* quandoquidem hæc omnia vacant per dictam *constit. Gregorii XV.* ut dictum est suprà.

Quæst. 45. An Episcopus possit visitare, & corrigere Regulares degentes extrà septa, occasione docendi Doctrinam Christianam.

1. NEgativè dic, si Regulares hoc faciant secundùm proprium Institutum; ut sunt Patres Societatis Jesu, vel temporaliter, & de licentia Superioris, eò maximè, si ibidem habeant Superiores, qui curam ipsorum gerant & apud quos se recipiant: sic namque non dicuntur degere extrà Claustra, *Peyr. tom. 1. Privil. in constit. 2. Sixti IV. §. 11. num. 29. Rodriq. tom. 2. q. 2. ar. 8.* & ita fuisse à Sacra Congregat. decisum, post *Aldanum* refert *Barbosa in collect. ad d. cap. 3. sess. 6. Conc. Trid. num. 8. in una Limen. 10. Junii 1591. & in collect. Bull. ver. Episcopus, fol. 325.*

Quæst. 46. Regulares degentes extrà septa pro debitis civilibus, an potiùs conveniendi sint coram Conservatore, quàm coràm Episcopo?

1. REspondeo, quod hi Religiosi, si Rei existant pro debitis civilibus, juxtà dispositionem *cap. 14. sess. 7. Conc. Trid. de reformat.* conveniendi sunt coràm eorum Conservatore, si illum habeant, secùs autem coràm Domino Episcopo Loci Ordinario, prout ex multis ostendit *Aloys. Ricc. 4. par. decis. 14. num. 2.* & habetur expressè in *dict. cap. 14. sess. 7. Conc. de reformat.* ibi, *si ipsum Judicem non habuerint, coràm Locorum Ordinariis, tanquàm in hoc ab ipsa Sede Delegatis conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi & compelli possint:* ergò per necessarium antecedens supponit, quod si exempti habeant Judicem Conservatorem, coràm illo est actio civilis proponenda per Actorem. Nec est novum, Regulares carere Judice Conservatore, vel quia illum non habent, vel quia nolunt illum nominare, ne possint coram illo conveniri, juxtà *cap. statutum, § sancimus, de rescriptis, in 6.*

2. Et additur, quod Episcopus Loci ordinarius compellit Regulares ad solvendum debita, nedum in casu carentiæ Judicis Conservatoris: verùm etiam, si habeant illum; dummodò tractetur de causis mercedum, aut miserabilium personarum, prout explicitè habetur in *d. cap. 14. Conc. Trid.* ibi, *etiamsi certum Judicem, à Sancta Sede Apostolica deputatum, in partibus habeant, in aliis autem, si ipsum Judicem non habuerint:* prout notant multi, quos allegat *Barbosa* cit. *loc. & Gutier lib. 3. pract. q. 10. num. 2. in fin. & lib. 4 pract. q. 63.* ubi se defendit adversus *Rodriq. tom. 1. quæst. 65. ar. 13.*

3. Quibus accedit Declaratio Sac. Congr. Emin. Cardinal. habita die 19. Junii 1573. ubi sic habetur.

Regulares non possunt conveniri à suis creditoribus coram Episcopo, bene tamen coram suis Conservatoribus, in casibus permissis in sess. 14 cap 5. Conc. Trid. de refor. & refert *Prosper. Farin super d. Trid. loc.* cit. *& Joann. Crux de statu Relig. lib. 2 cap. 10. dub. 6. in fin. ver. si obicies,* & alia, quam refert *Bellarm. in d. cap. 14 sess 7. Trid.* ibi, *item Exempti, ubi non habent deputatum Judicem, in civilibus cognoscuntur ab Ordinario loci, sic in criminalibus, ut à Delegatis Sedis Apostolicæ, cap. 4. sess. 14. idem in Privil. personali, cap. 3. sess. 6. & si sit nullius cap. 10. sess. 24.*

Qui quidem *Bellar.* de his multa dicit in *observat. Doctrinæ,* proindè est omninò videndus, cum aliis, quæ infrà dico in *tract. de Conservator.*

* * * * *

Quæst.

Quæst. 47. *Episcopus, an possit punire Regulares degentes intrà Claustra, si extra notoriè & scandalosè delinquant?*

1. HAc in re debet attendi *Decretum cap. 14. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* quod est subsequentis tenoris.

Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus, à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. ex quo *Laur. Peyr.* in suo *formul. cap. 7. num. 2. P. Franciscus Cespedes cap. 16. quoad delicta, dub. 236. Portell. in dub. Regul. ver. Episcopus, nu. 2. & Bordonus resolut. 7. q. 9. num. 12.* colligunt, quatuor debere concurrere, ad hoc, ut hujusmodi Regularis possit puniri, juxtà dispositionem prædicti *cap. 14. Trid.* primò, ut delictum sit commissum extra Claustra: secundò, ut sit notorium: tertiò, ut sit scandalosum: quartò, quod Episcopus instet, ut Prælatus puniat, & superior Regularis negligat punire, quæ omnia requiruntur copulativè, ità ut si unum deficiat, non potest Episcopus se intromittere, per ea, quæ allegat *Peyr. cit. loc.*

Et ad hoc facit aliud *Decretū cap. 3. Conc. Trid. sess. 6. de reformat.* quod incipit, *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, prudenter, ac diligenter intendant, &c.* de quo multa suprà dixi.

Quæst. 48. *Episcopus volens punire Regulares, juxtà dispositionem dict. cap. 14. Trident. sess. 25. de Regularib. an teneatur prius probare illam qualitatem delicti, nempè, quod notoriè & scandalosè deliquit?*

1. ILlustrissimus D. Episcopus *Aloysius Riccius in 1. p. praxis fori, decis. 650.* in 1. edit. de hac re consultus respondit, quod plerique existimant de ista qualitate, quæ fundat jurisdictionem, debere prius constare Judici, saltem summariè; ita *Bart. & Bald. in l. præscriptione, C. si cont. jus, vel util. publ. Innoc. in cap. super litteris, de rescriptis, Felin. in cap. si Clericus, de for. comp. Afflict. decis. 297.* & alii plures, quos *ibid.* allegat.

2. Verùm ipse contrariam opinionem sequitur, quod scilicet, quando ex certa qualitate fundatur jurisdictio alicujus, satis sit, hujusmodi qualitatem allegare, & narrare, etiamsi negetur per adversarium: dummodò de falsitate non evidenter constet.

3. Verius tamen & certius est, quod Episcopus in casu, quo Regularis notoriè delinquens, non puniretur à suo Superiore, priusquam ipse deveniat ad illius punitionem, tenetur summariè saltem dictam qualitatem probare; illum scilicet notoriè cum Populi scandalo deliquisse, aliàs ejus sententia, quæ fundatur in notorietate facti, foret nulla, tum quia, quando quis vult uti aliquo statuto, quod requirit certam qualitatem, ad hoc, ut statutum locum habeat, & agens possit illo uti, tenetur probare illam qualitatem, nec sufficit actum sine qualitate probare, *l. au Prator, §. docere, ff. vi bonorum rapt.* secùs autem; tum etiam; quia quandò qualitas est causa alicujus effectus, necessariò est probanda legitimè, & concludenter, prout millies fuit resolutum, & docet *Felin. in cap. licet causam, de probat.* & idem *Ricc. 2. p. praxis for. resol. 38. num. 2.* ubi ait, quod qualitas tribuens jurisdictionem, non præsumptivè & per indicia, sed concludenter probari debet, ex *l. 2. §. sed si dubitetur, ff. de Jud. & in 4. p. decis. Curiæ Archiep. Neap. decis. 152. num. 3.* ubi latè.

4. Eò fortiùs, quia certissimum est, omnes Regulares, & præcipuè Mendicantes, exemptos esse à potestate & jurisdictione Ordinariorum Loci, quam exemptionem Religiosi prædicti nequeunt amittere, nisi ob qualitatem delicti; sicut capti in Ecclesia, non possunt immunitate Ecclesiasticâ privari, nisi ob qualitatem commissi criminis, quæ debet perfectè probari, ad hoc, ut actualiter illâ priventur, & hoc ideò; quia refugiati in Ecclesia, quoad immunitatem Loci, habent præsumptionem juris, & regulariter sunt exempti, ac nequeunt molestari; nisi in casibus exceptis, qui, ut censeantur tales, sunt omninò legitimè probandi; quia contra certam juris Regulam non datur locus præsumptus; nisi concludenter probatis, *Peyr. tom. 1. privil. in 2. constit. Sixti IV. num. 62. in fin. & tom. 3.* seu *in additam. ad d. constit. Sixti IV. cap. 2. num. 30. & Lezana* post omnes de communi in *sum. ver. delinquens, num. 2. & Bordon. resolut. 7. q. 9. ver. tertia conditio, in fine.*

Quæst. 49. *Notorium crimen quid sit, & quotuplex?*

1. DElictum est actus humanus deliberatus, à lege sub pœna prohibitus: dicitur actus; quia teste *Ulpiano in l. labeo, ff. de verb. signif.* actus est quoddam generale verbum, quod comprehendit ea, quæ verbis & re aguntur, & interdùm etiam accipitur pro facto, ut in *l. Paulus, ff. rem ratam haberi*, ibi, *Paulus respondit, non tantùm verbis ratam haberi posse, sed etiam actu*, hoc est, opere, & generaliter accipitur pro quocunque humano actu, ut cùm dicitur, actus agentium non operatur ultrà intentionem eorum, *l. non omnis, & l. ejus, ff. de rebus credit.* & actus voluntarii non extenduntur ultrà, quàm geruntur. *l. voluntariè, C. de excusat. tutor. l. fin. C. ne uxor pro marito.*

2. Dicitur humanus ad excludendum acta Brutorum, prout excluduntur in *l. 1. §. 1. si quatrupes pauper. fecisse dicatur*, & additur, ly *deliberatus*; quia actus, qui agitur ab homine, ille solus dicitur propriè humanus, qui provenit à voluntate deliberata, *D. Thom. in 1. 2. quæst. 1. ar. 1. & ibidem DD.* Scribentes.

3. Unde cessante voluntate deliberatâ delinquendi, actus non est punibilis; etenim in maleficiis attenditur voluntas, *l. Divus, ad leg. Cornel. de sicar. l. qui injuria & l. verum, ff. de furt.* proindè dici solet, tolle voluntatem, & non erit Infernus.

4. Hoc autem delictum, genericè sumptum, est duplex, nempè politicum, aut occultum; & hæc duo sunt contraria positivè, quæ habent fieri circà idem, quorum unum solet per alterum definiri, negatione appositâ, ut si dicatur, crimen occultum est illud, quod non est publicum, & vice versa, de quo latè *Ricc.* cum suo *Novario p. 4. Cur. Archiep. decis. 117.* ubi ferè omnes enumerat casus occultos, in quibus potest Episcopus dispensare in vim *cap. liceat 7. de refor. sess. 24. Conc. Trid. & Barbosa 2. p. de off. & potestate Episcopi*, multis citatis, *allegat. 39. num. 20. & sequent.* ubi in *fin. nu. 24.* conqueritur de dicto *Novario*, ex quo ejus *Allegationes ibidem* positæ, sunt ex d. suo *loco* desumptæ, ipso non citato, quæ omnia sunt omninò videnda, tùm quia contrariorum eadem est disciplina, etiam quòad cognitionem; certum enim est, quod cognito uno de contrariis, cognoscitur & aliud, ex *l. 1. & ibi Bart. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* quamobrem cognito occulto, cognoscitur ejus contrarium, nempè publicum, tum etiam; quia causa dispensandi, juxta dispositionem *d. cap. liceat* fundatur in ratione occulti, quæ ad mentem multorum erit conditio, sine qua non absolvendi, vel dispensandi, ut indè liquet.

5. Publicum autem crimen subdividitur in notorium, vel famosum.

Notorium est illud, quod non potest ullâ tergiversatione celari, seu est illud, quod omnibus immediatè evi-

evidenter apparet, ideoque non poteſt dici notorium, ubi cadit juſtus error ſeu dubitatio. *Bart in l. omnes, C. de agricolis, & cenſ. lib.* 11.

6. Alii idem dicunt per diverſa, quod notorium dicitur, quod eſt extrà omnem juris dubitationem; quod enim poteſt in dubium refricari, nullatenùs poteſt dici notorium.

7. Famoſum verò delictum eſt id, de quo exiſtit fama, id eſt, publica notitia ſeu opinio Communitatis immediatè, orta indiciis probabilibus, ut colligitur ex *cap. Inquiſitionis*, §. *quæſiviſti, in fin. & ibidem Gloſ. ver. paucorum, de accuſat.* & habetur expreſsè in *cap. tua nos* 8. *de cohabitatione Clericorum & Mulierum*, ibi, *ſi crimen eorum ita publicatum eſt, ut meritò debeat appellari notorium, cùm hujuſmodi crimen nullâ poſſit tergiverſatione cœlari: ſi verò publicum eſt, non ex evidentia, ſed ex fama, &c.*

8. Ex quibus collige, quòd in ſe plus habet notorium, quàm manifeſtum, ut notat *Gloſ. in l. omnes*, C. *de appellat. Speculat. in tit. de notor. crim.* 8. *ſequitur de manifeſto, in princip. & Bartol. l. hæredes palam, in princ. de teſtam.* addit *namque evidentiam certam & immediatam, Navar. cap.* 27. *ſum. num.* 255.

9. Notorium item dividitur in juris & facti, *S. Raimundus in ſumm. lib.* 3. *de ſcandalo, & notorio*, §. 11.

10. Notorium juris, juxtà veriorem ſententiam, eſt ſolùm quandò conſtat, vel ex confeſſione Rei ſpontanea in judicio facta, vel per ſententiam diffinitivam, & habetur expreſsè in *cap. quæſitum* 10. *de cohabit. Cler. & Mul.* ibi, *niſi peccatum hujuſmodi ſit notorium per ſententiam, ſeu per confeſſionem factam in judicio, & ibi gloſ.* addit, *& per ſententiam diffinitivam*, & habetur in *cap. cùm dilectus, de ordin. cogn. cap. denique de exception. D. Thom. in* 4. *ſent. diſtinct.* 12. *q.* 82. *ar.* 9. *ad* 3. *& Dominicus Soto tom.* 1. *in* 4. *diſtinct.* 12. *q.* 1. *art.* 6. poſt *primam concluſ. ver. ambiguitas ergò, & Navar. in d. ſum. cap.* 25. *num.* 73.

11. Hinc inferunt, quod ſententia contumacialis non facit notorium, nec illa, quæ non tranſit in rem judicatam, nec ea, de qua fuit appellatum, nec ſententia condemnationis ex præſumptivis, nec confeſſio facta vi tormentorum, nec convictio, ſeu plena probatio per teſtes in judicio, niſi ſequatur ſententia, *Covar. lib.* 3. *var. reſolut. cap.* 3. *nu.* 4. *Clarus in* §. *uſura, nu.* 5. & alii plures, quos allegat P. *Theſaur.* 1. *p. prax. cap.* 21. ubi multa colligit, & in 2. *p. ver uſura, cap.* 7. *item manifeſtus eſt, & Sylv. ver. notorium, q.* 1. *in fine*, de qua notorietate *Concil. Trid. in d. cap.* 14. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* non loquitur.

12. Notorium verò facti illud dicitur eſſe, quod exhibet ſe, & offert oculis omnium, itá manifeſtè, ac evidenter, ut nullâ poſſit tergiverſatione cœlari, ut dictum eſt ex *cap. tua, de cohabit. Cleric.* & docet *Gloſ.* 2 *q.* 1 *Can. de monop.* & eſt deciſio *Concilii Conſtantienſis*, qua voluit, ut notoriè Clerici percuſſor evitetur, *ibique* declarans factum notorium, ait illud eſſe, quod nullâ poteſt tergiverſatione cœlari, nec aliquo juris remedio excuſari, *Syl ver. manifeſtum*, & latè *ver. notorium, q.* 1. *Jacob. Graff. deciſ. aur p.* 1. *lib.* 4 *cap.* 11 *num.* 10. *de publico Clerici percuſſore, Aula* 2 *p. cap.* 6. *diſp.* 2. *dub.* 4. §. *tertiò ſequitur, & Paul. Layman. lib.* 4. *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *de injuſta læſione famæ, num.* 7. *q.* 3.

13. Hoc tandem notorium facti poteſt eſſe triplex, primò, facti tranſeuntis, uti eſt vox Præconis blaſphemantis in platea Deum, vel Beatiſſimam Virginem, quæ quidem blaſphemia tranſiit, & non permanet; ſecundò, facti permanentis, ut vulnus homini notoriè illatum, quod permanet; tertiò denique facti interpellati, ut frequentatio Domus Meretricis, quæ licèt ſit notoria, non tamen eſt continuata, nec ſemper peccatur, *Syl. ver. notorium, q.* 2. *Specul. lib.* 3. *rubr. de not. crim.* §. 8. *nu.* 1. *Farin. in praxi q.* 21. & alii, quos allegat *Peyr.* in ſuo *formul. Prælat. cap.* 17 *num.* 1.

Quæſt. 50. *Quot perſonæ requirantur ad faciendum notorium facti?*

1. Ex *cap. tua nos* 8. *de cohabit. Cleric. & Gloſ. cap. final. de tempor. ordin. in ver notoria* dixi, quod delictum tribus modis fit notorium, nempe per ſententiam, per confeſſionem in judicio factam, & per rei evidentiam.

2. Hæc autem evidentia facti criminis, in quot hominum oculis debeat eſſe, ad hoc, ut ſit notoria, ſeu ut declaret, vel faciat crimen notorium, ſunt hinc indè opiniones.

S. Raymundus Dominicanus *in ſum. lib.* 3. *ſub tit. de ſcandalo, & prolixitate, & notorio*, §. 11. *item licet*, ait, *quod crimen intelligitur notorium, ſi fiat in conſpectu omnium: qui ſunt in illo Loco, hoc eſt in Villa, Parochia, Oppido, Vicinia, & ſimilibus*, & habetur in *c. cùm dilectis filiis* 15. *de purgat. Canon.* §. *his igitur, circà medium*, ibi *univerſi Cives, vel coram majori parte illius Viciniæ*, ex *l. quod major, ff. ad municip.* & ſe fundat in *cap.* 17. *cauſ.* 2. *q.* 1. quod incipit, *de manifeſta & nota pluribus*, in quo *Gloſſa* ſubnectit, *ergò non requiritur omnium ſcientia, fortè ſufficiunt decem*, ut in *cap. unio* 3. 10. *q.* 3. ibi, *ut Eccleſia, quæ uſque ad decem habuerit municipia, ſuper ſe habeat Sacerdotem*, in quo verbo *Gloſſa* ait, *quia decem faciunt plebem, & Gloſ. S. Raym.* cit. *loc.* ſubjungit, *quod decem homines faciunt Populum, duo Congregationem, extrav. de elect. cap.* 1. *& tres faciunt Collegium, ff. de verb. ſignif. l. Neratius; retinetur autem in uno, ff. quod cujuſque univ. nomin. l. ſicut municipium, in fin. duodecim homines, aut viginti faciunt turbam, ff. de vi bon. rap. l. Prætor ait*, §. 10. *quatuor, vel quinque porci, vel decem oves faciunt Gregem, toto tit. ff. de abigeis*, proindè infert, *credo, quod ſi Parochia mille habeat Parochianos, ſi tantùm ex illis decem ſcandalizentur de Focaria Sacerdotis, qui ſunt graves & honeſtæ perſonæ, poteſt fieri interpretatio, quod Populus ſcandalizatur, maximè cùm decem homines Populum faciant*, & ſequitur *Sylv.* multis citatis *ver. notorium, q.* 4.

3. *Navarrus* vero de communi in *ſum. c.* 25. *num.* 73. inquit, *illud dicitur notorium, quod evidenter ſcit major pars Populi, vicinorum, aut Collegii, quando in eo ſaltem ſunt decem, itaque ſcientia pauciorum, quàm ſex, non facit rem notoriam, neque ſex, quando illi non ſunt major pars illius Congregationis, cujus reſpectu illud dicitur notorium.*

Hinc idem *Navarr. de ſent. excom. conſ.* 40. conſuluit, Religioſum eſſe publicum excommunicatum cenſendum, & ita vitandum, qui coràm majori parte Conventus, Clericum à ſe expulit, vel brachio violenter extraxit.

4. Idem ſentit *Farinacius* 1. *p. prax. q.* 21. *num.* 49. dicens, quod ubi non adeſt numerus decem perſonarum, non poteſt ibi eſſe notorium, & alii plures, quos allegat *Theſaurus* 1. *p. prax. cap.* 21. §. *dicendum* 2.

5. His tamen non obſtantibus *Sot. in* 4. *diſtin.* 12. *q.* 1. *ar.* 6. poſt 1. *concluſ. ver. ambiguitas* dicit, quod de his non poteſt aſſignari certa Regula, ſed arbitratui prudentium relinquitur; etenim omne id, quod in jure expreſſum non reperitur, Judicis arbitrio relinquitur, *cap. de cauſis, de off. deleg. l.* 1. *ff. de jur. deliber.* & tenet *Menoch. in caſ.* 166. & teſtatur de communi *Megal.* in ſua *praxi cap.* 4. *nu.* 1.

6. Verùm iſtud judicium declarandi notorium, debet regulari ex multis; & primò ex qualitate Loci, ut ſi fiat in Loco publico, in quo ſoleat liberè convenire Communitas; undè percuſſio facta in Domo Principis, ſex, vel decem videntibus non poteſt dici notoria, notorietate facti; quia hæc domus non poteſt dici Locus publicus, *Graff.* 1. *p. deciſ. aur. c.* 11. *num.* 11. item, ſi Pater blaſphemaret coram centum filiis, vel Nauta in navi coram viginti Sociis, & ſic de ſimilibus, quæ fiunt in privatis Domibus, non poſſunt dici notoria; quia eis deeſt Loci qualitas, idem *Graff. in pract. lib.* 1. *cap.* 10 *num.* 9.

7. Secun-

7. Secundò, ex qualitate temporis, ut delictum sit commissum de die, non autem de nocte; nam noctis tempore homines non benè vident, *Speculator. lib. 3. de notorio crimine*, §. 8. *num.* 5. & post alios *Peyr.* in suo *formul. cap.* 17. *num.* 2.

8. Tertiò, ex quantitate, & qualitate adstantium; quia ad faciendum delictum notorium, respiciendum est ad majorem, vel minorem numerum personarum, in illa Communitate existentium, *Farinac. 1. p. prax. q. 21. num.* 45. quandoquidem, etsi decem homines in Civitate pauci sunt, in Villa tamen erunt multi, *Sot. cit. loc. & Layman. lib. 4. moral. tract. 3. sect. 4. p. 2. cap. 3. de injusta læsione famæ, q. 3. num.* 8. ubi de hoc multa ponit exempla.

9. Quamobrem, qui in publica platea magnæ Civitatis, in Mercato, vel in Nundinis coram novem, vel decem audientibus blasphemaret, vix diceretur publicè blasphematus; si verò blasphemat in foro Villæ, sufficit, quòd sint septem; si in Vicinio, aut Taberna, sufficiunt quinque vel quatuor; si in parvulo Conventu sufficiunt tres, *Graff. in d. loc. suæ practica, & Peyr. ubi suprà.*

10. Dixi, ex qualitate; quia, ut dicitur in *cap. vestra, de cohabit. Cler. in fine, testibus, non autem testimoniis est credendum*; & alibi, *quanta fides sit testibus adhibenda, tu benè nôsti:* etenim non debet attendi dictum, sed qualitas dicentis, si sit inimicus, vilis persona, &c. quæ quippe omnia breviter colligit *Moneta de Conservat. cap. 7. num.* 123. *in conclus.* 7. ibi, *ut aliquid dicatur notorium facti, requiritur non solùm quantitas adstantium, sed etiam qualitas loci, quòd scilicet sit factum in loco publico, & ut plurimùm etiam temporis, quòd factum non sit de nocte, quoad locum*, ex *c. scelus*, 2. *q.* 1. & post *Joan. Andr. Calder. in d. c. vestra, Butrigar. tract. de notor. art. 2. num.* 11. *Capra eod. tract. membro 2. num.* 7. *Farinac. Foller. & Mascard. conclus.* 111. *num.* 16. inde inferunt *ea quæ fiunt in domo, cùm nequeant dici facta in loco publico, nec facilè possint probari, l. consensu*, §. *fin autem, C. de repud. cap. veniens, de testibus, non esse notoria.*

11. Dixi autem, ut plurimùm, quoniam ut *Calderinus in d. cap. vestra*, & alii, ubi suprà, annotant, sonus campanæ potest esse notorius de nocte, quod item dixerunt de sono tubæ, & his similibus, quæ sub sensu auditus cadunt, & *Tuscus in pract. conclus.* 104. *ver. notorium*, sic habet, *licèt notorium possit esse etiam de nocte, si adsunt luminaria, vel alius modus certitudinis, Abbas in d. cap. vestra, num.* 16.

Quæst. 51. Notorium facti, an sit probandum, & quomodo?

1. **F**Arin. *in praxi, q.* 21. *à num.* 8. *& Mascard. de probat. conclus.* 1106. *&* 1107. post *Speculat. lib. 3. rubr. de notor. crim.* §. 8. *à num.* 1.

Respondet affirmativè, nedum, si sit facti transeuntis, aut interpellati; verùm etiam si sit facti permanentis, & est probandum plenè, & perfectè.

2. Alii tamen respondent negativè, suffulti ex *cap. bonæ memoriæ, il. 1. de elect.* in quo dicitur, quòd notorius excessus examinatione non indiget, nec exigit ordinem juris, ex *cap. ad nostram, il. 3. de iure iurand.* unde solet dici, quòd in notoriis non servare juris ordinem, est secundùm ordinem juris procedere, ex *cap. de manifesta, & c. nota pluribus* 2. *q.* 1.

3. Verumtamen aliud est dicere, notoriè constat de delicto, & aliud, constat de crimine esse notorium, *Jul. Clar. sentent. lib. 5. §. final. pract. crimin. q. 9. n. 5. ver. item quæro*, ut patet, si delictum appareat, & ignoretur auctor; & quòd notorietas ipsius delicti sit concludenter, & perfectè probanda, certum est; & non reperitur, qui de hoc dubitet, & debet probari ad minùs per duos testes idoneos, qui licèt non sufficiant ad causandũ notorium, sufficiunt tamen ad illud probandum; quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, *Gloss. in c. quando*, 2. *q.* 1. & notat alia *Gloss. in l. 3. ff. de testibus, Panor. in d. cap. vestra, Sylv. ver. notorium, q. 5. & Clarus ubi suprà, num.* 6. de communi.

4. Qui testes debent testificari, non de auditu, sed de visu, hoc est, quòd erant præsentes, & viderunt crimen, de quo testantur, & criminis auctorem, quòd ibi erat major pars Communitatis, quæ idem, quod ipsi, videre potuit, & fateri, delictum fuisse commissum à tali in tali loco, & tali die: alioquin non probarent, delictum esse notorium, ut præcit. *Doctores* advertunt; ubi etiam dicunt, non est necesse, quòd deponant, se vidisse factum, sed sufficere, quòd deponant, se vidisse populum præsentem.

5. At meo videri, prædictæ qualitates, & aliæ suprà positæ sunt omnino probandæ; quia requiruntur copulativè; secùs autem notorium non diceretur concludenter probatum; nisi præfata concurrant, cum causa scientiæ, *Foller. in 2. p. secundæ partis, ver. item quæro quid est notorius delinquens, num.* 12. & magis clarè *Megal.* in sua *prax. crim. Can. cap. 4. num. 6. & Peyr. in d. cap. 17. formul. num.* 4.

6. Immò *Colleg. Florent.* inter *cons. Curtii Senioris, cons. 21. num. 3. Bald. Salycetus*, & alii *Legistæ in l. ea quidem, C. de accusat.* de communi asserunt, quòd hujusmodi testes tenentur probare, non solùm, factum esse notorium, prout dictum est, sed etiam qualitates delicti, ità, & taliter, ut clarè constet, factum fuisse cum delicto, nempe, non ob justam defensionem, nec ex alia causa, quæ posset delinquentem exculpare; at ex dolo, & malitia fecisse, *Clar. cit. loc. num.* 2.

Quæst. 52. An in Notoriis requiratur citatio?

1. **T**Urbida ac nubila quæstio est, nec uno ore deciditur; sunt enim, qui negant, ex *cap. de manifesta* 2. *q.* 1. & ex *d. cap. bonæ memor. il. primo, de elect. & cap. ad nostram, il terzo, de jur. juran.* & ratio esse potest, quia citatio fit ad finem, ut citatus se defendere valeat, ut habetur in *l. de unoquoque, ff. de judic. & l. nam ità Divus, ff. de adopt.* at in notoriis nulla Reo competit defensio, ergo: ità *Colleg. Florent.* inter *cons. Curtii Senioris, cons. 21. num.* 5. *Gloss. in Clem. præsenti 3. in ver. constiterit, in fin.* & ibi *Speculator. num. 6. & Abbas num. 7. & 8. de censibus, & in Clem. 2. ver. constiterit de pœnis, Navar. cons. 9. de sent. excom. & cons. 2. n. 7. de solut. D. Episcopus Marant. respons. 24. n. 22. Ricc. p. 4. decis. 239. Grammat. dec. 36. & Capella Tholos. decis.* 440.

2. Alii cum distinctione respondent: aut loquimur de citatione ad sumenda indicia notorietatis, pro processu informativo; & sic non exigitur citatio, & maximè, si ex tali citatione posset impediri examen, aut si Reus sollicitaretur ad fugam, *Turrecremat. in cap. ad illicita 24. quæst. 3. num.* 23. aut loquimur de citatione, quæ debet præcedere sententiam diffinitivam; & sic requiritur, & de communi docet *Alber. in d. l. ea quidem, num. 14. in fin. Aret. in cons. 163. num. 7. Boss. tit. de denuntiat. num. 9. in fine, & in tit. quomodo procedatur in crimine notorio, Ferret. cons. 31. num. 11. Butr. in cap. olim, de re jud.* & alii, quos allegat *Jul. Clar. in §. fin. pract. crim. q. 9. num. 4. ver. quæro, nunquid, in notor. in princ.*

3. Alii verò pariter distinguunt, aut delictum est ità notorium, ut certò & evidenter sciatur, in eo casu nullam defensionem Reo competere: & sic potest procedi sine citatione, secus autem, quando certum esset, defensionem competere, vel esset dubium, *Carrer. in pract. fol.* 28. *& Syl. ver. notorium, q. 6. num.* 6. & hanc alii existimant esse communem.

4. *Clarus* autem in cit. *loc.* indistinctè tenet, quòd in quo-

quocunque notorio, si Reus est absens, debet citari, non modò ad processum, si non sit suspicio fugæ; nam eo casu debet (si potest) personaliter capi, sed etiam ad sententiam, *Farinac.p.1.praxis.q.21.num.85. Vigell. decis.9. cent. 6.Bellonus decision. Genuens.*104. *Riccius collect.*2145. ubi latè de hac re, & pro utraque parte multa colligit, & in 1.*p. decis.*64.*num.*2. *Gloss. in cap.cùm dilectis, ver. judicanda, de purgat. Canon. Graff. in append. ad decis. aur. lib.3.cap.1.de monit.num.*11. *Marcell. Vulp. in praxi cap.*1. *num.*27. ubi ex multis inquit, quòd nullus, quantumcunque sit notorius, sine citatione, & monitione est condemnandus; *Megal.* multis citatis in sua *praxi, cap.* 4. *de modo proc. in delicto notorio, num.6.* & hoc ideò, quia defensio debetur de jure naturæ, ne dicam divino, & humano, ut in *Clem. Pastoralis, §.caterùm, de re judicat. & cap.Deus omnipotens,* 2.*q.*1.

5. Hæc autem defensio sine scientia esse non potest, ut de se patet; nam qui nescit contra se agi, se defendere nequit, quamobrem omnino necessaria est scientia, quæ fit per citationem, ad hoc, ut pars, contra quam testis producitur, possit excipere contra testes, eosque repellere à testificando, & sua jura tueri, *cap. præsentium, de testibus.*

6. Unde benè dicitur, quòd citatio nil aliud est, quàm vocatio in jus, sive fiat per nuncium, sive per Epistolam, sive voce Præconis, sive per Edictum in loco publico, *l.1.ff.de in jus vocand. Alciatus in rubrica, C.de in jus vocand. Alterius de censuris disput.*14.*cap.*1.*col.* 3. & alii plures, quos allegat *Riccius* 4.*p. decis.*139.*num.* 13. & adhibetur, ut pars certior fiat de eo, quod Judex est facturus; & est tantæ necessitatis, ut sine nullitate actus, nec tacitè, nec expressè, etiam per Principem possit citatio omitti, *d. Clementin. Pastoralis, Steph. Quaranta in sum. Bull. ver. nullitas,* & habetur in *d.l.de unoquoque, ff.de re judic.l.nam ità Divus ff.de adopt.* unde adagium est, quòd contrà inauditam partem nil rectè potest in judicio diffiniri: quia citatio, ut dixi, est species defensionis, quæ nobis competit naturali jure, ex *d. cap. Deus omnipotens,* 2. *q.*1. & ità docent infiniti *Doctores,* quos allegat *Flaminius Cartharius in decis. Rot. Genuæ* 21. *per totam, Marcellus Calà de modo articulandi, & prob.* §.1. *Gloss.*3.*num.*6. *D. Reg.Capyc.Latro tom.*2.*consult.*146. *à num.*22. *& sequent. & Novar. decis.*190. *num.*1. *&* 2.

7. Hinc est, quòd etiam in notoriis est pars citanda; tum quià multa dicuntur notoria, quæ non sunt; nam aliud est, quòd notoriè sciatur corpus delicti, utpote, si homo occisus jaceat in platea, & aliud est, ut notorium sit, Reo occisori nullam posse competere defensionem, nec exculpationem de tali homicidio; etenim hoc secundum non est verisimile: nisi logicè, & metaphysicè; quia delinquens potest multas exceptiones habere, nempe, quòd occidit ad sui defensionem, vel sine dolo, & malitia; at casualiter, & inadvertenter, vel noctis tempore, & non de die, nec in loco publico, aut coram majore parte populi, & similes, quæ sunt admittendæ, ut not. *de off. deleg. cap. ex parte vestra, il.*2. tum quia pars debet citari in omni actu, in quo potest lædi, maximè si sit justitiæ, & non gratiæ, secùs hujusmodi actus erit omnino nullus, ut in *d.leg. de unoquoque, ff. de re judicat. & l. nam ità Divus ff.de adopt. l.si quando, C.de testibus, cap. cùm olim, de testibus, Novar. decis.*61. *num.*4. *& Megal.* post multos cit. *loc.*

8. Sed ita est, quòd pars potest lædi, & præjudicari in examinatione testium pro informatione criminis notorii: nisi videat juramenta testium, contra quos, & eorum dicta potest opponere, sicut in quolibet alio judicio, *Boss.* in sua *praxi. tit. de denuntiat. num.*9. ergo Judex ad evitandum hanc nullitatem, debet formato processu, pro informatione Curiæ, testes repetere, Reo citato, & admisso ad videndum juramenta testium, & dicendum causam, quare?

9. Tum denique, quia omnis condemnatio nimis accelerata, est odiosa, argum. *tex. l. Arrianus, ff. de act. & obligat.* etenim omnis festinatio cæca est, perinde, publicè percussor Clerici, ante declarationem Judicis, non est evitandus; quia licèt ex *Concil. Constant.* in duobus casibus teneamur excommunicatos evitare, nempe, per cedulones, & publicè Clericorum percussores; tamen dictum *Concilium* declaravit, Regulam habere locum tunc, quando percussio est ità notoria, ut nulla possit tergiversatione cælari, ac nullo juris remedio exculpari; quod nunquam, aut rarissimè potest evenire; etenim, etsi notorium sit, Titium percussisse personam Ecclesiasticam, nihilominus notorium minimè est, nullam excusationem pro se habere; quoniam poterit dicere, hoc fecisse causa honoris, vim vi repellendo, ad sui defensionem, vel causa disciplinæ, vel quia eum invenit cum sua uxore, vel sorore, vel quia non habebat scientiam Canonis, vel quia percussit non in loco publico, nec coram testibus opportunis, vel in somno, vel ebrietate, vel inadvertenter, quia pensabat percutere laicum, & percussit Clericum sibi ignotum, vel in iræ calore, vel in primo motu, & similibus, ob quæ percussor debet citari, prout latè *Genuens. in prax. cap.*39.*num.*16.*fol.*119. *Ugolin. in explic. Bull. Cœnæ p.*1.*cap.*14.*in fine, Sayr.* de communi sententia *Doctorum, lib.*2.*Thes.tom.*1.*cap.*12.*num.*10. *& sequent. Duard. in Bull. Cœnæ lib.*2.*q.*8.*num.*12. *pag.* mihi 98. *Diana p.*5. *tract.*9.*de excomm. resol.*61. *Covar. in cap. Alma mater, p.*1. §.2.*num.*7. *& Alphons. de Leone de cens. recoll.*5.*n.*677. *& sequent.* ubi ex multis ostendit, quòd citatio partis exigitur, etiam ubi proceditur summariè, absque strepitu, & figura judicii.

Quæst. 53. *Episcopus, Regulares extrà Claustra delinquentes, & in delicto comprehensos, an possit carcerare, & detinere, nec ad suum Superiorem remittere, pendente informatione capienda?*

1. Respondeo, quòd nec *Concilium Tridentinum,* neque *Clemens Papa VIII.* statuerunt, Episcopos loci Ordinarios posse incarcerare Regulares degentes intrà Claustra, si foris notoriè delinquant, sed tantùm debere instare, ut à suis Superioribus infrà tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniantur; ut constat ex præcit. *Capitulo Trid.* ubi nulla fit mentio de incarcerando: proinde Sacra Congregatio declaravit, non posse Ordinarium contra Religiosum formare processum, nec illum carcerare; at si quos testes examinandos curaverit, ut de scandalo, & delicti notorietate constet, eorum depositionem tradendam esse Superiori, & refert *Albertin. lib.*1.*de Relig. disciplin. cap.*3.*num.*35. *&* 40. *& Lezana* 1.*p. sum. cap.*16.*num.*26. *&* 3.*p. ver. delinquens Regularis, nu.*1.

2. Benè verum est, quòd *Marc. Anton. Genuens.* in sua *praxi Archiep. cap.*59.*num.*3. in novis dicit de praxi dictæ Curiæ, Regulares degentes in Claustris, qui inveniuntur in domibus meretricū, vel aliàs notoriè delinquunt, cum populi scandalo, juxtà *d.cap.*14.*sess.*25.*de Regul.* carcerantur per Cursores Curiæ, & non remittuntur ad suos Superiores, antequam capiatur informatio delicti, & posteà remittuntur cum copia actorum, præfixo termino Superioribus ad docendum de punitione, infrà viginti dies, vel mensem. Conatur tamen Curia quamprimum capere informationem; & quàm citiùs potest remittere eodem die, quo fuerunt capti, vel sequenti: nec videtur a[illegible]um, quòd illos detineat, nec remittat ante captā[illegible]

nem; siquidem cùm po[illegible] re in[illegible]

riorum *d. cap.* 14. & [illegible]

tim remitteret Regu[illegible]

& informatio destr[illegible]

ut experientia doce[illegible]

à suo Superiore, ne[illegible]

jurifdictione, intelligi conceffa omnia neceffaria ad eam, *cap. præterea, de officio delegat. l.* 2. *ff. de jurifdict. omn. judic.*

3. Idem dicit *Joan. Bapt. Ciarlinus controverf. forenf. cap.* 50. ubi de hac re latè differit, occafione capturæ cujufdam Regularis, qui nocte quadam in adulterio deprehenfus fuit infimul cum fua amica, per fatellites Curiæ ad carceres Epifcopales ductus, & ibidem diu detentus, invitis tamen Superioribus, qui illum repetebant, & in *num.* 10. concludit, hujufmodi Regulares fecundùm praxim debere incarcerari, & ad fuos Superiores non remitti, nifi priùs fuerit capta informatio, ita tamen, ut illa quamprimùm fumatur, & eodem die, vel fequenti, quo facta eft captura, remittantur ad eorum Superiores, cum præfinitione termini ad docendum de punitione, daturque eis, vel offertur copia proceffus, quem ufum probat *Barbofa in allegat.* 105. *num.* 20. *& Fufcus de vifit. lib.* 2. *cap.* 17 *num.* 11. dicit, quòd *Epifcopus loci litteras fcribat Superiori Monachi delinquentis de delicto commiffo, & exceffibus, de fcandalo populo illato, & inftabit, ut infrà talem terminum præfixum ipfum punire velit, & de punitione facta ipfum Epifcopum certiorem reddat, aliàs, ipfo Superiore negligente, poterit ipfe Epifcopus eum punire, & illas litteras, quas requifitorias vocamus de punitione Monachi delinquentis, in præfentia duorum teftium ex communi praxi ea affignari faciat*, hæc ille. cui fubfcribit *Ugolin. de off. Epifcopi p.* 1. *cap.* 20. §. 8. *num.* 2. *Piafec. in praxi Epifcop. p.* 2. *cap.* 3. *num.* 43. *Riccius* 4. *p. decif.* 202. *num.* 6. *in fine, & Novar.* 1. *p. fum. Bull. tit. de Regul. delinquent. num.* 9.

4. Nihilominùs *Laur. Peyr. tom.* 1. *privil. in* 2. *Conftu. Sixti IV.* §. 11. *num.* 62. præfatam praxim non admittens, ait, *nota, quòd quando Regulares ità notoriè delinquunt, ut populo fcandalo fint, debent Epifcopi locorum fcribere fuis Superioribus, præfigendo illis terminum, ad eos puniendos, juxtà fupradicti Concilii Trid. Decretum; quod tamen non dat illis facultatem, dictos Regulares, etiam notorie delinquentes, capi faciendi; unde fi capi faciant, excedunt poteftatem fibi traditam, & maximam injuriam irrogant delinquenti, ex illorum jurifdictione exempto, & per confequens incidunt in excommunicationem, cap. fi quis fuadente, ut dixi, & verè majus quandoque fcandalum oritur ex incarceratione delinquentis, quàm ex ipfa perpetratione delicti, occurrit enim aliquando, quòd Regularis ingreditur, v. g. in domum alicujus meretricis incognitus, & à nemine vifus, aut folùm ab uno, vel duobus, qui fi in ea domo captus per Civitatem in carcerem ducatur, magnum generabit fcandalum, & magnam maculam fuæ Religioni inuret, quæ tamen vitata fuiffent, fi ductus in carcerem non fuiffet; unde nefcio, quomodo aliqui Epifcopi indifcretè zelum animarum fibi non creditarum zelantes, feu zelare videri volentes, falvent confcientias fuas, certos Miniftros ad id deputatos tenentes, quos Speculatores vocant, eifque menftruum falarium folventes, ut quò vadant, vel tranfeant Religiofi, diligenter notent, illifque referant; etfi in domum aliquam fufpectam ingrediantur, ftatim capi faciunt: hoc certè non præcepit ille, qui peccantes admonendos ftatuit: neque Trid. quod folùm præcipit, quòd quando aliquis Regularis ità notoriè delinquit, ut populo, non duobus, vel tribus, fed populo, id eft, faltem decem, juxta Gloffam in cap. nullus, de elect. fcandalo fit, inftante Epifcopo, non capi faciente, à Superiore Regulari, non ab ipfo Epifcopo puniatur. Ubi adverte, quod ad hoc* [...] *ifcopus teneatur inftare, ut delinquens puniatur* [...] *um effe notorium, & debet caufare fcandalum* [...] *ibus conditionibus concurrentibus tenetur Ep*[...] *ut delinquens puniatur, non concurrenti*[...] *tur, quod fi facit, jurifdictionem fibi ufurpat*[...] *n, fi delictum fit fecretum, vel non notoriu*[...] *fum populo, fecretò admonere delinq*[...] *ga, quod fi fe non correxerit, bis, aut ter*[...]

gelicum præceptum de correctione fraterna, Superiorem delinquentis admonere, ut tali delinquenti occafionem delinquendi auferat, & pro modo culpæ puniat, falva femper, quantum fieri poteft, delinquentis fecretò fama, hæc ille. cui adhærere videntur *Bordon. refolut.* 7. *q.* 10. ubi de re multa dicit *Zanardus ubi fuprà, & Cefpedes in tract. de exempt. cap.* 16. *num.* 238. fed opinio *Genuenfis* in praxi fervatur.

5. Verumtamen, ut punctus difficultatis enucleetur, oportet divifim plura quærere: primò, an Epifcopus poffit carcerare Regulares degeneres intrà Clauftra, fi extrà illa notoriè cum populi fcandalo delinquant?

Et negativè concludo, per ea, quæ dixi fuprà, tum quia funt exempti, tum etiam, quia id, quod alii in contrarium prætendunt, nullo jure cavetur; fecus autem, fi agatur de gravi delicto, & timeatur de fuga, argum. *cap.* 6. *Trid. feff.* 25. *de reform. & cap. fi Clericos, de fent. excom. in* 6. & notat *Hier. Rodr. in comp. refolut.* 63. *num.* 19. *Villalobos in fum. tom.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 5. *num.* 5. *Bordonus* cit. *loc. q.* 10. *& Lezana ubi fuprà*, ubi etiam muffitant de prædicta limitatione, & fubdunt, quòd hoc eft veriffimum de jure, quidquid fiat de facto, Deus judicet.

6. Secundò, an poffit Epifcopus tuta confcientia hos in carceribus detinere? Et negativè dico, quia infrà fpatium viginti horarum tenetur remittere, ut docet *Gloff. in c. cùm non ab homine, de judic.* nec ob hujus incarcerationem exempti, Epifcopus incurret excommunicationem, ficut non incurrit Judex laicus, fi capiat Clericum in flagranti crimine, quando timetur de ejus fuga, ut ipfum remittat ad fuum Judicem Ecclefiafticum, ut poft multos notat *Navar. cap.* 17. *num.* 79. fecus fi Epifcopus excedat modum; quod etiam procedit in captura Clerici fubditi, idem *Navar. in cap.* 25. *num.* 83. & latè *Rodr. tom.* 2. *q.* 63. *art.* 7. *ver.* 3. *infertur, & Peyr.* in fuo *formul. cap.* 7. *fol.* mihi 654. ubi in cafu contingentiæ multa dicit *num.* 1. *in fin.*

7. Pro qua veritate debet obfervari decifio, per Sacram Congregationem adhibita fuper dubio fibi propofito, fub hac forma verborum:

Quando Regularis extrà Clauftra notoriè del[...] *an detinendus fit in carceribus ab Epifcopo, don*[...] *in Curia Epifcopali conficiatur, eoque comp*[...] *periore remittendus fit ad Superiorem una* [...] *nibus, quæ habentur.*

Sacra Congregatio refpondit, ftan[...] *fe, etiam pofito, quòd Superior nulla*[...] & refert per extenfum *Barbofa in d.* [...] *gul. num.* 2. *& Marcellus Vulpes* [...] *fori Eccle*f. *cap.* 42. *num.* 23. ubi [...] pus differret capere informa[...] tentem remitti in carceribus [...] communicationem, ut doce[...] *capiunt, de exceffibus Præla*[...] *d. prax. & Novar. in fua* [...] 6. expendit ly, *ftatim, &* [...] tur, hoc totum cum [...] à Reverendiffimo [...] Neap. obfervat[...]

[...] eat [...] ium [...] viginti, [...] eft dari [...] is, ità ut [...] etens, & [...] ocum Re- [...] *cap.* 1. *&* 2.

8. Tertiò, [...] dicum proce[...] *comp. refolut.* [...] *refolut.* 7. [...] *formul.* [...] extra [...] [...] rminum ni- [...] æfixione bre- [...] m competen- [...] *ar.* cit. *loc.*

10. Nec dices, quòd ex *d. cap.* Episcopus tenetur instare, & quòd hoc nequit perficere, absque informatione prævia; quia instare est idem, quod pluries monere; & ob id potest instare, & bene instare; certiorem faciendo per suas litteras Prælatum Regularem de notorietate delicti, à Religioso ita commissi, ut nulla tergiversatione cælari potuisset, ad quod non est necessarius processus juridicus, ab Episcopo formatus, quem ipso jure nullum esse ex defectu jurisdictionis, testantur *Rodr. & Diana* cit. *loc.*

11. Nec his obstat responsio Sacræ Congregat. facta ad dubium sibi propositum sub tenore sequenti.

An Episcopus statim habita notitia delictorum, possit capere informationem, & illam ad Superiorem Regularis delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præsumere? *Congregatio respondit, posse:* teste *Barbosa in cap. final. de stat. Monach. num. 5. & allegat. 105. num. 20. & Novar. in Luc. ver. delictum num. 9.*

Quoniam *Hier. Rodr.* cit. *loc. Peyr. tom. 3.* seu *additam. ad 4. Constit. Sixti IV. cap. 2. num. 31. Alphon. de Leon. de cens. recollect. 2. num. 495. pag. 134. & Sanchez lib. 2. opusc. c. 9. dub. 1. num. 30.* notant, Episcopum loci per dictam declarationem *Concilii*, non posse sumere informationem juridicam contra dictum Regularem, sed solùm posse summatim facti informationem capere, eamque Superiori Regulari mittere, ad hoc, ut hic facti informationem habens, possit contra suum subditum juridicè procedere, quod dixerat etiam *Aldrete de disciplina Religiosa in d. cap. 3. num. 39.* quapropter *Sperellus dec. 38. n. 14.* sic habet: *Ego tamen in præsenti materia nunquam excedere volui secundùm diem, juxta communem Doctorum Theoricam, quòd si hinc resultare soleat delictorum impunitas, quia complures Superiores, ne Religio remaneat diffamata, viso processu Ordinarii, sub prætextu illud impingnandi, & testes repetendi, potiùs ad defensam examinare satagunt, quàm ad veritatem indagandam; tamen ipsi viderint;* quod lætanter amplectitur *Cespedes tract. de exempt. Regul. cap. 16. dub. 238. num. 4. in fin.*

Quæst. 54. Episcopus, an possit punire Prælatum Regularem, si notoriè, ac scandalosè extrà Claustra delinquat?

1. JOan. Bapt. Ciarlinus in d. cap. 50. num. 12. respondet ad quæsitum per hæc propria verba: *Hunc casum à nemine vidi tactum, tamen ego putavi, statim scribendum esse Provinciali, narrando ei factum, & eum requirendo, ut rescriberet, cui vellet consignationem fieri, interimque ejus nomine Reus detineretur carceratus, quod satis juri convenire putavi, quoniam expeditum est, remissionem esse faciendam ad Superiorem, ex Decretis Sacr. Congreg. Regularium, Superiores autem sunt primò Priores, secundò Provinciales, tertiò Generales, Marta de jurisdict. p. 4. cas. 182. num. 3. hic non potest remitti ad Priorem, quia actio & passio non cadit simul in eodem subjecto, l. ille, à quo, § tempestivum, ff. ad Trebell. l. Vranius de fidejuss. Menoch. cons. 231. num. 73. ergo ad Provincialem recurrendum est, qui si erit præsens, statim fiat remissio modo supradicto, si absens fuerit, per litteras certiorandus est, non autem Reus est dimittendus; quia sic vix posset ab aliquo puniri, ut cùm Episcopus possit punire Regulares in defectum Regularium Superiorum, videtur, quòd etiam possit pro nunc detinere; quia concessa jurisdictione, omnia videntur permissa, quæ ad eam sunt necessaria: ad rem Prax. Archiep. Neap. cap. 59. num. 3. in fin.*

2. Et *hæc videntur satis justa, & honesta, quoniam licèt his temporibus ferè omnes Regulares sint exempti à jurisdictione Ordinariorum; tamen olim omnes erant Episcopis subjecti, cap. Monasteria, cap. Abbatibus 18. q. 2. Vgol. de off. Episcop. p. 1. cap. 20. in princ. Barbosa allegat. 105. num. 1. & 2. Homobonus de exam. Eccles. p. 3. tract. 15. cap. 9. supp. 2. & proptereà res facilè revertitur ad suam naturam, saltem in aliqua parte l. si unus, §. pactus, ver. quod in specie ff. de pactis, l. in tantum in princip. de rer. divis. cap. ab exordio ubi Gloss. distinct. 35. Aret. in §. sed hæc quidem, Instit. de exhær. liber.* hæc ille.

3. Attamen, hæc opinio sequenda non est, dum dicit, quòd Regularis, de quo agitur, sit in carceribus detinendus, donec Provincialis de hoc sit ab Ordinario certioratus, & declaret, cui sit consignandus; quia juxta declarationem Sacræ Congregat. suprà positam, sufficit instantia ipsius carcerati, quippe qui statim debet remitti, etiam posito, quòd Superior nullam instantiam faceret: sunt enim hæc propria verba dictæ Sacræ Congregationis; secùs Episcopus excederet modum, proindeque esset excommunicatus, prout latè multis citatis notat *Alphon. de Leone in tract. de cens. recollect. 2. num. 496. pag.* mihi *134. col. 2.* & in casu injustæ vexationis, quomodo Regularis possit se tueri, dixi hîc suprà, & *Sanch. in opusculis moralib. lib. 6. cap. 9. dub. 2. num. 4. & Tambur.* cit. *loc. disp. 15. q. 6.*

An autem Episcopus possit super his formare juridicum processum, constat ex decisis immediatè suprà.

Quæst. 55. An Provincialis possit Reum subditum punire cum solo processu facto ab Episcopo, & sibi transmisso?

1. L*Aur. Portell.* latè scripsit de hac re in *dub. Regul. ver. punitio Religiosi, extra Conventum publicè delinquentis, fol. 595.* & magis latè *p. 1. cas. 19. num. 2. pag. 147.* & utrobique resolvit affirmativè quæsitum, dummodo Provincialis Reum illum denuò citet, & audiat, ut per se possit novam defensionem adducere, antequam denuò condemnetur, quod *Franciscus Bordonus* dicit habere locum, sive processus sit juridicus, sive non; hoc est, sive sit factus à Judice competente, sive non; modò sit formatus secundùm ordinem juris, excepto solo Judicis defectu, *resolut. 7. q. 11.* & hoc, ob multa *ibidem* expressa; & eò fortiùs, quia ad puniendum Regulares non requiruntur apices juris.

2. *Hier. Rodr.* in suo *comp. resolut. 62. num. 8. Peyr. tom. 3. cap. 2. num. 32. & Diana 3. part. tract. 2. in dub. Regul. resolut. 132.* respondent negativè; tum quia processus factus ab Episcopo in casu posito, ex defectu jurisdictionis est nullus, & actus nullus, nullum producit effectum; etenim Episcopus ex *cap. 14. Conc. Trid. sess. 25. de regul.* nullum jus habet adversus Religiosum exemptum; nisi instare de punitione; & nisi in defectum Superioris nolentis punire, ut dictum est immediatè suprà; & habetur expressè in *c. at si Clerici de judic.* & notant omnes *DD. in l. Magistratibus ff. de jurisdict. omn. Judic. cap. si diligenti, & cap. significasti, de for. compet.* latè *Angel. in l. 1. num. 3. ff. de Confessis, Felin. in cap. qualiter, il. secondo, num. 32. de accusat.* & fuit sæpè decisum, acta facta coram Judice laico, non probare, nec quidem facere indicium coram Ecclesiastico: nec acta facta coram Arbitro, coram Judice laico; prout latè post allegatos docet *Ricc. 2. p. decis. 228. & 4. p. decis. 31. num. 4. & sequent. & Caravita in Rit. 241. num. 5.* ubi ostendit, quòd acta facta in uno judicio, non probant in alio; & horum omnium ratio est, quia censentur facta à Judice omnino incompetenti, & illegitimo; tum quia idipsum per tot Privilegia Summi Pontifices declararunt, ut patet ex illis, in quibus expressè hæc omnia annullantur, & irrita esse dicuntur.

3. Nec his nocet *Portell.* cit. *loc.* quia supponit Episcopi competentiam, quod non est: nec dices, quòd Episcopus sine processu nequit instare; quia, ut dictum est, instare idem est, quod sæpiùs monere, quod potest fieri sine processu: nec declaratio Sacræ Congregat. est intelligenda,

ligenda, ut ipse pensat; sed, ut dictum est suprà; nec objicies, quòd *Tridentinum in d. cap.* 14. non dicit, ut *inquirat, sumat informationem, &c.* sed absolutè dicit, *ut instante Episcopo puniat*, hoc est, ex vi solius processus formati ab Episcopo; quia hoc superadditum est falsum: nam ly, *ut puniat*, intelligitur, juris ordine servato, hoc est, servatis servandis.

4. Verùm, quidquid sit de his, in hoc casu, ad cavendum omnem errorem, debet observari, quod observatur in remissione Clerici facta à Judice laico ad Curiam Ecclesiasticam, in qua practicatur, quòd quando Clericus remittitur à Curia sæculari insimul cum actis, constituitur Reus ex illis actis, & quando vult habere testes pro repetitis, proceditur ad ulteriora, & sic ad sententiam: secus autem repetuntur testes, & dantur defensiones, ut juris: etenim licèt acta facta coram laico non probent coram Judice Ecclesiastico; tamen satis sunt, ut Clericus possit cogi ad perseverandum in tali confessione, si delictum fuisset confessus coram Judice Laico, ut decisum refert *Capella Tholos. in decis.* 425. *Innoc. in cap. Inquisitionem de elect. Speculator, tit. de Confessis, §.* 1. *&* 5. *Baldus in authen. Clericus, C. de Episcopis, & Cleric.* & sic acta saltem servient ad instructionem, non autem ad punitionem.

5. Nec reperitur *textus*, qui dicat, quòd acta facta coram Judice Laico non probent, ad finem examinandi Clericum coram Ecclesiastico; *textus* enim *d. c. at si Clerici*, dicit, quòd acta facta coram laico non probant contra Clericum ad condemnandū, prout plures dicunt, quos citat *Genuens.* in sua *praxi, cap.* 6. *per totum, & Aloys. Ricc.* 1. *p. prax. decis.* 448. *num.* 5. in 1. editio. ubi tractat, quando, & quibus casibus standum sit processui facto à Potestate laicali, cui favet *Ciarlinus cap.* 10. *à num.* 45. & quomodo acta facta in uno judicio, probent etiam in alio inter diversas personas, refert *Ricc. collect.* 1435. *&* 3230.

Quæst. 56. An Episcopus juxtà dispositionem cap. 14. Trid. sess. 25. de Regul. possit punire Regulares delinquentes notoriè in Ecclesia sui Ordinis, in quo degunt?

1. Famigeratissimus Doctor *Barbosa in cap. final. de stat. Monach. num.* 5. testatur, se vidisse originalia *Responsa* Sacr. Congregat. Eminent. Cardinal. *Conc. Trid.* Interpretum, edita sub die 19. Septembris, anno 1625. *ad quadam dubia proposita, &c.* inter quæ spectantia ad *d. cap.* 14. *Conc. Trid.* unum est, in ordine ultimum: an quod conceditur Episcopo in præfato *cap.* super Regulares delinquentes notoriè extra Claustra cum scandalo; intelligatur etiam, cùm delictum fuerit commissum intrà Ecclesiam, vel Claustra?

Sacra Congregatio respondit, facultatem Episcopo attributam in Regulares, notoriè cum scandalo extra Claustra delinquentes, vendicare sibi locum, etiam cùm Regulares notoriè, & cum scandalo, intrà Ecclesiam delinquunt, non ita, si intra Claustra.

Quod item refert in suo *Collect. ad d. cap. Trid. num.* 6. & pariter per extensum ponit 3. *p. de off. & potestate Episcopi allegat.* 105. *n.* 20. *Novar.* in sua *Luc. Regul. ver. delinquens, num.* 9. *Bordon. resol.* 7. *q.* 6. *ver. secunda conditio, Chokier de confer. Eccles. p.* 2. *q.* 102. *num.* 5. *& Peyr.* in suo *formul. lit. P. cap.* 7. *num.* 3. quia Ecclesia, & Monasterium sunt duo distincta, *Gloss. ver. Monasterium cap.* 2. *de supplend. neglig. Prælat.*

2. *Sperellus* verò *decis.* 338. *num.* 15. ait, *quòd extra Claustra delinquere dicitur Regularis, etiamsi in propria Ecclesia cum scandalo delinquit, ut Sacra Congregat. Conc. Trid. interrogata in hunc modum respondit. An Regularis delinquens notoriè in Ecclesia sui Ordinis, in quo degit, ità ut populo scandalo sit, dicatur delinquere extrà Claustra, ut locus sit dispositioni Concilii cap.* 14. *sess.* 25. *de Regular. Congregatio censuit, delinquere extra Claustra, si in Ecclesia Monasterii delinquit; nisi clausis portis Ecclesiæ, & solis Regularibus in ea existentibus fuerit commissum delictum; si verò intrà Claustra Monasterii, vel Ecclesiæ interioris delictum sit commissum, ex verbis Concilii non videre procedere d. cap.* 14. *quod expressè dicit, extra Claustra tamen si scandalum sit notorium populo, ex identitate rationis idem videtur: ideò referendum Sanctissimo, Sanctitas sua dixit, rescribendum Episcopo, ut in individuo exprimat casum, prout contingit, ut sciatur meliùs locus delicti commissi, & an populo scandalum ob notorietatem generet.*

3. *Lezana* verò *in summ. ver. delinquens Regularis*: tum quia odia, juxta vulgatam Regulam, non sunt amplianda; tum etiam, quia Religiosus in Ecclesia sui Monasterii existens, intrà Claustra existere censetur, dicit, *quòd etsi hoc, quod fuit à Sacra Congregatione decisum, & sibi quodammodò durum videatur; tamen acquiescendum est decisioni Sacræ Congregat. si de ea authenticè constet; nisi fortè dicatur, & congruentiùs intelligi de alia Ecclesia sui Ordinis, extrà propriam sui Monasterii*, & sequitur *Cespedes de exempt. Regul. cap.* 16. *dub.* 239. *num.* 4.

4. Verumtamen quoad veritatem prædictarum Declarationum Sac. Congregat. existimo, quòd non sit inficiationi locus, tum quia *Barbosa* sæpè testatur, suis oculis originalia vidisse; tum etiam, quia responsa debent correspondere propositis: quandoquidem dubitatum fuit, an Regularis scandalosè delinquens in Ecclesia sui Ordinis, in quo degit, subjaceat, &c. ergo responsum Sac. Congregat. debet adaptari proposito: perinde, velimus, nolimus, standum est prædictæ decisioni Purpuratorum, & nota ly, *in quo degit*, non dicit, in quo est professus.

5. Non tamen reticeam dicere, quòd *Joan. Anton. Novar.* 1. *p. sum. in Bull. Clem. VIII. tit. de Regul. delinquentibus, num.* 8. tenet contrarium, non alia ratione motus: nisi ob quandam declarationem Sac. Congregat. cujus verba non ponit.

6. Nec dices, quòd sicut ratione scandali Regulares notoriè ac scandalosè in propria Ecclesia delinquentes, subduntur *d. cap.* 14. ità ex identitate rationis hoc deberet etiam habere locum in eisdem delinquentibus intrà Claustra; quia non est verum, adesse eandem rationem, ut de se patet, ergo tutiùs erit dicere, hoc non procedere in Claustris, & ità justissimè Sacra Congregatio declaravit *Cespedes* cit. *loc.* sub *dubio* 237. *num.* 2.

Quæst. 57. Episcopus, quem terminum debeat assignare Prælato Regulari ad puniendum suum subditum, notoriè delinquentem?

1. *Sperellus decis.* 38. dicit, quòd debet esse viginti, vel triginta dierum; sed de hoc non potest dari certa Regula, at remittitur arbitrio Viri prudentis, ità ut terminus assignandus non sit brevis, sed competens, & congruus; ita ut Regularis translatus in alium locum Religionis, possit redire, & comparere, argum. *cap.* 1. *&* 2. *& cap. si primates, caus.* 5. *quæst.* 2.

2. Proinde caveat Prælatus assignare terminum nimis angustum, *Afflict. decis.* 124. quia à præfixione brevis termini possumus appellare ad Judicem competentem, per ea multa, quæ allegat *Novar.* cit. *loc. num.* 12.

* * *

Quaest. 58. Episcopus, quot vicibus teneatur monere Superiorem de notorio delicto subditi, ad hoc, ut ille dicatur esse in mora, & negligens punire?

1. EPiscopus juxta dispositionem *Concil. Trid. cap.* 14. *sess.* 25. *de Regul.* non potest habere jus ad castigandum Regularem notoriè delinquentem extrà Claustra: nisi priùs præcesserit ejus instantia ad puniendum, & negligentia Prælati nolentis punire, ut *ibi* liquet.

2. Hinc quæsitum est, quoties Episcopus tenetur interpellare Prælatum Regularem, ut puniat, ad hoc, ut illo negligente possit ipsemet immediatè punire.

Emmanuel Rodriquez tom. 1. *de Regul. q.* 2. *art.* 6. *in fin.* ubi agit, quomodo Episcopus possit corrigere Monachos delinquentes, ait, *existimo autem, ut dicatur Episcopus instare, & Prælatus negligens, sufficit, quòd ter fuerit requisitus, & nolit punitionem congruentem executioni mandare, & non sufficit, quòd bis requiratur:* quod confirmat ejus *Comp. resolut.* 62. *num.* 8. *in medio;* nam idem est instare, quod pluries monere, & colligitur ex *textu cap.* 1. *de suppl. neglig. Prælatorum*, ubi ad hoc, ut Superior requisitus ab inferiore constituatur in mora, requiritur multiplex interpellatio, teste *Abbate in cap. ex parte, de appellat.* ubi dicit, quòd Judex potest appellari negligens, si ter requisitus distulerit pronunciare; quod item procedit de petitione Apostolorum, qui instanter, & sæpiùs petendi sunt, *cap. ab eo, de appellat.* Proinde non sufficit, Episcopum una vice Superiorem Regularem monere, eique terminum præfigere ad puniendum delictum sui subditi, sed requiritur saltem trina monitio, *Cacher in decis. Pedem.* 12. ubi habetur, interpellationem unam non sufficere, ut dicatur stare per Judicem, quò minus causam expediat; cui accedit Declaratio Sac. Congregat. Eminent. Card. *Conc. Trid.* interpretum, & refert *Novar.* 1. *p. sum. Bull. tit. de Regul. delinquent. num.* 7.

3. Verùm *Barbosa in cap. fin. de stat. Monach. num.* 1. *& allegat.* 105. *num.* 20. *& Novar. in Luc. Regul. ver. delinquens, num.* 9. fatentur, Sacram Congregat. ad dubium sibi propositum, an sufficiat, quòd Episcopus unica vice Superiorem Regularem moneat, eique terminum præfigat ad castigandum subditi delictum? ita respondisse, *satis esse, ut Episcopus semel instet Superiori Regulari, eique tempus præfigat ad ejusdem Conc. præscriptum.*

4. Ad quam declarationem *Peyr. tom.* 3. *cap.* 2. *num.* 31. subjungit, *sed nihil malè faciet Episcopus, si in casu negligentiæ instet, secundò, & tertiò, magis enim juri communi se conformabit; nam verbum instare, quandam importunitatem arguit*, ex *Baldo l. eos, §. Apostolos, num.* 3. *C. de appellat.* idipsum dicit *Lezana ver. delinquens, num.* 3. *eò magis*, subjungit, *quòd Episcopus potest esse deceptus, & non bene informatus de delicto Religiosi, nihilominùs Superior Regularis statim ad primam monitionem Episcopi debet procedere ad punitionem talis Religiosi, non solùm, ne propter ejus moram dicatur, illius delicto connivere; sed etiam, quia ità declaratum dicitur à Sacra Congregatione, referentibus Barb. & Novar. ubi suprà.*

5. Nihilominùs adverte, quòd in dicta Declaratione Sac. Congregat. non habetur, quòd Prælatus Regularis dicitur negligens, vel in mora constitutus, si semel monitus retardet delinquentem punire; quia poterit punitionem dilatare ex aliqua rationabili causa, justo impedimento, vel donec fuerint adimpleta adimplenda; sed unicam interpellationem Episcopi, existimo satis esse ad hoc, ut Regularis Prælatus ex actis sibi transmissis ab Episcopo, vel ejusdem requisitoriis, possit reum subditum constituere, & ad ulteriora procedere, non quòd habita unica monitione Episcopi, & punitione statim minimè sequuta, Prælatus Regularis amittat jus ampliùs puniendi, & quòd ejus jus transferatur in Episcopum Loci.

Quaest. 59. Prælatus Regularis, an possit purgare moram, si infrà terminum sibi præfixum subditum non puniat?

1. NOvar. 1. *par. sum. Bull. tit. de Regul. delinq. num.* 5. *in fin.* ait, quòd licèt mora possit purgari de æquitate Canonica, ex *cap. final. de loc. & conduct.* verumtamen fallit in casu posito; quia terminus ei præfixus ab Episcopo, currit de momento in momentum, eò quòd jus puniendi Regularem infrà terminum præfixum, & elapsum, devolvitur ad loci Ordinarium, quo casu subintrare videntur termini *decis. Prvii* 531. *& Verall.* 3. ubi habetur, quòd mora non purgatur in actibus, in quibus jus resolvitur.

Quaest. 60. Prælatus Regularis, quomodo teneatur monere Episcopum de punitione Rei subditi?

1. HOc dubium, teste *Barbos. & Novar. ubi suprà* fuit propositum Sac. Congregat. sub tali forma: *An sufficiat, quòd Superior Regularis ad Episcopum mittat copiam tantùm sententiæ, vel debet remittere omnia acta, super delicto agitata, ad effectum, ut Episcopus possit videre, si in hoc adimpleta fuerint verba Concil. d. cap.* 14. *ut severè puniatur, nec ne?*

Congregatio respondit, non sufficere, ut Superior Regularis sententiam, aut etiam acta ad Episcopum transmittat, sed opus est, ut de punitione ipsa, & sententiæ exequutione Episcopum certiorem faciat.

2. Formam autem monendi Episcopum de punitione hujusmodi, ponit *Peyrin.* in suo *formul. cap.* 7. *fol.* mihi 654. ubi multa notat, & est tenoris sequentis:

Charitatis, ac justitiæ zelo refertas accepimus Illustrissimæ V. Dominationis litteras, quibus instabat, ut Fr. N. indignum Ordinis nostri Religiosum, qui scelestas, præteritis diebus in honestum, ac gravem Virum N. in publica Civitatis hujus platea, magno cum populi scandalo, manus inferre ausus est, digna ejus scelere animadversione pœna mulctaremus, deque sumpto supplicio, Dominationem vestram intra mensis spatium redderemus certiorem: nos, qui Illustr. Dominationem vestram, ea, qua par est, observantia colimus, ac veneramur, ad ejusmodi delicti inquisitionem, prout de notorio jura disponunt, perspectis illicò litteris, processimus: cùmque eundem N. graviter deliquisse comperimus, ex nostrarum Constitutionum præscripto, carceribus per annum mancipandum fore judicavimus, ac re ipsa damnavimus, activa, & passiva voce per biennium etiam privantes: cujus quidem nostræ dispositionis, ac sententiæ, ut Apostolicis paremus mandatis, Illustriss. D. V. his litteris censuimus commonendam, cui etiam fausta cuncta ab eo precamur, qui mandat salutes Jacob. Datum, &c.

Quaest. 61. An Episcopus possit severè punire Regulares delinquentes, si advertat, illos leviter fuisse punitos ab eorum Superiore?

1. AFfirmativè *Novar.* cit. *loc. num.* 24. quia per levem pœnam inflictam subdito delinquenti ab ejus Superiore, ob delictum grave, non censetur satisfactum dispositioni *d. cap.* 14. *Conc. Trid.* ità ut non sit, ob talem punitionem ablata facultas loci Ordinario, quin ipse pariter aliquam pœnam denuò possit infligere, aliàs frustratoria foret dispositio, *d. Conc. Trid.*

2. Sed pace hujus doctissimi Viri, hoc non habetur in *Conc.* non enim *ibi* dicitur, quòd subditus leviter punitus à suo

à suo Superiore, debeat juxtà qualitatem delicti, proportionaliter denuò ab Episcopo puniri; sed tantùm, quòd Prælatus Regularis tenetur certiorem facere Episcopum de punitione Regularis delinquentis, qui Episcopus si viderit, pœnitentiam non correspondere delictis, poterit de novo instare, ut justè, ac condignè puniat, si post instantiam, Prælatus Regularis desinat punire, poterit ad novam pœnam infligendam procedere; & sic satis fit *Concil. Tridentino* prædicto.

3. Benè verum est, quòd Reus non punitur ad libitum Episcopi, at est puniendus juxtà qualitatem delicti; ad præscriptum tamen Regulæ, vel secundùm jus Canonicum, aut Civile, quando casus occursus non esset in Regula expressus; quia casus omissus remanet dispositioni juris communis.

Quæst. 62. An Episcopus possit incarcerare Novitios, sicut, & Professos ejusdem Ordinis?

1. NEgativè dic, ex *Clementin unica, de excessibus Prælatorum*, ubi Papa providet contrà triginta gravamina, quæ Prælati Religiosis inferebant, ibi, *quidam enim exemptos capiunt, & incarcerant, in casibus non concessis à jure, & secùs faciens incidit in excommunicationem cap. si quis suadente Diabolo, caus.* 17. *q.* 4. quia indebitè captos afficit injuria, *Henriquez lib.* 7. *de indulg. cap.* 25. *num.* 7. *& Sorbus Capucc. in compend. Privil. ver. conveniri*, ubi pro sua sententia citat *Paulum Fuscum*, *lib.* 2. *de visit. cap.* 20.

2. Sed Novitii gaudent in favorabilibus, Gratiis, & Privilegiis Professorum, *cap. Religioso, de sent. excom. in 6. & Paulus V.* concessit hoc in specie Congregationi S. Mariæ Fulien. in sua *Constit.* incip. *in supereminentis, tom.* 3. *Bull. Cherub.* 23. inter *Constitut.* ejusdem *Pontif.*

3. Nisi forsan Novitius ob delictum in sæculo factum, præsumatur in fraudem intrasse Religionem, *Laur. Peyr. tom.* 1. *Privil. in* 2. *Constit. Sixti IV.* §. 1. *num.* 61. & latè dico infrà in *tract. de Privil. Novitiorum*, *q.* 1. 2. 3. ubi habes, quòd in favorabilius Novitii veniunt appellatione Monachorum, *Rodriq. tom.* 2. *q.* 63. *art.* 7. §. *infertur, & Portellus ver. Episcopus, num.* 15.

Quæst. 63. Superiores negligentes Reos hujusmodi punire, aut si impunitos ad alia Loca suorum Ordinum transmittant, vel hos transmissos recusent ad Locum delicti revocare, an sint severè puniendi?

1. CLemens Papa VIII. sua infrascripta *Const.* edita sub anno Domini 1596. nedum ratificat prædicta decreta *Sac. Concil. Trid.* verùm etiam addit, sub hac forma verborum.

Suscepti muneris ratio postulat; ut ea, quæ in Sac. Trid. Conc. providè constituta sunt, ab iis, ad quos spectat, inviolatè observari curemus: maturo sane consilio, ipsius Concilii Decreto provisum est, ut quicunque Regularis non subditus Episcopo, intrà Claustra degens, extrà ea ita notoriè deliquerit, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, & Superior de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, ipse à suo item Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit: verùm; quia experientia compertum est, interdum in hujusmodi Decreti exequutione, nimis remissè procedi, cùm enim Episcopus instat, aliquem Regularem, eo, quo suprà dictum est, modo, delinquentem, à suo Superiore puniri, sæpè fit, ut Superior Regularem delinquentem, ad alia suorum Ordinum Loca, extrà Episcopi Diœcesim, ex industria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad aliàs Provincias se conferat, nec ulteriùs super delinquentis excessibus inquirat, & de eius punitione Episcopum certiorem reddat. Undè nec Regularis delinquens, tunc ab Episcopo puniri potest, cum extrà ipsius Diœcesim existens, nec Superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio privatur. Nos pro pastorali nostra sollicitudine, præfati Decreti exequutioni, quantum cum Domino possumus, favere, & præmissis malis, ut par est, opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Ecclesiæ Card. prædicti Concilii interpretum sententia: motu proprio & ex certa scientia, nostris, ac de Apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione omnibus, & singulis cujuscunque Ordinis, & Instituti Regularium, etiam Mendicantium Superioribus, in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, ut juxtà prædictum Decretum, quilibet ipsorum, Regularem non subditum Episcopo, intrà Claustra degentem, & extrà ea, ita notoriè delinquentem, ut Populo scandalo sit, Episcopo instante, intrà tempus ab Episcopo præfigendum, severe puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequatur: cæterum, si Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimmò si illum impunitum ad alia suorum Ordinum Loca, extrà Episcopi Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus, & similis motu atque authoritate decernimus, ut Superior instante Episcopo, intrà terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum; nec non & sub inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac ulteriùs privationis activæ, & passivæ vocis, ad quas à nemine, præterquam à nobis, & à Rom. Pontifice pro tempore existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum Regularem delinquentem à Loco, ad quem transmissus fuit revocare, & in quo deliquit, constituere, seu sistere teneatur: quòd si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, prædictum Concilii Decretum omninò exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit, & debeat. Decernentes sic, & non aliter per quoscunque Judices, & Commissarios, quavis authoritate fungentes, etiam eiusdem Rom. Ecclesiæ Card. causarum Palatii Apostol. Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, quidquid secùs super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus, &c.

Quam per extensum ponit *Cherub. pag.* 53. *tom.* 3. & est 39. inter *Bullas ejusdem*, *Stephan. Quaranta in sum. Bull. ver. exemptio, fol.* 245. *Sorbus Capucc. in fin. comp. pag.* 554. *Confectus in summ. mater. privileg. tit.* 6. *cap.* 2. *Naldus in sum. ver. Religiosus num.* 36. *Tamb. tom.* 1. *de iur. Abbat. disput.* 15. *q.* 7. *num.* 7. *in fin. Rodr. tom.* 2. *q.* 2. *ar.* 6. ubi examinat dictam *Constitutionem*, & *Portell. ver. Episcopus, num.* 8.

Quæst. 64. Regularis Prælatus, contrà quem Episcopus intendit procedere in vim dictæ Bull. juxtà §. 3. an possit se tueri per Privilegium suæ exemptionis?

1. NEgativè; quia Episcopi contrà hos Religiosos, vigore hujusmodi *Constitutionis* procedunt, uti Delegati Sedis Apostolicæ, ut ex Rota decisum refert *Seraphin.* in una *Salmantina jurisdictionis* 14. Decembris 1596. & *Novar.* 1. *p. sum. de Regul. delinquent. extrà Claus. num.* 16.

num.16. & Flavius Cherub.in comp.Bull.Schol. prim. in d. Bull. Clem. VIII. ubi subnectit, quòd prædicta *Constit.* novum jus continet in ea parte, qua Superiores onerat ad revocandum delinquentem ad Locum delicti, sub gravioribus pœnis,& in ea,in qua easdem infligit,eisdem negligentibus, eorum Regulares coercere; ut patet ex lectura *Bulla* prædictæ.

Quæst.65. Pœna apposita in dicta Bulla Clem. VIII. an post transgressionem statim incurrantur, sine declaratione Iudicis?

1. ET dico, quòd non; sed requiritur sententia declaratoria Judicis, per ea multa, quæ dico in *tract.2. de Bullis recip.q.1. & 2. par.4.* & habetur expressè in *cap. cum secundùm leges, de hæret. in 6.* ubi statuitur, quòd in pœnis, ipso jure incurrendis, prærequiritur Judicis declaratoria,quod notat *Sanchez lib.2.sum.cap.22.num.8. P. Anton. Diana 1.p. moral. tract.15.* seu 3. *Miscell.resolut. finali, Ricc. collect.* 303. ubi ex *d. textu de hæret.* multa colligit digna notatu *fol.*mihi 169. *& Novar.1.p.sum.Bull. tit.de Regul.delinquent.num.21.*

2. Et hujus ratio esse potest; quia inobservantia fieri potest, non ex dolo, & malitia, sed ex rationabili causa, & legitimo impedimento; hinc Reus prætensus debet citari ad dicendum causam, quare non debeat declarari incidisse in pœnas appositas in dicta *Bulla.*

Quæst.66. An Episcopus possit visitare Ecclesias, & Monasteria exemptorum Regularium?

1. REspondeo, quòd sicut olim Episcopi habebant omnes Religiosos sub sua jurisdictione; etenim de jure communi in tota sua Diœcesi, tam super illos, quàm super omnes alias personas Ecclesiasticas habent intentionem fundatam, & juris assistentiam, ut constat ex juribus allegatis; ità habebant jus Regulares visitandi, & procurationes, seu expensas in Visitatione factas recipiendi, *cap. Sopito,cap.cùm olim,de censibus:* quandoquidem,jus visitandi pullulat, & dimanat à jurisdictione ordinaria, quam quis habet in suos subditos, ex *cap. Romana, & C. perpetuò,de censi.in 6.cap.conquærente,de off.ordinar.c.cùm Apostolus, de censib. & cap.mandamus, de off. Archid.*

2. Sed quia hodie in Regulares exemptos nullam habent jurisdictionem, consequenter nullatenus possunt illos visitare, sed hoc spectat ad Prælatos Regulares, nempe,ad eorum Generales,& Provinciales;quia hi sunt Religiosorum Judices Ordinarii: & est definitio *Conc. Trid. cap.20. sess.25. de Regul.* sub hac forma verborum.

Abbates,qui sunt Ordinum capita,ac cæteri prædictorum Ordinum Superiores Episcopis non subjecti, quibus est in alia inferiora Monasteria, Prioratusvè legitimè jurisdictio, eadem illa sibi subdita Monasteria, & Prioratus, suo quisque Loco, atque Ordine ex officio visitent; etiamsi commendata exsistant, quæ cum Ordinum suorum Capitibus subsint, declarat sancta Synodus in iis, quæ aliàs de Visitatione Monasteriorum commendatorum definita sunt non esse comprehensa: teneanturque quicunque prædictorum Ordinum Monasteriis præsunt, prædictos Visitatores recipere, & illorum ordinationes exequi. Ipsa quoque Monasteria, quæ sunt Ordinum capita, juxtà sanctæ Sedis Apostolicæ, & cujusque Ordinis Constitutiones visitentur, & quandiu durabunt hujusmodi commendæ, Priores Claustrales, aut in Prioratibus Conventum habentibus Suppriores, qui correctiones, & spiritualem Regimen exercent, à Capitulis Generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur: in cæteris omnibus præfatorum Ordinum Privilegia, & Facultates, quæ ipsorum personas, Loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa.

Et *cap.8. sess.21. de Reformat.* ibi *commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositura, in quibus non viget Regularis Observantia, ab Episcopis tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, annis singulis visitentur.*

3. Nec his obstant illa verba *cap. 8.* ejusdem *Trid.sess. 7 de reformat.* nempè *Locorum Ordinarii, Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas, authoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur:* quia *Concil.*in dicto *loc.* debet intelligi, quòd loquatur de Ecclesiis Secularium exemptis, ut infrà *q.70.* non autem de Ecclesiis Regularium; tum quia secus pugnaret contrà se in *præcit.cap.* tum etiam; quia Regulares non comprehenduntur sub odiosis: nisi in specie exprimantur, tum item; quia non est verisimile, *Concilium* hoc casu voluisse subditos duplici onere Visitationis gravare; tum tandem; quia jurisdictio de sua natura petit,ut sit indivisa, *l. ut certò, § duobus, ff.commod.l.stipulationes non dividuntur,ff.de verb.oblig.* unde dictum est,quòd duobus Dominis non possumus servire, ob quod, unius rei insolidum duo Patroni nequeunt esse, prout latè ostendit *Emanuel Rodriq.tom. 1.q.36.ar.3. & Gennens.* in sua *praxi Archiep. cap.83.* multis citatis *num.*10.in 2.editione.

4. Proindè, Congregatio *Concilii* censuit, Episcopos, aut alios Locorum Ordinarios vigore cujusvis Decreti ejusdem *Concilii*,nullam habere facultatem,quovis tempore in Monasteriis, Domibus, & Ecclesiis Regularium exemptorum, quibus non imminet cura Animarum personarum Sæcularium, visitandi Sacristias, Paramenta, Vasa Sacra, Altaria, & cætera hujusmodi: aut etiam Tabernaculum, seu Pyxidem, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, & refert per extensum *Peyr.tom.1.Privil.in 2.Constitut. Sixti IV. § 10. num. 17.fol.* mihi 91.

Quæst.67. Regularis Observantia,quæ nam sit ad effectum excludendi Episcopum, à Visitatione Monasterii?

1. EX *cap.8.Trid.21.de Reformat.* certum est, Episcopum non posse visitare Monasteria, in quibus viget Regularis Observantia; ideoque quæro, quid sit illa, & quando dicatur Monasterium illam non habere? Respondet *Paulus Fusc.de visit.lib.2.cap.15.nu.*47. quòd non viget Regularis Observantia in Monasteriis, quorum Monachi ad unum, vel duos redacti sunt.

2. Sed fallitur, & in contrarium facit *l. sicut, § ultim.ff. quod cujusque univer. nom.* etenim Monasterium dicitur, in quo unus est Monachus, & non Cœnobium; *Trid. in frag. de vita Monast.* cui favet Eminent. *Bellarmin. in d.cap.Trid.* ad dict. *num.2. Ledesma de statu Religiosorum in communi,cap.4.conclus.12.dub.1.Valentia tom.3. disput. 10.quæst.4. punct.5. & Peyr. tom.1. de subd.q.1.cap.5. ver. noto quartò, in fin.*ubi examinat, quid sit vita Regularis, & in quo consistat, & inquiunt, consistere in hoc, quòd Religiosus sit subjectus Regulæ, quod est quoddam priùs, quàm observare Regulam, & egomet dixi hic suprà.

3. In Regula autem sunt duo, nempe,vota essentialia, & accidentales observantiæ, ut eruditè notat *D.Thom. 2.2.q.186.*

4. Quæ quidem vota substantialia,collectim sumpta, dicuntur votum professionis, non quòd hoc professionis votum, sit aliquod particulare votum, ab illis tribus distinctum; sed hoc unico voto, illa tria significantur collectivè, prout *ibidem Doctores* advertunt.

5. Horum verò trium votorum major est obedientia, ut dictum est suprà, qua quis se obligat in Religione approbata à Sancta Sede, alicui Superiori obedire, quod

potest

poteſt in uno ſolo Religioſo reperiri, quidquid de multitudine alii dicant: quæ ſunt menti tenenda; quia juxtà diſpoſitionem *d.cap.Trid.* Epiſcopus non debet ſe interponere in Monaſteriis, in quibus viget Regularis obſervantia.

6. Benè verum eſt, quòd quando in his Monaſteriis viget obſervantia Regularis, Epiſcopus poterit eorum Superiores monere, ut ipſi viſitent, & corrigenda corrigant; qui ſi intrà ſex menſes viſitare neglexerint, Epiſcopus ipſe viſitare poterit, & corrigere, nullo Privilegio, aut appellatione obſtante, prout definitur *cap. 8. Conc. Trid.ſeſſ.21.de reformat. in fin.* & refert *Campanilis rubric. 12.cap.13.num.50.*& multis citatis *Barboſa allegat.74.nu. 16.& in collect.ad d.cap.8. Conc.Trident.ſeſſ.21.de Reformat.num.10.& 11.verſ. quibuſcunque.*

Quæſt.68. Si Epiſcopus accedat ad viſitandum aliquod Monaſterium exemptum, & dicat, ſe id facere ex ſpeciali commiſſione Sedis Apoſtolicæ, an ſit ei credendum?

1. NEgativè *Panormit.cap.cùm in jure, de off. & poteſtate Judicis Delegati, num.3.* & in propriis terminis, poſt longam diſputationem *Jacobus Graffius, tom.2. de off. Delegati conſ.3.* à *num.9.* cui ſubſcribit *Peyr.tom.1. de ſubdito, q.1.§.2.ver.dico ſeptimò, & tom.3. Privil.cap.2. in additio.ad Conſtit. Sixti IV.num.6.ver. noto quintò,* & habetur expreſsè in multis juribus per *Graff.* allatis, & præcipuè in *d.cap.cùm in jure,* ubi cuidam dubitanti, an teneretur obedire, alteri mandanti, ut aliquem excommunicaret, & afferenti, ſe ad id habere Apoſtolicam authoritatem, reſpondet Papa, *ſuper hoc hujuſmodi tibi damus reſponſum, quòd niſi de mandato Sedis Apoſtolicæ certus extiteris, exequi non cogaris, quod mandatur, &c.*

2. Et *ibi Baldus* dicit, quòd pluribus modis poteſt quis certificari, & ſubjungit, *illa tamen eſt plenior certificatio, quæ fit per oſtenſionem litterarum originalium,* ut in *l.ſi quis juſtificatus, ff. depoſiti.*& eſt caſus deciſus à *Zabarell.in cap.venerabili, col.3. extrà de cenſib.* ubi habetur, quòd ſi Epiſcopus viſitet tanquàm Delegatus, etiamſi ſit verè Delegatus, tamen ſi Delegationem non oſtendat, non poteſt excommunicare viſitando, & ſi fecerit, non valebit; quia non valet, quod faciunt Delegati, niſi probata Delegatione, *C.de mandat.Princ.l.1.cap.nobiliſſimus, de off. delegat. & d.c.cùm in jure,* & eſt communis; quia cenſetur lata in non ſubditum à Judice incompetenti, *Graff. ubi ſuprà, num.17.*

3. Immò, Prælatus Monaſterii poteſt reſiſtere Epiſcopo nolenti oſtendere litteras ſuæ Delegationis, ſi violenter vellet viſitare Monaſterium, *Zabar.in d.cap.venerabili, de cenſib.* & habetur in *l. prohibitum, C. de jure fiſci, lib.10.* ubi *Bald.in num.2.* ait, quòd quis pro defenſione ſuæ poſſeſſionis, & multò magis vitæ, licitum eſt ulciſci, & talis ultio non eſt propriè ultio, ſed defenſio, quæ omni jure permittitur.

4. Amplia hoc ad omnes Religioſos, quorum intereſt, quos ad hoc Prælatus poteſt convocare, exclamando, *ſuccurrite,* & illi tenentur ſuccurrere, per jura *ibi* allegata, & *Peyr.in d.loco tom.3.Privil.* ſubnectit, quòd Epiſcopus priùs tenetur oſtendere litteras ſuæ commiſſionis, & poſteà viſitare, quòd ſi eas nolit oſtendere, & de facto procedat, poſſunt Regulares de facto etiam illi reſiſtere, nam de facto procedentibus, de facto eſt reſiſtendum, *l.1.§.& hoc edictum, ff.ſi mulier Ventris nomine, &* dicit *Marcus de Mantua ſingul.446.*

5. *Graffius* verò cit.*loc.difficult.2.num.3.*non diſcedendo ab opinione *Zabarell.* diſtinguit, de reſiſtentia facienda, quia interdùm reſiſtitur pertinaciter objiciendo manus, & hoc eſt vituperoſum, & dedecet Religioſos viros; aliquando reſiſtitur verbo, & ità *Paulus* ſtetit in faciem Petri, ad *Galat. cap.2.* & talis reſiſtentia dicitur expreſſa contradictio *2.q.7.cap. Paulus.*

6. Et hoc ſecundo modo poſſunt Regulares in caſu noſtro reſiſtere, allegando ſua jura ob quæ non debent viſitari, & proteſtationem facere de gravamine, & præjudicio ſibi illato, vel inferendo, & in forma Superiores appellare, & Viſitatorem monere de cenſuris, in quas incurritur, & hæc omnia fiant cum moderamine, & ſine ſcandalo: quia væ homini illi, per quem ſcandalum venit.

7. Et ſcias, prædicta tunc procedere, & habere locum, quando iſthæc delegatio non foret notoria, ſecùs autem; quia ſicut Regulares non tenentur oſtendere Privilegium exemptionis; quia eſt notorium; ità & à pari Epiſcopus non teneretur oſtendere delegationem, ſi jam ſit notoria; quia in notoriis non egemus teſtibus.

Quæſt.69. Si Epiſcopus prætendat viſitare Regulares, & hi prætendant, non poſſe, & Regulares appellent, an Epiſcopus de facto poſſit procedere?

1. GEnuenſ. in ſua *praxi Archiep.c.18.num.5.* ait, quòd quando Epiſcopus viſitat, & in actu viſitationis viſitati reſiſtunt, allegantes exemptionem à Viſitatione, poterit Epiſcopus, illos de facto reſiſtentes, ſi non ſunt in poſſeſſione, quòd non viſitentur, de facto excommunicare, nullo juris ordine ſervato: nec exemptionem, aut probationem oblatam recipere, aut appellationem admittere tenetur, cùm, non ut Judex, ſed ut pars, pro ſuo jure conſervando procedat, defendendo ſe gladio ſpirituali, juxtà *cap. dilecto, de ſent. excommun.in 6.*

2. Si verò illi ſunt in poſſeſſione, quòd non viſitentur, non poterit ſic excommunicare; quod ex multis dicit eſſe commune, & *ibidem* docet formam excommunicandi in actu viſitationis; ordine juris non ſervato.

3. *Campanilis* autem in *diverſ.Jur.Canon.rubr.12.cap. 13.in num.53.* ultrà prædicta dicit, quòd quotieſcunque Epiſcopis licet viſitare Monaſterium Regularium, aut alia exempta, ſi dum ipſi ingredi volunt Monaſteria ipſa, ob cauſam prædictæ viſitationis, & Regulares renuant illos intromittere, Oſtia claudendo, Epiſcopis fas erit, vim inferre, & Oſtia frangere, in Eccleſias irruere, & viſitationem impedientes excommunicare, etiam non adhibitis monitionibus, in ipſo actu manifeſtæ violentiæ ſibi illatæ, pro defenſione ſuorum jurium, cui ſubſcribit, multis citatis *Barboſa alleg.74.num.22. & Joan.Bapt.Ciarlinus controverſ.forenſ.cap.65.* ubi in facti contingentia ad defenſionem Epiſcopi Ordinarii Rhegii, multa colligit, & docet, quòd Epiſcopus pro defenſione jurium ſuæ Eccleſiæ, poteſt uti utroque gladio, nempe, ſpirituali excommunicando, & materiali infringendo januas Eccleſiæ *num.9. & ſequen.*

4. Nihilominus, *Laur.Peyr.p.3.Privil. cap.2.in additio.ad Conſt.Sixti IV. num.7.* ait, *opinionem d. Campanilis indigere temperamento; nam licet Epiſcopus ex d. cap.dilecto, de ſent. excom. in 6. ad defenſionem ſuæ juriſdictionis poſſit uti armis materialibus & ſpiritualibus, ut docent Abbas in cap. venerabili, de cenſib. num.3. & Innoc. in cap.1. de immunit. Eccleſ.num.3. nec tenetur in hoc caſu appellationem admittere in præjudicium ſui juris, cùm ſit in poſſeſſione, nec etiam probationem recipere; quia procedit, ut pars ad jus proprium ſuſtinendum, non autem ut Judex, & ſic oblatio probationis non habet juſtificare appellationem ex d. cap. dilecto, attamen ante excommunicationem tenetur monere Fratres, ut dicit Abbas, & Innoc. cit. loc. ubi relata prima opinione dicente, quòd monitio in hoc caſu non eſt neceſſaria, ait, monitio tamen ſemper videtur neceſſaria, & ita ſenſiſſe Innocentium, diſertis verbis, teſtatur Felinus in cap. cùm ſit Romana, num.16. de appellat. ubi ait, Innocentium receſſiſſe* ab

ab opinione negante, monitionem in hoc casu necessariam non esse, quare mirandum est, quomodo Campanilis pro sua sententia, hos tres Doctores adducat. hæc ille.

5. Et de facto hæc quæstio turbida est, ad quam *Suarez tom.5.de censf. disput.2.sect.4. in condict.3. necessaria ad ferendum censuras, ver. in hac verò ratione, Graffius in append.ad decis.Aur.lib.3.de monit.necessarius, cap.1.num.24. & 25.*& nuper *Vulpes* in sua *praxi judiciali fori Eccles.cap.1.num.10. in fin.* respondent affirmativè, quod arguunt, tum ex *d.cap.dilecto*, tum ex illo naturali principio, quòd vim vi repellere licet, ad quam defensionem unusquisque potest uti propriis armis, & ob id Episcopus pro defensione suorum jurium, poterit uti utroque gladio, omissa monitione, & juris ordine non servato.

6. Et addunt, quòd aliud est excommunicare, uti Judex, & per modum judicii, & aliud, ut persona privata, extrà judicialiter, & per modum defensionis, ut dictum est suprà; nam primus actus exigit monitionem; secùs verò secundus; & colligitur ex *cap.sacro, de sententia excommunicationis*, ubi quis ut Judex censuras infert: ergo secùs, si non ut Judex eam fulminet, argum. *cap.nonne, de præsumpt.& l.cùm Prætor, ff. de judic.*

7. *Didacus* verò *Covar.in cap.Alma mater p.2.relect. §.9.num.6.ver.hinc denique Sayr.de censf.lib.1.cap.12.num. 20.in fin. Turrianus de cens.lib.2. disp.1. dub.5.* & alii plures, quos sequitur *Diana p.5.tract.9. de excomm. resolut. 18.in medio* respondent negativè: & hoc ideò; quia monitio de jure communi Canonico est necessaria simpliciter in omni censura, & maximè in excommunicatione ferenda, ex *d.cap.sacro, cap. contingit 2.de sent. excom. & cap.Romana, eod.tit.*& simil.quæ allegat *Sayr.*cit.*loc.nu.5.* quæ jura loquuntur absolutè, & nullam faciunt exceptionem, nec ostendunt istam differentiam de excommunicando, ut Judex, & ut persona privata: & eo fortiùs, quia in *d.cap.dilecto, de sent.excom. in 6.* in quo se fundant Adversarii nihil contrà hoc dicitur: tum etiam; quia excommunicare, est actus jurisdictionis, quam quis habet in Subditos, ergò non potest, nisi metaphysicè illa ratio Judicis, separari ab usu hujus potestatis; quod magis apparet, si advertas, quòd excommunicatio est pœna, quæ infligitur ad vindicanda, & punienda patrata delicta, nullus autem poterit sumere pœnam de delictis, nisi sit Judex, & exerceat judicium circa culpabiles, ergo Episcopus quoties excommunicat, toties utitur hac sua potestate, supponente, eum esse Judicem.

8. Nec dices, quòd censura aliquando imponitur ad præcavendum futura mala; quia certum est, censuram non indigere monitione, si feratur ad cavendum crimen futurum: sed hoc fallit in casu nostro; etenim Adversarii dicunt, Episcopum, omissa monitione posse excommunicare Parochum sibi resistentem, seu inobedientem, unde paret, quòd loquimur de commissis, non autem de committendis.

9. Confirmatur, non solum; quia censura, ut censura pro delicto præterito fertur ob contumaciam: nullus autem potest dici contumax, nisi fuerit præmonitus: sed urgentius est; quia monitio, seu citatio est de jure Divino, & ea, quæ sunt hujusmodi, nec per consuetudinem, nec per D. Papam possunt tolli, & abrogari, prout latè *Chartarius decis. Cur.Archiep.Mediolan.69.nu.6. & Alphonsus de Leon.de censf.recoll.6.num.*213.*pag.*529.

10. Hinc infert *Peyr.*cit.*loc.*quòd monitio prærequiritur etiam, si Episcopus velit procedere per Ostiorum fractionem; tum quia esse potest, ut Regulares, tali monitione territi, pareant, & sic sine scandalo, & rumore, ut inter Religiosos decet: tum etiam; quia si monitio requiritur ante excommunicationem, quæ est gladius spiritualis, & formidabilissimus: quare non requiretur ante usum gladii temporalis, qui majorem rumorem & scandalum quandoque excitat?

11. Propterea, si Episcopus non esset in possessione visitandi, & velit Monasterium visitare, quod constat evidenter esse exemptum, ut dictum est suprà, possunt Fratres resistere, quos resistentes, si Episcopus excommunicet, tunc illa excommunicatio est nullius valoris, utpotè lata à Judice non suo, *cap. cùm dilectus de Relig. Domibus*, & additur, quòd si Episcopus audeat Monasterium exemptum visitare, ex quo Regularium exemptio est notoria, non poterit hanc suam visitationem palliare, & se tegere, dicendo ignoranter fecisse, ob quod puniendus erit tanquàm publicus pacis perturbator, & tanquàm manum mittens audacter in alienam messem, argum.*cap.sacro, de sent. excom.*

12. Si autem dubium sit, an Episcopus sit in possessione, & prætendens visitare, Fratres recusent, ipse autem eos excommunicet; talis excommunicationis valor pendebit à futura decisione causæ, facienda à Superiore, interim poterunt Fratres sua jura tuendo resistere, & de facto procedenti, de facto respondere; quem amplectitur *Cespedes de exempt. quoad varia, cap.24. dub.370.*

13. Vide quæ dico hic suprà *q.13.* ubi decisum habes, quòd Regulares non possunt privari usu possessionis, pendente lite super validitate Privilegii; quoniam nullus de facto, nec etiam Prædo est turbandus in possessione, in qua reperitur; aliàs diceretur spoliatus, & quòd non liceat Episcopis in casu dubio, nostra interpretari Privilegia, habes hic pariter immediatè suprà *q.14.* & quòd si Ordinarius dicat, suam esse jurisdictionem, & Subditus neget, non debet ipse Episcopus judicare; quia nemo Judex in causa propria ex hic decisis *q.15.* quòd si hoc procedit inter Superiorem, & Subditum, quantò magis urget inter non Judices, & exemptos: & ad hæc debet attendi declaratio Sac. Congregat. facta contrà Episcopum Genuens. qui jure possessorii prætendebat visitare Ecclesias Regularium, quam habes hic.

Quæst.70. An Episcopus possit visitare Confraternitates Laicorum, sitas in Ecclesiis Regularium?

1. Respondeo affirmativè, quoad computa, ut infrà dico; quia Episcopus, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, ex *cap.8.& 9.Concil.Trid.sess.22. de refor.* habet jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcunque, ac Confraternitates Laicorum, etiamsi exemptionis Privilegio sint munita, & omnia alia pia loca, quibuscunque &c.

2. Et ratio esse potest, tum quia Confraternitates Laicorum, ex quo sunt institutæ auctoritate Episcopi, vel Romani Pontificis, censentur loca pia, & Religiosa, ut probat *tex.* de Hospitalibus in *cap. de xenodochiis, &* meliùs *cap.ad hæc, de Religiosis Domib.* tum quia sunt institutæ causa Religionis, eo magis, si proprium habeant Templum, vel in eis servetur Hospitalitas, aut dicantur Missæ, & alia pia opera exerceantur, *Covar. in cap. officii num.12.de testam.& Nicol.Garzias de benefic.p.5.c.1.num. 606.* quamobrem, pertinent ad jurisdictionem Episcopi, ut probant eadem jura, & notant omnes per *Clem. quia contingit, eod. tit.*

3. Hinc bene infertur, Episcopum posse visitare Confraternitates Laicorum, etiam existentes intus Ecclesias Regularium, & illas ad reddendum computa compellere, non tamen Capellas, vel Altaria, quæ intrà easdem Ecclesias consistunt: nisi quoad administrationem, & ità à Sacra Congregatione decisum referunt *Galet. ver. Episcopus, fol.15.num.14. & 15.* & ità eadem Sacra Congregat. rescripsit Episcopo Imol. sub anno 1622. & testatur *Aloys.Riccius 4.p.decis.209.num.8. & Barbosa p.3. de off. & potestate Episcopi, allegat.75.num.13.* & repetit eadem in subsequen.*num.*29.ubi ait, *quòd ità in præsenti anno Episcopo Imol. Sacra Congregatio declaravit; quia exemptâ Ecclesiâ, censentur exempta Capella, Ecclesiæ subjecta,*

iecta, accedentes, vel connexa, Glos. in cap. rogamus 24. quaest. 1. cap. cùm Capell. de Privil. Brissiens. in repert. ver. An exempto Monasterio, Cockier in tract. de jurisdict. in exemptos, p. 2. q. 45. num. 70. & idem Barbosa in collect. Doctorum, ad d. cap. 8. Trid. sess. 22. de refor. in num. 21. ait, *Episcopum non posse visitare Altaria, & Capellas in Regularium Ecclesiis, etiam per Saeculares Confraternitates constructa*, firmavit, *Aldan. tit. 8. num. 4.* dicens, sic decidisse eandem Sacram Congregat. Episcop. & Regul. *in Papien. 2. Augusti 1615. & Terracinens. 22. Januarii 1616. ver. item Episcopum posse, & in collect. Bullar. ver. Altare, & ver. Confraternitas, & Genuensis in praxi Archiep. cap. 21. de Visitatione, num. 1.* respondens ad dubium positum ait. *Sacra Congr. plures censuit, Episcopum posse compellere Administratores ad reddendum computa, & rationes*, & ex textu *d. cap. tollit omnes consuetudines, & Privilegia.* & Illustrissimus *Ricciullus*, late tractans de Confraternitatibus Laicorum *Lucubrationum Ecclesiasticarum lib. 5. cap. 15. num. 3. fol.* mihi 184. examinans *Decreta Sac. Congr.* quae tractabant de Confraternitatibus erectis in Ecclesiis Patrum Praedicatorum, & Jesuitarum, quae etiam refert *Novar.* in sua *Luc. Regul. vers. Confraternitates*, testatur *d. cap. Conc. Trid.* & consimilia Sacrae Congregationis, duplicem recipere Declarationem. *Prima est, ne dictum Decretum Tridentini procedat in exemptis, qui in propriis Ecclesiis habent jura Episcopalia; in illis enim, quia Superior est loco Episcopi, sufficit, quòd Visitatio fiat per eum, & Episcopus ampliùs se ingerere non potest.*

4. *Secunda est, ut Visitatio procedat, quoad administrationem; non autem quantum ad Capellas, vel Altaria Confraternitatis sita in Ecclesia exempta:* haec *ille*.

5. Qui nedum fuit olim famosissimus Advocatus; verùm etiam Episcopus, & tandem Archiepiscopus Consentinus, & in isto Regno Sanctissimae Inquisitionis Generalis Inquisitor; & Eminentissimus, ac Doctissimus *Bellar. in* novis *declarat. ad d. cap. 8. Trid.* ibi, *item Episcopus, Capellas Confraternitatis Laicorum in Eccles. Regularium erectas, potest visitare, ut cogat Administratores ad reddendum computum*, ad quod se remittit *in observat. Doctrinae, ver. Confraternitates Laicorum*, ubi etiam agit de Confrat. Rosarii, & *Bartolomaeus Gavant.* Consultor Sac. Congregat. Rituum in *manuali Episcoporum, ver. visitatio:* idem testatur, ibi, *non autem Capellas earum in eisdem Ecclesiis sitas, num. 24.*

6. Et ratio esse potest, tum quia, *Tridentinum in d. cap. 8.* loquitur de Confraternitatibus Laicorum, non autem de Capellis earundem; Confraternitas enim, teste *Baldo in l. si quis ad declinandam, §. final. num. 19. C. de Episcopis, & Cler.* est Collegium personale voluntarium, Religionis causa congregatum, & colligitur ex *l. 1. §. sed Religionis, ff. de colleg. illicit.* capellae verò Ecclesiae non possunt dici Collegium, sed partes integrales ejusdem, ut patet ad sensum; & in odiosis non fit extensio; tum etiam; quia Capellae sitae intus Ecclesias nostras: nempe Rosarii, & Nominis Dei, nedum possunt dici accedentes, connexae, aut subjectae Ecclesiae principali, sed sunt sicut ipsamet Ecclesia principalis; quoniam totum integrale non distinguitur à suis partibus simul sumptis.

7. Hinc, Capellae integrantes Ecclesiam, gaudent Privilegio illius, inde pollutâ Ecclesiâ, censentur pollutae Capellae, ut notat *Glos. ver. Capellis, cap. concedimus 30. de consecr. dist. 1.*

8. Nec dictae Capellae in nostris Ecclesiis construuntur à Laicis, nec fiunt Altaria privilegiata, seu Capellae Societatum: nisi ad lucrandum indulgentias, & in expiationem peccatorum, nec ibidem se intromittunt Laici; nisi de licentia Praelati Regularis; ob quod eadem Sacra Congregat. mandavit Archiepiscopo Genuensi, ut se abstineret à visitando Tabernaculum Ecclesiae exemptorum, de quo hic suprà, & in terminis *Constitutionis Gregorii XV. de exempt. Privil.* incip. *inscrutabili* declaravit, Episcopis non licere visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, in quibus non incumbit cura animarum saecularium ut *ibidem* ad primum dubium.

9. Exinde, eadem Sac. Congregat. sub anno Domini 1641. die verò 31. Januarii declaravit, Ordinarium non posse Visitare Confraternitatem quandam erectam in quadam Ecclesia Patrum Dominicanorum, qui faciebant totam expensam Altarium dictae Confraternitatis, eo, quòd ipsa nullos redditus haberet, sed totam facultatem visitandi dictam Confraternitatem apud Superiorem Monasterii remanere, & refert *Lezana p. 2. sum. cap. 15. num. 17.*

10. Hinc vides, quòd Confraternitates habentes redditus Ecclesiasticos, administratos tamen per Laicos, possunt visitari ab Episcopis, & tenentur contribuere Seminario, ex *Triden. cap. 18. sess. 23.*

11. Dixi, per Laicos, quoniam si aliquis Regularis sit Gubernator dictarum Confraternitatum habentium redditus, nunquàm visitatur ab Episcopo, qui etiam uti Delegatus Sedis Apostolicae non potest visitare exemptos Regulares; tum quia non subduntur Episcopis, nisi in casibus expressis; tum etiam; quia *Tridentinum in d. cap. 8.* loquitur de Laicis, & notat *Manriquez 1. p. quaest. Vicarialium q. 63. & Cespedes de exempt. quoad Visitationem, cap. 15. dub. 225.* De hoc tamen dubitandum esset; si casus occurreret; quia Regularis se immiscet rei extrà suum statum, quod esse non debet, in praejudicium Episcopi.

12. Sed adverte etiam, quòd praedicta non procedunt in Hospitalibus, Collegiis, & Confraternitatibus Regalibus, quae sub immediata Regum protectione sunt, ut expressè ordinat idem *Concil. Tridentin. d. sess. 23. cap. 8.* ubi *Barbos. in collectan. num. 27. & 28.* plures refert, vel ubi hoc *Decretum Concilii* non observaretur.

Quaest. 71. An Episcopus proximior possit visitare Ecclesias Regularium, quae sunt nullius Diaecesis?

1. NEgativè *Rodr. tom. 1. q. 36. ar. 3.* nec nocet *Decretum cap. 9. Conc. Trid. sess. 24. de reformat.* quia loquitur de Ecclesiis Saecularium, & constat ex illis verbis: *eademque in his Ecclesiis Saecularibus serventur:* ergò cum expressio unius sit exclusio alterius, sequitur, ut dictum *Decretum* non habeat locum in Ecclesiis Regularium, & clariùs habetur in *cap. 8. sess. 21. de reformat.* ubi diffinitur, Episcopum teneri visitare Commendata Monasteria, & Abbatias, seu Prioratus, praeter illa, in quibus viget Regularis observantia.

Quaest. 72. Episcopus, an possit visitare Ecclesias Militum S. Ioannis Hierosolymitani?

1. ET dico, quòd sic, si sint Parochiales, secùs autem; quia Equites Hierosolymitani sunt verè, & propriè Religiosi, ac Regulares exempti; & est decisio *cap. 11. Concil. Trid. sess. 25. de Regul.* ibi, *subsint immediatè in iis, quae ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, Visitationi, & Correctioni Episcoporum.*

2. Quod *Decretum Pius V.* sua *Constitut.* incip. *exposcit*, sub die 22. Septembris 1571. dixit, comprehendere, Equites, & confirmavit *Gregor. XV. in Bulla*, quae incipit, *inscrutabili*, *de exemptorum Privilegiis circà curam animarum, & administrationem Sacramentorum*, quam placuit, in *fine* hujus *cap.* per extensum ponere.

***

Quaest.

Quæst. 73. An Episcopus possit à Mendicantibus exigere Charitativum subsidium, seu Procurationes, & similia?

1. RODr. *tom.2.q.56.ar.1.* cum suo *compen. resolut.63. num.33.Barbosa* post citatos *3.p.de off. & potestate Episcopi, allegat.87. num.45. & sequentibus*, & latè *Merolla tom.3.disput.7.de jurisdict.Episcopi,cap.5.difficult.3.* à *num.463. & sequent.* respondent ob multa negativè, & Primò; quia Episcopus exigit Charitativum subsidium, Procurationes, Quartam, Decimas, Funeralia, & Jura Episcopalia à Clericis, & Ecclesiis suæ Diœcesis, sibi subjectis, ut constat ex *cap. conquerente Oeconomo 16. de off.judic.& cap.quia cognovimus 10.q.3.*ibi *exactiones Diœcesi sua.*

2. Monasteria verò Regularium, & præcipuè Mendicantium sunt exempta, & licet sint in Diœcesi, non tamen sunt de illa, nec subjiciuntur Episcopo, ut liquet in *cap. luminoso, 6. caus.18.q.2.* ibi *nec audeat Cathedram collocare, vel quamlibet potestatem exercere, ut remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, &c.*

3. Secundò; quia ità definitur in *Clem.1. de censibus*, ibi, *Privilegia verò, & exemptiones, &c.* nec obsunt per *Panormit.* objecta; quia bene solvuntur per *Barbos. & Meroll. ubi suprà.*

4. Tertiò; quia ad hoc faciunt multa Privilegia, quæ ob communicationem sunt communia; *Gregorius* enim *Papa XI.* Ordinem D. Hieronymi in Hispania fecit exemptum à solutione subsidii; ità, ut neque Legatis, sive Nuntiis, neque aliis Episcopis Diœcesanis Procurationes aliquas, vel Jura Episcopalia, aut Subsidia, quocunque nomine, nuncupata solvere tenerentur.

5. *Eug.IV.*sub anno Domini 1443. id ipsum concessit Priori, & Fratribus B.Mariæ de Guadalupe.

6. *Leo X. in Conc.Lateranens.*moderando Mendicantium Privilegia, sua *Constu.* incip. *dum intra mentis arcana*, §.3. hoc idem indulsit, ibi, *Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, quòd Episcopi, & alii Prælati præfati, Parochiales Ecclesias ad eosdem Fratres, ratione locorum suorum legitimè spectantes, quoad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum Conservationem, administrationemque pertinent, sine tamen Visitatorum insolito gravamine, vel impensa, visitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, juxtà ipsius Ordinis Regularia instituta, intra septa Regularis loci, Sæculares verò Presbyteros, & Fratres hujusmodi beneficia obtinentes libere tanquàm suæ jurisdictioni subjectos punire*, de qua *Bulla* multa loquitur *Peyr.tom.1.Privil.in Constit.26. Leon.X.*

7. *Pius V.*prout refertur in *Bulla Sixti V.* quæ incipit, *etsi ex justa Pastoralis officii*, sub anno Domini 1587. id ipsum concedit, ibi, *inter alia Privilegia, & indulta dilectis filiis Magistro, & Conventui Hospitalis Sancti Joan. Hierosolymitani à Sede Apostolica concessa: eundem, & pro tempore existentem Magistrum, Bajulivos, Castellanum emposta, Priores, Præceptores, Milites, aliasque personas Hospitalis hujusmodi, nec non eorum subditos, vasallos, colonos, & servitores, ac alios in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes etiam Presbyteros curam Animarum exercentes, quandiu illam exercent, & in illorum obsequiis forent, illorumque Animalia, Prædia, Domus Molendina, & bona quæcunque, quæ obtinent, & in futurum obtinerent, & possiderent, à solutione, & exactione Decimarum, censuum, jurium, etiam Synodalium, & Canonicarum portionum, seu Charitativi subsidii, aut jucundi adventus, seu quartæ, aut aliàs quomodolibet, aut aliorum quorumcunque onerum sub certis modis, & forma exemerunt, & liberaverunt, prout in diversis ipsorum prædecessorum desuper confectis litteris plenius continetur*, quam concessionem *Sixtus V.* ex certa scientia, & de mera sua liberalitate, & Apostolicæ potestatis plenitudine confirmavit; & authentice vidit *Rodr. tom.1.q.66.ar.1.*

8. Amplia hoc totum, ut Mendicantes, nec teneantur contribuere Seminario, ex *cap.18.Trid.sess.23.de Reformat.* tum ob prædictam *Bullam Pii V.* à *Sixto V.* confirmatam; tum etiam; quia in dicto *cap.* excipiuntur expressè, ibi, *non tamen Mendicantium.*

9. Quod procedit, etiamsi hodiè haberent beneficia unita Monasteriis, quæ forsan, ante unionem, erant solita contribuere, tum propter dictas *Bullas*, tum etiam; quia per hujusmodi unionem, status beneficii censetur mutatus, ut censuit Sacra Congregat. & refert *Barbosa in remissionibus ad d.cap.Conc.Trid.num.25.*

10. Hinc Fratres S. Joannis Hierosol. sivè eorum Vicarii in Parochialibus Religioni prædictæ unitis, & ab ea dependentibus, non tenentur, neque compelli possunt ad contributionem Seminarii, neque ad solutionem Cathedratici, sivè Charitativi subsidii, prout à Sacra Congregatione decisum, refert *Sell. in selectis Canonicis, cap.10. num.20. & Barbosa in collect. Doctor. ad idem cap. Concilii num.35.*

11. Amplia, ut hoc etiam procedat in Confraternitatibus intus Ecclesias nostras sitis: dummodò non habeant redditus Ecclesiasticos; procedentes à beneficiis Ecclesiasticis: quia contributio Seminarii debetur solùm ratione, & intuitu beneficii Ecclesiastici, ob quod nihil potest detrahi ex redditibus Confraternitatum, & Hospitalium: nisi nomine prædictorum beneficiorum annexorum, prout fuit à Sacra Congregatione decisum, & refert *Sellius ubi suprà, num.16. & Barbosa in allega. 77.num.10. & in d. Collect.ad d.c.18. Concilii, num.26.*

Quæst. 74. An Episcopus possit in Ecclesiis Regularium erigere Baldachinum, & contradictores censuris afficere?

1. MUlta de hac re antiquitus quærebantur; & primò, an Archiepiscopus possit habere Baldachinum in Ecclesiis exemptis suæ Diœcesis; quod affirmativè resolvebatur ex *Clem.2. de Privil. & excessibus Privilegiatorum*, ubi Archiepiscopus per loca exempta suæ Provinciæ, facit Crucem ante se liberè deferri, benedicit Populum, etiam solemniter; per illa verba, *sit nomen Domini benedictum*, audit divina officia, & illa ibidem celebrat, etiam in Pontificalibus, vel facit celebrari: hæc omnia pariter poterit facere Episcopus, quoad loca exempta suæ Diœcesis, ut *ibidem in fin.* declaratur: præter Crucis delationem, quæ non competit Episcopo, sed tantùm Archiepiscopo, *Glos. ibid. in fin. cas.*

2. Ex quibus bene infertur, si in Pontificalibus, ergo cum Pallio, Mitra, Chirothecis, Baculo, Psalmarica, Sandaliis, Mozzetta, Cappa Pontificali, Galero, ac etiam Baldachino, secundùm usum suæ Ecclesiæ; tum quia hæc omnia censentur insignia Pontificalia; tum etiam; quia hæc omnia æquiparantur, nec in uno reperitur major ratio, quàm in alio; tum item; quia similium idem est judicium, tum item; quia concesso principali, censentur concessa omnia alia accessoria, sine quibus illud principale nequit exerceri, *l. Oratio, ff. de Sponsalib. l. cui jurisdictioni, ff. de jurisdictione omn. Judic. cap. præterea, de off. delegat.*

3. At ex *d. Clem.2.* Archiepiscopus in pompa Ecclesiæ, poterit facere processiones, audire divina, vel celebrari facere, etiam in Pontificalibus: ergo. *Barbos. allegat.6 num.9. Campanil. in diversf. jur. Canon. rubr.6 cap.3. num.3. Gratian. decis.113. in addition. Fuscus de Visit. cap.8. lib.2. num.5.* novissimè *Novar. 1.p. sum. Bull. tit. de Baldachin.*

chin. latè per totum, & antè omnes *Gloſ. in d. Clem. 2. in ver. Pontificalibus.*

4. Secundò quærebatur, an Epiſcopus potuiſſet immediatè excommunicare exemptos impedientes prædicta, & quia in d. *Clem. 2. in fin.* dicebatur, *ſic tamen, quòd prætextu conceſſionis hujuſmodi, in locis ipſis exemptis, vel circa hoc privilegiatis, nullam aliam juriſdictionem ibidem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus exerceat, nec perſonis exemptis, vel Privilegiatis moleſtiam inferat, vel gravamen, nullumque exemptioni, vel Privilegiis eorundem aliud præjudicium generetur, nec ipſis Archiepiſcopo, vel Epiſcopo jus aliquod acquiratur.* hæc ibi.

5. Proindè, Epiſcopi impediti antiquitus ſecundùm aliquos non poterant Regulares hujuſmodi punire, nec cenſuris mulctare, ſed cogebantur agere coram Superiore Regularium: ut notavit *Cardin. Zabar. in d. Clem. & Stephan. Quaranta in ſum. ver. Privil. Reg. in fine.*

6. Sed *Riccius 2. p. praxis var. reſol. 313. nu. 2.* dicit quòd Epiſcopus in caſu poſito potuiſſet excommunicare, ex diſpoſitione *cap. 3. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Reformat.* ubi cenſuræ relaxantur ex cauſa ardua, & quòd quæſtio honoris ſit ardua, ob multa jura *ibid.* allegata.

7. Verùm reſponderi poteſt, quòd nunquam dicitur honor læſus in eo, quod non debetur, vel ſi debetur, non cauſa ſubjectionis, ſed reverentiæ naturalis, vel Religioſitatis. Diſpoſitio *d. cap. 3. Conc. de Refor. ſeſſ. 25.* non abrogat Privilegia repoſita in corpore juris, vel illud, quod innovavit in *cap. 14. ſeſſ. 7. de Reform.* Inde, hodiè nimis providè Sacra Congregatio Eminent. Cardinal. juſſu *Clem. VIII.* fel. recor. ſtatuit prædicta, ſub hac forma verborū.

Decet Epiſcopis, pro eo, quo in Eccleſia Dei excellunt. Dignitatis gradu in quocunque ſuarum Diœceſum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adeſſe, & aſſiſtere contingit, eam quam par eſt, reverentiam, & honorem decoro cultu, & ornatu exhiberi: quare non ſine animi dolore, auditum eſt, nonnullos Regulares, vano quorundam immunitatum, & Privilegiorum prætextu, Epiſcopis in eorum Eccleſiis in Pontificalibus intereſſentibus, non modò renuiſſe in eis, ſuprà locum Epiſcopalis ſolii, Baldachinum erigere, verùm id etiam, juſſu ipſorummet Epiſcoporum curantes, prohibere, & arcere auſos fuiſſe, atque ideò Sacra Congregatio S. R. E. Card. negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum S. D. N. Clem. Papa VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali, & expreſſo mandato, hoc præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, ut de cætero Epiſcopi, ubi tam ex conſuetudine, & Privilegio, quàm ex Sacrorum Canonum Conſtitutionibus, & Pont. R. præſcripto, aut alio jure, Pontificalia exercere, aut Pontificalibus Paramentis, cum Mitra, vel etiam ſola Cappa induti, in quibuſvis Regularium Mendicantium, quam non Mendicantium Monachorum, etiam Caſſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cujuſvis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis, aut Congregationis Eccleſiis, intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit teneantur ibi, & debeant in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno, & congruo, Baldachinum attollere, eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis, illud aſportari, & in quocunque eorundem Regularium, aut alia quantumvis exempta Eccleſia, ſuprà Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale faldiſtorium, erigi facere, atque ſub eo ſedere, & ſtare, quemadmodùm in propriis, & Cathedralibus eorum Eccleſiis ſtare, & ſedere ſolent, eo tamen dumtaxat tempore, quo Pontificalem ejuſmodi functionem exercebunt, vel dum actus ipſe, cum in Pontificalibus aderunt, peragetur: ſi qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato, inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant, ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, hujus Decreti virtute cogi, & compelli poſſe, aliiſque pœnis, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus arbitrio Summi Rom. Pont. ſubjacere, & obnoxios fore: non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtol. ac dictorum Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum, & Congregationum quocunque nomine cenſeantur, ſtatutis, & Privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtol. ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, & cum quibuslibet etiam Derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis Clauſulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmiſſorum hactenus quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis; quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi talia eſſent, quæ ſub generali expreſſione, & derogatione non venirent, ſed illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio habenda foret, eorum tenores, præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habens, Sanctitas Sua, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſè derogat, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque. Romæ Die 10. Junii 1603. Alex. Card. Flor. Epiſcopus Præneſtin. Hier. Agucchius Secret. Et refert per extenſum *Stephan. Quaranta* in ſua *ſum. Bull. ver. Privil. Regul. fol.* mihi 408. Vigore cujus *Decreti*, benè vides, quòd Domini Epiſcopi nequeunt impediri, quin poſſint in Eccleſiis exemptis exercere Pontificalia, & erigere Baldachinum: immò valent Regulares contradictores, vel impedientes excommunicare, aut aliis pœnis ſibi benè viſis punire.

8. Quod intellige verum, ad finem exercendi Pontificalem functionem; quia, hac actione peracta, Epiſcopus Loci, non poterit ordinare exemptis, ut conſervent, vel perſeverare faciant Baldachinum prædictum, ad effectum, ut in eo in poſterum ſedeat, & conſtat ex lectura ejuſdem.

9. Secundò limita, ut Epiſcopus in dictis locis exemptis, non poſſit exercere aliquam juriſdictionem, ut conſtat ex verbis d. *Clem. 2. de Privil.* & ob id non poterit ibidem aliquem promovere ad ordinē, invitis exemptis; nec in dicto Baldachino ſedere pro Tribunali, neque Cathedram Judicialem erigere, ex *cap. luminoſo 18. q. 3.* etenim, hi actus ſunt juriſdictionales: nec item chriſmate, nam Chriſma habet mixturam juriſdictionis officii Epiſcopalis, *Novar.* multis citatis *ſuprà, n. 8. in fin.* nec degradare, vel indulgentias concedere, vel remiſſiones peccatorum facere; quia hoc non eſt dignitatis, ſed juriſdictionis Epiſcopalis, ut dictum eſt.

10. Tertiò limita, ut Regulares cogi non poſſint ad aſſiſtendum Miſſæ, vel ei occurrere, ſeu obviam ire; quia hæc ſunt honeſtatis, perindè, non poſſunt coactionem inferre.

Quæſt. 75. Epiſcopi exteri de conſenſu Diœceſani, an poſſint in d. Eccleſiis Baldachinum erigere?

1. Affirmativè *Novar. in d. loc. n. 5.* ex quo ea, quæ ſunt juriſdictionis, poſſunt delegari, *cap. Aqua, de conſecrat. & ibi Gloſ. & cap. ſi Eccleſia eod. tit.* hinc, licet Eccleſia debeat conſecrari à proprio Epiſcopo; attamen poteſt alteri committi, *Miranda in Manual. tom. 2. q. 38. ar. 1. concluſ. 3. & Barboſa p. 2. allegat. 27. num. 1.* etenim, paria ſunt, aliquid facere per ſe, vel per interpoſitam perſonam, *l. hac edictali, §. ſi verò plus, C. de ſecund. nupt.*

2. Hinc, qui non poteſt per ſe, non poterit per alium, *l. neque per ſe, C. de hæred. inſtit.* unde facere, & facto authoritatem præbere, paria ſunt, *l. 1. § omnia, C. de vet. jur. enucl.*

3. Verùm, iſthæc opinio non poteſt placere; tum quia hujuſmodi facultas conceſſa Epiſcopo Diœceſano, eſt perſonalis, vel localis, nempe, cenſetur facta, intuitu dignitatis exercendæ in propria Diœceſi, ut conſtat ex primis verbis *d. Decreti* Sac. Congregat. ex quibus arguitur cauſa finalis, & ſicut Privilegium perſonale non egreditur perſonam, ità & locale non egreditur proprium locum.

4. At Episcopus exterus, in casu posito non potest dici, quòd sit in sua Diœcesi, nec quòd ibidem exerceat sua Pontificalia, tum etiam, ut dictum est suprà, lex nova simpliciter loquens, accipit determinationem à lege veteri, *l. sciendum, ff. qui satisdare cogantur, auth. offeratur, C. de litis contestat. & cap. cùm expediat 29. de elect.* at *d. Decretum* latum jussu *Clem.* 8. respectu *d. Clem. 2. de Privil.* est lex nova, ergo dum loquitur simpliciter, debet specificari, ex illis verbis *d. Clem. 2.* ibi, *& ea etiam in Pontificalibus celebret, vel faciat, in sua præsentia, sine Pontificalibus celebrari*, quorum neutrum potest applicari ei, de quo agitur, tum quia præsentia Episcopi exteri, non est præsentia Episcopi Diœcesani; tum etiam, quia turbida quæstio est; an Episcopus exterus possit exercere jurisdictionalia, vel Pontificalia in aliena Diœcesi, dè qua latè *ibid. Glos. Ver. etiam celebrare.*

5. Tum item; quia constitutio pœnalis, quæ restringit Privilegia, est strictè interpretanda, tum quia Privilegia de sua natura debent perseverare; tum quia agitur de jure tertii, quæsito Regularibus.

6. Tum denique; quia Dominus Papa in d. *Clem. 2.* protestatur expresè per illam concessionem indultam Archiepiscopo loci, nullam dari jurisdictionem in præjudicium Regularium, ergo. Sed in his servanda est etiam praxis Episcoporum.

Quæst. 76. An prædictum Decretum comprehendat illos dies, in quibus Abbates exempti possunt in suis Ecclesiis exercere Pontificalia sub Baldachino?

1. SUppono, quòd ex multis *Decretis*, jussu *Urban.* 8. editis, sub anno 1629. liceat Abbatibus Congregationis Cassinensis, aliàs S. Justinæ de Padua, uti Baldachino, prout ex *Constit.* quæ incipit, *exponi nobis*, & est *centesima prima* inter *Constit.* ejusdem, in 4. *tom. Cherub.* ubi liquet, quòd licet uti Baldachino, & in tribus festivitatibus anni, solemniter celebrare sub illo.

2. Hinc benè quæritur, an Episcopus in vim dicti *Decreti* possit compellere hujusmodi Regulares, ad erigendum sibi Baldachinum, etiam in illis diebus, in quibus iidem habent usum Baldachini?

Et respondeo negativè: tum quia prædictum *Decretum* latum ad favorem Abbatum dictæ Congreg. fuit à dicto *Urbano VIII.* approbatum, & confirmatum, cum clausulis præservativis, ut in §. 3. & constat ex illis verbis; *neque illos* (intellige Abbates) *à quoquam quavis auctoritate super præmissis, quovis modo impediri, molestari, inquietari, vel perturbari unquàm posse, nec debere*: tum quia lex vetus abrogatur per novam sibi contrariam, tum item; quia prædicta facultas indulta Episcopis de voluntate *Clem.* 8. facta fuit in odium Regularium, ut patet *ibidem*, ergo debet restringi, ut minus lædat Privilegia eorumdem; de qua re vide *Barbos. 3. p. de potest. te Episcopi, alleg.* 80. *nu.* 18. ubi ponit *Decretum* Sacræ Congregat. quod hodie vacat, ob *Decretum, & Constitut. Urb. VIII.*

Quæst. 77. Episcopus, in quibus casibus possit Regulares compellere, ad sibi obediendum?

1. QUamvis Regulares sint exempti à potestate, & jurisdictione Episcoporum; eorum tamen exemptio in multis casibus est limitata, & præcipuè à *Sacro Conc. Trid.* quos per extensum ponit *Riccius 1. p. praxis, decis.* 654. in 1. editio. & in *2. p. resolut. 210. & in 3. p. d. prax. resolut. 269. Zerola in praxi Episcop. Ver. excommunicationis causæ materiales*, ubi latè ostendit fallentiam exemptionis, *Laurentius de Franchis in Controversiis inter Regulares, quæst. 6. à nu.* 314. latè *Barbosa 3. p. de off. & potestate Episcopi, allegat.* 105. à *num.* 14. *Tambur. de Iur. Abbat. tom. 1. disput. 15. quæsit. 7. à num. 4. Marcellus Vulpes* in sua *praxi Indic. fori Ecclesi. cap. 42. à nu. 1. Rodr. tom. 2. q. 63. art. 11.* latè *Merolla tom. 3. disput. 7. cap. 7. de iurisdict. Episcoporum in Regul. dub. 9. à num. 127. Hier. Rodr.* in suo *comp. resol. 63. num.* 23. & egomet in *p. 1. tract. 11. de confirma. & usu Privil. quæst.* 16. ubi per extensum posui omnia fere loca *Conc. Trid.* per quæ restringuntur, & abrogantur Privilegia.

Quæst. 78. Episcopus, an possit censuris, & aliis pœnis cogere Regulares exemptos, ad sibi obediendum in illis casibus, in quibus ei subsunt de iure veteri, & novo Conc. Trid.?

1. DE jure communi, ut certa ab incertis separentur, Episcopi ordinarii possunt uti sua jurisdictione, etiam excommunicando exemptos, si morentur in Prioratibus sibi subjectis, vel eorum habeant regimen, aut in illis delinquant, ut expresè dicitur in *cap. volentes, §. in eo autem*, ibi, *nisi forsitan, in fine, de Privil. in 6. & in Clemen. Religiosi, de Privil. & excessib. Privilegiatorum*, ubi Religiosi exempti, ipso facto excommunicantur, & uti tales possunt per Ordinarios denunciari, si Clericis, vel Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, & Eucharistiæ ministrare, Matrimonia solemnizare, non habita licentia Parochi, aut excommunicatos absolvere, præsumpserint.

2. De novo verò jure *Conc. Trid.* idem possunt in tribus casibus, nempe, ut etiam in Oratorio privato faciant observare ea omnia, quæ sunt in *Decreto de observandis, & evitandis in Celebratione Missarum*, prout *in fine d. Decreti, sess.* 22. ibi, *hæc igitur omnia.*

3. Secundò, ut procurent, Monialium clausuram violatam restitui, & inviolatam conservari, & inobedientes, atque contradicentes per censuras Ecclesiasticas compescant, ut in *cap. 5. d. sess. 25. de Regul.*

4. Tertiò, ut Novitiis à Religione recedentibus, eorum bona omnia faciant restituere, compellendo etiam per censuras, ut in *cap. 16. d. sess.* 25. de quibus non est quæstio; sumus enim in claris.

5. Sunt autem & plures alii casus, in quibus non datur prædicta facultas procedendi per censuras Ecclesiasticas, ut *sess. 25. cap. 13. de Regul.* ubi datur potestas Episcopis, ut valeant compellere Regulares ad interessendum publicis processionibus, non tamen dicitur per censuras Ecclesiasticas, idem dicitur *ead. sess. 25. cap. 15. de Regul.* ubi Regularis degens intrà septa, si extrà illa delinquit, & non punitur à suo Superiore, potest puniri ab Episcopo; sed *ibidem* non dicitur, quòd possit puniri per censuras, & de his, & similibus quæritur, in quibus non exprimitur.

6. Ad hoc *Rodr. tom. 2. quæst. 63. ar. 7. ver. 1. infertur, in fin.* affirmativè respondet, ibi, *non potest autem Episcopus hoc casu commodè punire Regulares, nisi per censuras contrà ipsos procedat*, quòd confirmat *tom. 3. quæst. 36. ar. 1. Marcus Antonius Gennens.* in sua *praxi Archiep. cap. 59. nu. 9.* in 2. editio. *Riccius 1. p. praxis decis. 362. num. 6.* in 1. editio. *fol.* mihi 415. *de pœnis, & in 2. par. var. resolut.* 220. ubi ponit casus, in quibus Episcopus potest Regulares excommunicare, *Novar.* multis allegatis in *dec.* 183. at sibi contrarius in *Luc. Regul. ver. excom. nu. 5. Gratian. decis. 23. nu. 12. Marius Anton. var. resolut.* 112. *Franc. de Leo in Thesaur. fori Eccles. p. 2. cap. 8. n. 19. Barbosa*, multis citatis *p. 3. de potestate Episcopi, allegat. 105. num. 13. Ciarlinus controv. forens. cap. 50. nu. 20. Portell. in 1. p. respons. casu. 9. nu. 1.* in quo agit de quadam puella, quæ post sponsalia effecta est Monialis; sed sibi contrarius, ut infrà, *Rodr. tom. 3. quæst. 36. de Processionibus, ar. 1.* ubi corrigit, quod alibi dixerat, ut infrà, novissimè, multis allegatis *Bordonus resol.* ... *quæst. 6.* & latè *Novar. Canon. 1. p. sum. Bullaris de Processionibus, num. 6.* & se fundant in multis.

7. Pri-

7. Primò, quia *Conc. Trid. in cap. final. sess. 25. de Regul.* mandat, observari omnia *Decreta* de Regularibus, non obstantibus Privilegiis, & deputat exequutores Episcopos, & cum nulla sit habenda ratio Privilegiorum, nec Concilium restringit modum compellendi, remittitur arbitrio ipsius Episcopi, *l. 1. ff. de jure delib.* nec Privilegium tollit hoc arbitrium, quod per *Concilium* conceditur Episcopis.

8. Confirmatur hoc ipsum per *Bullam Pii IV.* appositam *in fine Trid.* per quam abrogantur omnia Privilegia, contraria *Decretis Conc. Trid.*

9. Secundò, quia in casibus *Concilii* videtur offendi jurisdictio Episcopi, quo casu, ad Judicem offensæ jurisdictionis pertinet cognitio, non autem ad proprium, *cap. 1. de nov. oper. nunciat. & cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constit.* & colligitur ex *l. nullum, C. de testibus.* Unde id pluries fuit servatum in Curia Archiepiscopali Neap. *Genuens.* cit. *loc.*

10. Tertiò; quia dum datur auctoritas, datur & coactio; & concessa jurisdictione, censentur concessa omnia, sine quibus commodè exerceri non potest, *l. 2. ff. de jurisdict. omn. judic. cap. prætereà, de off. delegati*; sed Episcopi commodè, immò cum non levi difficultate, non possunt Regulares inobedientes compellere; nisi utantur censuris, ergo.

11. Quartò; quia Delegatus repræsentat personam Delegantis, ex *cap. final. distinct. 93. & c. 1. distinct. 94.* Proindè, facit unum Tribunal cum ipso, *cap. 2. de consuet.* etenim exercet vices Delegantis, *Gloss. in c. unic. ver. Judices, ad finem, in extravagant. communi, de off. delegati*: sed Delegans, qui est Papa, potest censuris compellere Regulares ad obediendum, ergo.

12. Nec dicas, Episcopum posse uti aliis pœnis; quia Regulares has alias pœnas eludere possunt fugiendo, non autem censuras, quibus absentes, & fugitivi afficiuntur, *Bordon.* cit. *loc.*

Quæst. 79. *Episcopus, an possit censurare Regulares exemptos, qui nolunt ad Processiones accedere?*

1. QUòd Regulares, etiam exempti, teneantur ad publicas Processiones accedere, vocati tamen: juxtà dispositionem *cap. 13. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* non controvertitur.

2. Nolentes autem accedere, an cogi possint ab Episcopo, etiam per censuras, Dubium est?

Quòd resolvit affirmativè *Riccius 2. p. praxis var. resol. 21. & 1. p. decis. 90.* & multis citatis *Barbosa in collectan. ad d. cap. num. 20. & in collect. Bullar. ver. Episcopus quoad Regulares,* §. 10. inquit, ità fuisse à Sacra Congregat. decisum in una *Chilenæ in Indiis,* 15. Maii 1610. id ipsum dixit ad *d. cap. Trid. ver. in Processionibus publicis, in fin.* ibi, *& Regulares, qui non accedunt ad Processiones, ab Episcopo indictas, ab ipso puniri possunt per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia juris remedia,* & paulò inferiùs in *remissionibus ver. compellant, in fin.* ait, *nota ex Farinacio hic, quòd Regulares, qui non accedunt ad Processiones, ab ipso Episcopo indictas, possunt ab ipso puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia juris remedia,* & patet ex *decis. 1. & 14. decisionum Interpretum Conc. Trid.* ab eodem *Farinac.* recollectar. 4. *p. & in 3. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 78. num. 25.* idem dicit à Sac. Congregat. decisum, teste *Armendar. & Maceraten.* & in Cur. Neapolit. observatum refert *Marcus Anton. Genuens. in praxi Archiep. cap. 45. num. 9.* quidquid post eius primam impressionem alii dixerint, cui favet *Gavantus in Manual. Episcop. ver. processio, num. 26.*

3. Nihilominùs, pro negativa sententia adsunt plures *Doctores*; quos hic suprà immediatè allegavi, quorum Antesignanus poterit esse *Calderinus cons. 8. ad medium, de Regul.* quem *Bald. in cons. 309. num. 4. lib. 5.* vocat, virum magnæ virtutis, & scientiæ, *Felinus,* qui fuit Auditor Rotæ Rom. & maximæ authoritatis, & alii insignes, quos citant illæ duæ *Allegationes*, Eminentissimis præsentatæ, per Illustres Advocatos RR. Canonicorum Regularium Congregat. Lateranens. Monach. Ordinis S. Benedicti, Congregationis Montis Oliveti, & Congregationis S. Hieronymi principal. quorum Ecclesiæ per Reverendissimum Dominum Episcopum Papiens. reperiebantur suppositæ interdicto, ob non accessum ad Processionem S. Marci, sub anno Domini 1646. & refert per extensum *Cespedes in suo tractatu de exempt. Regul. quoad Processiones, cap. 11. dub. 217. pag.* mihi 286. *Diana 1. p. tract. 3. de dub. Regul. resolut. 105.* & in 7. *p. resolut. 25. & 20.* & patet ex decisis; quia Regulares exempti, & qui, ultrà exemptionem habent Privilegium, nè possint censuris mulctari, nequeunt per censuras cogi contra Privilegium; ac aliis pœnis possunt puniri; nisi expresè sit à Sancta Sede aliter decisum.

4. Hoc autem non habetur in *d. cap. 13. sess. 25. de Regul.* sed tantum dicitur, *compellantur,* quod potest referri ad alias pœnas: quia, ut dicit *Calderinus ubi suprà, Concil.* loquitur de exemptis, non autem de Privilegiatis, qui non possunt censurari: nam duo sunt obstacula, Exemptio à jurisdictione, & Privilegia, nè censurentur; sed quando sunt duo obstacula, derogatio unius non trahitur ad aliud, *Bald. in l. 1. num. 27. ad medium, ver. unum etiam scias, C. de furtis, Felin. in cap. nonnulli, num. 21. ad finem, de rescriptis, Gonsalez Gloss. 13. num. 97. Puteus decis. 193. num. 1. lib. 1. Gregor. XV. decis. 109. num. 6.* & alii multi.

5. Hinc est, quòd promittens, non impetrare absolutionem, & ea obtenta, non uti; non sufficit, si obtineat derogari primæ parti promissionis, de non obtinendo, sed requiritur, ut etiam derogetur alteri, de non utendo, *Roman. cons. 326. per totum, Felin. in cap. constitutus, num. 14. de rescriptis,* & alii plures.

6. Tum item; quia in *d. cap. 13.* hoc non exprimitur, ergo non debet extendi ad non expressa, juxtà *regulam, odia,* secùs *Tridentinum* pugnaret contra se, in *cap. 14. sess. 7. de refor.* ubi confirmat, & innovat *cap. volentes 1. de Privil. in 6.*

7. Nec obstant ex adverso adducta; quia licet *Farinac.* fuerit vir eruditissimus, & Curiæ versatus: attamen liber ille citatus, est interdictus, ità pariter *collect. Bullar. & remissiones Barbosæ ad Conc. Trid.* tum etiam; quia prætensa *Decreta* Sac. Congregat. non apparent, ut oportet, juxtà *Decretum Urb. VIII.* perindè, in neutro foro obligant; tum item; quia si appareant, non apparebit, quòd sint facta, citatis, & auditis interesse prætendentibus, & res inter alios acta, non præjudicat. tum quia aliud est, loqui de Regularibus, qui habent solam exemptionem, cui derogatum est per *Trid. in d. cap. 13.* & aliud, qui ultrà exemptionem habent, & aliud Privilegium, ne possint censurari: ideoque non sufficit ostendere declarationes contra Regulares exemptos, sed etiam contra habentes Privilegium, ne valeant censurari.

8. Nec *Decretum* prætensum Sac. Congreg. declarat, quòd Ordinarii possint compellere Regulares ad dictas Processiones, omnibus pœnis sibi benè visis, quia si dictũ prætensum *Decretum* sub universalitate pœnarũ, Ordinariis benè visarum, comprehenderet pœnas censurarum, contra istos Privilegiatos, qui non possunt censurari ab Episcopis, certè non esset declaratorium, sed destructorium ipsius *Concilii*: nempe contra *d. cap. 14. sess. 17.*

9. Quibus accedat, quòd Sacra Congreg. sub die 20. Maii 1606. rescripsit Episcopo Vercellensi (qui fortè erat primæ opinionis) posse Episcopum comminare censuras, sed si Regulares non obediunt, non posse actualiter excommunicare, vel interdicere, sine ordine Sac. Cõgregat.

gregat, eamque refert etiam *Barbosa de jure Eccles. lib. 1. cap. 33. num. 163.* & habetur in *2. allegat. in fine* prædict. & consequenter declaravit, hoc non posse facere suo Marte, & ex sua jurisdictione, sed solùm, quando à Sacra Congregat. demandatur.

10. Quamobrem summopere vellem, ut Dominus Papa, vel eius Sacra Congregat. dignaretur his omnibus finem dare; prout, & quibusdam datum video: etenim Regulares, ex *cap. 2. sess. 5. Conc. Trid. de Refor.* non possunt prædicare sine licentia Episcopi, & minus, eo contradicente, *cap. 4. sess. 24. de Refor.*

11. In casu autem contraventionis antiquitus puniebantur ab eorum Superioribus, *Zerola in prax. Episcoporum, ver. excommunication. causa materialis, §. 4. & Quaranta in sum. Bull. ver. Privil. Regul.* ubi per extensum ponit super his *Decretum* Sac. Congregat.

12. Tandem, dicta Declaratio fuit correcta per *Constitutionem Greg. XV.* incip. *Inscrutabili*, quam infrà habes, & determinatum extat, quòd Regulares prædicantes in Ecclesiis alienis, absque Episcopi licentia, & benedictione, possint ab eisdem corrigi, etiam per censuras, ibi, *ac demum habeat Episcopus, &c. §. 6.* Et sic interim servandum est in his, quod usus recepit.

Item, & plures alii casus, qui potuissent excitare quærelam, ob eandem *Gregorianam* quiescunt; vide illam *in fin.* hujus *Tractatus.*

Quæst. 80. Episcopus, an possit convocare processiones in Ecclesiis Regularium, invito Prælato?

1. NEgativè dic; quia hujusmodi actus est potiùs jurisdictionis, quàm dignitatis: actus autem jurisdictionales nequeunt ibidem peragi, invito Prælato Monasterii, ut dixi hic suprà, & notat *Henriquez tom. 1. lib. 7. de indulgent. cap. 26. num. 5. & Portell. ver. process. num. 10.*

2. Nec dices, quòd Episcopi possunt illic, etiam invitis Regularium Prælatis, Pontificalia exercere, & loca exemptorum processionaliter adire: quia convocare processiones, non est actus purus Pontificalium, sed habet aliquid jurisdictionis, seu habet degradare, ordinare, & similia hujus generis: licet autem Episcopo exercere actus jurisdictionales in casibus à Jure permissis.

Quæst. 81. Regulares exempti, an possint facere Processiones extrà Claustra sine licentia Episcopi?

1. REspondeo negativè, de jure tamen communi; secus autem ex Privilegio: quandoquidem, jurisdictio, maximè contentiosa, non potest exerceri extrà proprium Territorium, neque in homines alterius jurisdictionis ex *l. ult. ff. de jurisdict. omn. Judic. & l. ult. ff. de off. præfect. præt.* quoniam eo ipso, quòd quis egreditur Provinciam, habetur pro privato, *l. 3. de off. Præsidis, Gemin. in cap. si Abbatem, num. 4. de elect. in 6.*

2. Hinc prohibetur jurisdictionem exercere, *cap. Episcoporum 7. q. 2. & cap. 2. de constit. in 6.* unde Episcopi non possunt conferre ordines, etiam propriis subditis, in aliena Diœcesi, nec unus Parochus potest ingredi limites alterius Pareciæ, sine licentia alterius; secus ad invicem jurisdictiones perturbarentur.

3. Sed ità est, quòd erigere Crucem extrà Claustra, & sub ea processiones facere in pompa Ecclesiæ, est actus jurisdictionis, ut ostendit *Ruccius 1. p. decis. 90. num. 2.* ergo nequit fieri absque consensu Ordinarii loci.

4. Confirmatur, Regulares, quantumvis exempti, præter Monasterium nullam habent Diœcesim, neque territorium, ut ajunt *Doctores in Clem. 2. de stat. Monach.* ubi docent, quòd Territorium Abbatis, est eius Monasterium; ergo tantùm in ipsorum Monasterio poterunt Processiones facere, absque licentia Parochi, vel Episcopi, *Zerola in 1. p. prax. Episc. ver. Processiones, §. ad quartum, Rodr. tom. 4. sum. cap. 105.* cum suo *Comp. resolut. 118. num. 10. Diana 3. p. tract. 2. in dub. Regul. resolut. 77.*

5. Et ità determinavit Sacra Congregat. Emin. Cardinal. interpretum *Sacri Conc. Trid.* sub anno Domini 1620. die verò 2. Julii, Præfecto Emin. Ludovisio Archiepiscopo Bononiæ, & refert per extensum *Laur. Pen. tom. 2. Privil. Constit. 7. Pii V. §. 10. num. 11. in respons. ad 8.* ibi, *non licere Regularibus hujusmodi processiones facere extrà Ecclesias, & ambitum illarum.*

Et Sac. Congregat. Rituum, sub die 26. Feb. 1628. & refert *Sellius in selectis Canon. cap. 110. num. 32. Barbosa in collect. Doctor. ad cap. 13. Trid. sess. 25. de Monialib. n. 47. & uterque Novar. in luc. Regul. ver. process. num. 25. & 1. p. Bull. tit. de procession. Regul.* sub hac forma verborum.

Abbas major, & universitas Parochorum Civitatis Hispalen. citatis Procuratoribus Ordinum, supplicarunt, definiri, an Regulares possint facere processiones extrà Claustra Monasteriorum; nec non, an stante consuetudine aliqua faciendi processiones extrà Claustra per vias publicas, sine consensu Parochi, talis consuetudo Regularibus suffragetur, & sit attendenda.

6. Et Sacra Rituum Congregatio, ad tollendas difficultates, quæ quotidiè oriuntur, circa processiones fiendas, tam per Regulares, quàm per Confraternitates in Ecclesiis Regularium, inhærendo *Decretis* aliàs in similibus factis, & signanter in *Cæsaraugustana*, 17. Maii 1617. censuit, *in processionibus fiendis, tam per Regulares, quàm per Confraternitates Laicorum, ità in posterum servari debere, ut in Ecclesiis habentibus Claustrum, processiones fieri non possint; nisi intrà Claustra, & non extra: in Ecclesiis verò carentibus Claustris, fieri possint intrà ambitum, hoc est, propè muros Ecclesiæ, sivè exeundo à Janua Ecclesiæ, & intrando per aliam, sivè per eandem, & semper propè muros Ecclesiæ, extrà verò ambitum Ecclesiæ non liceat, neque Regularibus, neque Confraternitatibus facere processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale Privilegium faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum Sacra Rituum Congregatio non intendit præjudicare. Die 26. Februar. 1628. Episcopus Portuens. Card. Pius locus signi. Tegnonius Episcopus Assisiensis Secret.*

7. Nec his nocet *Graff. in cons. 20. de Regul.* ubi, ex *cap. sicut antiquitus 17. quæst. 4.* affirmat, licere Regularibus processiones facere per triginta passus extrà ambitum, quia, ut benè notat *Campanilis cap. 13. in divers. jur. Canon. rubr. 12. nu. 118. & Lezana ver. processio quoad Regulares, n. 8.* ille *tex.* loquitur de immunitate, qua Ecclesia deberet potiri, & aliud est dicere, quòd delinquentes propè Ecclesiam per 40. vel 30. passus, possent antiquitus gaudere refugio, & aliud, quòd jurisdictio Abbatis potest exerceri per totum illud spatium: hæc enim sunt diversa, à quibus non fit illatio.

8. Neque his adversatur *Festus, cap. 23. de processionibus, in 1. p. sum. Constit. Prædicatorum, pag. 39.* dicens, quòd *Congregatio Regularium censuit, servandam esse consuetudinem, ab annis decem retrò servatam, ut processio Rosarii possit fieri per totam Civitatem, vel Terram in quatuor festivitatibus Sanctæ Mariæ Virginis, nempè, Nativit. Annunciat. Purificat. & Assumptionis*; tum quia talis declaratio est sine die, & consule, nec de ea constat authenticè, ob quod juxtà *Decretum Urb. VIII.* in neutro foro valet; tum etiam; quia etsi consuetudo decem annorum sufficiat ad abrogandum legem civilem, vel denuò constituendũ, *l. ultim. C. de præscript. long. temp. §. 1. Instit. de usu. cap.* nihilominus requiritur, ut sit introducta cũ sciẽtia, & patientia partis, cui fit præjudicium, ut pluries dixi suprà; tum quia, consuetudo ad præscribendum contra legem

legem Canonicam, vel Ecclesiam, debet esse quadraginta annorum, ex *auth. quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles.* ut dixi suprà *de Privil. cap. 9.*

9. Tum denique; quia suprà positum *Decretum* formiter, ac juridicè latum, derogat consuetudini, secundùm quam loquitur *Portell. in dub. ver. processiones, nu. 8. Rodr.* cit. *loc. Tambur. tom. 1. de jur. Abbat. disput. 15. quæst. 7. num.* 39. & alii Antiquiores.

10. Proinde, Regulares præsumentes facere processiones extrà Claustra, sine licentia Parochi; possunt puniri ab Ordinariis, & uti turbatores, & offensores Episcopalis jurisdictionis, possunt excommunicari, & interdici, teste *Tambur. & Novar.* cit. *loc.* quia delictum prorogat jurisdictionem, & non Judicem, facit Judicem.

11. Dixi, de licentia Parochi; quia licentia solius Parochi sufficit, ut Regulares possint extrà suas Ecclesias, & Monasteria processiones facere, ut advertit *Gavantus in Manual. Episcoporum, ver. process. & Barbosa de potestate Parochi, cap. 12. n. 13.* ubi idem *Decretum* Sac. Congregat. suprà positum adducit; & colligitur ex illis verbis, *nisi de licentia, consensu, aut Cruce Parochi*: ubi verò adest prohibitio specialis Episcopi, requiritur etiam licentia specialis Episcopi.

Quæst. 82. An PP. Dominicani, infrà octavam Corporis Christi, possint extrà ambitum Monasterii facere processiones, absque licentia Episcopi?

1. PIUS V. ob ea forte, quæ infrà dico, sub anno Domini 1571. die verò 12. Junii, sua speciali *Bulla*, quam inserit *Gregorius XIII.* in sua *Bulla*, incip. *cùm interdum contingat*, & est 39. inter *Bullas* ejusdem, in *Bull. Rodr. tom. 2. pag.* mihi 477. concessit nostro Ordini Prædicatorum, ut soli Fratres Dominicani possent die Dominico, infrà Octavam Corporis Christi, processiones facere in omnibus, & singulis Civitatibus, Terris, & Oppidis totius Orbis, privativè quoad alios, cum clausulis præservativis, ne super hoc possent impediri, & contradictoribus apposuit pœnas; & in augmentum Devotionis, Indulgentias multas indulsit, ut meliùs apparet in d. *Bulla.*

2. *Gregorius* verò prædictus in *Bulla* præfata, non obstantibus litteris *Pii V.* voluit, ut omnibus liceat in Dominica, & in quocunque die Octavæ Corporis Christi, processiones in honorem hujus festivitatis solemniter facere, ut liquet ex illa, & habetur, ibi.

Nos igitur ex mera nostra deliberatione, & certa scientia, universis Ecclesiasticis personis, tam secularibus, quàm quorumcunque Ordinum Regularibus concedimus, ut non obstantibus litteris Pii V. quibus concedebatur, ut soli Fratres Prædicatores, dicto die Dominico, processionem facere possent, eis liceat, ipso die Dominico, ac omnibus aliis diebus, infra Octavam Corporis Christi, processionem facere, annullantes in hoc prædictas litteras, &c.

3. *Clemens* autem *VIII.* sub anno 1592. die verò 8. Martii, easdem litteras *Pii V.* roboravit, & ampliavit, sub hac forma verborum.

Dum Fœl. recor. Pius V. piis causis adductus, perpetuò concessit professoribus Ord. Prædicatorum, quòd in Civitatibus, Oppidis, Villis, & Terris, in quibus soliti erant processionem celebrare in die Dominico, infra Oct. Corporis Christi, illam singulis annis celebrare possent, & aliis Presbyteris, ac Fratribus aliarum Religionum inhibuit, ne, dicto tempore, & hora, processionem facere, aut cum eis concurrere auderent, &c. & ut Christi fideles majori cum devotione, & numero convenirent, interessentibus plenariam Indulgentiam est elargitus, prout in eius litteris datis sub forma Brevis, die 21. Junii 1571. pleniùs apparet: cùm autem credatur, quòd prædictus Pontifex hanc gratiam concesserit, tam fabricatis, quàm fabricandis Domibus dicti Ordinis, &c. nihilominùs, &c. nos dictarum litterarum tenores, ac si de Verbo ad Verbū insererentur, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus inclinati, litteras prædictas cum omnibus clausulis, concessionibus, & inhibitionibus, ad omnes Domos fabricatas, & fabricandas in omnibus Civitatibus, Oppidis, Villis, & Terris, authoritate Apostolica, tenore præsentium extendimus, & ampliamus, ità ut Priores, in quibuscunque Mundi partibus, processiones dicto die per Vicos, plateas, & loca, ab eis electa, & semel tantùm eligenda, soli absque ullo impedimento celebrare possint; inhibentes omnibus Presbyteris, & Fratribus aliarum Religionum, ne dicto tempore, & hora similes processiones celebrare, aut cum dictis Fratribus Prædicatoribus concurrere audeant: nec non singulis personis, verè pœnitentibus, & confessis, aut propositum confitendi statutis temporibus habentibus, quæ dictæ processioni devotè interfuerint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, ac remissionem authoritate præmissa, elargimur: non obstantibus quibuscunque Constitut. & Ordinat. Apostolicis, &c. Datum Romæ die 8. Martii 1592. Et refert per extensum noster *Faustus in d. 1. p. sum.* nostrarum *Constit. tit. de Process. & præcedentia, cap. 23. fol.* mihi 40. & eius authenticum *Privil.* asservatur Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervā.

4. Quod quippe *Privilegium*, eadem Sacra Congregat. sæpius innovavit; ut constat ex suprapositio *Decreto de non faciendo processiones extrà Claustra, sine licentia Parochi, ibi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale* Privilegium, *faciendi processiones per alia loca, quibus per hoc Decretum Sacra Rituum Congregatio non intendit præjudicare,* hæc *ibi.*

5. Benè verum est; quòd PP. Dominicani non possunt ampliare viam ab illis aliàs electam, ut dicitur in *d. Bull. Clem.* 8. & habetur ex *Declaratione* ejusdem Sacræ Congregat. Rituum, tenoris sequentis.

Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Illustrissimi, & Reverendissimi Cardinalis De Monte, coram quo, de mandato ejusdem Congregationis, deducta fuerant, voce, & scripto jura, & rationes Fratrum Prædicatorum *Civitatis* Pisaurensis, *prætendentium, posse virtute litterarum Clem. 8 ampliare viam, ab illis aliàs electam per processiones faciendas Dominica infrà Octavam Corporis Christi; eadem Sacra Congregat. audita relatione, ut suprà, juxtà formam litterarum fœlicis recordat.* Papæ *Clementis VIII. in quibus expresè dicitur, quòd Fratres Dominicani, dictam eorum processionem Sanctissimi Sacramenti facere per Vicos, plateas, & loca ab eis electa, & semel tantùm eligenda, declaravit, dictos Fratres Dominicanos in dicta eorum processione, quam in Civitate* Pisauri *facere solent in Dominica infrà Octavam festivitatis Corporis Christi, debere incedere per eandem viam, per quam processionaliter, prima vice incesserunt, quando dictam processionem facere incœperunt.* Et refert per extensum *Cespedes, tract. de exempt. Regul. quoad processiones, cap. 11. dub. 212. in fine, n. 5.* & de materia vide *Novar. Canon. 1. p. sum. Bull. tit. de processionibus,* ubi latè de his agit.

6. Ratio tamen impulsiva prædictorum à Sancta Sede concessorum, potuit esse multiplex.

Primò; quia noster Sanctus Pater, & Patriarcha Dominicus, indefessè septem consumpsit annos in evertendis Hæreticis Albigensibus, qui nocte, dieq; obmurmurabant, ac acriter latrabant contrà veritatem Augustissimi Sacramenti Altaris, abnegantes, ibi Vivum Christi Corpus, aut Divinitatem reperiri; adversus quos Apostolico pectore, post tot discrimina, teste *Petro Galatino, lib. 7. de Arcanis, cap. 5.* composuit, meliùs dicā, scripsit, Deo dictante, ut piè creditur, quendam Pissimum *tractatum, de Corpore Christi in Hostia Sacramentaliter habito,* in quo compilavit veritates Catholicas, concernentes veritatem, & realitatem Eucharistiæ, & hic est *libellus*

libellus ille, de quo canit Ecclesia in eius Officio, *ter in flammas libellus traditus, ter exivit illæsus pœnitùs*, quo miraculo, multos ex illis traxit ad fidem Catholicam.

7. Secundò; quia Prædicatores, ceu Veri Filii tanti Patris, omni tempore, omnique loco occurrerunt Hæreticis, qui pravè in tot Mundi partibus insurrexerunt contrà veritatem Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, & Dei ope prævaluerunt.

8. Tertiò; quia *Urbanus Papa IV.* cum esset in minoribus, nempe, Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ Civitatis Leonis, Regni Franciæ, ex Divina revelatione, ut legitur, voluit, ac ardenter desideravit, ut ad honorem supradicti ineffabilis Sacramenti, fierent solennes ac publicæ processiones, quod utique fuit exequutioni mandatum, Hugone Cardinali, tunc temporis, Provinciæ Galliæ Provinciali, aliisque ejusdem Ordinis adjuvantibus, qui verbo, & scriptis occurrerunt Clero, & aliis nonnullis, qui excipiendo tentabant tam piam institutionem impedire.

9. Quartò; quia *D. Thom. de Aquino*, Prædicatorum alumnus, jussu jam dicti *Urbani Papæ IV.* inaudito stylo, ingenti Devotione, ac mirabili Pietate, composuit Vesperas, Officium, & Missam Sanctissimi Sacramenti, nec non omne, & quidquid ad eius Veritatem, Claritatem, ac Realitatem, necessum existimavit; quippe qui ob hoc solum, in quo tam mirificè se elevavit, quamvis alia non edidisset, meritò diceretur Phœnix *Doctorum*, & uti Parens & Princeps Theologiæ veneraretur.

10. Quintò; quia Religio Dominicana, edocta à præfato suo *Sancto Doctore*, enixè sine intermissione precatur, ac veneratur, tam Augustissimum Sacramentum; & ob peculiarem devotionem, quam gerit in illud, statuit in omnibus Quintis Feriis, non impeditis, à suis Religiosis Officium Corporis Christi esse celebrandum: nec non & in omnibus suis Conventibus, in omni Dominica, infrà Octavam Festivitatis ejusdem, voluit extrà Claustra processiones fieri.

11. Propterea Romani Pontifices, *d. Urbani* successores, hæc advertentes, ad perpetuitatem, & majorem devotionem Christi fidelium, instituerunt Archiconfraternitatem dicti Sanctissimi Sacramenti, eamque voluerunt esse Romæ, in Ecclesia nostra S. Mariæ super Minervam, quam ditarunt gratiis, favoribus, ac Indulgentiis mirabilibus, à qua veluti à fonte, cœteræ Confraternitates pullulant, & dimanant.

12. *Pius* autem *V. Clemens VIII.* & alii posteriores, horum omnium rationem habere volentes, hæc nobis specialia, jure optimo concesserunt; prout clariùs habetur in *Proœmio d. Bullæ Pii V.* & latè notat *Pater Frater Antonius Soler* Ordinis Prædicatorum, in suo *libello*, Hispanico sermone conscripto, & attitulato, *il Rio del Paradiso, tract. 2. de Confraternitate Sanctissimi Sacramenti, fol.* mihi 20.

Quæst. 83. Regulares, an sint exempti à potestate, ac jurisdictione Iudicum Sæcularium?

1. Affirmativè regulariter; quia omnes Personæ Ecclesiasticæ, de jure Canonico, & Civili, sunt exemptæ à potestate, & jurisdictione sæculari, tam in causis civilibus, quàm criminalibus, ut patet ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 20.* & ex *auth. statuimus, de Episcopis, & Cler.*

****

Quæst. 84. Regulares an sint exempti à Gabellis, Tributis, & similibus?

1. Et dico, quòd sic regulariter; quia omnes Personæ Ecclesiasticæ sunt immunes ab omni onere personali, & reali, *cap. Clericis, de immunit. Eccles. in 6. c. quamquàm, de censibus, in 6. cap. non minùs, de immunitat. Eccles. cap. generaliter, §. novar. & cap. placeat 16. q. 1. Clem. 1. de immun. Eccl. Clem. præsenti, de censib.* & plenè constat ex *Bulla Pii V.* incip. *dum ad uberes 11. in Bull. Cherub. pagin. 191.* & est decisio *Conc. Trid. sess. 25. cap. 29. de Reform.* ubi confirmatæ sunt *Constitutiones* omnes, emanatæ à Summis Pontificibus, & *Conciliis Generalibus*, ad favorem Immunitatum, & Privilegiorum Clericorum, & Personarum Ecclesiasticarum: cui accedit jus Civile, *l. placet, & auth. item nonnulli, C. de sacr. Eccles.* ubi *Doctores* communiter hoc dicunt.

Quæst. 85. Exemptio hujusmodi, an nobis competat de jure Divino?

1. De hac re, vehementer controversum est inter *Doctores Theologos, & Iuristas*, & de ea sunt opiniones: *Navar. c. novit. de judic. not. 6. Didacus Covar. lib. practic. quæst. cap. 31. num. 3. Menoch. de arbitr. casu* 430. *n. 1.* & alii Jurisperiti non pauci, *P. Franciscus de Victoria, de potestate Ecclesiæ, super illum locum Matth. 16. tibi dabo claves Regni Cælorum, relect. 1. q. 3.* in qua quærit, à quo jure sit introducta potestas Ecclesiastica *prima 2. & 3. proposit.* ubi disputat de triplici jure, nempe divino, naturali, & positivo, & infrà, ubi quærit, utrum Ecclesiastici sint exempti à potestate Civili *pag.* mihi 97. *§. sequitur consequenter, num. 1.* in quo probat, quòd non omnis exemptio Clericorum, est de jure Divino; cui favet Peritissimus *Dominicus Soto in 4. senten. distinct. 25. q. 2. ar. 2. conclus. 3. & 4.* & doctissimus *Dominicus Bannes 2. 2. in comment. D. Thom. super q. 67. ar. 1. dub. 2. conclus. 1. 2. & 3. Sayr. in Thes. casuum conscient. in exposit. Bull. Cœnæ cap. 22. de imponentibus Decimas, collectas, &c. Rodr. tom. 2. q. 62. ar. 2.* & alii plures quorum ferè non est numerus.

2. Hi quidem tres supradicti Dominicani, cum distinctione probant assumptum, dicentes, quòd Clerici, ac Religiosæ personæ, quoad causas purè, & merè Ecclesiasticas, sunt exempti à potestate Sæculari de jure Divino; & constat, tum ex *d. loco Matth.* ibi, *Petre pasce oves meas, &c.* tum item ex illis, *quæcunque ligaveritis super Terram, erunt ligata, & in Cælis*, quæ dicta sunt ad Apostolos, prout sunt Ecclesiæ fundamenta, & Prælati cæterorum Ecclesiasticorum: nec possunt referri ad Principes Sæculares, ut falsò putaverunt Hæretici; tum quia, Christus noluit se intromittere de gubernio sæcularium hujus Mundi, sed de Regno Cœlorum, hoc est, de salute Animarum; prout expressè protestatus fuit, *Regnum meum non est de hoc Mundo*, & alibi, *quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*, & alibi, *sic enim orabitis. Pater Noster, qui es in Cælis:* tum quia potestas spiritualis, est supernaturalis, eminentioris, ac Superioris ordinis, quàm sit civilis; tum etiam, quia à solo Christo dependet, & est distincta à potestate civili: unde Judices Laici sunt incapaces illius, tum etiam; quia ad *Timoth. 5. Apostolus* ait, *adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus*, quæ dicta sunt ad Episcopum, non autem ad potestatem Laicalem, cui potestas est à Communitate, & Republica, nec Respublica habet dare potestatem spiritualem, quoad causas spirituales: nemo enim potest ponere os suum in Cœlum; quia non pendet ex illo, nec subest ei, & hoc constatissimum est; nec reperitur Christianus Catholicus oppositum dicens.

3. Hæ

3. Hæ autem causæ spirituales sunt administrationes Sacramentorum, exercitium divini cultus, condere leges concernentes divina & spiritualia, explicatio sacræ Scripturæ, instructio fidelium quoad usum, & praxim spiritualium, punitio peccatorum, sanctiones pœnarum Ecclesiasticarum, ceu sunt excommunicare, interdicere, & suspendere, judicare de irregularitatibus, depositionibus, degradationibus, examinare, instituere, vel creare Ministros Sacramentorum, promovere ad Ordines, & similes, de quibus latè *S. Doctor* 1.2.*q*.44. *& q*.108. *art*.2.

4. Secus autem quoad causas civiles & criminales: sunt enim sic exempti à potestate laicali, jure Ecclesiastico, seu jussu Papæ, non autem de jure Divino; tum quia in neutro *Testamento* expressè habetur hoc: & quamvis in lege veteri aliquid posset reperiri, non tamen juvat, quia tam cæremonialia, quàm jurisdictionalia mortua sunt in Passione Christi, & hodie sunt mortifera, ut plures advertunt, & sequitur *Ciarlinus controver. forens. cap*.10.*num*.11.

5. Nec urget illud *Psal*.104. *Nolite tangere Christos meos*; quia posset dici, quòd locus iste non loquitur de Clericis nostri temporis, nisi forsitan in sensu allegorico, à quo non contrahitur argumentum; aut debet intelligi de unctis illius temporis, nempe de Regibus, vel Prophetis, qui tunc, ut scimus, ungebantur.

6. Nec obstat locus ille *Matthæi* 17. ubi cùm exegissent didrachma à Christo, Dominus dixit ad Petrum: *Reges Gentium à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?* & ille dixit, *ab alienis*; dixit illi Jesus: *ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & pro te.* Quia *D. Thom. in* 2. *sent. distinct*. 44.*quæst*.22.*art*.2. in quo quærit, an Christiani teneantur obedire potestatibus sæcularibus, & maximè tyrannis, in *responsione ad primum* ait, *quòd in dicto loco Christus loquitur de se, & suis discipulis, qui nec servilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus suis Dominis obligarentur ad tributa solvenda: ideoque non sequitur, quòd omnis Christianus hujus libertatis sit particeps, sed solum illi, qui sequuntur Apostolicam vitam, nihil in hoc mundo possidentes, & à conditione servili sunt immunes.* hæc *ille*. Et ità eundem *locum* explicat *D. Bonaventura*.

7. Tum denique, quia *Apostolus ad Rom*.13. absolutè præcipit solvi tributa, nulla mentione facta de Clericis, aut alio genere hominum; & *ibid. D. Thom.* subjunxit in *ver. tributa præstatis: ab hoc autem debito liberi sunt Clerici ex Privilegio Principum*; *quod quidem naturalem æquitatem habet*.

8. *Unde etiam apud Gentiles liberi erant à tributis illi, qui vacabant rebus Divinis:* hæc ille: & ad sui confirmationem subnectit, *quòd Joseph, ut legitur Genes*. 47. *subjecit Pharaoni totam terram Ægypti, præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*, ubi infrà dicitur, *quòd in universa terra Ægypti quinta pars solvitur, absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit: hoc autem omnino æquum est, quia sicut Reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita Ministri Dei in spiritualibus; & sic per hoc, quòd Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regi, qui pro pace eorum laborat:* hæc *D. Thom*.

9. Nec videtur verisimile, quòd Joseph, qui habebat verum Dei cultum, vellet à dictis tributis excipere Sacerdotes idololatras, nisi ex dicta æquitate, vel humana pietate, quam forsan erga illos habebat; nec solet Deus falsum cultum speciali privilegio honorare: non enim novit Deus criminatoribus specialia adhibere adjutoria, aliàs faveret falso cultui, sicque pugnaret contra se, quod nequit dici.

10. Benè verum, ajunt illi, quòd isthæc exemptio, etsi sit de jure humano, est tamen juri naturali, & divino conformis: quoniam jure divino Ecclesiastici sunt Pastores, & Judices sæcularium in spiritualibus, sed à recta ratione videtur alienum, ut Pastor judicetur ab ovibus suis propriis, & Judex spiritualis à suo subdito temporali.

11. Confirmatur ex illo *Apostoli* 1. *Cor*.6. prohibentis *ibidem* fideles ab infidelibus, pro suis criminibus judicari, ne fideles fidem contemnant; ergo à pari ratione valde rationabile est, ne Clerici à sæcularibus judicentur, ne contemnantur; nam ubi militat eadem ratio, militat etiam eadem juris dispositio, *l. illud, ff. ad legem Aquiliam*, & alia hujus generis referunt *Doctores* præcit. & præcipuè *Covar. & Rodr. ubi suprà*.

12. Secunda verò sententia est multorum *Juristarum & Theologorum*, qui absque ulla limitatione defendunt, exemptionem hujusmodi esse de jure Divino, prout sunt *Carol. de Graffis de effect. Cleric. eff*.1. *num*.2 *Jul. Clar. lib*.1. §. *fin. q*.3. *Riccius p*.2. *decis*.299. *num*.3. *Leonard. Duardus in com. Bull. Cœnæ lib*.2. *in Canon*.15. *q*.18. ubi latè ad partes disputat. *Suar. de fidei defen. lib*.4. *de immunit. cap*.9. *num*.15. *Azor. p* 1. *moral. num*.2. *Paulus Layman. lib*. 4. *Moral. tract*.9. *cap*.8. latè ad partes, *Bonacina tom*.2. *ad primum præceptum Decal. disput*.3. *q*.7. *punct*. 2. *de immunit. loci Eccles. & tom*.3. *de cens. Bullæ Cœn. disput*.1. *q*. 16. *punct*.2. *per totum, & q*.19. §.2. *& infrà de immunit. Eccles. disput*.2. *q*.3. §.2. *Gregorius Servantius* Dominicanus *de defens. Immunit. Eccles. proposit*.5. *pag*.58. *Anton. Diana* 1. *p. tract*.2. *de Immunit. resolut*.1. *& p*.5. *tract*.1. *eod. tit. resolut*.21. & *in p*.7. *tract*.1. *resolut*.2. *& sequent*. & Pater *Laur. Ortiz de Immunit. ad Paulum V. fol*. 8. ità ut Clerici sint exempti de jure Divino, nedum quoad causas spirituales, de quo inter Christianos non disceptatur, ut dictum est; verùm etiam quoad causas civiles, criminales, & mixtas, seu quoad personas, jura, actiones, & bona: adeò ut censeantur immunes, & liberi regulariter, omninò, & perfectè à solvendis tributis, censibus, contributionibus, & aliis oneribus, & moventur ex multis.

13. Primò, ex illo *Psalmi* 81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*, hoc est, Clericos, & Sacerdotes, & constat ex *textu, cap. Sacerdotibus*, 11. *q*.1. *& cap. satis, d. caus. q*.6. ubi Papa *Gregorius* ex *Sacra Scriptura* ostendit, quòd Sacerdotes vocentur Dii, & Angeli, & ob id sunt honorandi à Regibus, non autem judicandi. Item ex illo *Psalmi* 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari*, quæ verba, licèt intelligantur de Patriarchis, qui erant uncti, & à Deo missi ad populum, intelligenda tamen veniunt, & à fortiori de Clericis, & Sacerdotibus, qui uncti sunt, & Divino cultui peculiariter mancipati, & interpretes ad populum transmissi. Item ex *cap*. 2. *Zacchar*. *Qui vos tetigerit, pupillam oculi mei tanget*: ergo nec in minimo possunt tangi à laicis, & *ibidem D. Hier*. declarat, & habetur ex *Anacleto Papa in c. accusatio, il. primo* 2. *q*. 7. item ex illo *Levit. ultimo*, in quo habetur, quòd omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non væniet, nec redimi poterit, quod semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, quæ moralia non sunt extincta in morte Christi, & apud Nos uti jussa Altissimi Dei, in sæculorum sæcula asservantur; quòd autem hæc sint Dei præcepta, testatur *Moyses in fin. d. cap*. ibi, *hæc sunt præcepta, quæ tradidit Dominus*. Item *Num. cap*.18. habetur, *Omnia, quæ sanctificantur*, hoc est, quæ Deo dicantur, *tradidi tibi, & filiis tuis pro officio Sacerdotali legitima sempiterna*, & ibi, *omne, quod ex voto tradiderunt filii Israel, tunc erit:* ergo omnia ista sunt de jure Divino; quia ad jus Sacerdotum pertinent: ita à pari, & personæ Ecclesiasticæ erunt cum suis bonis, actio-

nibus, & juribus exemptæ à potestate laicali, de jure Divino; quoniam sunt Deo consecratæ totaliter, & omninò: unde effectæ sunt de foro Ecclesiæ, & ad forum sæculare nullo modo possunt pertinere, & liquet in *cap. nulli*, 12. *q*. 2.

14. Secundò moventur ex *Novo Testamento*, nempe ex verbis *cap*. 17. *Matth*. ibi, *ergo liberi sunt filii à solutione tributi, ut autem non scandalizemus eos, tolle, & da pro me, & te, &c.* in quibus Christus loquitur pluraliter, & jubet dari tributum, non ex obligatione, sed ad evitandum scandalum; ergo nec Christus, nec Petrus erant obligati; non Christus, quia erat Dei filius, nec cæteri Apostoli, tum quia erant Personæ Ecclesiasticæ, & consequenter non servilis conditionis; tum etiam, quia erant de familia Christi; etenim Privilegium concessum Domino, extenditur ad omnes ejus domesticos, & familiares, ut latè dixi de Privil.

15. Confirmatur, quia sicut Christus habuit bona, & eorum dominium, proprietatem, & usum, pro suæ familiæ Ecclesiasticæ sustentatione, & pro pauperum miseriis succurrendis, super quæ nullum censum, nullum vectigal, nullumque tributum admisit: ità, & bona Ecclesiasticorum; quia ista successerunt in locum bonorum, quæ Christus habuit, & censentur alimenta Ministrorum Ecclesiæ, & effecta sunt de Patrimonio Christi: ergo nullius juris sunt, sed tantùm Dei: antecedens probatur ex *Cap. Luc*. 8. ubi refertur, quòd cùm Christus discurreret prædicando per Villas, & Castella, comitatus suis duodecim discipulis, mulieres, quæ fuerant curatæ à spiritibus malignis, & à gravibus infirmitatibus, nempe Maria Magdalena, Joanna uxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ Christum comitabantur, & de facultatibus suis ei convenienter ministrantes, & *Marc. cap*. 8. *& Luc. cap*. 9. *& Joann. cap*. 9. habetur, quòd Apostoli dixerunt, *Euntes emamus denariis ducentis panes, & dabimus eis manducare*, ex quo perspicuè constat, Apostolos habuisse denarios, & invigilasse pro sustentatione pauperum.

16. Confirmatur, quia Judas loculos habebat, & quando Christus ei dixit, *quod facturus es, fac citiùs, Joann. cap*. 12. nullus discipulorum hoc intellexit, de proditione habenda; sed quia instabat Pascha, pensarunt, ex quo loculos habebat, ut emeret ea, quæ opus erant ad diem festum celebrandum; ergo Christus habebat bona, conservata ad sustentationem tam Apostolorum, quàm cæterorum pauperum.

17. Nec possidebat illa quoad usum facti, ut quidam hæretici ajunt; sed etiam quoad usum juris: nempe quoad dominium, & proprietatem omnimodam; quia naturali lumine, quæ Deo sunt sacrata, ab omni onere eximuntur; & Deo dicatum, non est ad usus humanos transferendum, ut dicitur etiam in jure civili, *l. in tantum*, § *sacra, de rerum divis. l. aut sacra, de contrahen. empt.* & est decisio *Joan. Papæ XXII. in extrav. licèt*, ubi Apostolica diffinitione concludit, prædictam explicationem de usu facti tantùm, esse hæreticam, & erroneam, prout *ibid.* latè *Gloss. & cap. bene quidem, dist.* 96. *cap. Decretum* 10. *q*. 1. *cap. nulli, cap. prædia, cap. Apostoli, cap. de rebus, cap. indigna*, 12. *q*. 2. *cap. laicis, & cap. si quis primum*, 16. *q*. 7. *& C. in quolibet*, § *sancimus*, 22. *q*. 8.

18. Confirmatur ex verbis *D. Pauli, Epist*. 1. *ad Timoth. cap*. 5. ibi, *Adversus Presbyteros accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus*: ergo tempore *Pauli*, Episcopi erant Judices Clericorum; nam *ibi* supponit, Episcopum esse Judicem, & præscribit tantùm modum accipiendi querelas; supponit ergo tribunal, & docet praxim judicandi.

19. Igitur clarissimum est, quòd tempore *Pauli*, Judices laici non judicabant Clericos, nec potest assignari tempus, aut locus sacer, qui contrarium ostendat.

20. Nec dices, quòd *Paulus* loquitur de causis spiritualibus; quia hoc gratis ac immeritò dicitur: etenim *ibidem Apostolus* supponit tribunal, & tantùm docet modum judicandi: tum etiam, quia lex generaliter loquens, universaliter debet intelligi, ut sæpè dixi.

21. Confirmatur, quia de jure divino sunt traditiones Ecclesiæ, quas nos & de fide tenemur amplecti, ut constat ex *Cap*. 2. *Epist*. 2. *ad Thessalon*. ibi, *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*: etenim multa etiam ab Apostolis fuerunt omissa, quæ remanserunt exequenda, & ordinanda suis successoribus, ut egregiè docet Eminent. *Cardinalis Turrecremata* Dominicanus, *in cap. cùm ad verum, num*. 4. *in respons. ad quintum, distinct*. 96. Sed Ecclesia Catholica ultrà jura & loca prædicta ex traditione antiquissima Sanctorum Patrum, habet & tenet Clericos de Jure Divino exemptos esse omnibus modis à potestate & jurisdictione sæcularium, prout latè *Diana in d*. 7. *p. resolut*. 2. 3. 4. 5. in quibus supputat tempora, & Patres ostendit.

22. Tertiò probatur conclusio ex decisione *Conciliorum, & Sacrorum Canonum*; *Bonifacius* enim *Papa VIII. in cap. quanquam, de censibus*, expressè testatur, Ecclesias, Ecclesiasticasque personas, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quinimmò & Divino, à sæcularium personarum exactionibus esse immunes, nota ly, *res ipsarum*.

23. *Joan. Papa in Canon. si Imperator, distinct*. 96. ait, *non à legibus publicis, non à Potestatibus sæculi, sed à Pontificibus, & Sacerdotibus, Omnipotens Deus, Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recipique de errore remeantes.*

24. In *Generali Concil. Lateranensi*, sub *Innoc. III. C.* 43. & sub *Leone X. sess*. 9. habetur, *tum à jure Divino, quàm humano, Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes, & singulas Constitutiones, &c.* nota ly *nulla*.

25. In *Concil. Coloniensi p*. 9. *cap*. 20. dicitur, *immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, jure pariter Divino, & humano introducta, &c.*

26. In *Concilio* tandem *Trid sess*. 25. *c*. 20. *de reformat.* habetur, *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus constituta*; in quibus verbis *Trid.* expende illud, *Dei ordinatione*, per quod excluduntur, dicentes, immunitatem Ecclesiasticam non esse præceptam à Deo immediatè, sed mediatè, nempe à Romano Pontifice, qui immediatè habuit à Christo Domino potestatem præcipiendi illam; etenim censetur instituta Dei jussu, præcepto, & ordinatione immediatè, non mediatè tantùm, ut demonstratum est suprà. Item expende ly *Dei ordinatione*, *& Canon. Sanct.* per quæ excluduntur dicentes, immunitatem Ecclesiasticam esse de jure Canonico, quod interdum vocatur Divinum, respectu ad jus Civile Cæsareum: quandoquidem Jus Canonicum propriè non est Jus Divinum, & *Trid.* ponit illa duo, nempe, *Dei ordinatione, & Canon. Sanct.* ut ostenderet, immunitatem Ecclesiasticam reperiri in Ecclesia utroque jure, nempe jussu Dei, & Papæ, secùs foret repetitio inutilis.

27. Alia hujus generis loca, & majora ostendunt *Duardus* cit. *loc. conclus*. 4. *Bonac. ubi suprà in Bulla Cœnæ, disput*. 1. *q*. 16. *punct*. 2. *fol.* mihi 99. *unic. proposit. num*. 4. *& Diana d. loc. resolut*. 3. *& sequent.*

28. Nec his obstat illud *Pauli ad Rom*. 13. ubi dixit, *quòd omnis anima potestatibus superioribus subjecta sit, propter Dei ordinationem*, ubi *Gloss.* ait, quòd per ly *omnis anima*, nullus excipitur, nec excluditur; quia ex tali dicto non probatur, nec colligitur, Clericos esse subjectos

jectos poteſtati laicali; ſed quòd omnis anima ex Dei juſſu & ordinatione debet eſſe ſubdita, & obedire ſuo Superiori, nempe Laicus Laicali, & Clericus Eccleſiaſticæ poteſtati.

29. Nec officit illud dictum *D. Thom.* quia ſcilicet *Clerici ſunt exempti à tributis, ex Privilegio Principum, quod naturalem habet æquitatem*; tum quia *ibid. D. Thom.* de hoc loquitur, non ex inſtituto, ſed obiter, & per tranſennam; tum quia non dixit: ex ſolo Privilegio Principum; nam multa nobis à Deo indulta declarantur, & de novo jubentur à Poteſtatibus; tum etiam, quia *D. Thom.* dixit, dictum Privilegium fundari in lumine naturali, ex quo quiſque naturaliter percipit, bona conſecrata eſſe propria Dei, & remanere nullius juris quod procedit in omni Religione, ſive vera, ſive falſa ſit. Hoc autem lumen naturale, quia inſitum nobis eſt ab auctore naturæ immediatè, & ob id poteſt dici divinum, ſecundùm illud *Pſalmi* 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; tum item, quia idem *D. Thom. lib.* 3. *de regimine Principum, cap.* 10. aſſerit, exemptionem Clericorum eſſe de jure divino; ubi ex multis oſtendit, plenitudinem poteſtatis Papæ, & quòd totum ferè dominium inter fideles pendeat ex illo; & quòd meritò poteſt dici Rex, & Sacerdos, cum quibus bene ſtat, quòd integrum ſit Papæ, quoad particulares caſus declarare, an hîc, & nunc ſit obſervanda exemptio prædicta: etenim Rom. Pont. ex quo eſt univerſalis Commiſſarius Dei, habet poteſtatem interpretandi jus naturale, & divinum, ubi, & quando afficiant; & ob id, in quibuſdam particularibus obligationem tollere, prout egregiè oſtendit, multis citatis, noſter *Sylv. ver. Papa, q.* 16. *& ſequent.*

Quæſt. 86. *D. Papa, præciſâ exemptione Iuris Civilis, ac etiam Divini, an potuiſſet eximere Eccleſiaſticos à Poteſtate Laica?*

1. D. *Thom. in Opuſculo contra impugnantes Religionem, & lib.* 3. *de Regimine Principum, cap.* 10. *& ſequent.* cui inhærent Eminent. Cardinalis *Turrecremata in ſum. de dominio Eccleſ. p.* 2. *cap.* 115. *& ſequent. Joan. de Neapoli* Doctor Pariſienſis in ſuis *var. q.* 36. in qua latè de dominio Imperatoris, *Cajet. de Poteſtate Papæ, & in cap.* 13. *Apolog. & per totum cap. de primatu Eccleſ. Rom. P. Victoria, & Sotus* cit. *loc. num.* 5. & conſimiles noſtræ familiæ alumni, reſpondent affirmativè: tum quia Papa eſt Prælatus, Paſtor Univerſalis, Rex, & Caput totius Eccleſiæ, cujus poteſtas eſt divina, & ſupernaturalis, abſoluta, & ſimpliciter independens à poteſtate laica, ut apertè conſtat ex illo *Matth. cap.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & *tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolveris, erit ſolutum.* Et alibi: *Si non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Et alibi: *Confirma fratres tuos*, ubi *Gloſſ.* dicit, *ſpecialiter hoc Petro conceſſit, ut ad unitatem nos invitaret; ideò enim* Principem *Apoſtolorum conſtituit, ut Eccleſia unum principalem haberet Chriſti Vicarium, ad quem diverſa membra Eccleſiæ recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent; quòd ſi diverſa capita eſſent in Eccleſia, unitatis vinculum rumperetur.* hæc *illa*, & *ibidem D. Hier.* ſubjungit, quòd cæteri Apoſtoli vocati ſunt in partem ſollicitudinis; Petrus verò in plenitudinem poteſtatis, & habetur in *cap. qui ſe ſcit,* 2. *q.* 6. ſed quis dicet, quòd Summus Princeps, & Univerſalis Gubernator ad determinandum ea, quæ faciunt pro felici gubernio ſuæ multitudinis, indigeat ſubditorum conſenſu?

2. Tum etiam, quia Eccleſia habet jus eximendi Chriſtianos à dominio Principis ethnici; ut eruditè docet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 10 *art.* 10. eò maximè, quia infidelitas non benè ſtat cum fidelitate Chriſtianorum: ergo & fortiùs habet jus eximendi fideles à dominio Principis Chriſtiani, quia hoc minus eſt: etenim faciliùs eſt, aliquid ſtatuere circa perſonam ſibi ſubjectam, quàm in non ſubjectam: unde *Apoſtolus* dixit *Corinth.* 5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt: ergo*, eò magis, quia hujuſmodi ſervitus impediret libertatem Eccleſiaſticorum, nempe faceret, ne Clerici vacarent cultui divino; & ſic retraherentur ab illo.

3. Tum etiam, quia ſumus in deciſis in *c. Eccleſia Sancta Maria, de Conſtit. & in cap.* 2. *de majorit. & obed. cap. noverit, c. gravamen, de ſent. excom. cap. quanquam, de cenſibus, in* 6. *cap. ultim. de rebus Eccleſ. non alienandis, D. Thom. in* cit. *loc. de Regim.* Principum, *Navar. in cap. novi, de Judic. not.* 6. latè *Rodr. tom.* 2. *q.* 62 *art.* 2. *verſ. ſed licèt hæc diſtinctio, in fin.* ubi ad hoc plura adducit, & *art.* 7. egregiè de auctoritate Papæ, & noviſſimè *D. Conſil. Carleval. tom.* 1. *de Judiciis, diſput.* 2. *q.* 6. *ſect.* 1. *num.* 397. *in corpore.*

Quæſt. 87. *Regulares an teneantur obſervare leges civiles, latas ad commune bonum Reipublicæ, nempe prohibentes arma portare, & taxantes pretia rerum?*

1. P. *Victoria de poteſtate Eccleſ. relect.* 1. *in d. q. exempt. Clericorum à poteſtate Laici, § ſequitur conſequenter, num.* 4. cui inhæret *Rodr. tom.* 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. *not.* 1. poſt *Turrecremat. in cap. cùm ad verum, diſtinct.* 96. *& Navar. in cap. novi, not.* 6. *de Judic.* cum diſtinctione reſpondet; aut Eccleſiaſtici conſiderantur, quatenus ſunt Miniſtri Divinorum, & ſic ſunt exempti: aut quatenus ſunt cives, & partes Reipublicæ, & ſic vi directiva, & ex congruentia ſunt obligati legibus civilibus in his, quæ ſpectant ad gubernationem, & adminiſtrationem temporalem boni communis, & ſecùs facientes, peccant contra legem: & hoc ideo, quia Clerici, præter hoc, quòd ſunt Miniſtri Eccleſiæ, ſunt Concives Civitatis, nec per exemptionem deſinunt eſſe partes, & membra Reipublicæ.

2. Nec dices, quòd Laici ex defectu poteſtatis, nihil poſſunt ſtatuere contra Clericos, nec hi vinciuntur lege illorum; quia in caſu poſito, Perſonæ Eccleſiaſticæ ſervant leges latas ad commune bonum, lumine naturæ, & dictamine rationis: etenim pars debet correſpondere toti, & unuſquiſque tenetur vacare publico, ac communi bono: lex autem naturalis ad omnes perſonas ſe extendit, & obligat in conſcientia, nullo excepto, dummodò ſit rationis compos; quia teſte *Paulo ad Rom.* 2. eſt præceptiva, ibi, *Quicunque ſine lege* (intellige ſcripta) *peccaverunt, ſine lege peribunt*; peccatum enim eſt tranſgreſſio legis, prout ex multis latè oſtendit *Merolla tom.* 2. *diſput.* 4. *cap.* 2. *de lege naturali, dub.* 4. *&* 5. ergo nedum Imperator, ſed & auctor ipſe naturæ præcipit, vacare communi bono; quod impedire, cenſeo intrinſecè malum, ſicut furari, & mentiri, quod omnes tenemur evitare, etiamſi nulla lege ſcripta nobis vetitum foret.

3. Proinde, ſi Univerſitas faciat Bannum, ut ratione publicæ utilitatis, quiſque civis vias ante domum propriam ſuis ſumptibus debeat purgare: Clerici tenentur obſervare illud, ex quo eſt emanatum ad publicam utilitatem. Idem procedit, ſi Univerſitas habeat aliquam defenſam, ut ejus herbam vendat pro communi bono, nempe pro ſolvendis debitis, vel pro ejus oneribus ſublevandis, Clerici tenentur ex congruentia non immittere ſua animalia ad paſcendum in illa, niſi ſoluta mercede; ſecus impedirent commune bonum. Idem procedit in legibus taxantibus pretia rerum; latè *Franchis deciſ.* 9. & *ibi Addentes, Bonadilla* in ſua *Politica, lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 286. *&* 291. plenè *D. Regens Tapia lib.* 1. *juris Regni, titul.* de

de Episcop. & Cleric.in cap. Item statuimus, à *num.* 1. ad *num.* 17. & *Manriquez par.* 1. *q.* 11. tum quia censentur latæ in commune bonum; tum etiam, quia licèt Clerici non subdantur legibus Laicorum, tenentur tamen illas servare, lege naturali, & directiva, ex quo, ut dictum est, censentur latæ in commune bonum Reipublicæ, cujus Nos sumus partes & membra: tum item, quia quivis eadem lege naturali & divina prohibetur, vendere ultrà justum pretium. Illud autem dicitur esse justum pretium, quod lex Principis præfigit: ergo. Et habetur expresè in *l.*1.*tit.*25.*lib.*5.*recompil.* ibi, *compellantur Ecclesiastici eodem pretio vendere, sicut & sæculares.* (subintellige) compellantur coram suo Superiore, à quo in casu contrarii coguntur restituere, *D.Thom.*1.2.*q.*96.*art.* 4.*Sot.lib.*1.*de Justit.q.*6.*ar.*6. & 4.*sentent.distinct.*25.*art.*4. *Lopez de contract.cap.*17. *Bannes in d.loc.*1.2.*art.*1.*Navar. in Manual.cap.*23.*nu.*88. & multis citatis *Faustus in Speculo Confess. de empt. & vendit.disput.*5.*q.*35.

4. Amplia prædicta ad similes casus, qui Canones non lædunt, nec Regularem disciplinam evertunt; quia ad hæc omnia tenemur non ex voto obedientiæ, nec ex subjectione ad Principes Laicos, sed jure naturæ, seu ratione Justitiæ & conformationis cum tota Republica, & ne inveniamur communi bono præjudicare, ut dictum est suprà, *Mohedan. decis.*4. sub *tit. de Constitut.* & *Tapia ubi suprà.*

5. Bene verum est, quòd Ecclesiastici, si contingat dictas leges violare, licèt peccent, non tamen tenentur ad pœnas *ibidem* appositas: coactio enim legum respicit tantummodò subditos, sed debent puniri à proprio Judice pœna arbitraria, habito tamen respectu ad pœnas impositas à Judice sæculari, contra consimiles transgressores; ità noster *Crucius lib.*1. *de statu Relig.c.*6.*dub.*2.*conclus.*2. *Vulpes* in sua *praxi*, multis citatis *cap.*18. *num.*7. & *sequent.Peyr.tom.*1.*Privil.Constit.*2. *Jul.*2. *in fin. num.*151. & *tom.*3.*cap.*3. *in additam. ad Constit.d.Jul.*2. *num.*36. *Manriquez part.*1.*q* 30.

Quæst. 88. *Regulares an possint collectari pro communi bono Reipublicæ?*

1. PRætermissis aliquorum placitis, de quibus *Natta cons.*280. *Marta de jurisdictione p.*4.*cas.*9. & *Alphonsus de Vivaldo* in suo *Candelabro aureo*, 2.*p.de sent.excom.in explicat.Bull.Cœnæ*, *casu* 5.*contra imponentes Gabellas, num.*38.

Respondeo, quòd regulariter omnes Ecclesiastici sunt exempti, & immunes ab omnibus, & singulis exactionibus, quomodocunque habendis, nec tenentur in quovis casu succurrere, nisi in subsidium, & juxta dispositionem *cap. non minus* 4.*de immunitate Ecclesiastica*. ibi, *nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione, ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* hæc ibi, & juxta *cap. adversus, eod. tit.* ubi eadem verba repetuntur, ac confirmantur, & additur, *propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest, communibus utilitatibus providere:* hæc *ibi.* quæ omnia fuerunt confirmata, & innovata in *Concilio Lateranensi ultim.* sub *Leone X. sess.* 9. *de reformat. Curiæ, & aliorum,* §. & *cùm.*

2. Quibus accedit *Bulla Pii V.* quæ incipit, *dum ad uberes* 2. inter *Constit.* ejusdem apud *Confectum,pag.* mihi 165. & apud *Sorbum Capuccinum*, post *finem Compendii, tit. de exempt.ab exactionibus, fol.*539. ibi, *nec non & à contributione sumptuum, ac expensarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæductis, muris, mœnibus, aliisque machinis struendis, & reparandis, seu reficiendis, ac Civitatum, terrarum, & locorum quorumcunque fortificationibus: nec non etiam aliàs omnibus, & per omnia, ac tam in Urbe, quàm extrà sint ubilibet, penitùs, & omninò immunes, liberi, & exempti, &c.*

3. Nec obstat, quòd *Gregorius XIII.* in sua *extrav. in tanta* revocavit *Privilegia*, à *Pio V.* concessa ad favorem Mendicantium; quia illa dumtaxat revocavit, reduxitque ad terminos juris communis, quæ adversabantur *Conc.Trid.* & per quæ limitabatur, ac minuebatur auctoritas Episcoporum: per hanc autem *Bullam* latam à *Pio* ad exonerandum, & eximendum Regulares ac Moniales ab Exactionibus, Gabellis, Tributis, & similibus, jurisdictio Episcoporum nedum non minuitur, nec deprimitur, sed magis, ac magis extollitur, & magnificatur, nec adversatur, sed potiùs correspondet *Tridentino*, prout notat *Auctor Catechesis Neapolitanæ, lib.* 5. *cap.* 1. sub *ead. Bulla, & Capuccinus ubi suprà.*

4. Dixi, in quovis casu; quia causa motiva contribuendi potest esse multiplex, nempe, pietas dantis, vel necessitas populi exposcentis, aut communis utilitas, & in nullo casu istorum licet regulariter subsidium præstare, præter formam *d.cap. non minus, & cap. adversus, de immunit. Eccles.*

5. Proinde, licèt necessitas publica concernat, & tangat directè & immediatè, & æquè principaliter utilitatem Ecclesiasticorum, & Laicorum, ut si expensæ fiant ad reparandum flumen, quod directè minatur ruinas agris Clericorum, & Laicorum; aut si onus imponatur ad evitandum, vel compescendum ignem publicum, qui grassatur per campos, & possessiones utrorumque, vel ad reparandam cloacam, quæ per plateam malè afficit, ac inficit simul domus Ecclesiasticorum, & sæcularium, & in similibus expensis, quæ immediatè possunt tangere particulare bonum Clericorum, ut tempore pestis, adhuc Clerici nequeunt cogi ad solvendum prædictas expensas, nisi juxtà prædicta, & de speciali, & expressa licentia Rom. Pontificis; tum quia, etsi Clerici vi directiva teneantur ad onera prædicta, nullatenus tamen vi coactiva, cùm non sint subditi; & ex defectu jurisdictionis haud valeant compelli. Ita dicunt *Reg. Tapia in c. Regni statuimus, n.*6. *de Episc. & Cleric.* & *Bonadilla* optimè in sua *Politica, lib.*2.*cap.*18. *num.*313. & 314. ubi ad id refert etiam legem Regiam Regum Hispaniarum.

6. Nec primò his nocent leges civiles, nempe *l. ad portus, C.de operib.public.* & *l.ad instructiones, C.de sacros. Eccles.* quia per prædicta Jura Canonica, & Conciliares Constitutiones sunt abrogatæ, ac reformatæ, & in casu, de quo agitur, omninò standum est Juri Canonico, ut multis citatis docet *P. Antonius Sousa in Bulla Cœnæ, cap.* 19.*disput.*62. & 63. *Lopez in* 2.*p.Instructorii cap.*4. §.*sed ad hæc*, *Crucius in direct.conscientiæ p.*1. *præcepto* 7.*q.*7.*art.* 3.*dub.*1.*conclus.*1. *Tabien.ver.excommunic.*5.*casu* 18. *Sylv. ver. immunitas, q.* 5. & *Nicolaus Garzia* post allegatos *tom.*1.*p.*2. *de fructibus beneficiorum, cap.*3. *num.*12. & 13. Sed *Bonadilla* in sua *Politica lib.*2.*cap.*18. *num.*311. & 312. aliter distinguendo respondet.

7. Nec secundò nocet dicere, quòd cùm illud tributum redundet, & insinuatur pro bono communi totius populi, & communes illi sumptus etiam proficiant Ecclesiasticis, ex quo sunt partes illius, justum est, ut pro rata contribuant, juxtà *Regulam* 55. *de Reg.jur.in* 6. qui sentit onus, sentire debet & commodum, & vice versa; quia hoc procedit de æquitate, & benignitate Clericorum, seu quoad vim directivam; secus autem quoad coactivam; quia non sunt subditi, & tenentur stare Juri Canonico; tum quia ipsimet Clerici multos alios labores patiuntur ad utilitatem Laicorum, circa spiritualia, & administrationem Sacramentorum: ideoque non tenentur ad sumptus factos pro communi bono, sive in genere, sive in specie, & in individuo tangat Ecclesiasticos; quia censen-

cenfentur compenfati, *Rodr.2.p.fum.cap.73.* §. *qualiter vafallus teneatur folvere tributa, conclus.13. Suar.lib.4. num.6.de immunitat. Duardus in com.Bull.Cœn.lib.2.Canon.18.q.12.* cum *additio. & ibidem Bonac.tom.3.de cenf. disput.1.q.19.punct.3.§.3.num.17.*

8. Nec tertiò obftat dicere, quòd prædicta decifio non poteft colligi ex *dict. cap. non minus,* ex quo *ibi* prohibetur, tributum imponi Clericis pro neceffitatibus merè Laicorum, ut cônftat ex illis verbis: *Isti verò opera sua ferè universa imponunt Ecclesiis.* Et ex illis: *sive alia qualibet fibi arbitrentur agenda de bonis Ecclefiafticorum,* & in difpofitiva ejufdem *cap.* Dominus Papa ait, *quocircà fub anathematis diftrictione fieri de cætero talia prohibemus;* hoc eft, *universa Laicorum onera imponi Ecclefiis, & Ecclefiafticis perfonis, eafque ad extremam inopiam redigi, fieri prohibemus:* ergo, quando onera funt mixta, & refpiciunt Laicos, & Clericos, & collectæ fiunt pro bono utriufque, nempe Clerici & Laici, non eft recurrendum pro licentia ad Papam, quia prædictum *cap. non minus* repetitur in *d. cap. adverfus,* & reconfirmatur abfolutè, & generaliter, abfque ulla limitatione; item in *Concil. Lateranenf.fub Leone X.*& in *d.Bulla Pii V.*ergo: & expende ly *universa.*

9. Nec dices, quòd Rectores Populi, ex quo ponunt hoc tributum in genere, non exprimentes, ut folvat Clericus, aut Religiofus, non incidunt in excommunicationem, quia replicari poteft, quòd cùm obligent omnes ementes folvere; & Ecclefiaftici cives non poffunt extrà populum, fine difpendio & labore emere victui neceffaria, coguntur emere ut cæteri cives; & fic indirectè collectantur.

10. Hinc neceffarium eft, ut declaretur à Rectoribus, quòd Ecclefiaftici funt exempti à tali tributo impofito pro vino, & pane emendo, & fimilibus, prout *Navar.* omninò videndus in *fum.cap.17.num.203.* ubi agit de peccatis, circa jura publica, & *Portell.in dub.Regul.ver. tributum. in additio. num.7.*

11. Amplia hæc omnia, ad mercedem publici Guardiani camporum, qui curam habet de agris Clericorum, & Laicorum; ad falarium Medici, Phyfici, & Chirurgi, conducti ad communem utilitatem; ad expenfas factas pro publico Ludimagiftro, vel pro purgatione putei communis, quia ad has, & fimiles expenfas Clerici non poffunt cogi, nec tenentur, nifi voluerint uti arte, & labore illorum; & in tali cafu pro rata vellent folvere, fi fua ità putaverint intereffe; & in cafu retardatæ folutionis cogendi funt à fuo Superiore Ecclefiaftico; quia non ut tributum, fed cenfentur folvere pretium operis, & mercedem, feu remunerationem laborum, *Carol. de Graff. de effect. Cler. effect.3. num.230. Suarez lib.4. de immunitat. cap.26 num.14. Sanchez in opufcul.tom.1.lib.2.cap.4.dub. 55.Bonac. & Duard.ubi fuprà, & Diana p.1 tract.1.de immunit.Ecclef.refolut.58.* & latè in *p.7. tract.1. refolut.20.* ubi ad praxim multa adducit, & in *fine* refert, ita fuiffe à Sacra Congregatione decifum, die 2. Augufti 1619.

Quæft. 89. Si periculum fit in mora, & immineat neceffitas, ut in cafu inopinati, & improvifi belli, vel incurfionis hoftium, qui prævideri nequeunt, moram non admittunt, & celeritatem expoftulant; an in tali cafu fubfidium peti poffit à Clericis & Regularibus inconfulto Rom. Pontifice?

1. SYlv.ver.immunit.as,1.q.5.§.4. *de concernentibus pietatem, num.20. Duardus cit.loc.num.3. Bonac.cit.loc. punct.2.num.15. Tambur.tom.1. de jur. Abbat. difput.15. q.21. num.7. in fin. & Bonadilla in politica lib.2. c.18. num.314.* refpondent, multis citatis, quòd ubi tanta neceffitas imminet, adeò, ut non poffit de facili, fine aliorum fcandalo, & periculo, haberi priùs recurfus ad Papam: fufficit deliberatio Epifcopi, & Clericorum, & Superiorum Regularium, ut quilibet pro parte contribuat, quòd fi Epifcopus, vel Clerus, aut Regulares in prædictis cafibus, pro rata contributiones recufarent, poteft populus ad Superiores recurrere, qui eos ad folvendum compellant.

2. Verùm, oportet diligenter advertere, an ifta neceffitas, de qua loquimur, contingat in exactione, ità ut per unum actum, vel ad breve tempus debeat fieri; nam fi exactio habeat tractum fucceffivum, & fit duratura, licèt in cafu neceffitatis poffit inchoari, inconfulto Summo Pontifice; confulendus tamen eft pofteà, ut longiori tempore protrahatur: poteft enim quoad hanc partem lex adimpleri: ità *Suarez contra Regem Angliæ, lib.4.cap. 26. num.18.* & Eminent. *Cardinalis de Lugo de juftit. tom.2.difput.36.fect.8.num.127.*

3. Hinc difficulter reperiri poteft cafus, in quo confultatio Summi Pontificis, pro fubfidio obtinendo, non fit neceffaria, vel anteà, vel pofteà, ob dictam neceffitatem: & hanc praxim fervant Principes, bellorum neceffitatibus preffi, ut notat Eminent. *Baronius tom.4.* anno 387. cujus propria verba refert *Diana part.7.tract.1. de immunitat. refolution.26. not.6. in fin. & Bonadilla ubi fuprà.*

4. An autem in cafu pofito fatis fit folus Epifcopi confenfus? dic negativè regulariter; quia ex *d. cap. non minus,* exigitur confenfus Epifcopi, & Clericorum, & ratio effe poteft, quia quod omnes tangit, ab omnibus probari debet, *Clem.1.de cenfib. & cap.ad hoc, de off. Archidiaconi, & cap.quod omnes, de Regul.juris, in 6.*

5. Nomine autem confenfus Cleri, in cafu noftro intelligitur confenfus omnium Clericorum, ad quos fpectabit contribuere, qui per Procuratorem poterunt coram Epifcopo confentire, ob dictam rationem; nempe, quod omnes tangit, ab omnibus probari debet, aut faltem præcipuorum Cleri, uti funt Reverendi Capellani, Archipresbyteri, Vicarii Foranei, vel confimiles Primarii, poterunt pro illis præftare confenfum.

6. Benè verum eft, quòd fi in cafu urgentis neceffitatis Clerici recufent confenfum præftare, tunc fufficiet confenfus Epifcopi, & populus interim poterit officium Superioris Ecclefiaftici implorare; prout multis citatis *Carol.de Graffis,d.effect.3.num.241. & Bonac. ubi fuprà, num.16. in fin.*

Quæft. 90. Ecclefiaftici an poffint fponte Gabellas folvere, ad relevanda onera Univerfitatis?

1. GLoff. *in Clem.1. ver. declaratione, de Immunit. Ecclefiaftica, Hoftienf.in fum.eod.tit.* §. *à quibus, Peyr. tom.1.Privil. in 2.Conftit. Jul.2.§.33.num.149. Tambur. tom.1.de jur.Abbat.difput.15.q.21.num.20.* & alii plures refpondent affirmativè; dummodò omninò fpontè folvant, abfque aliqua coactione, & extorfione: quia quilibet eft fuarum rerum moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandati;* unde proverbium eft, quòd à fpontè dante licèt accipere.

2. Nec nocent illa verba *Canonis 18.Bullæ Cœnæ,* nempe, *etiamfi à fpontè dantibus, & concedentibus recipiant:* quia ifthæc verba referuntur ad immediatè præcedentia, nempe ad illa, *qui collectas, decimas, vel fimilia onera Ecclefiafticis perfonis, & Ecclefiarum, Monafteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclefiafticorum bonis, eorumque fructibus, abfque Romani Pontificis fpeciali, & expreffa licentia imponunt, aut fic impofita recipiunt.*

3. Unde excommunicatio *d. Canonis* duo exigit copulativè, ad hoc ut incurratur. Primum, ut collecta fit impofita Ecclefiafticis nominatim, & expreffè. Secundum,

dum, quòd sequatur exactio: & constat ibi, *imponunt sine speciali licentia Papæ, & sic imposita recipiunt.*

4. Proinde, custodes pontis, aut portæ, aut alterius transitus, si recipiant à Clerico sponte dante pedagium; si tale onus non erat specialiter impositum Personis Ecclesiasticis, non incidunt in excommunicationem *d. Canonis*; tum quia Clericus non dedit intuitu impositionis sibi factæ; tum quia illi non receperunt illud datum titulo debiti tributi, sed titulo benevolentiæ, & liberalitatis, prout ex multis ostendit *Sayr. in Thes. tom. 1. c. 22. num. 7. & Duardus* in citato *Comment. Bullæ Cœnæ, lib. 2. in Can.* 18. cum sua *additio. q. 15. & Bonac. ibidem disput. 1. q. 19. punct. 1. num. 6.*

5. Quamobrem illa verba, *etiam à sponte dantibus, & concedentibus*, faciunt hunc sensum, esto, quòd collecta imposita Ecclesiasticis, solvatur à Clerico sponte, hoc est, non expectata aliqua alia speciali vi, vel coactione, quæ solet adhiberi in bonis, vel in personis, ad effectuandam exactionem, seu taxam impositam, adhuc tali modo eam recipientes, incurrunt in *Canonem*, quia talis solutio, licèt sit facta sine nova vi, & violentia, nihilominus dum fuit elargita intuitu impositionis indictæ, non potest dici spotanea absolutè, nec libera omnino; *Suarez tom. 5. de cens. disput. 21. sect. 2. in exposit. Bullæ Cœnæ, §. 18. num. 99. Carol. de Grassis effect. 3. num. 98. Sousa in dict. Bull. Cœnæ cap. 19. disput. 93. Duardus ibidem q. 16. Portell. ver. Tributum in additio. num. 7. in fin.* & post multos *Vulpes in praxi cap. 17. q. 3. num. 20. Navar. in sum. cap. 27. num. 61.* ubi notat, quòd exigere, est extorquere à nolente solvere, *Cajet. ver. excomm. casu* 18. & patet per allegata per *Navarrum ubi suprà, ver. quarta.*

6. Neque his obstat *cap. Clericis, 3. de immunit. Eccles. in 6.* in quo *Bonifac. Papa VIII.* sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipit, Ecclesiasticas Personas pro rebus suis, vel Ecclesiarum, nihil Laicis solvere debere, absque licentia Sedis Apostolicæ, sub quocunque colore subventionis, doni, aut alio quolibet, & sub eadem pœna Laici prohibentur exigere: quia *Benedictus XI. in extravagant. quod olim, de immunit. Eccles.* illam abrogavit, & *Clement. V. in Concil. Viennens. in extravagant. quoniam, cap. 1.* illam prorsus revocavit, quæ est in *fine Clement. lib. 3.* adjuncta *Glossa*, omninò videnda; etenim vult servari jura antiqua, nempe *cap. non minus, & cap. adversus, eod. tit. in Decretal.*

7. Nec replices, quòd *Leo X. in Concilio Lateranensi* illam revocavit sub anno Domini 1521. *sess. 9. in fin. §. & cùm à jure tam Divino, &c.* ibi, *innovamus omnes Apostolicas sanctiones in favorem libertatis Ecclesiasticæ, contra ejus violatores quomodolibet editas*, & quod etiam per *Bullam Cœnæ Domini* iterum censeatur innovata, ex quo in dicta *Bulla* annuatim innovantur omnia *Decreta* antiqua; & quòd in *Conc. Trid. sess. 25.* innovantur Sacri Canones, & Concilia generalia omnia, & aliæ Apostolicæ sanctiones in favorem Ecclesiasticarum Personarum, libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editæ; tum quia dum *Lateranense Concil.* innovavit omnes Apostolicas sanctiones, in favorem libertatis Ecclesiæ editas, censetur etiam innovasse *d. extrav. Clem. V.* quippe qui etsi abstulerit illam *Bonifacii VIII.* quoad clausulas, & particulas, è quibus pullularunt multa scandala, & inconvenientia, ut *ibidem* docet *Glossa*: nihilominus suam tulit in favorem Ecclesiasticæ libertatis, contra imponentes tributa, & gabellas Ecclesiasticis.

8. Tum etiam, quia sanctiones Apostolicæ innovantur adversus ea, quæ præjudicant, vel præjudicare possunt Ecclesiasticæ libertati; quòd autem Clericus omnino liberè, gratiosè, ac sine ulla coactione possit suis de rebus aliquid donare, non solùm non præjudicat libertati Ecclesiasticæ, verùm etiam favet suo dominio, & libertati.

9. Et colligitur ex dicto *loco Bullæ Cœnæ*, quæ innovat antiqua jura, quoad ea, quæ *ibidem* deciduntur, ut constat ex illa particula, *super his*, (supple) decisis ad favorem libertatis Ecclesiæ. Idem dic de his, quæ innovantur per *Concil. Trid.* ut advertit *Sousa in d. Bull. Cœnæ disput. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. num. 18. in fin.* qui uno ore fatentur, nulla censura irretiri eos, qui spontè solvunt, quos tamen prius irretiebat *Bonifacius VIII. in d. cap. Clericis in 6. de immunit. Eccles.* quos sequitur *Comitolus lib. 4. q. 36. num. 4. & Diana p. 7. tract. 1. de immun. resolut. 21. num. 4. in fin.* Sed quicquid sit de supradictis, securiùs agendo, esset prius consulenda Apostolica Sedes, & ab ea responsum expectare.

Quæst. 91. *Prælati Regulares, an possint sine licentia Episcopi exhumare cadavera defunctorum, in suis Ecclesiis deposita, & tradere iis, ad quos pertinent, ad alibi sepeliendum?*

1. Affirmativè dic; tum quia etiam Prælati Regulares tenentur ad pacta ritè inita, ut dictum est suprà; pacta enim obligant de jure naturali, & civili. Tum etiam, quia Prælatus successor tenetur stare utili, & rationabili contractui sui prædecessoris. Tum item, quia Regulares sunt exempti à jurisdictione Episcoporum. Tum etiam, quia Regularium Monasteria non sunt de Diœcesi Episcoporum, licèt sint in Diœcesi eorundem, ut constat ex decisis. Ergo, sicut non requiritur licentia hujus Episcopi, ad effodiendum cadavera defunctorum, sepulta in aliena Diœcesi, ita nec ad extrahendum à sepulchris Ecclesiarum Regularium, censentur enim diversæ Diœceses. Tum denique, quia Custos, & Depositarius tenentur Depositoribus res sibi creditas restituere ad nutum illorum.

2. Neque his obstat *cap. corpora, 37. de consecratione, distinct. 1.* ubi habentur hæc præcisa verba, *corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio Principis, vel Episcoporum.* hæc *ibi.* Tum quia *dict. cap.* non habet locum in Ecclesiis Regularium ab Episcopis exemptis, ut benè advertit *Peyrinus tom. 3. Privil. Minim. in addit. ad Constitutionem Leon. X. cap. 4. num. 49. in fin.* Tum etiam, quia debet intelligi de corporibus, perpetuæ sepulturæ traditis, & de translatis de una in aliam Ecclesiam: secus autem, quando corpora defunctorum sunt deposita, seu ad tempus servata in aliqua Ecclesia, vel Capella, ut posteà transferantur in aliam, vel quando transferuntur de uno loco ad alium locum ejusdem Ecclesiæ; prout benè advertit *Glossa in d. cap. ver. Principis*, ibi, *& hoc est verum, cùm corpus traditum est jam perpetuæ sepulturæ, Cod. de Relig. & sumptibus funerum l. ossa. nisi necessitas immineat: tunc enim sufficit auctoritas Præsidis Provinciæ, C. eod. l. 1. aut. non est traditum perpetuæ sepulturæ, & sic bene potest transferri sine auctoritate alicujus ad alium locum, C. eod. tit. l. si necdum,* hæc *ibi*, & sequuntur *Navar. de Regul. consil. 3. in 1.* edit. *Emanuel Rodriquez tom. 3. de Regul. q. 62. art. 1.* cum suo *compend. resolut. 128. num. 25. de sepul. Genuens. in praxi cap. 90. num. 2. Portell. in dub. Regul. ver. sepul. in addit. num. 1. Thesaurus de pœnis Eccles. p. 2. praxis, ver. sepul. cap. 2. in fin. Villalobos in sum. tom. 2. tract. 31. diff. 6. num. 4. Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regul. resol. 120. & Lezana in sum. ver. sepul. num. 21.*

3. Quibus accedit *Privilegium Leonis X.* indultum Fratribus Minoribus, quo omnes Regulares ob communicationem Privilegiorum, possunt in suis Ecclesiis exhumare cadavera ibi sepulta, & ad alium locum ejusdem Ecclesiæ transferre, de licentia tamen illorum, quorum interest, nempe consanguineorum, aut illius, cui funeris cura demandata est, *Casarub. in comp. Privil. Mendican. ver. sepul. num. 17. Rodr. & Villalob.* cit. *loc.*

4. Quod dictum *Diana ubi suprà* intelligit verum de corporibus positis in aliqua Capella particulari, & pro-

pria

pria Sæcularium; vel in aliquo alio loco, electo pro corpore defuncti à Consanguineis vel Amicis. Secùs autem, si corpus defuncti fuit Regularibus traditum, ut illud ponerent, ubicunque ipsi voluerint, nam in isto casu, sine Privilegio & sine ulla licentia, neque Episcopi, neque Consanguineorum possunt illud exhumare, & ad alium locum ejusdem Ecclesiæ transferre. Quam limitationem intellige, habere locum in casu rationabili: secùs autem: quia ossa defunctorum non sunt de loco ad locum ad libitum transferenda, per jura à *Glossa* allegata, & à *Peyr. ubi suprà.*

5. Neque his nocet *Lezana* cit. *loc.* dicens, quod Sacra Congreg. Episcoporum & Regularium, die 11. Septembris 1643. ordinavit Episcopo Placentino, ut reprehenderet quosdam Regulares, qui permiserant exhumari cadaver unius defuncti, ut recognosceretur à Curia Sæculari sine consensu Episcopi; tum quia de hac declaratione non constat authenticè; tum etiam quia isthæc effossio potuit esse sine rationabili causa, aut occasio scandali & damni tertii.

6. Nec denique potest nocere excommunicatio *Bonifacii VIII.* posita in *extrav. de sepul. inter communes,* quâ excommunicantur exenterantes corpora defunctorum, causa deferendi, quia non facit ad casum nostrum, de qua vide *Thesaurum* cit. *loc. & Bonac. tom. 3. de cens. disput. 2. q. 3. punct.* 45. quia de ea multa eruditè loquuntur. Sed quidquid sit, securiùs tamen esset, id fieri etiam debere cum consensu Episcoporum, & non aliter.

Bulla Gregorii XV. de exemptorum Privilegiis circâ Animarum curam, & Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & Prædicationem verbi Dei, edita anno Domini 1622.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Inscrutabili Dei providentia universalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, Præsidentes, Pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis & probatis tantùm Sacerdotibus, sanctè administrentur Ecclesiastica sacramenta; atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & Viri assumantur idonei ad Prædicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. *Sanè Tridentinæ synodi Decretis providè cautum est, nullum Presbyterum etiam Regularem, posse confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, quæ gratis detur, obtineat.*

§. 2. *Nec non, ut in Monasteriis, seu Domibus Virorum seu Mulierum, quibus imminet Animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu Locorum familia, personæ tam Regulares, quàm Sæculares ejusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita; itemque ut Episcopi universi sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate, Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent: inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes.*

§. 3. *Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coràm Episcopis præsentare, & ab iis benedictionem petere teneantur, in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint, sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant.*

§. 4. *Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici Regiminis rationes postulare, ut Decretis hujusmodi aliquid adjungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm Sæculares quomodolibet exempti, sive Animarum curam personarum Sæcularium Monasteriis, seu Domibus Regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive Regularibus, sivè Sæcularibus incumbentem exerceant: sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, præviâ Episcopi licentiâ & approbatione; sive quoquo modo in dicta cura exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione, de facto, absque ulla authoritate se ingerant: in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodè jurisdictioni Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subjiciantur; ad hæc, tam Regulares, quàm Sæculares hujusmodi nullis Privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominùs, si deliquerint circà personas intrà septa degentes, aut circà Clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tanquàm ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.*

§. 5. *Confessiones verò, sivè Sæculares quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenùs deputari valeant; nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem quæ gratis concedatur, obtineant, sed & administrantes bona ad ejusdem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sivè Regulares extiterint, sivè Sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur ad idque juris remediis cogi, & compelli queant, liceatque Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut hujusmodi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem, prædictos Confessores, & Administratores amovendi, quoties & quando opus esse judicaverit, ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus Regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.*

§. 6. *At demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus, authoritatem coërcendi, ac puniendi quoscunque exemptos, tam Sæculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia: & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extrà visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis Delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant.*

§. 7. *Decernentes sic per quoscunque Judices, quavis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatii Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facul-*

tate, & authoritate judicari & diffiniri debere, irritum quoque, & inane si secùs super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcumque Personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimēdi Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus: exemptionibus quoque, indultis & Privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum Deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur. & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, nec non Irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita, observata &c. inserti forent, præsentibus pro expressis habentes. quibus quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 9. *Cæterùm quia difficile foret, præsentes litteras ad singula quæque loca, &c.* Prout meliùs est videre in propria *Constitutione* 18. inter *Constitutiones* ejusdem Rom. Pont. *tom.* 4. *Laert. Cherub. fol.* mihi 99

Sequuntur hic aliquot Dubia, super ista Constitutione exorta; quorum Resolutiones mox subjiciuntur.

P*Osita Constitutione* Fel. rec. *Gregorii XV. de exemptorum* Privilegiis, *dubitatur.*

Primò, An liceat Episcopis visitare altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura Animarum personarum Sæcularium non incumbit, aut loca, ubi in eisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Aut ubi audiuntur Confessiones personarum Sæcularium?

Secundò, An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum Privilegia *restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?*

3. *An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tàm Sæculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?*

4. *An eadem facultas competat Inferioribus* Prælatis *proprium Territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?*

5. *An per eandem Constitut. in illis verbis, possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c. electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?*

6. *An Confessores Monialium ante editam Constitut. deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?*

7. *An Superiores Regulares similiter, ante ipsius Constitutionis publicationem electi seu Deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?*

8. *An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione sint nullæ atque irritæ, nec ne?*

9. *An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones Personarum Sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum?*

10. *An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii, ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit?*

11. *An Confessores Regulares extraordinarii, semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infrà annum, ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictæ approbationis, pluries tanquàm Confessores extraordinarii, earundem Confessiones audire, absque nova Episcopi licentia?*

12. *Cùm in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum, ad earundem Monialium Monasteria pertinentium; iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem, prædictos Confessores, & Administratores amovendi, quoties & quando opus esse judicaverit: an hujusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur?*

13. *An eadem Constitutio, qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circà personas degentes intrà septa Monasteriorum Monialium, &c. aut circà clausuram, vel bonorum administrationem eorundem Monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solùm in notoriis, & cum scandalo* Populi?

Sequuntur Declarationes ad supradicta Dubia, à Congregatione Cardin. Concilii Tridentini interpretum datæ, & ab eodem Greg. XV. & ab Urb. VIII. successore approbatæ.

S*Acra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, Constitutionem San. Mem. Gregor. XV. de exemptorum* Privilegiis *nunquàm subjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in his, quæ sacramentorum administrationem concernunt, nisi cùm in sacramentis personis sæcularibus administrandis iidem Regulares delinquunt: ac propterea.*

Ad primum dubium respondit, Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis *visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca, ubi in iisdem Ecclesiis asservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi confessiones personarum sæcularium audiuntur.*

Ad 2. Hac in parte Constitutionem *nihil novi juris induxisse, nec ullam novam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: ideoque in vim ipsius* Constitutionis *non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum* Privilegia *in sacramentis administrandis restringere, aut moderari, quod si aliundè Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem* Constitutione *sublatam.*

Ad

Ad 3. Censuit, ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

Ad 4. non competere.

Ad 5. Jus confirmandi Abbatissas, minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad 6. Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenùs posse post Constitutionem illarum confessiones audire; nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur & approbentur. Ordinarios verò Confessores, ante Constitutionis publicationem deputatos, posse durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis, absque alio examine, & approbatione Episcopi; quod si contingat, ut illorum facultas à Sede Apostolica ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari & approbari.

Ad 7. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium, sibi subjectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis petierint; at verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto jam tempore a Constitutionibus cujusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi priùs à Diœcesano Episcopo idonei judicati, & approbati fuerint.

Ad 8. Confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse.

Ad 9. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum; sed egere, quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad 10. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium, unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

Ad 11. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones, pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi, illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus Deputationis contigerit.

Ad 12. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa, quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei Judicio rationem reddituri.

Ad 13. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantùm, & cum Populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis responsa ad se relata, felic. rec. Greg. XIV. & Urban. VIII. in omnibus approbarunt.

A. Card. Cajetanus.

Prosper Fagnanus S. Congregat. Secret.

Subsequuntur alia duo dubia, ab eadem Congregatione declarata, & à Sanctissimo Domino nostro approbata.

An Regularis absque legitima licentia, accedens ad Monasterium Monialium Regularibus subjectarum, ibique loco colloquiis destinato, cum Moniali colloquens, a Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri, & puniri possit?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, posse. quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus noster Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

An liceat Episcopo in vim Constitutionis Sanct. mem. Greg. XV. de exemptorum privil. punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt, ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænuntiata?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit. Regulares ex eadem Constitutione, ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque usque ad præfinitum tempus expectare, si anteà ipse expressè declaraverit, se uti velle facultate sibi hac in re attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; post eam verò declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non pronunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cos. Card. de Torres.

Prosper Fagnanus Sac. Congregat. Sec. Prout meliùs est videre in *dict. 4. tom. Bull. Cherub. fol. 102.*

TRACTATUS XIV.

DE REBUS MONASTERII NON ALIENANDIS.

Quæst. 1. Alienatio quid sit, & quotuplex?

1. Cum omne multiplex sit priùs distinguendum, & postmodùm diffiniendum, expedit advertere, quod alienatio bonorum immobilium Ecclesiæ, de qua in præsenti loquimur, est quadruplex, nempè, propria; ceu est illa, quæ refertur ad utilis dominii translationem, argum. textus *l. 1. ff. si Ager vectig. cap. nulli, & cap. ad audientiam, de reb. Eccles. non alien.*

2. Propriissima, quæ refertur ad pleni dominii translationem, *l. 4. ff. de alien. Judic. l. alienatum, ff. de verborum signif. l. 1.* adjuncta *Glossa, ibique Doctores* communiter, *ff. de fund. dotal.*

3. Impropria, uti est illa, quæ refertur ad usumfructum, usum, vel servitutem, *l. jubemus, C. de sacrosan. Eccles. cap. cùm non liceat Papæ 12. q. 2.*

4. Impropriissima denique, quæ refertur ad pignus, vel hypothecam, seu obligationem specialem, *l. final. C. de reb. alien. non alien.* & potest ita definiri, quod sit actus, per quem transfertur dominium directum, utile, usufructus, usus, & simile, & habetur expressè in *d. juribus* allegatis, & docet *Sylv. ver. alienatio, num. 1. & Navar. tom. 1. in com. de alienat. rerum Ecclesiasticarum num. 1.* ubi eruditè ex multis ostendit, quod alienatio in rigore accepta, debet dici actus, & non contractus, ut dicit *Glossa in d. c. nulli liceat 5. de reb. Eccles. non alien. ver. alienat.* etenim ad plura se extendit, ly, *actus*, quàm ly, *contractus*:

nam multi sunt actus alienationis, qui non possunt dici contractus.

5. Ex quibus collige primò, quod ea jura, quæ primâ fronte videntur inter se esse contraria, non sunt contraria; Sed debent intelligi respectu diversorum.

6. Secundò quod alienatio, principaliter prohibita in odium ejus, cui prohibetur, propriè ac strictè est sumenda, juxtà vulgatam Regulam, odia, ut tantùm, scilicet comprehendat actus, per quos transfertur dominium directum, & secundùm id, intellige illud, quod nomine alienationis, non venit locatio, & quod prohibitus alienare, non est prohibitus locare, ut liquet in marito, respectu dotis suæ uxoris.

7. Si verò alienatio apponatur in favorem ipsius, vel alterius successoris, vel substituti, vel favore Ecclesiæ, aut Monasterii, ad hoc, ut ejus bona conserventur in familia, vel in posse Ecclesiæ: tunc sumenda est largè, impropriè, & impropriissimè, ut comprehendat omnem modum alienandi, etiam pignus, hypothecam, emphyteusim, & similia; prout expresè habetur in *d. cap. nulli liceat 5. de reb. Eccles. non alien.* ibi, *alienationis autem verbum continet. Conductionem, Donationem. Venditionem, Permutationem, Emphyteusim, Perpetuum Contractum, ibique Glos. in ver. alienat.* & magis expresè in *dict. extrav.* in qua Summus Pontifex priùs generaliter prohibet alienationem, deindè subdit peculiares modos, seu species alienationis, ibi, *si quis autem contrà hujus nostræ prohibitionis seriem, de rebus & bonis ejusdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio hypotheca concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omninò sint roboris vel momenti.* Ideoque *Bald in d. l. final. C. de reb. Eccles. non alien.* dixit, quod prohibitâ alienatione simpliciter, videtur prohibitus omnis actus, per quem alteri quæritur jus aliquod in re.

8. Tertiò, quòd licet hujusmodi prohibitio, utroque modo possit fieri, largè scilicet & strictè: nihilominus regulariter solet apponi in favorem dumtaxat, & ita intelligitur facta, etiamsi non sit expressum, ut docet *Glos. in l. quoties, C. de fideicomm. & Bartol. in l. filiusfamil. §. divi num. 3. ff. de legat. 2.* ut bona scilicet conserventur in familia, vel in Ecclesia.

Quæst. 2. Alienatio bonorum stabilium Ecclesiæ, quonam jure sit prohibita?

1. Quod res Ecclesiæ non possint alienari sine consensu Rom. Pontificis, est conclusio indubitata; & multiplici jure probatur; & primò, jure divino, in *lib.* enim *Levitici, cap. 25.* habentur hæc verba:

Terra quoque non vendetur in perpetuum; quia mea est, & vos Advenæ & Coloni mei estis: quapropter bona Ecclesiarum non sunt, nec possunt dici bona Clericorum vel Monachorum, qui solùm sunt usuarii; sed verè & propriæ dicuntur, & sunt Patrimonialia Domini nostri Jesu Christi: etenim quæ Ecclesiæ offeruntur, intuitu Dei offeruntur, qui omnia dedit ejus filio, nempè Christo Domino, ut docuit *Innocentius in cap. cùm ex parte de election. in 6.*

2. Ideoque ad Jesum Dominum spectat, de illis disponere, *Innocen. in cap. cùm super, extrà de causa possess.* Et quia legitimus Vicarius ipsius Domini nostri Jesu Christi, in terris est ipse Summus Pontifex, ejusque vices gerens, meritò dicendum est, excepto Papa nemini licere disponere de patrimonio dicti Domini nostri Jesu Christi: nisi more furum & latronum, qui de alterius bonis disponunt, sine speciali mandato.

3. Secundò jure Civili; habetur enim in *l. jubemus, la seconda, C. de sacrosanct. Eccles.* & in *§. nos igitur, ver. alienationis autem nomen, in auth. de non aliendis, aut permutandis reb. Eccles.* & in *§. quia verò Leonis, in ead. auth.* ibi *quia verò Leonis piæ memoriæ Constitutio pœnas solummodo in venditione decrevit. Nos autem in crédimus, & perpetuas Emphiteuses, & Pignorum dationes in rebus immobilibus,* & ibi subditur, *si quis igitur emere præsumpserit rem Ecclesiasticam Ptochicam, cadat quidem* [illegible] *pretio: exigatur autem res, quam accepit, cum omni* [illegible] *temporis incremento, & contra Sanctissimam quidem Ecclesiam, aut Venerabilem Domum, nullam omninò habeat actionem, sed contra Oeconomos, &c.* & ibidem *si quis autem per donationem accipere præsumpserit rem Ecclesiasticam, aut Ptochicam; & ipso, quod datum est* [illegible] *cadat: & aliud tantundem de sua substantia rependet Sanctissimæ Ecclesiæ, aut Venerabili Domui, ex qua hoc accepit, ut quam visus est agere contra eam novitatem,* [illegible] *met in propriis exhibens, suam sentiat malignitatem.* hæc ibi.

Et in subsequenti §. *si verò in perpetuam,* hæc habentur.

Si verò & perpetuam quispiam Emphytensim [illegible] *re præsumpserit, quod non licet, aut temporalem quidem, non tamen secundùm hujus nostræ legis observationem* [illegible] *tam sic cadat quidem ab Emphytensi, & quod datum est, maneat apud Venerabilem Domum: det autem* [illegible] *& post casum emphytheumatis, quantum futurum erat* [illegible] *vere, si secundùm legem subiisset emphytensim:* [illegible] *cum remanente ex rebus pauperum, quæ frustrà per Emphytensim datæ sunt, hæc igitur omnia custodiantur prædictis subjecta pœnis.* Hæc ibi.

4. *Stephan. Quaranta in summ. Bull. ver. alienatio, num. 1. & P. Alphons. Vilagut.* Illustrissimi & antiquissimi Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cassinensis in suo *tract. de reb. Eccles. non alienan. lib. 2.* seu *p. 2. cap. 2. nu. 6. fol.* mihi 368. ubi advertit, quod si à jure non conceditur emptio utilis dominii rerum Ecclesiasticarum, non servatâ solemnitate à jure indicta, ergò multò minus intelligitur concessa emptio dominii directi: quia eundè majus detrimentum generatur, & præjudicium in Ecclesiis, & aliis piis locis.

5. Tertiò, probatur jure Canonico, prout apertè deciditur in *cap. non liceat, in cap. Diacono, in cap. quidquid, in cap. monemus, in cap. quisque Episcopus, in cap. sine exceptione, 12. q. 2. in cap. nulli liceat, in cap. si quis Presbyterorum, in cap. final. extrà de reb. Eccles. non alienan.*

Idem colligitur ex *cap. sicut, §. final.* juncta *Glos. in ver. præterito, extrà de elect. & c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6. & in Clem. 1. de rebus Eccles. non alien.*

Quibus accedit *Constitutio Pauli II.* quæ est tenoris sequentis.

Ambitiosæ cupiditati, illorum præcipuè, qui Divinis & humanis affectati, damnatione postposita, immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, Monasteria, & Pia Loca reguntur, illustranturque & eorum Ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum, ac Divini Cultus detrimento, exquisitis modis usurpare præsumunt, occurrere cupientes omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, Concessionem, Hypothecam, Locationem, & Conductionem ultrà triennium, nec non Infeudationem, vel Contractum emphyteuticum, præterquàm in casibus à jure permissis ac de rebus, & bonis in Emphytensim ab antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, ac perpetuò valitura Constitutione præsenti fieri prohibemus: Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, Prohibitionibus, & Decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominùs robore permansuris, si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem, de bonis & rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omninò sint roboris, vel

vel momenti, & tam qui alienat, quàm qui alienatas res & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat; alienanti verò bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum, & quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contrà præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitùs interdictus, & per sex menses immediatè subsequentes, sub interdicto hujusmodi animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ vel Monasterii, cui præsidet in spiritualibus & temporalibus, sit eo ipso suspensus, inferiores verò, &c.

Prout meliùs apparet in propria *d. extrav.* quæ habetur *in fin.* 6. inter *extravag. communes*, sub titulo, *de rebus Eccles. non alien.* & *in Bull. Romano Cherub. tom.* 1. & est 5. inter *Bullas* ejusdem Pontificis, edita sub anno Domini 1467. *pag.* 329. & fuit confirmata per *Jul. III.* per aliam suam *extrav.* quæ incipit, *cùm sicut accepimus*, sub anno 1541. & ponit per extensum *Peyr. tom.* 1. *in* 9. *Constit. Jul. II.* §. 1. *num.* 1. & per Paulum *IV.* sua *Constitutione, incip. injunctum nobis desuper, meritis licet imparibus*, 1555. & habetur in *Bull. Rom. Cherub. pag.* 719. & per Pium *V.* sua *Constit.* quæ incipit, *etsi de singulis*; & per *Clem. VIII.* sua *constit.* incip. *Ad Romani Pontificis*, editam 1592. quas per extensum ponit *P. Alphons. Vilagut.* in suo *tractatu de reb. Ecclesiæ non alien. in fin. lib.* 2. *fol.* mihi 475. & per *Urb. VIII.* ut ex ejus *constit.* posita in 4. *tom. Bull. de non alien.* & prius per *Concilium Tridentium, in cap.* 11. *sess.* 22. *de Reformat.* sub hac forma verborum:

Si quem Clericorum vel Laicorum, quacunque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis Sæcularis, vel Regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, emphiteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quæ in Ministrorum, & Pauperum necessitates converti debent, per se, vel alios, vi, aut timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacunque arte, aut quocunque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab aliis, ad quos jure pertinent, percipiantur; Is Anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ Personæ pervenerint, Ecclesiæ, ejusque Administratori, sive Beneficiato intregrè restituerit, ac deindè à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit; quod si ejusdem Ecclesiæ Patronus fuerit; etiam Jurepatronatus ultrà prædictas pœnas, eo ipso privatus existat, Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat; nec non quibuscunque beneficiis privatus sit, & ad quæcunq; alia beneficia inhabilis efficiatur, & à suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem & absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur. Hæc ibi, & in *cap.* 11. *sess.* 25. *de Reformat.* hæc habentur.

Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cùm earum bona, repræsentatâ pecuniâ, in successorum præjudicium aliis locantur: omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenùs in præjudicium successorum validè intelligantur, quocunque indulto, aut privilegio non obstante; nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extrà eam confirmentur: non liceat etiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, nec Conductoribus per se, aut alios ea exercere, aliterque concessiones, etiam à Sede Apostolica factæ, subreptitiè censeantur. Locationes verò rerum Ecclesiasticarum, etiam authoritate Apostolicâ confirmatas, Sancta Synodus, irritas decernit, quas à triginta annis citrà, ad longum tempus, seu, ut in nonnullis partibus, ad viginti novem, seu bis viginti novem in annos vocant, factas Synodus Provincialis, vel deputandi ab ea in damnum Ecclesiæ, & contrà Canonicas sanctiones contractas fuisse judicabunt. Hæc ibi.

Nec non his accedit *Decretum* Sacræ Congregationis Concilii, *Urb. VIII.* jussu editum, sub hac forma verborum.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti, ex bonorum immobilium & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apostolicis Privilegiis innixi, ac proindè operæpretium putans illorum facilitatem aliquâ ratione compescere: speciali S. D. N. jussu; Generalibus & Provincialibus, Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscunque aliis Superioribus Regularibus, cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel Instituti, intrà fines Europæ existentibus omnium rerum & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem & conductionem ultrà triennium, concessionem in feudum, vel Emphyteusim (præterquàm in casibus à jure permissis) fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia, in scriptis & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ ac passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterùm obtinenda, quam ipso facto absque alia Declaratione incurrant; sublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominùs Apostolicarum Constitut. & præsertim fœl. rec. Pauli II. quæ incipit, ambitiosæ, in suo robore permansuris; alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones quascunque, contra hujusmodi prohibitionem faciendas Sanctitatis suæ authoritate, ipso jure nullas & irritas decernit, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujusvis alterius Instituti, etiam necessariò, & in individuò exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum ac Locorum Regularium quorumcunque, nec non illorum, etiam Juramento, Confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis, & Privilegiis, sub quibuscunque tenoribus & formis, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis Clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis: etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis specialis, & individuum, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, & aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenoris hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea quæ præsenti Decreto ac prohibitioni adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis suæ authoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, die 7. Septembris 1624.

Cosmus Cardinalis de Torres.

(*Locus Sigilli.*)

Prosper Fagnanus S. Congregat. Secret. Et habetur in *libello intitulato, Bulla, & Decreta recentiora, fol.* 98. nec non in *Remissionibus D. August. Barbosæ cap.* 11. *Trid. sess.* 25. *de reformat.* & in *praxi Pyrr. Corrad. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 11. & quamvis alienatio prædicta reperiatur utroque

utroque jure prohibita; Judex tamen debet sequi dispositionem juris Canonici; quia in rebus Ecclesiasticis, non statur legibus Civilibus, *Quaranta*, post allegatos in *sum. Bull. ver. alien. num.* 1.

Quæst. 3. *An d. extrav. ambitiosæ sit ubiq; recepta?*

1. EMinent. Cardinal. *Cajet.* in sua *sum. ver. excommunicatio, cap.* 75. *in fin.* ait, *quod hæc Decretalis non est recepta ubique, & alicubi videtur recepta, non totaliter, sed quoad aliquid,* quem sequitur *Sylv. ver. alienatio, q.* 15. *in fin. & ver. excommun.* 7. *num.* 83. *excom.* 47. *in fin.* ibi, *sed in aliquibus locis non est approbata moribus utentium, nec servatur*; *Navarr. de cens. Ecclesi. cap.* 27. *excom.* 52. *num.* 150. dicit, *d. extravag. nullibi esse omninò receptam*; *quia in nullo loco est usu recepta privatio beneficiorum, quam incurri jubet ipso jure ab iis, qui sunt Episcopis minores, & ibidem* subjungit, *quod in Lusitania non videtur recepta quoad locationes in solos tres annos,* & post pauca ait, *& sic credimus, in paucis locis esse receptam, quòad pœnas extrinsecas, quamvis in multis sit recepta, quòad dispositionem principalem, & pœnam intrinsecam nullitatis alienationis, & locationis factæ in plures, quàm in tres annos,* & in *cap.* 23. *num.* 62. idem dixit *ver.* 10. *quod sicut lex, & de reb. Eccles. non alienan. consf.* 4. *num.* 1. ubi seipsum citat in præfatis *locis,* in 1. edition. & in novis *consf.* 10. *& in com. de rebus Eccles. non alien. num.* 21. *Sarmient. de reddit. Eccles. cap.* 4. *nu.* 20. *P. Suarez tom.* 5. *de cens. disp.* 22. *de excomm. Papæ reser sect.* 6. *n.* 6. *ver. alia item excommunicatio, in fin. Sayr. de cens. lib.* 3. *c.* 22. *excom.* 8. *in fin.* ubi ex multis testatur, *extrav.* hanc in paucis locis esse receptam, & quod praxis est consulenda, *Nicol. Garzia tract. de benef.* 2. *p. cap.* 1. *nu.* 46. post citatos, de praxi & observantia *d. extrav.* ait, *illam ab Episcopatu Abulens. quòad locationem bonorum, & prædiorum Ecclesiæ, non observari; ibi enim locationes prædictæ fiunt ultrà triennium: D. Aug. Barbosa, de off. & potest. Episcopi, allegat.* 50. in qua agit de omnibus excommunicationibus, etiam ex *extravagantibus, n.* 235. *ver.* 2. *in extrav. ambitiosæ,* post citatos ait, *extrav. hanc receptam esse quòad excommunicationem, & alias pœnas, Bonac. tom.* 1. *in tract. de alien. punct.* 5. *num.* 4. *P. Carolus Antonius Thesaur. de pœnis Ecclesiasticis, p.* 2. *praxis, ver alienatio, cap* 1. *num.* 2. *ver. nota, quod Doctores, Megal consil.* 32 *num ultim.*

2. Quippe qui advertunt, quod sicut lex in nihilo recepta, ad nihilum obligat, *Syl ver lex, q.* 6. ita lex in una sola parte recepta, quòad illam solam obligat, argum. *l. quæ devota. ff de rei vendic.* quò fit, ut aliquot leges obligent, quòad suam dispositionem principalem, & non quòad pœnam; quia quòad illam sunt receptæ, & non quoad hanc, & aliquot quòad unam partem pœnæ, & non quoad aliam, *Navar. in d. cap.* 23. *in sum. num.* 62. *in fin.* ideoque ubi prædicta *extrav.* non est recepta; & similiter quantum ad illud, in quo alicubi non est recepta, neminem damnes, eò, quod nisi consensu utentium lex fuerit confirmata, pro non lege habetur, *Cajet. ubi suprà.*

3. Verumtamen *Steph Quaranta in sum Bul. ver alienatio, n.* 48. *Alphon. Vilagut. decis.* 39. *Pyrr. Corrad.* in sua *praxi dispensationum Apostolicarum lib* 9. *cap.* 1. *num.* 1. *Cavalc. decis.* 43. *num.* 4. *Crescent. decis.* 3. *de jure jur. Cæsar de Grassis, tit. de reb. Eccles non alienand. decis* 4. *num.* 26. *Joan. Bapt. Ciarlinus* in suis *controver. forens cap.* 105. post allegatos *nu.* 111. *Rota Rom.* 1. *p. divers decis.* 26. & alii plures fatentur, prædictam *Decretalem* per totum Orbem integraliter, & secundùm omnes ejus partes esse receptam, & præsertim in Diœcesi, & Civitate Neapolit. tàm quòad pœnas intrinsecas nullitatis contractus, quàm quòad pœnas extrinsecas censurarum, & alias, *Genuens. in praxi Curiæ Archiep. Neap. cap.* 75. *num.* 1. immò in hoc toto Regno Neapolit. *Ricc. in praxi var. resolut.* 272. *in fin.* & maximè in statu Ecclesiæ, *Alphon. de Leon. de cens. recollect.* 4. *ver. alienat. fol.* mihi 286. *col.* 1. nec non, & Mediolani, *Bonac. ubi suprà, punct.* 5. *n.* 5. quòad censuras, & nullitatem contractus; sed limitat quoad privationem beneficii ante sententiam Judicis, quod regulariter servari debet, quamvis in d. *extrav.* dicatur, *absque declaratione*; quia pœnæ positivæ non incurruntur, nec debentur ante Judicis declarationem; *Alphon. de Leon. in d. recoll.* 4. *ver. Commissarii, pag.* 296. *& Joan. Bapt. Lezana tom.* 4. *ver. alienare,* Item testantur, in tota Italia esse in viridi observantia.

4. Et horum ratio esse potest multiplex, primò; quia est inserta in corpore juris, ac proindè facit jus, *Gutier. Canon. q. lib.* 1. *c.* 8.

5. Secundò; quia à Visitatoribus Apostolicis fuit Conciliis Provincialibus intimata, & ad notitiam omnium deducta; *Redoan. de rebus Eccles. non alien. tit. de locat. rei Ecclesiæ, q.* 6. §. *item ex præmissis, Garzias, Ciarlinus, Cæsar de Grassis,* multis allegat. *ubi suprà.*

6. Tertiò; quia in omni occurrentia in judiciali foro citatur, non enim citaretur, nisi foret in usu.

7. Quartò; quia Romana Curia, quotidiè pro ejus observantia pronuntiat.

8. Quintò; quia ita ejus praxis se habet in expediendis passim litteris, sub hac forma, *si in evidentem*: undè emanant absolutiones à censuris, dispensationes, & habilitationes, etiam in utroque foro, quòad contravenientes; ob quod datur intelligi, quod Romanus Pontifex vult illam ubique observari, quòad omnes ejus partes.

9. Sextò; quia Prælati Ecclesiarum, nempè Abbates, Episcopi, & consimiles in principio sui Regiminis, jurant *d. Paulinam* integraliter observare, & in casu contrarii volunt eis pœnis subesse; prout eruditè *Quaranta, & Corrad.* cit. *loc.* & *Franciscus de Leon. in Thes. for. Eccles.* 1. *p. cap.* 15. *num.* 59.

10. Et quamvis *Martin. Bonac. in d. punct.* 5. dicat, usum & praxim Sacræ pœnitentiariæ non obstare, eò quod pensat, id fieri ad pacandas conscientias, & quia supponit, præfatam *extravagantem* receptam fuisse, tu tamen recordare, quod in eadem Curia quotidiè expediuntur *Brevia* indistinctè, & quod conceduntur absolutiones, dispensationes, & habilitationes pro utroque foro, & non pro conscientia tantùm; & quod ad hoc, ut lex obliget Subditos, non requiritur acceptatio Populi, sed sufficit, quod sit sufficienter promulgata in sua Metropoli, ut colligitur ex *auth. ut factæ novæ Constitutiones,* ubi post publicationem legis, & lapsum temporis designati præcisè exigitur observantia legis, nec de acceptatione fit mentio, secùs potestas Principis esset illusoria, & daretur Bellum justum ex utraque parte, nempè Superiorum inferendo leges, & Subditorum in non acceptando eas; etenim uterque suo uteretur jure, prout latè *Cardin. Zabarell. in proœmio Clem. ver. universitati q.* 2. ubi ait, non receptionem indistinctè nihil operari: nisi transeat in consuetudinem non ignoratam; & *Turrecremat. in §. ideò, distinct.* 4. ubi post *Archid. & Ugon.* dicit, Legislatorem posse compellere subditos ad acceptandam legem; quia aliàs ejus potestas esset illusoria, *Barth. Medin.* 1. 2. *q.* 90. *ar.* 3. *ad finem, Suar. lib.* 3. *de leg. cap.* 19. *lib.* 9. *Molfes. in sum. tract.* 9. *cap.* 8. *nu.* 42. *Paulus Layman. lib.* 1. *Theol. moral. tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. & alii infiniti, quos allegat & sequitur *Franciscus Merolla, tom.* 2. *Theol. moral. disput.* 4. *de leg. & constit. cap.* 3. *de lege civil. dub.* 20. *num.* 189. *& seq.*

11. Et eò fortiùs, si Summus Princeps absolutè loquatur, & sub gravibus pœnis mandet, suam legem servari, eamque sæpiùs confirmet, & renovet indistinctè; quia in tali casu constat, Superiorem velle suam legem obligare, omninò independenter à subditorum voluntate, *Navar. de Constit. cons.* 5. *num.* 23. *&* 24. *& in summ. cap.* 23. *num.* 41. *& Gonzalez ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 26. *num.* 5.

Quod

Quod totum occurrit in casu nostro; eo, quia prædicta *Paulina* fuit sæpiùs confirmata absolutè, & absque ulla conditione, & sæpè renovata, ut patet ex decisis, & liquet in *Decreto* Sacræ Congregationis Concilii, edito jussu *Urbani VIII.* & per extensum suprà posito.

12. Benè verum est, quòd si Princeps scit, legem à se latam, & sufficienter publicatam ab initio non fuisse usu receptam, nec observatam; & per decennium tacet, sibi præjudicat, & censetur suam legem abrogare; quia ista taciturnitas, & dissimulatio, est revocatio, saltem virtualis, *Covarr. var. resolution. lib. 2. cap. 16. num. 6. Novarr.* cit. *loc. num. 23. & Quaranta ubi suprà.*

Quæst. 4. De usu, & praxi d. Paulinæ, quisnam sit consulendus?

1. ET dico, quòd de praxi *d. extravag.* consulendus est Episcopus loci, ad quem pertinet, *Decretales* sequi, & observari facere: unde *Navar. in cons. 10. de reb. Eccles. non alien.* in novis, ait, quòd in utroque foro sedulo videndum est, quomodo se habeat consuetudo Episcopatus, ubi sita est Ecclesia, cujus bona fuerunt alienata, & secundùm eam judicandum esse, *Alphon. de Leon. recollect. 4. de censur. ver. Commissarii, pag. 296. col. 2. in fin.* intelligit, pro foro fori, non autem in foro poli.

Quæst. 5. In dubio, an præsumatur recepta?

1. REspondeo, quòd in dubio præsumitur usu recepta quoad forum fori; quia lex, & constitutio in tali casu, ita præsumitur; ut latè ex multis ostendit *Nicol. Garzia in suo tractatu de benef. 10. 1. p. 2. cap. 1. nu. 41. Riccius 1. p. praxis, decis. 95.* in 1. editio, *& Ciarlinus in controvers. forens. cap. 105. num. 112.* & est decisio *Rotæ Romanæ, decis. 56. nu. 4. & decis. 97. num. 2. & decis. 775. 1. p. divers. & decis. 301. nu. 2. p. 2.* & in una *Hiporregiens. Canonicatus*; 24. *Maii* 1584. coram Domino *Orano*, & in una *Meliten. Abbatiæ* 24. *Januar.* 1590. & docet *Rodr. tom 1. q. 6. ar. 11. & Salas de legibus disput. 13. sect. 5.* & eò magis hodiè, ex quo *d. extravag.* facit jus commune, ut dictum est suprà: est enim reposita in corpore juris communis, hoc est, *in fin. 6.* inter *extrav. communes*, sub *tit. de rebus Eccles. non alien.* Proinde, neganti usum *d. Paulinæ* incumbit onus probandi, prout sæpiùs censuit Rota Romana, & post *Farin. decis. 30. num. 5. p. 1. & Barbos. allegat. 95. num. 48.* referunt præfati DD.

2. Nec dices, quòd *Rota* tenuit contrarium coram *Mohed. in decis. 1. de Constitut. & decis. 8. de locat. & conduct.* nempè, quòd onus probandi illius observantiam, ejus sit, qui in ea se fundat, quod replicat in *decis. 896. p. 3. divers. lib. 3.* nec non *Cavalc. decis. 43. lib. 1. nu. 2.* & alii, quos refert *Flav. Cherub.* in suo *compendio Bullar. tom. 1. in schol. in d. Paulina.*

3. Quia *Rota Rom.* in propriis terminis ita resolvit in una *Brixiens. Locationis* 5. Decembris 1594. coram *P. Pena*, ubi dixit, prout in d. *Melitens.* fuit resolutum, quod *Rota Romana* non servat *decisionem 6. Mohedani*, quæ in impressis est 1. *de Constit. & 249.* quæ est *octava de locato*, quatenus dicit, usum *Paulinæ* probandum esse per eum, qui in illo se fundat, quod pariter alias declaravit, ut per extensum refert *Garzia, Riccius, & Joannes Bapt. Ciarlin. ubi suprà*, vide illos.

4. Nec his obstat *Caputaquens. in decis. 203. 3. p.* ubi dicit, non usum statuti probari, eòipso, quòd non probatur usus, neque *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 2.* dicens, quòd lex promulgata non præsumitur usu recepta, ex quo est quid facti: etenim totum contrarium est dicendum, ex quo lex ligat anteaquam à Populo acceptetur, eò maximè, quòd *d. extrav.* est in corpore juris, & fuit sæpè sæpiùs secundùm rem, & secundùm vocem confirmata; & quamvis statutum nullum, seu invalidum, non præsumatur usu receptum; quia non arctat, secùs tamen dicendum, de statuto justo, & rationabili; quia istud, absque ulla Populi acceptatione ligat, & arctat, ut per eandem *Rotam Rom.* fuit dictum in *decis.* prædicta 775. *1. p. divers. & Garz.* cit. *loc. n. 45.*

Quæst. 6. Forma alienandi res Eccles. juxtà jus antiquum Canonicum, quanam sit?

1. ET dico, quòd solemnitas de jure veteri observanda in omni alienatione stabilium Ecclesiæ, habetur in *cap. sine exceptione 52. caus. 12. q. 2. & in cap. irrita 1. & in cap. cum Apostolica 7. & cap. tua nuper 8. de his, quæ fiunt à Prælatis*, ibi, *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quidquam donare, vel permutare, vel vendere audeat; nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum: irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit, absque conniventia, & subscriptione Clericorum*; & in *cap. nulli 5. de reb. Eccles. non alien. & in cap. 1. eod. tit. in 6. & Clem. 1. eod. lib. & tit.*

2. Quæ forma, ubi suprà præscripta, non potest auferri, neque abrogari per contrariam consuetudinem, *Sylv. ver. alienat. num. 3. in fin.* nec quidem in minimo lædi, aut prætermitti, sine nullitate contractus; tum quia est forma contractus, tum etiam; quia ita expressè habetur in *dd. capitulis*; tum item; quia licet consuetudo possit addere solemnitatem alienationi rei Ecclesiæ; non tamen potest tollere illam, quæ inducitur per *d. cap.* quia sic esset onerosa, & gravosa Ecclesiæ, ob quod consuetudo desinit esse valida, *c. 1. de Consuet.* & latè *Navar.* post allegatos *tom. 2. Com. de alienat. rerum Eccles. num. 8.*

Quæst. 7. Forma, & solemnitas auth. hoc jus porrectum, C. de Sacrosanct. Eccles. an habeat locum in alienatione rei Eccles.

1. NEgativè *Glos. in cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. ver. tractatus, in fine*, quia laici, ex defectu potestatis, quam non habent in rebus Ecclesiæ, non possunt formam præscriptam à jure Canonico, ad illius bona alienandum, mutare; & nec quidem in minimo alterare; ut dictum est suprà.

2. Nec obstat, quòd prædicta *auth.* reperiatur posita à *Gratiano in volumine Decretorum*; utpotè, sub *Canone, ea enim 2. caus. 10. q. 2.* tum quia aliud est, quòd sit inserta sacris Canonibus à Papa, hoc enim nullibi reperitur; tum etiam; quia *Gratianus* caret potestate faciendi de jure laico, jus Canonicum; tum item; quia nunquam legitur, quòd sit à Domino Papa confirmata, tum denique quia *Gratianus ibidem* illam posuit, non ad necessitatem, sed ad ostendendum affectum Principum ergà Ecclesiam, prout *Glossa, Sylv.* & latè *Navar.* cit. *loc.* & colligitur ex 2. *cap. de rescriptis*, ubi Summus Pontifex prohibet, suis litteris adjunctionem fieri.

Quæst. 8. Forma contractus, quid sit, an admittat parvitatem materiæ? quomodo cognoscatur, vel possit per æquipollens adimpleri?

1. FOrma contractus, ut certa ab incertis separemus, est duplex, altera extrinseca, & valdè accidentalis, quæ consistit in narrativis, seu in modo narrandi, & explicandi hoc, vel illud negotium, cum majori, vel minori elegantia sermonis.

2. A qua forma, & modo explicandi, denominatæ sunt formulæ, seu formularia conficiendi instrumenta, Episto-

Epistolas, Mandata, & similia, prout in *fine* nostrarum *Constitutionum*, ubi habentur plures formæ principalium actuum, ad officium Prioris Provincialis, & Conventualis Ordinis nostri spectantium.

3. Et de hac non loquimur; est enim variabilis, & mutatur hic, & nunc, ad libitum Notariorum, & Scribarum, & sæpè sine interesse narratorum.

4. Altera autem est intrinseca, & substantialis contractui, consurgens ex dispositiva ejusdem, quæ dispositiva pendet à jurisdictione, & voluntate ejus, qui infert Leges, vel Canones, aut Constitutiones, sub hac, vel illa forma observandas; prout est Rex, vel Imperator, aut Dominus Papa.

5. Hæc autem forma dat esse contractui, prout omnis forma naturalis, cæteris paribus dat esse, & perfectionem suo composito, *Tiraquellus in l. si unquam, ver. revertatur, nu.67. C. de revoc. donat. Jason in l. cum quis, num. 12. ff. de juris, & facti ignorantia*, & alii non pauci, quos citat, & sequitur *Aloys. Ricc. p.3. prax. resolut.* 532.

6. Et debet in omni actu ad unguem servari, absque ulla diminutione; prout colligitur ex *cap.1. de Bapt. & l. cùm hi, §. Prætor. ff. de transact. & l. non dubium, C. de legibus*, quia est adeò delicatæ naturæ, quòd ei nihil potest addi, nec detrahi, *l.1. §. opus novum, ff. de nov. oper. nunc. Bald. in l. quoties, num.4. C. de success. & legitimis hæredib. Bartol. & Alex.* quos allegat idem *Riccius d. resolut. nnu.3.*

7. Etiam si sit quid modicum, vel minimum, *Jason. in l. si unus, num.4. C. de testam. Felin. in cap. cùm dilecta, ver. amplia, 10. de rescriptis*, quos sequitur *Novar.* multis citatis *Forens. quæst.* 71.

8. Quod procedit, sive istud additum fiat contrà, vel citrà, vel præter formam præscriptam, *Felin. in d. cap. cùm dilecta, & Pyrr. Corradus* in sua *praxi dispensat. Apostol. lib. 9. cap.5. §. servata forma, num.18. pag.* mihi 381. *Thesaurus* in sua *praxi de pœnis Eccles. p.2. de simonia, cap.1. ampl.3.* & hoc ideò; quia de ratione formæ est, ut sit simplex, & individua, adeò, ut in puncto indivisibili consistat, prout constat ex forma Sacramentorum, & docet *Decius cons. 532. num.5. & Bartol. in l. item eorum, §. sed si ita. ff. quod cujusque univer. nomin. Paul. de Castro*, & alii plures, quos sequitur *D. Reg. Hector Capyc. Latro Consult. 92. num. 15. & D. Donat. Ant. de Marinis, resolut. quotid. cap. 238. num. 4. lib. 1.*

9. Et ob id formaliter accepta, non patitur latitudinem, nec pravitatem admittit materiæ, sed more simplicium, aut tota, aut nihil, *Riccius* in posthuma, *collect.* 3929. secùs autem omnia corruunt, nempè leges, & statuta; quia deficiente forma substantiali, omnia substentata deficiunt, prout docent Philosophi; & habetur expresè in *d. cap. cùm dilecta, de rescriptis*, ibi, *propter quod processum ipsorum contrà nostri formam rescripti, ac juris ordinem attentatum, irritum decernimus, & inanem*; & in *cap. Pisanis, de restit. spoliator*, ibi, *mandati formam Subdiaconatus adimplere nequivit.*

10. Tunc autem intelligitur præsens forma esse introducta ab homine, vel à jure, quando *Legislator*, ubi post præscriptam formam, seu solemnitatem conficiendi contractus, subjungit, *quòd si forma tradita non servetur, corruat actus*, vel si dicat, *non aliter, nec alio modo*, vel quid simile, per quod significatur Decretum irritans actum, *Joann. Andr. in cap. ex tua, de Cleric. non resid. & Capyc. Latro* cit. *loc.*

11. Et colligitur ex *Trid. sess.24. cap.1. de Refor.* ubi præscribitur forma Matrimonii, nempè, ut fiat coram Parocho, & duobus testibus, & subjungitur, *secùs autem totum sit irritum, & inane.*

12 Igitur, ex hac clausula annullativa, cognoscitur, forma essentialis contractus, quamobrem Proverbium est, quòd non servata forma permissiva, necessario succedit forma destructiva, & sic actus redditur nullus, ut notat *Baldus in d. l. Prætor, §. sive autem, num.4. de nov. oper. nunc.* & est communis sententia *Doctorum.*

13. Et est tantæ potentiæ, & stabilitatis, ut nequeat per æquipollens adimpleri, *Rot. Rom. decis. 215. num.8. p.1. divers.*

14. Hinc est, quòd quinquagenaria juris Patronatus, non potest probari per testes: quandoquidem *Trid. sess. 15. cap.9.* statuit formam, nempè, hoc jus esse probandum per scripturas authenticas, & forma hæc non potest per æquipollens adimpleri, *Leo* in suo *Thesaur. For. Eccles. p.2. cap.6.* ubi refert, ita Sacram Congregationem censuisse, & *Corrad. ubi suprà, num.21.*

15. Benè verum est, quòd quoties publica utilitas, vel necessitas inest alicui actui explicando, & forma à jure requisita non potest in eo servari: tunc, ne talis publica utilitas impediatur, sufficit, quòd talis forma requisita per æquipollens servetur, *Alex. in l.1. ff. de lib. & posthum. & Boer. decis.2. num.23.*

16. Quod itè procedit, quando ipsa forma non potest adimpleri, ob aliquod impedimentum; quia in tali casu, satis est, ut per æquipollens adimpleatur; prout clamant omnia jura, & habetur in *Clem. causam, de elect. & Clem. unic. de conces. præben.*

17. Proinde, etsi de jure, in testamento debeant intervenire septem testes, juxtà formam à lege præscriptam adeo, ut si unus deficiat, testamentum sit nullum, ex *tex. l. si unus, C. de testament.*

18. Nihilominus, si testamentum fiat tempore pestis, sufficit numerus quinque testium; propter necessitatem; quia tempore pestis, pauci sunt sani, & qui velint intervenire; quia timent fœdari, ex *textu l. fin. C. de testam.*

19. Secùs autem intellige, si jus, & constitutio hæc, prædicta expresè prohibeat; quia in casu expresè prohibitionis, nulla forma potest per æquipollens adimpleri, prout constat ex *Constu. Greg. XIII. de publicandis resignat.* circà quam ultrà alia potiora, statuit formam, quam prohibuit, posse per æquipollens adimpleri.

Quæst.9. Quot sint causæ, & casus à jure permissi ad valide alienandum, de jure novo, & antiquo, & quotuplex solemnitas?

1. AD validam alienationem rerum immobilium Ecclesiæ, duo copulativè requiruntur, causa justa, in casu licito, & forma, idest, solemnitas legitima, ut in *d. Paulina cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. & & Clem.1. eod. tit. in 6.* & constat ex aliis juribus, quæ citat *Sylv. ver. alienatio, numer. 2. Rodriquez tom.1. q.27. art.2. Stephanus Quaranta, eod. ver. num.2. & Riccius 1. p. prax. decis.12.* in 1. editio. *Navar. in com. de spol. Clericor. 2. nu.5.* Hinc alienans sine justa causa, vel sine licentia Papæ, aut sine juris ordine, peccat mortaliter, & contractus alienationis erit nullus, & tam alienans, quàm recipiens alienatum, erit excommunicatus, ut expresè habetur in *d. extrav.* & docet *Navar. cons.5. de reb. Eccles. non alien.* in 1. editio, *Afflictus decis.* 107. *& decis.* 85. *& Vincentius de Franchis decis.*35.

2. Causa autem justa, strictè loquendo, est duplex, utpotè necessitatis, aut utilitatis, ad quas reducuntur aliæ; quia nihil agendum est; nisi sit utile, vel necessarium. Verum largè, de jure antiquo, & quæ à communi jure excipitur, est quadruplex: prima est urgentis necessitatis, non quidem Rectoris: sed ipsius Ecclesiæ, ut cùm gravatur ære alieno, quod de ejus fructibus nequit solvi: nisi per alienationem dictorum bonorum, aut quando Ecclesia reparanda est, ut si patiatur imminentem ruinam, aut defectus Ornamentorum, Paramentorum, vel Vasorum Sacrorum, & fructus ejus non sufficiunt, *cap. non habenti 49. 12. q.2. cap. placuit, Clem.1. de reb. Eccles. non alien. cap. hoc jus 10. q. in princip. cap. sicut 12. q.2.* & docet *Glos. in princip.*

princip. 12. q. 2. ver. nunc quæritur, Syl. cit. loc. nu. 2. & 40. ubi in principio n. 42. An autem in casu posito requiratur assensus Papæ, & quid in extrema necessitate? habes hic infrà.

3. Dixi, si res Ecclesiæ non suppetunt; quia quando adsunt Ecclesiæ fructus pro satisfactione æris alieni reparatione ruinæ, emptione Paramentorum, & similium; bona Ecclesiæ alienari non possunt; quia Beneficiarius, quamvis valeat, redditus sui beneficii recipere; & pro se retinere: nihilominus, tenetur ex illius fructibus satisfacere, & providere, quia tunc non urget necessitas alienandi bona Ecclesiæ, cùm aliunde Prælatus possit providere.

4. Nec dicitur, adesse evidens Ecclesiæ utilitas, sed potiùs damnum, *Glos. in c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. ver. defensore, Sylv.* cit. *loc. num.* 2. ut sæpiùs censuit Rota Romana, & refert, post alios *Bonac. in d. disput.* 2. *q. unic. de alienat. bonorum Ecclesiæ, punct.* 3. *nu.* 2. & decisum refert *Genuens. in prax. cap.* 107 *de utilitate requisita, num.* 4.

5. Secunda est evidentis utilitatis, ut in *cap. sine exceptione* 12. *q.* 2. & *cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli, & cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. ubi alienatio rerum Ecclesiæ est concessa; si adsit utilitas ejusdem; & in *Clem.* 1. *e. d. tit.* ibi, *nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, &c.*

6. Immò, causa utilitatis est potissima alienandum res Ecclesiæ; *Redoan. tit. de causa utilitatis, q.* 20. *nu.* 16. verùm tamen debet esse evidens, id est, clara, & indubitata, & notabilis, *Genuens. in d. cap.* 107. in novis, ubi post allegatos, ita refert à Rota decisum, die 24. Maii 1591.

7. Et est attendenda, non tempore celebrati contractus; sed tempore assensus Apostolici, & interpositionis Decreti: alioquin contractus non diceretur celebratus cum evidenti utilitate, sed cum spe utilitatis; latè *Genuens. cit. loc. nu.* 3. ubi disputat ad partes, nec sufficit, quòd hæc causa utilitatis sit utiliter cœpta, sed requiritur, quòd Ecclesia ex illa alienatione verè sit facta locupletior, *Glos. in cap. sine exceptione* 12. *q.* 2. *ver. profuturum*, & latè *Riccius* 1. *p. prax. de alienat. decis.* 14. *n.* 2. in 1. editio. ubi post *Collectaneum Doctorum*, multa allegat jura, & *Corrad. in prax. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 20.

8. Proinde, vendi potest Ager, ut alter melior ematur, & vendi potest Calix, ut pretiosior ematur, *Quaranta* cit. *loc. num.* 12. & *Bonac.* multis citatis *in d. punct.* 3. *num.* 2. agerantem Ecclesiæ non potest vendi sine assensu Apostolico etiam si melior ematur.

9. Quæ utilitas non probatur per assertionem alienantium, *Rebuff. de alienat. n.* 75. *Glos. cap.* 1. *de reb. Eccl: non alien. in* 6. & *Genuens.* cit. *loc. num.* 2. *pag.* mihi 418. sed est probanda per testes, & per legitimas probationes, *Riccius ubi supra decis.* 107. in 1. editio. & ab illis est probanda, quibus per Romanum Pontificem datur commissio, *Quaranta nu.* 12. & *Bonac.* cit. *loc. num.* 4. & sic hodiè practicatur; *Bordon. de alienat. bonorum Eccles. resol.* 27. *q.* 6. *num.* 25. Unde Episcopi, Sedem legitimè informant de hujusmodi utilitate

10. Dixi, quòd hæc utilitas attendenda est tempore assensus Apostolici, & interpositionis Decreti; sed hoc intellige regulariter; secùs autem, si contractus celebretur tempore pestis, belli, & famis, vel similium; quia hujusmodi tempus non attenditur, nam licet calamitas urgeat, tamen durare non consuevit, nec habet causam fixam, sed incertam, & consequenter non satis constare potest de evidenti utilitate, *Cavalc. p.* 1. *decis.* 45. *num.* 13. *Menoch. de arbitr. lib.* 2. *casu* 172. quos sequitur *Bonac.* cit. *loc. num.* 2.

11. Quibus additur, quòd alienatio rei Ecclesiæ, non dicitur utilis, ubi Ecclesia recipit tantum, quantum dimisit, ut censuit *Rota Rom. in Lucana bonorum* 11. Februarii 1613. coram *Pamphilo*, teste *Farinac. in decis.* 430. *num.* 6. *p.* 2. *in recentior.* Secundò, quòd per augmentum canonis, dicitur constare de evidenti utilitate Ecclesiæ, prout decisum refert per *Rot. Rom.* coram *Mantica*, sub die 30. Martii 1590. & coram *Seraphin.* in una *Papiens. bonorum* 18. Aprilis 1595. *Gratianus in additio. ad decis.* 100. ubi *num.* 2. subdit, posse probari contrarium per eum, qui vellet docere, de non utilitate locationis, ex *Baldo in cap. sicut in fin. de iudic.* Tertiò, alienatio facta ab Ecclesia, ut recedatur à lite, non dicitur utilis, *Rot. decis.* 112. *num.* 1. *divers.* & refert *Novar.* 1. *p. sum. de alienat. super Bull. Greg. XIII. num.* 15. Quartò, utilitas Ecclesiæ consideratur etiam respectu redditumm, provenientium ex emptione aquarum, & augmentum redditumm, quod sine aquis haberi non potest, non autem ex terris, *Rota decis.* 651. *p.* 1. *divers. num.* 2. ubi ait, utilitatem sufficere, quòd colligatur respectu reddituum, ut re vera reddunt, *Novar.* cit. *loc.* Quintò, utilitas Ecclesiæ evidens non probatur ex eo, quòd alienans potuerit collocare pretium receptum in prædia meliora, *Rota decis.* 211. *p.* 4. *num.* 5. Sextò, alienatio rei Ecclesiæ præsumitur utilis ex cursu longi temporis, ut infrà dicitur de assensu Apostolico, & refert *Novar.* cit. *loc.* Septimò, utilitatis cognitio in alienatione rei Ecclesiæ debet procedere alienationem, non autem subsequi; quia hodiè est de forma, *Cavaler. decis.* 288. *num.* 3. Octavò, utilitas Ecclesiæ in alienatione rei debet esse considerabilis, non qualis qualis utilitas, nec sufficit, quòd Ecclesia non sit deteriorata, si non sit in effectu locupletata, *Redoan. q.* 20. *num.* 86. quæ etsi regulariter in jure non sit determinata, non ob id relinquitur Judicis arbitrio, sed debet esse alicujus momenti circà proprietatem rei, utpotè in redditu, vel proventu in æque vicina, æque commoda, æque cauta, idem *Rodoan.* cit. *loc. num.* 80. & docet de praxi *Pyrrhus Corradus in d. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 51. & 52. Nonò, utilitas Ecclesiæ probanda est per conductorem, non autem per Ecclesiam, quæ semper læsa præsumitur, *Rot. decis.* 607. *p.* 1. *divers. nu.* 1. & hæc libuit annotare ad rectè judicandum de utilitate rei Ecclesiæ.

12. Tertia causa alienandi rem Ecclesiæ, est Pietatis, quæ in tribus casibus potest procedere, ut habetur expressè in *c. Sacrorum, & cap. Aurum* 12. *q.* 2. ibi, *quia aurum habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus, aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur, ornatus Sacramentorum est redemptio captivorum, & verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus est operatus, & nemo potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest quæri: quia captivi redempti sunt, nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est, nemo potest indignari, &c.* hæc ibi.

13. Amplia prædictam causam ad dilatandum Religionem Christianam, *c. si Episcopus* 71. *cap. bona* 72. *cap. Religiosam* 73. *caus.* 12. *q.* 2. *Bonac. in d. punct.* 3. *num.* 1.

14. Limita, non habere locum in captivis malefactoribus, quibus justè pœna inflicta est, *Covar. lib.* 2. *var. cap.* 17. *num.* 9. etenim expedit Reipublicæ, ut delicta puniantur: nec in aliis; nisi sint in extrema necessitate constituti, adeò, ut nullo alio modo possint revelari; *Redoan. quæst* 11. Immò in his temporibus, rarò, aut ferè nunquàm d. causa pietatis locum habet, *Bordon. cit. loc. num.* 24.

15. Quarta causa alienandi, est incommoditatis, seu inutilitatis, & damni, quod sequitur ex retenta re Ecclesiastica, ut si res alienanda sit magis damnosa, quàm utilis, *cap. non liceat Papæ, cap. sine exceptione, & cap. terrulas* 12. *quæst.* 2.

16. Et quamvis aliæ causæ possent reperiri ad alienandum bona Ecclesiæ, nihilominus omnes reducuntur ad quatuor supradictas, & istæ quatuor reducuntur ad duas, scilicet necessitatis, vel utilitatis, ut dictum est suprà & docet *Rodoan. q.* 19. *num.* 1.

17. Nec

17. Nec ob aliam causam, præter expressas, solet in hujusmodi alienatione Papa dispensare, *Pyrr. Corrad. in praxi dispensat. Apostol. lib. 9. cap. 1. num. 20. in fin.* quod intellige regulariter, ut in facti contingentia decisum fuit tempore *Gregorii XIV.* in mense Augusti 1590. in petitione Ducis Ferrariæ, de qua re latè *Franc. de Leon. in thes. for. Eccles. p. 1. cap. 5. num. 13.*

18. Solemnitas ad id de jure antiquo requisita, est etiam quadruplex, *Redoan. q. 24.* prima est tractatus; Superior enim localis volens alienare, debet cum suo Capitulo discutere, an expediat, nec ne? *Sylvest. ver. alienat. nu. 3. & Ricc. 1. p. prax. de alienat. decis. 51.*

19. Ad hunc autem tractatum convocandi sunt omnes illi, quorum interest, ut Canonici in Ecclesia Capitulari, & Monachi de Conventu in Monasterio, *cap. sine exceptione 12. q. 2. cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælato, cap. ut super, de reb. Eccles. non alien.*

20. Et sufficit unus tractatus, publicè, & collegialiter factus, ut constat ex præcitatis *capitulis*, ubi fit mentio tractatus in singulari, ut notat *Covar. lib. 1. var. cap. 17. num. 1.* & latè *Ricc. in d. decis. 51. num. 4.* ubi refert ita fuisse per Rotam resolutum in una *Placentina aquarum* 10. Februarii 1597. coram *Orano.*

21. Secunda est, consensus Capituli illius, scilicet Ecclesiæ, de cujus bonorum alienatione tractatur, & debet esse expressus, & majoris partis Capituli, eorum scilicet, qui sunt præsentes, non autem absentium, ut dicitur in *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælato*, & constat ex illo verbo, *Collaudatio*, quod importat consensum expressum, prout post allegatos *Bonac. in d. punct. 4. num. 1.*

22. Dixi, majoris partis, & non omnium; quia, quod fit à majori parte Capituli, censetur fieri ab omnibus, *cap. ut super 8. §. possessiones, de rebus Eccles. non alien.*

23. Tertia est, ut interveniat subscriptio singulorum de Capitulo, ut habetur in *d. cap. sine exceptione 12. quæst. 2. & cap. tua nuper, de his, quæ fiunt à Prælat.* quæ subscriptio satis est, ut fiat manu Notarii, *Syl. cit. loc. num. 3. in fin. & Bordon. ubi suprà, num. 31.*

24. Quarta est authoritas Prælati, utpote Superioris, qui est Episcopus in non exemptis, & Provincialis, vel Generalis in exemptis; ille enim dicitur verè Prælatus quoad id, de quo agitur, cui immediatè subest Ecclesia, pleno jure, *Syl. cit. loc.* Quorum licentia concessa ad alienandum, inseri debet cum suo *Decreto* in instrumento, juxtà Constitutiones Religiosorum, & Bullas Summorum Pontificum, *Rodriquez tom. 1. q. 27. ar. 3.* cum suo *compendio resol. 7. num. 6. Portell. in dub. ver. alienatio, nu. 4. Confectus tit. 9. cap. 2. §. 4. Navar. consil. 6. & 7. & Bonac. cit. loc. punct. 4. num. 4.*

25. Quibus omnibus hodiè accedit consensus Apostolicus, sine quo non reperitur legitima solemnitas, ut dicitur in *d. extrav.* & consimilibus *Constitutionibus*; nam hodiè assensus Apostolicus est solemnitas solemnitatum, conditionum, & forma formarum, ut patet ex dictis, & infrà dicendis.

Quæst. 10. Tractatus de alienandis immobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii, an sit omninò necessarius?

1. AFfirmativè dic; quia bona immobilia Ecclesiarum Regularium sunt communia pluribus, ut universis; eò, quòd in illis non habeant majus dominium Prælati dictarum Ecclesiarum, quàm habeant singuli Subditi Regulares, licet Prælati habeant majus jus, illa dispensandi, ut apparet in bonis Universitatum, commissis administrationi aliquorum illius Officialium, legitimè deputatorum, & in bonis cæterarum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, in quorum administratione specialiter deputantur aliqui Clerici Sæculares à Collegio, vel Capitulo ipsarum.

2. Sed res communis pluribus, nequit validè alienari, nisi de consensu illorum, quibus est communis; etenim nemo inauditus, vel invitus debet suo jure privari, & fieret illi maxima injustitia, nam quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum, *cap. cum omnes de Regul. in 6.* ergo omnes illi convocandi sunt ad hujusmodi tractatum, quorum interest, his negotiis intervenire, alias tractatus foret nullus, ipso facto, prout tot jura determinant. Quod procedit, etiam si res sint communes pluribus, ut sunt illa bona immobilia, quæ assignantur singulis Canonicis, vel Clericis alicujus Ecclesiæ Sæculari Collegiatæ, habito respectu ad labores, & dignitates uniuscujusque ipsorum, & liquet in bonis cujusvis Universitatis Laicorum: quia etsi singulis Civibus illius reperiantur concessa ad possidendum, & ad singulorum ipsorum dispositionem videantur indulta; nihilominus, tacitè videntur obligata Universitati, ut ipsis uti possit, ad sibi consulendum in ejus necessitatibus; quia sub hac tacita conditione, etiamsi non exprimatur, censentur indulta, ut Universitas, tempore necessitatis possit illis uti.

Quæst. 11. Tractatus hujusmodi, an debeat præcedere consensum Capituli?

1. AFfirmativè deciditur in *cap. sine exceptione 12. q. 2.* ibi, *sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat: nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ*, hæc *ibi*: ubi vides, quòd prius debet discuti causa alienationis, an sit necessaria, & utilis Ecclesiæ, ac proinde, tam tractatus, quàm assensus Capituli in alienandis bonis Ecclesiæ, debet præcedere supplicationem porrigendam Summo Pontifici, pro obtinendo ipsius necessario assensu.

2. Id ipsum habetur in *c. 1. §. quia verò, de reb. Eccl. non alien. in 6.* ibi, *quia etiam tractatus solemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eandem ordinationem, & concessionem ipsam, de fratrum nostrorum Consilio decernimus, non valere*, hæc *ibi*, quod priùs fuit decisum in *cap. tua nuper, §. ne quis Episcopus, de his, quæ fiunt à Prælat.*

Quæst. 12. Consensus tacitus Capituli, an sufficiat in alienatione prædicta?

1. QUòd alienatio bonorum immobilium Ecclesiæ, facta sine consensu Capituli, sit irrita, & nulla, non est dubitandum, habetur enim expressè in *cap. sine exceptione 52. 12. q. 2.* ibi, *irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiæ erit absque conniventia, & subscriptione Clericorum*; & in *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *irrita erit Episcoporum donatio, & venditio vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collandatione, & subscriptione Clericorum*, & *c. alienationes 37. 12. q. 2.* ibi, *irritum erit, & ultioni Canonicæ subjacebit.*

2. An autem tacitus consensus Capituli sit satis in alienatione prædictorum, quæstio est; de qua hinc inde *Doctores.*

Tu autem concorda, aut sumus in alienatione perpetua, & ultrà triennium; & sic requiritur expressus consensus Clericorum, & subscriptio eorum, aliter alienatio erit ipso jure nulla.

Vel versamur in alienatione temporali, citrà triennium;

nium; & sic sufficit tacitus consensus Capituli, & constat ex *cap. 1. §. quia etiam, de reb. Eccles. non alien. in 6.* ibi, *quia etiam contractus solemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum non fuit adhibitus, &c.* ubi *Glos. in ver. perpetuus* ait, nota, quòd in temporalibus, in quibus non ita læditur Ecclesia, sufficit consensus tacitus, in perpetuis expressus, & tractatus secundùm formam *cap. fine except. 12. q. 2.*

3. Quod priùs dixit in *cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælat. ver. contradicente*, ibi, *in perpetuis est necessarius expressus consensus, & subscriptio, per quam appareat de consensu*; & colligitur ex illo verbo *d. c. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* ibi, *absque collaudatione*, collaudare, idem est, quod simul laudare, laudatio enim fieri nequit, nisi voce, aut scripto, vel aliquo exteriori signo, utpurà, assurgendo, vel caput discooperiendo proponenti hujusmodi alienationem faciendam, in quam est expresè consentire, ut ex multis ostendit *Alphon. Vilagut. lib. 1. de reb. Eccles. non alien. cap. 31 nu. 1.* ubi habes multa jura, ex quibus evidenter colligitur, quòd in aliis alienationibus temporalibus, tam bonorum stabilium, quàm mobilium Ecclesiæ, sufficit, si interveniat consensus tacitus Capituli, stante expresso assensu præstito Oeconomo Ecclesiarum, cum potestate locandi bona immobilia Ecclesiarum per triennium, juxtà *extravag. Pauli II.* & aliorum Pontificum successorum, ut in scriptura Institutionis est videre.

Quæst. 13. Consensus Capituli non habiti in communi, an valeant?

1. *Glos. in cap. dudum 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. ver. tractatus* cum distinctione discordes *Doctores* concordat, dicendo, quòd ubi non præcessit tractatus alienandi: non valent hi consensus, non habiti in communi, secus autem, si præcesserit, & deliberaverunt alienare, licet singulariter præstentur.

2. Verùm, est absolutè dicendum, quòd de jure communi, consensus singulariter præstitus, non valet; sed debet adhiberi collegialiter; tum quia ita colligitur ex ethymologia ipsius nominis: est enim consensus multorum voluntas, ad quos res pertinet simul, juncta *Glos.* cit. *loc. in fin.* tum etiam; quia consensus extrà Capitulum præstitus, potiùs dicitur consensus singulorum, quàm Capituli, & habetur in *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *absque collaudatione*, quod est simul laudare rem in qua Capitulares consuluntur; & in *cap. ingenesi, de elect.* ibi, *universalis electio, vel communis.*

3. Nec dices, quòd hoc est speciale in electionibus, quia debet habere locum in omnibus aliis contractibus, & actibus cujuscunque Universitatis, vel Collegii, prout contrà *Glossam* prædictam sentit *Syl. ver. consensus, q. 4. num. 5.* ubi ad hoc multos allegat, & habetur expresè in *cap. cùm accessissent, §. quocirca mandamus, extrà de Constitut.* ibi, *communiter statuisse*, & in *cap. ei, qui appell. §. nominationes 2. q. 6.* ibi, *nominationes verò libellis, vel edictis facta, citrà Concilium publicum, non valent, de quibus nec appellare necesse est, si solemnitas deest*, hæc *ibi.*

4. Quibus accedunt jura civilia, quæ ferè per extensum refert *Vilagut lib. 1. de reb. Eccles. non alien. cap. 12. num. 1. & sequent.* cui favet *Bonac. in d. p. 4. num. 2. in fin.* etenim res communes, in communi loco, ac collegialiter tractanda; excepto tamen casu necessitatis, etsi periculum sit in mora.

* * *

Quæst. 14. Capitulum quid significet, & sit?

1. Capitulum, ut hic sumitur, significat Congregationem multorum, & præcipuè Ecclesiasticorum, ut in *cap. 30. de rescriptis*, & docet *Syl. ver. capit. num. 1.* & potest definiri, quòd secundùm fictionem juris, sit quædam singularis persona, & unum corpus, compactum ex multis singularibus personis, quasi ex diversis membris, distincta tamen ab illis componentibus.

2. Et colligitur ex *cap. novit 4. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui, unum corpus sitis: ita quòd tu caput, & illi membra esse probantur. unde non decet, te omissis membris, aliorum consilio uti*, hæc *ibi.* ubi Papa appellat Caput Ecclesiæ Hierosolymitanæ ipsum Patriarcham; Corpus verò ipsius Capitulum, quod licet fictè dicatur, una persona singularis: nihilominus, repræsentat multas personas veras, & singulares constituentes supradictam personam fictam, quod extende ad Universitatem, Societatem, & Collegium, ex *l. mortuo. ff. de fidejuss. & mandat.*

3. Dixi, distincta tamen; quia recedentibus omnibus Scholaribus alicujus Scholæ, seu Collegii, & aliis redeuntibus, idem tamen Collegium dicitur, sicut mortuis omnibus insimul de populo alicujus Civitatis, & aliis loco eorum subrogatis, idem tamen dicetur Populus, ergo Populus distinguitur à particularibus, & Collegium à collegiatis, quod intellige, secundùm fictionem juris; secùs autem quatenùs est in se quoddam totum, per aggregationem confectum, & liquet in Domo, & Grege, qui resultat ex decem ovibus, prout latè *Bal. in d. l. mortuo, & in l. omnes Populi, col. 10. ver. sed nunquid. ff. de just. & jure*, de qua re vide, quæ dico in *tract. 2. de elect.*

Quæst. 15. Capituli potestas, an consistat in majori, & saniori ejus parte?

1. Affirmativè deciditur in *c. ea noscitur, §. respondemus, de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *si constiterit, Conventus, vel majoris, & sanioris partis, non adfuisse consensum; institutiones hujusmodi convenit evocare*; hæc *ibi*, & *cap. 1. de his, quæ fiunt à majori par. cap.* ibi, *& majoris, & sanioris partis Capituli, statutis super hoc duxeritis resistendum, obtineat sententia plurimorum*, hæc *ibi*: Item habetur in *d. auth. hoc jus porrectum, C. de sacrosanct. Eccl. & l. quod major ff. ad municip.* ubi hæc propria verba habentur, *quod major pars Curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*, hæc *ibi.*

2. Unde benè dicitur, quod fit à majori parte Capituli, censetur fieri ab omnibus; absentia enim paucorum non debet nocere facto à majori parte Universitatis, ut dicitur in *l. nominationum, C. de Decurionibus, & fil. eorum, lib. 10.* ibi, *ne paucorum absentia, sive necessaria, sive fortuita debilitet, quod à majore parte Ordinis salubriter fuerit constitutum, cùm duæ partes Ordinis, in Urbe positæ, totius Curiæ instar exhibeant*, hæc *ibi.*

3. Benè verum est, quòd factum, vel constitutum, non ab omnibus, sed à majori parte Capituli, non potest dici concorditer factum, sed de jure legitimè gestum; illa enim dispositio dicitur facta concorditer in Collegio, vel Universitate, quæ fuit facta collegialiter, nemine discrepante; prout ex multis docet *Alphonsus Vilagut in tract. de rebus Eccles. non alien. lib. 1. cap. 3. num. 8.* & constat ex ethymologia nominis; nam concordia dicitur à con, quod est, simul; ita, quòd oportet, ut nullus discrepet, & colligitur ex *c. bonæ memoriæ il secondo, de postul. Prælat. & cap. etsi unanimiter eod. tit.* unanimiter dicitur, quasi unius animi, ergo non potest dici, Electores fuisse unanimes, si eorum aliquis fuit discors à sententia communi, de qua re vide, quæ dico *p. 3. tract. 2. de loco elect. q. 8. & sequentibus*

4. Quot

4. Quot verò personæ requirantur ad constituendum Capitulum, ad hoc, ut ejus actus dicatur capitulariter factus, habes in *d.p.3. tract.2. de loco elect.q.6.* & quænam sint de intrinseca ratione Capituli *ibid.q.4.* & quid, & quotuplex sit, & pro quo supponat, & alia hujus generis vide *ibid.d.q.4.& sequent.*

Quæst.16. Minor pars Capituli si dissentiat, an teneatur subscribere determinationi factæ, à majori parte ejusdem Capituli?

1. NEgativè dico, si id, quod est determinatum, sit evidenter in præjudicium, & damnum Ecclesiæ: nam in tali casu, minor pars non solùm tenetur non subscribere, ne fortè subscribendo videatur consentire, & sic det in pœnas contrà alienantes, ut expressè dicitur in *cap. si quis Presbit.de reb. Eccles. non alien.* sed tenetur contradicere, & ad Superiorem appellare, ut habetur in *dict.cap. si quis, §.sed etiam:* immò unus solus illius minoris partis, potest contradicere, & ad Superiorem appellare, qui Superior, causa cognita debebit determinatum à majori parte rescindere, si appellans, verum dixisse fuerit repertus, *Panor.in d.cap. num. 5. & Vilagut de reb. Eccles. malè alienat.p.1.cap.4.* Secùs autem dicendum, si conclusum à majori parte Capituli, sit rationabile, justum, & Ecclesiæ utile, *Peyr.tom.1.de Privil.in Constit.9.Jul.II.num.8.*

Quæst.17. Si quis non vult consentire determinationi factæ à Capitulo, ex quo est injusta; verùm, ne sibi Prælatum odiosum reddat, subscribit, an in foro conscientiæ sit securus, nec incidat in pœnas oppositas contrà malè alienantes?

1. PAnor.in cap.2.de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, num.9. dicit, quòd iste nolens consentire, licet non teneatur appellare, tenetur tamen expressè contradicere, & facere quantum potest, ut illa determinatio alienandi rescindatur, alioquin non evitabit pœnas, nec peccatum, & ratio esse potest, quia quilibet de Universitate debet votum suum exprimere in concernentibus factum Universitatis, ex debito officii, argum. *cap.1.de his, quæ fiunt à majori parte Capituli,* is autem, qui tenetur loqui, & tacet, habetur pro consentiente, ut docet idem *Panor.in d.cap.1.de his, quæ fiunt à major par. nu. 13.& ibidem Innocen.num.4.*

Quæst.18. Solemnitates, de jure antiquo requisitæ in alienatione rei Eccles. an sint correctæ, ac sublatæ per dictam Paulinam?

1. AFfirmativè dic; quià de novo jure *d. extrav.* in alienatione rerum Ecclesiasticarum magni valoris, duo copulativè debent concurrere, & non alia: nempè, justa causa, & solemnitas, hoc est, Papæ assensus; latè *Ricc.in 1.p.prax.decis.1.& p.2.resolut.383.* ubi id comprobavit ex sæpè decisis in Rota Romana; etenim Papæ authoritas in alienatione prædicta, omnem juris solemnitatem excludit; adeò, ut ubi illa intervenit, nulla alia requiratur: est enim omnis solemnitas de jure Canonico, quod subest authoritati Papæ, *Pyrrhus Corrad.* post allegatos *lib.9 praxis, cap.1 num.22.Bonac.de alienat.p.4.nu. 6.§.dixi, Bordon.resolut.27.q.8.num.36 in fin. Lezana p.2. cap.19. de bonis Monasterii num.62. in fin.* & alii gravissimi *Doctores,* quos egomet infrà refero *q.26. an assensus Papæ suppleat solemnitatum defectum:* quandoquidem Papa, ob plenitudinem suæ potestatis, potest Clericis auferre bona Ecclesiæ, etiam sine causa; quia in illis Clerici non habent dominium, & docuit *Abbas in cap. Constit. extra de Relig.Domib.* & alii plures, quos refert, & sequitur *Vilagut 1.p.cap.112.num.8.* & quidem majora facere potest, de quibus latè *Guido Papa q.589.* incip. *quæritur, utrum fur famosus, nu.6.fol.* mihi 186.

2. Proinde, authoritas Prælati, tractatus, consensus Capituli, & subscriptio singulorum, de quibus dictum est suprà, hodiè non requiruntur in alienatione prædicta; quia sunt de solemnitatibus antiqui juris Canonici, quæ per *d. Paulinam* fuerunt correctæ, & abrogatæ, nec consensus Episcopi ad alienandum bona Ecclesiarum, sibi subjectarum, nec quidem Patroni, si Ecclesia sit patronata, propter eandem rationem, quia scilicet Dominus Papa omnia potest, quoad ea, quæ sunt de jure Canonico, *Ricc.*multis citatis in *d.resolut.383.* sub *num.1. & sequent.* & latè *Novar.1.p.sum.Bull.de alienat.bonorum, super Bull. Paul.IV.num.25.*

Quæst.19. Solemnitates extrinsecæ, an præsumantur?

1. THomas Grammaticus in decis.79. incip. *causa Reverendi Episcopi, num.2.* ait, non posse præsumi Capituli authoritatem, ac solemnia ex temporis diuturnitate, data invaliditate, & nullitate contractus, prout *Glos. in cap.1.de restit.in integrum,* & in *num.6.* dixit, malam fidem præsumendam esse in eo, qui præter, & contrà juris formam, concessionem rei Eccles. recepit, pe. vulgatam juris *Regulam, qui contrà jura, de Regul. jur. in 6.& in l. quemadmodùm, C.de agric.& cens.lib.11.* nec præsumenda est juris ignorantia, cùm quilibet, scire jura præsumatur, ut in *l.leges sacratiss. Cod.de legib.* quod fortiùs habet locum in Viro scito, & prudente, & discreto.

Id ipsum dicit *Afflictus in decis.107. in fin. & Capy. decis.4.* post citatos, & ratio esse potest; tum quia solemnitas extrinseca, est, quid facti, & facta non præsumuntur, ut infrà dico, tum etiam; quia solemnitas extrinseca, exigit scripturam, quæ nisi ostendatur, non præsumitur, quod *Ciarlinus* ex multis in suis *forens.lib.1.cap.39. num.7.* dicit, posse habere locum, quando tantùm adest cursus decem, vel viginti annorum, sed de hac re vide, quæ dico infrà.

Quæst.20. Subhastatio, & poni ad incantum, an sit de forma alienationis rerum Ecclesiasticarum?

1. NEgativè *Guido Papa decis.194.* cui favet *Genuens.* multis citatis in nova *prax. cap.107. num.9.* & latissimè in *practicab. Eccles.quæst.296.* sed sufficit, ut observetur forma data in *summa 12. quæst. 2.* in *cap. sine exceptione, & in cap. Audum, de rebus Eccles non alien.* & consistit in hoc, ut res Ecclesiæ alienetur cum tractatu præcedenti, & de consensu Capituli, & Episcopi, seu Superioris, immediatè, & Domini Papæ, ad præscriptum *dict. extrav. & Decreti* Sacræ Congregat. suprapositi: immò si res sit exigua, & modica, potest alienari, juxtà terminos *c.terrulas,* etiam sine licentia Capituli.

2. Nec obstat *dict. auth. hoc jus porrectum,* in qua oppositum diffinitur; quia est de jure civili, quod in re nostra non procedit, prout ex multis decisum refert, & obtinuit in facti contingentia *Novar. p. 2. sum. super Bull. Pauli IV nu.30.& Riccius 1.par.praxis, in decis.60 in princ.* ait, quòd bona Ecclesiastica offerenti plus justo pretio, propter æmulationem, non sint liberanda, & quatenus sint liberanda plus offerenti, debet attendi tempus subhastationis, & non alias, *num.8.*

Quæst.21.

Quæst. 21. Assensus Apostolicus, an sit necessarius in alienatione rei Eccles. quæ fit ex summa necessitate?

1. QUod alienatio rei Ecclesiæ fieri possit ex summa necessitate, sine assensu Apostolico, docet *Steph. Quaranta*, cit. *loc. num.* 42. *Barbosa in d. allegat. num.* 58. *in cas.* 7. & alii plures, quos refert, & sequitur *Ciarlinus controver. for. cap.* 105. *num.* 54. moventur ex multis.

2. Primò; quia prædicta *extrav. Paul. II. & Decretum* Sacræ Congregationis suprà positum, prohibent alienationem voluntariam, non autem necessariam: casus enim extremæ necessitatis in omni prohibitione censentur excepti. Secundò; quia necessitas facit licitum, quod alias erat illicitum, *cap. quod non est licitum, de Regul. jur. in 6.* Tertiò; quia necessitas non habet legem, ut in *l.* 1. *& ibi Bald. ff. de offic. Proconsul. & Doctores* omnes *in l. Pupillo, §. si quis rivos, ff. de nov. oper. nunciat. Caphal. consil.* 451. ob quod sæpè sæpiùs est causa violandi Regulas juris communis, *Felin. in cap. querelam, de jur. jur.* ac proinde, in necessitate prædicta licitum est, surripere, absque peccato mortali: tunc enim omnia sunt communia; dummodò Dominus rei, non sit in æquali necessitate, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *ar.* 7. nec non licet comedere panes propositionis, prout fecit *David, cap. adeò, § ita ergo* 25. *q.* 1. & ex messe aliena colligere spicas, etiam in Sabbatho, easque manibus ligare, & comedere, prout fecerunt Apostoli, quippè qui, in tali facto fuerunt à Christo Domino defensi.

3. Ex quibus plura inferuntur; & præcipuè, quòd si Prælatus sit in causa tantæ necessitatis, ut Papa consuli, & adiri non possit, & periculum sit in mora, veluti, si captivi sint redimendi de manu Turcarum, vel Pauperes in gravi necessitate pascendi, tunc validè poterit alienare immobilia, & mobilia pretiosa, sine assensu Apostolico, ex *textu cap. aurum, & cap. Gloria Episcopi* 12. *q.* 2.

4. Amplia primò, ad Episcopum, etiam si juraverit, non alienare, inconsulto Domino Papa, *Riccius.* 4. *p. decis.* 168. *num.* 13.

5. Amplia secundò, ad Regulares indigentes victu: dummodò non reperiant, qui credito illis tribuat; nec possint consensum Rom. Pontificis expectare; quia sic possent alienare, & pignorare, vel pecunias ad cambium recipere, ne cogantur mori, *Peyr. in formul. litt. A. cap.* 11. *sub forma dandi facultatem alienandi, num.* 3. *ver. & alterius quæro,* & *Megal.* in suo *prompt. ver. alienat. num.* 15. ubi hoc præcipuè ad Illustr. Theatinos extendit, ex quo, nec in communi aliquid possident, at vivunt ex eleemosynis sponte oblatis.

6. Amplia tertiò, ut Armenta, & Pecudes Ecclesiæ, si sint in aliquo vitæ discrimine, possint alienari, sine d. solemnitate, cum consensu tamen Capituli, & dummodò pretium earundem conservetur, ad finem alias emendi, calamitate transacta; secùs alienatio esset irrita, prout in facti contingentia consuluit *Marcellus Megala tom.* 2. *var. resolution.* 113. *num.* 3.

Quæst. 22. Assensus Apostolicus, an sit necessarius in alienatione facta, ex causa necessaria; utpotè, pro solvendo ære alieno?

1. MAtthæus de Afflictis decis. 191. *ibique Ursillus* negativè respondent: eò, quia prohibitus alienare sine consensu Domini, non videtur prohibitus, si alienat ex causa necessaria, sine consensu illius; ut dicitur in *l.* 1. *C. de fundo dotali, l. alienationes ff. famil. ercisc. l. Divus, ff. de pet. heredit.*

2. Tunc autem alienatio dicitur necessaria, cùm possessor alienat sua, & in alium transfert, ob æs alienum, aut propter dotem, & similia: de quibus *D. Ludovisius dec.* 299. *D. de Marinis, quotid. resolut. cap.* 256. *nu.* 10. *Navar. decis.* 177. *Ruciul. tract. de jur. Person. extrà Eccles. grem. existent. lib.* 5. *cap.* 36. *& Pyrr. Corrad. in praxi lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 26.

3. Verùm, alienatio bonorum Regularium est invalida, si fiat ex necessitate solvendi æs alienum, sine licentia Papæ, *Rota Rom. decis.* 203. *p.* 4. & alii plures, quos refert, & sequutur *Novar.* 1. *p. sum. de alienat. nu.* 7. tum quia in omni justa, & licita alienatione requiritur assensus Apostolicus, ut constat ex decisis; excepta tamen necessitate extrema; hoc est, si urgens imminet necessitas, & periculum est in mora; & Romanus Pontifex non potest consuli, nec adiri, *Redoan. de alienat. q.* 19. *nu.* 34. *& Mascardus conclus.* 75. *num.* 29. tum etiam; quia Ecclesia non tenetur solvere æs alienum, nisi sit legitimè contractum, ac conversum in ejus utilitatem, in quo consuli, & audiri vult Papa, propter suæ Ecclesiæ indemnitatem; tum item; quia esto, quòd Ecclesia teneatur ad debita contracta; nihilominus, ad eam ab his sublevandum, est ordo servandus, ut primo distrahantur fructus, secundò res mobiles, tertiò pretiosa minus damnosa, & posteà pretiosiora; quartò res stabiles minùs utiles, deinde procedendum est ad utiliora, quorum tantum alienandum est, quantum sufficit; in quibus ad evitandum evitanda, necessum est, ut Dominus Papa consulatur, *Turrecremat. in sum.* 12. *q.* 2. *Redoan. de reb. Eccles. non alien. q.* 19. *nu.* 91. *Mascardus conclus.* 75. *num.* 13. *& Lezzana ver. alien. num.* 10.

Quæst. 23. Assensus Apostolicus, an sit omninò necessarius in omni casu licito?

1. AFfirmativè *Genuens. in prax. Archiep. cap.* 85. in novis, *num.* 2. *Barbos. p.* 3. *de pot. Episcopi, allegat.* 95 *nu.* 2. *Gavant. Manuali Episcop. ver. alien. num.* 3. *Leo in Thes. for. cap.* 15. *num.* 7. *Bonac.* cit. *loc. p.* 4. *num.* 6. *ver. dixi, de jure antiquo, Bordon. resol.* 27. *q.* 6. *n.* 32. & est expressa decisio *d. extrav. Ambitiosæ*, ubi Papa volens consulere indemnitati Ecclesiarum, quæ ante *d. Paulinam* magnum patiebantur detrimentum ex alienatione suorum bonorum, à Prælatis, & Rectoribus facta; prohibuit quascunque alienationes, inconsulto Romano Pontifice, qui sibi reservavit cognitionem justæ causæ, in omni alienatione requisitæ; quia ipse est Dispensator Ministeriorum Dei, Caput Ecclesiæ, Custos, & Administrator Ditionum, ad Romanam Ecclesiam pertinentium, *Leo* cit. *num.* 27.

Dixi, requisitæ; quia in quacunque dispensatione requiritur justa causa, *Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, nu.* 60. *de constit.*

2. Nec potest præsumi, quòd Romanus Pontifex adversus tot jura prohibentia alienationem bonorum Ecclesiæ; dispenset sine justa causa, *Pyrr. Corrad. lib.* 9. *prax cap.* 1. *num.* 7. *&* 21. præcipuè utilitatis, *Bordon.* cit. *loc.* licet interdum videatur dispensare in solemnitate, ad alienandum de jure antiquo requisita, *Molina de contract. disp.* 468. *Sarmient. de reddit. p.* 1. *cap.* 2. *& Caval. decis.* 30. *num.* 31.

3. Neque his obstant, qui dicunt, & volunt, etiam hodiè, in casibus à jure permissis, & sic ex causa utilitatis, vel necessitatis, licitum esse, cum licentia Episcopi, seu Ordinarii, & solemnitate juris communis, alienare, & hypothecare res Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, quod colligunt ex illis verbis *d. extravag. præterquam in casibus à jure permissis.*

4. Quia etiam in casibus alias à jure permissis, & servatis solemnitatibus à jure communi requisitis, hodiè non posse alienari, vel hypothecari bona Ecclesiastica, inconsulto Romano Pontifice, certù est, & hæc sententia est longè probabilior, eamque multis probant *Stephan. Qua-*

Quaranta in sum. Bull. ver. alienatio, & *Aloys. Ricc. tom. 1. prax. fori Eccl.* & præsertim in hoc Regno, ut testatur *Marcus Anton. Genuens. in praxi Curiæ Archiep. Neap. cap.* 10. & alii plures gravissimi *Doctores*, quibus subscribit *Merolla tom. 3. disput. 7. de jurisdictione Capituli sede vacante, dub.* 17. *num.* 64.

5. Nec obstant dicta verba *extrav.* nempè ly, *præterquam in casibus à iure permissis*: quia ea referuntur tantùm ad concessionem in emphyteusin, de qua immediatè ante Pontifex loquutus fuerat, ut clarè colligitur ex illis aliis verbis, quæ subsequuntur, *ac de rebus*, & *bonis in emphyteusim, ab antiquo concedi solitis.*

Quæst. 24. Assensus Apostolicus, an necessariò requiratur in alienatione rei Eccles. cedente in ejus utilitatem?

1. DE hac re eleganter disputat ad partes *D. Vincentius de Franchis decis.* 35. *Stephan. Quaranta* cit. *loc. nu.* 34. *ampliat.* 18. & *Ricc.* cit. *loc. decis.* 7. & alii *Doctores* non pauci, qui respondent ad quæsitum negativè; quia ubi in aliquo actu, seu dispositione debet intervenire aliqua solemnitas ad certum finem, habito tali fine, & effectu, per quem introducitur solemnitas illa, licet in actu non interveniat; nihilominus actus valebit, *cap. cùm cessante, de appellat.* & *l. fin. de hæred. instiut.*

2. Sed ita est, quòd finis, seu effectus, ad quem respiciũt tot jura, hujusmodi solemnitates requirentia, in alienatione rei Eccles. est utilitas clara, & manifesta ejusdem Ecclesiæ; ergo, hac stante, & habita, cessant solemnitates adinventæ, ad evitandum fraudem, *Rodr.* post allegatos *tom. 1. q. 27. ar. 9.*

3. Verùmtamen, contraria opinio est omninò in praxi amplectenda, tam in consulendo, quàm in judicando; & est verior, & securior, nam alienatio rei Ecclesiæ, duo copulativè requirit, ad hoc, ut valeat, & sustineatur, nempè causam, & solemnitatem, adeò, ut unum sine altero non sufficiat; secùs, alienatio erit nulla, & irrita, & contrahentes incidunt in pœnas *d. extrav. Ambitiosæ*; & ita in Consilio Neap. decisum refert idem *de Franchis, ubi suprà*, & sæpæ sæpiùs in Rota Romana *Riccius* cit. *loc.* & latè *Bord. resolut. 27. q. 7. num. 33. Bonac. p. 4. §. dixi num. 6.* ubi hoc testatur de communi, *Fabius de Anna* et uditè in *consil. 38. num. 1. lib. 1. Villagut p. 2. cap. 5. num.* 186. & *Novar. 1. p. sum. de alienat. bonorum super Bull. Pauli IV. num.* 34. *fol.* mihi 601.

Quæst. 25. Assensus Apostolicus, an debeat præcedere, vel subsequi contractum alienationis rei Ecclesiæ?

1. NAvar. *de jure patronatus, consil.* 2. in 1. editio. *num.* 18. *ver. quintum rejicitur* ait, consensum Superioris posse supervenire, & maximè Papæ; si id faciat, cum clausula, *ex certa scientia*, & *de plenitudine potestatis*; & habetur expresè in *cap. cura de jur. patron.* ibi, *aut Diœcesani Episcopi habuerit posteà consensum*, sed loquitur in jure patronatus, non autem in casu nostro.

2. *Rebuff.* in suo *comp. alienat. rei Eccles. cap. 9.* post *Baldum in cap. 1. num. 3. de syndico, Redoan. q. 42.* sub *num.* 1. & *Præses de Franchis decis. 163. num. 2.* post citatos ait, quòd hujusmodi assensus sufficit, si superveniat, quia ex post facto operatur, & docet de praxi *num.* 11. *Riccius* verò in *dict. decis. 24. num. 5.* & *D. de Marinis* cit. *loc.* ajunt, quòd assensus Apostolicus, post alienationem subsequutus, nihil operatur; & ob id, non validat contractum præteritum; nisi in eo sit facta mentio de alienatione jam facta.

3. Nihilominus, vera sententia est, quòd assensus Apostolicus potest præcedere, & subsequi actum alienationis prædictæ; dummodò non tradatur possessio; ita *Carlinus, ubi suprà, num.* 25. & *Pyrr. Corrad.* cit. *loc. in dict. cap. 5. nu.* 65. ubi post allegatos ait, quòd satis est, utrique parti non tradere possessionem, etiam si dixerint, *salvo assensu Apostolico*, ad evadendas pœnas *d. extrav. ambitiosæ*, & constat ex praxi, qua, ut plurimum petitur confirmatio Apostolica super instrumento, jam inito super alienatione facta, etsi partes prætermiserint in supplicatione narrare, quòd non fuit tradita possessio, adduntur per Dominos Officiales Datariæ hæc verba: *possessione minimè tradita, Corr. ubi suprà.*

4. Proinde, *Stephan. Quaranta* cit. *loc. nu.* 10. pro cautela consuluit, *ut beneficiatus, qui terram sui beneficii volebat concedere in emphyteusim, illam locaret per triennium*, & *eo elapso, in emphyteusim concederet cum pactis emphyteuticis in forma; salvo tamen*, & *reservato assensu Apostolico, infrà dictum triennium impetrando; ita, quòd, eo elapso non sit translata possessio, nec utile dominium: nisi impetrato*, & *exequuto assensu Apostolico*, & *non aliter, nec alio modo, alias, eo non obtento, habeatur pro non facta concessio, nisi locat. o pro dicto triennio tantùm*, hæc *ille*.

5. Dixi, dummodò non tradatur possessio; quia alienans bona Ecclesiæ, etiam reservato assensu Apostolico, si tradiderit possessionem, ante prædicti assensus impetrationem, incidit in pœnas *d. Paulinæ*, prout in facti contingentia, sub anno 1599. declaravit *Clem. VIII.* & per extensum refert *Genuens. in praxi, cap.* 52. in novis, & *Paul. Squillant. p. 2. de obligat. Cleric. dub. 3. num.* 38.

6. Nec obstat illa Clausula, *non aliter, nec alio modo*; quia dicta protestatio est contraria facto, & censetur illusoria, prout decisum refert *Gramm. decis.* 49. & *D. Vinc. de Franchis decis.* 267.

7. Quod limita in Procuratore, qui etsi stipuletur cum dicta clausula, & possessionem tradat, non ob id facit, suum Dominum in censuras incidere, prout latè *Ricc. ubi suprà decis. 57. num. 2.*

Quæst. 26. Assensus Apostolicus, an suppleat defectum solemnitatum?

1. AFfirmativè respondet *D. Antonius Capycius decis.* 16. *num.* 1. ibi, *aliæ solemnitates non habent locum, quando Papa, alienationem rerum Ecclesiæ fieri mandat, vel de illis disponit; cùm ipse sit Dominus bonorum Ecclesiarum.*

2. Hinc, res inutiles, exiguæ, vel onerosæ Ecclesiæ, possunt alienari sine ulla solemnitate; quia ita voluit Papa in *cap. terrulas*, & *cap. item Domus* 12. *q.* 2. *Guido Papa decis. 156. num. 1.* & est decisio *Rotæ Romanæ divers. decis. 95. par. 2.* & in noviss. coram *Coccino decis. 292. num. 5.* ibi *Papa potest sanare omnes nullitates, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus in contrarium, si licentia, vel confirmatio fiat motu proprio*, & *ex certa scientia, ibidem num.* 6. quod procedit, etiamsi cum ipso Papa contrahatur, etiam ut persona privata, latè *Ricc. 1. p. prax. decis.* 37. in 1. editione; quod intellige habere locum, quando Papæ authoritas legitimè, ac validè interponitur, secùs autem, si fuerit surreptitiè, & consequenter nulla, *Stephan. Quaranta ver. alienatio, num. 7. in fin.* & *Corrad. lib. 9. prax. cap. 1. num.* 22.

3. Et quamvis Dominus Papa suppleat defectum solemnitatum, adeò, ut nulla alia juris sit necessaria, cum sit Summus Administrator rerum Ecclesiæ; nihilominus, non supplet defectum causæ, *Quaranta* cit. *loc.* & *Genuens. in praxi cap. 106. n. 6.* nec defectum consensus Capituli, *Quaranta ubi suprà, num.* 7. neque defectum personarum supplicantium, *Corrad.* cit. *loc. cap 4. num.* 8. nisi exprimat, & id faciat, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, *Bonac. d. punct. 5. num.* 7.

Quæst. 27.

Quæst. 27. *Papa, an possit sine justa causa res Ecclesiæ alienare?*

1. DE hac re eruditè disputat *Navar. tom. 2. in com. de spoliis Clericorum*, edito super *Caput non liceat Papa* 12. *q.* 2. ubi in §. 2. & 3. *num.* 7. & 8. multiplici ratione motus, respondet negativè. Primò; quia solus Christus, & nemo alius est verus Dominus bonorum Ecclesiæ, ut constat ex *dict. cap. non liceat, cap. nulli* 1. *de reb. Eccles. non alien.* & est decisio *Concilii Trid. sess.* 25. *cap.* 1. *de refor.* ibi, *ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt*; ergò dominium rerum Ecclesiasticarum reperitur penes Deum, seu Jesum Christum, intuitu cujus bona Ecclesiæ oblata sunt.

2. Confirmatur, Summus Pontifex non est verus, & absolutus Dominus rerum Ecclesiasticarum, sed earum Dispensator, seu Administrator, Depositarius, Conservator, Vicarius, seu Procurator Christi, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *de simonia, ar.* 1. *ad* 7. ibi, *quàmvis enim res Ecclesiæ licet sint Papæ, ut principalis Dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut Domini, & Possessoris*, hæc ille; quod intellige de possessione nomine sui ipsius, sicut laici communiter possident bona sua, ut *ibidem Cajet.* ait, in *ver. nota* 2. quòd Papa non est Dominus, sed Dispensator principalis pecuniæ Ecclesiæ, ac per hoc pecunia Ecclesiæ, non est sua absolutè, ut possit ad libitum de ea disponere, quod priùs dixit in *comment. ar.* 8. *q.* 43. ubi ex suis dictis infert unam gravem conclusionem, vide eam, *Turrecrem. in cap. videntes* 12. *q.* 1. & *Navar. in com. de redditibus Ecclesiast. q.* 1. §. 40. seu *quadragesimo monito, num.* 6. & *sequent.* Confirmatur, nullibi enim legitur, Christum Dominum tradidisse Papæ absolutum dominium rerum suarum, sed tantùm Ministerium, ad alendum pauperes & similia, ut dicitur in *cap. aurum* 12. *q.* 2. & constat ex illis verbis, *Petre pasce oves meas.*

3. Secundò, Summus Pontifex tenetur ad observantiam illius *præcepti Septimi Decalogi*, de non furando; omnia enim præcepta *Decalogi* sunt naturalia, & ligant omnes, nullo excepto, *D. Thom.* 1. 2. *q.* 94. *ar.* 1. & *q.* 99. *ar.* 2. & 2. 2. *q.* 122. *ar.* 1. & *in* 3. *sent. distinct.* 27. *q.* 1. *ar.* 4. & constat ex illo *Exodi* 20. *non furtum facies.*

4. *Præceptum* autem prædictum *septimum Decalogi*, de non furando, non solùm prohibet, ne quis rem alienam sibi appropriet, sed etiam, ne quis rem alienam alteri tradat, vel ea utatur, contrà voluntatem Domini, §. *furtum*, & §. *placuit, Instit. de obligat. quæ ex delictis nascuntur.*

5. Sed ita est, quòd bona Ecclesiæ sunt Christi, ut dictum est, ergo, qui tollit ea Christo & tradit alteri, contrà ejus voluntatem, sine justa causa, violat *præceptum* prædictum, & sacrilegium committit *cap.* 1. 12. *q.* 2. ibi, *qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, & rapit, ut homicida in conspectu Judicis deputabitur*, hæc *ibi*, quod intellige, sine justa causa.

6. Tertiò, Papa obligatur vinculo sui juramenti, ex quo est de jure naturali, & divino, cui Papa subjicitur, quamvis sit suprà jus, contrà jus, & extrà jus humanum, secundùm quod dicitur legibus solutus, secùs autem, quoad jus naturale divinum, prout ex multis ostendit *Leo in thesaur. for. Eccles. par.* 1 *cap.* 15. *num.* 15. cui inhæret *Bonac. in dict. pun.* 5. §. 1. *num.* 1.

7. Sed ita est, quòd Cardinalis, dum ad Cardinalatus apicem promovetur, jurat, se non alienaturum bona prædicta, nec consensurum in alienationem bonorum Ecclesiæ, contrà prædictam *Constitutionem*, & maximè *Pii V.* quam ponit *Leo*, cit. *loc. num.* 12. nec hujusmodi juramentum cessat, gratia Pontificiæ dignitatis, obligatio enim personalis non extinguitur, nisi persona extincta, immò Papa, adepto Pontificatu, iterum jurat observare, quod anteà promiserat, non alienare contrà *Constitutiones* hucusque editas.

8. Nec Papa potest secum in juramenti vinculo dispensare, sine justa causa; secùs peccat *Leo*, & *Bonac.* cit. *loc.*

9. Quartò; quia ita fuit decisum per Eminent. Cardinales in Consistorio, & per Reverendissimos Auditores in Rota Romana, tempore *Gregorii XIV.* in causa Ducis Ferrariæ, de qua latè idem *Leo ubi suprà, num.* 13. & *sequent.* ex quibus *Navar.* §. 3. *de spoliis Cler. num.* 8. infert, *quòd aliqua alienatio rei Ecclesiæ, per Papam facta, est justa, & valida, uti est illa, quæ fit ex justa, & rationabili causa: aliqua valida, sed non justa, ut si sine justa causa res unius Ecclesiæ transferatur in alteram, & alia nec justa, nec valida, ut si res Ecclesiæ sine justa causa alienentur in usus profanos, vel in laicos*, hæc ille. Sed quando Papa consultus dispensat in alienationibus, semper præsumitur, justam adesse causam.

Quæst. 28. *Assensus Apostolicus, an ex lapsu triginta annorum, præsumatur interfuisse in alienatione rei Eccles.?*

1. VAriant in hac quæstione *Doctores*: sunt enim, qui ob multa respondent negativè ad quæsitum, tum quia, ad validè alienandum res Ecclesiæ, duo copulativè requiruntur, nempè causa, & solemnitas, ita ut alterum sine altero non sufficiat, *cap.* 1. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. & *Clem.* 1. *eod. tit.* præcipua autem solemnitas est assensus Apostolicus, ut in *d. Paulina*, qui est de forma contractus, & ob id debet præcedere; dat enim esse contractui; & causa, maximè formalis præcedit suum effectum, nec potest per æquipollens adimpleri, nec potest præsumi, quòd interfuit; quia est quid facti, & facta non præsumuntur, nisi probentur, *l. in bello*, §. *facta. ff. de Captiv.* & *postlimin. reversl. l. verius, de probat.* & *l. quæcunque*, §. *fin. ff. de publica. in rem act.* propter quod, benè dicitur, quòd mandatum Principis, ob temporis diuturnitatem, non præsumitur, *Bald. in l.* 2. *C. si ex falsis instrum. Bart. in l. Pomponius*, §. *ratio, in fin. ff. de Procur. Caval. in decis.* 54. *nu.* 22. *p.* 1. *Boer. decis.* 274.

2. Tum etiam; quia tempus suaptè natura non inducit, nec tollit obligationem, nec si est invalida, eam confirmat, *l. obligationum ferè*, §. *placet, ff. de actionib.* & *obligationib.* quamobrem, contractus in principio nullus, ob defectum formæ, nullo tractu temporis potest convalidari; quia defectus formæ est insanabilis, & juxta *c. non firmatur de Regul. jur. in* 6. *non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit.* hæc *ibi.*

3. His tamen non obstantibus, *Navar. in cons.* 1. *de reb. Eccles. alien. nu.* 2. in 1. edition. ait, quòd prædicta fallunt, quando lapsum est tempus triginta annorum; & in *consil.* 3. *de censib. num.* 7. id ipsum confirmat; tum quia solemnitas, non solùm intrinseca, sed etiam extrinseca, præsumitur longo tempore, *l. si filius, C. de petit. hæred.* & *l. qui in aliena*, §. *sed si non adierit, ff. de acquir. hæred.* tum etiam; quia ita habetur expresse in *cap. pervenit* 4. *de empt.* & *vendit.* ibi, *quòd triginta annis constante illorum matrimonio, Domum ipsam, bona fide, tituloque justo possedit*, hæc *ibi*, & ante eum *Felin. in cap. Albericus, de testib.* & *in cap. sicut, de re judicata*, & *Alex. consil.* 79. *in* 2. *dubio, lib.* 1. in propriis terminis tenet, quòd solemnitas extrinseca, requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, præsumitur intervenisse, per tempus quadraginta annorum, ubi ex pluribus ostendit, quòd solemnitas consensus Capituli, & tractatus, & alia hujusmodi, ex diuturnitate temporis præsumuntur intervenisse; & Rota Rom. secundùm hanc opinionem semper in omni occurrentia judicavit, cujus præcisa verba affert *Quaranta, ver. alien. n.* 46. & latè *Nicol. Garz. de benef. p.* 12. *c.* 2. §. 2. *nu.* 179. & latissimè *Riccius* 1. *p. praxis, decis.* 34. in antiq. & in 2 *p. variar. resolut.* 319. *numer.* 3. & *resolut.* 383. & *in* 2. *p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis.* 114. in novis, & *Novar.* in sua *allegat.* ibidem

ibidem inserta, & in altera, ab eodem *Riccio ibidem* posita post *decisionem* 117. *Meroll. tom.* 3. *fol.* 544. *num.* 183.

4. Verùm, prædicta videntur procedere, quando instrumenrum alienationis hujusmodi non apparet, vel si appareat, in eo tamen nihil legitur de tali assensu, *Navar. in d. cons.* 3. *de censib. num.* 3. *in fin. & Genuens. in practicab. Eccles. q.* 131. *in princip.*

Quæst. 29. Si ex inspectione instrumenti appareat, Beneplacitum Apostolicum non intervenisse, ut si in contractu dicatur, salvo assensu impetrando, an procedat d. conclusio?

1. ET quidem præsumi, testatur *Capyc. decis.* 16. *num.* 1. *Gramm. decis.* 90. *Franciscus Marc. in decis.* 88. & alii plures, quos sequitur *Novar.* cit. *loc.* & habetur clarè in *l. sciendum, ff. de verb. obligat*, §. *scriptum, Instit. de fidejussor. l.* 1. *C. de contrahenda, & committend. stipulatione, & cap. sicut* 16. *de sent. & re judicata, in fin.* ibi, *præsumi debent omnia legitimè præcessisse*, ex quibus dicunt, quòd ex diuturnitate temporis, omnia præsumuntur solemniter acta, & præcessisse, quæ de jure præcedere debeant.

2. Nihilominus, *Matthaeus de Afflictis*, post allegatos in *decis.* 107. *num.* 7. dicit, solemnitates extrinsecas præsumi, si earum defectus nunquàm fuit allegatus, & prædicta non obstare, quia censentur vera, nisi producatur instrumentum, in quo apparet, quòd non intervenerunt solemnitates; hinc ex cursu longissimi temporis, non præsumuntur solemnitates intervenisse; quia, ut dixit *Paulus de Castro in consil.* 48. incip. *in causa, quæ vertitur inter Reverendum Patrem*, post *medium*; si ex facie instrumenti apparet, quòd non intervenit citatio ad sententiam, non statur dictæ præsumptioni, propter antiquitatem; quia sublata est per evidentiam facti: cùm nulla sit major probatio, quàm rei evidentia; & notat *Innocen. in c. innotuit, de probat.* & idem sequitur *Ursill. in annotat. super decis.* 305. *num.* 13. *Matth. de Afflict.* qui id ipsum docuit in *decis.* 345. *num.* 5. ubi ait, quòd tunc ex diuturnitate temporis præsumitur solemnitas extrinseca: nisi pars altera neget, eam intervenisse, & post allegatos subnectit: *præterea, ubi agitur de præjudicio tertii, nunquam sola præscriptio sufficit, sed debet fieri plena probatio*, ut dicebat *Ursillus in dicta annotatione super decis.* 303. *num.* 13. sed in casu posito, ex instrumento apparet, quòd in alienatione prædicta non intervenit assensus, qui omninò requiritur, ut *d. extrav. ambitiosæ*, ergo.

3. Hinc alii gravissimi *Doctores* inquiunt, præfatam præsumptionem, fundatam in diuturnitate temporis, non habere locum: nisi probata fuerit etiam scientia, & patientia ejus, de cujus præjudicio agitur, quod egregiè dixit, post Priscos *Cravetta in tract. de temp. antiq. p.* 3. *cap.* 1. incip. *venio nunc, num.* 18. ibi, *ideò si in alienatione, aut contractu sit necessaria licentia Papæ, illa non præsumitur; quia non est verisimile, quod habuerit Papa notitiam talis alienationis aut contractus, prout docuit Alex. in cons.* 9. *vol.* 3. *& in cons.* 17. *vers. nec potest dici, vol.* 4. *&c.* & subjungit *quòd allegans præsumptiones consensus, vel licentiæ Superioris, debet probare scientiam ipsius Superioris, scilicet, quòd Superior scivertit talem actum fuisse, &c.* & in *d. p.* 3. *in cap. vidimus in genere, num.* 29. ait, *quòd ut præsumatur Confirmatio Papæ, aut Superioris, ex antiquitate temporis, opus erit, ut adsit scientia ipsius Papæ, quando actus hujusmodi erit sibi præjudicialis, quod tunc etiam intelligitur, quando ipsius licentia esset necessaria, quamvis directè præjudicare videatur Inferiori:* & ita his fuisse decisum in Sacro Consilio Neap. refert *D. Alphon. Vilagut in tractatu de reb. Eccles. non alien. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 80. *pag.* mihi 422. primò in causa D. Mauri Ambrosi Aversani, Rectoris Ecclesiæ S. Andreæ de Aversa, contra N. emptorem quatuor modiorum terræ ipsius Ecclesiæ, non obstante, quòd Rector prædecessor antequam alienasset, petierat ab Episcopo Aversano, ut delegaret duos ex Clericis, ad judicandum, si dicta alienatio cederet in utilitatem Ecclesiæ, & ita in scriptis judicassent, ac in instrumento alienationis de iis ratio habebatur, & dictus alienator, inter alia, aliam conditionem adjecisset, nihil sibi reservans, nisi assensum Apostolicum, quatenus opus esset, impetrandum sumptibus emptoris, &c. & quia assensus non inerat subsequutus, licet à die contractus stipulati in anno 1538. fluxissent anni 52. deducta causa in M. C. in anno 1590. fuit declaratum, quòd nisi emptor doceret de adimpletis necessariis infrà viginti dies, statim restituere deberet dictum territorium, non obstante, quòd ex parte adversa fuerit objectum, quòd dictus assensus fuit expeditus, & etiam hoc præsumeretur ex diurnitate temporis, & quòd deperditum fuisset, ob repentinam mortem dicti emptoris, mortui ab intestato, & quòd fuissent furtivè sublatæ multæ aliæ scripturæ, & sic in appellatione confirmatum per S. C. referente Gizzarello, & in reclamatione impositum perpetuum silentium in causa D. Mauri Amorosi cum Claudio de Andrea, penes Ferrarium Act. Mag. & iterum in causa Fælicis de Stephano Civitatis Nolæ, qui cùm conduxisset certum territorium, in Terra Summæ existens à Capitulo Cathedrali Ecclesiæ Nolanæ per vinginti annos, pro convento canone, cum pacto affrancandi pro duc. 201. 36. solvendis in emptionem alterius territorii, præcedente blanditione, & subhastatione, salvo assensu Apostolico, obtinendo sumptibus ipsius Fœlicis, cum pacto, quod dicta locatio intelligatur facta inter ipsas partes de triennio in triennium ad renovandum; & cùm dictus Fœlicis filius, & hæres, nomine Julianus concurrisset, non posse molestari à dicto Capitulo, requirente dictum territorium, lata fuit sententia per S. C. referente Stellatello Reg. Cons. die II. Decembris 1585. in beneficium dicti Capituli, quod se immiserat in possessionem dicti territorii, non obstante dicto contractu, & confirmatum in reclamatione, referente Mastrillo, salvis juribus, si quæ competunt dicto Juliano, meliorationum, & impositum silentium in anno 1589. & fluxissent anni 48. à die contractus, usque ad diem petitionis, quas decisiones, & alias hujus generis etiam refert *D. Joann. Bapt. de Thoro p.* 2. *compendii decis. ver. assensus Apostol. fol.* mihi 27. *col.* 2.

4. Insuper, & in Rota Romana in una *Anconitana terrarum* 27. Januarii, & 18. Aprilis 1581. coram *D. Blanchetto* fuit dictum, beneplacitum Sedis Apostolicæ, cum spatio 40. annorum non præsumi; quia cùm fuerit positum in conditione, & non sit solemnitas juris communis, requiritur tempus antiquum, *Mohedanus decis.* 52. *Socinus Junior cons.* 56. *num.* 26. *lib.* 2. & sequuntur alii, quos allegat *Garz.* cit. *loc. num.* 183.

Quæst. 30. An dicta præsumptio fundata in diuturnitate temporis, procedat etiam non probata scientia Summi Pontif.

1. RIccius 1. *p. prax. decis.* 34. in 1. edition. *num.* 2. & magis clarè in subsequenti *decis.* 35. *&* 2. *p. decis. Curiæ Archiep. Neapolit. decis.* 114. *num.* 4. affirmativè, ubi post allegatos recensuit decisiones Rot. Rom. fundatas super diuturnitate temporis, eas ampliat procedere, etiam dato, quòd assensus Apostolicus sit reservatus in vim conditionis, ac etiam, si in instrumento non reperiatur enunciatus, vel quòd Summi Pontificis scientia non fuerit probata, & agatur de ejus magno præjudicio, cui subscribit *Genuens.* multis citatis in *praxi cap.* 106. *num.* 1. *Carlinus* in suis *forens. cap.* 39. *num.* 10. & post *Farin. decis.* 506. *num.* 3. *p.* 2. *Gratian. decis.* 150. *& Garz. de benef. p.* 1. *cap.* 2. *nu.* 185. ubi per extensum ponit decisionem dictæ Rotæ Romanæ, in qua, ultrà *Doctores ibi* insertos, habes

omnia

tia prædicta, & ita etiam fuisse in S. Conf. Neap. decisum in causa D. Cæsaris de Ragone, Rectoris Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum, Civitatis Neapolis, cum Andrea Gattula, refert *Donatus Antonius de Marinis tom.1. resol. quotid. cap.27 in fin.* & ratio decisionis potuit esse; quia spatium triginta annorum, etiam in magno præjudicio tertii præscribit, ut ex *d.cap. pervenit, de exempt. & vendit.* & in modico præjudicio, ad præscribendum sufficit lapsus decem annorum, quæ præscriptio triginta, vel quadraginta annorum, currit etiam contrà ignorantem, nec in ea requiritur scientia ejus, contrà quem præscribitur, *Marian. Socin. cons.22. num.25. lib.1.* ubi allegat *Bald. Angel.* & alios in *l. si cui, de præscript. trigint. vel quadrag. annorum,* & habetur in *l. fin. C. de long. temp. præscript & Bartol. in l.1. §. si quis autem, ff. de itiner. actuque privat.* & docent omnes *Canonistæ in cap. vigilantes, de præscript.*

2. Et hoc ideò, non quòd tempus inducat solemnitatem, seu assensum; sed quia lex præsumit, intervenisse ab eo die, quo incœpit possessio, seu tenuta, ac si instrumentum exinde celebratum fuisset, *Bartol. in l.1. C. qui admitt. & in l. sciendum, ff. de verb. obligat.* & cum sit præsumptio juris, relevat conventum ab onere probandi, & transfert onus probandi negativam solemnitatis in adversarium, *l. generaliter, §. si petitum, ff. de fideicomm. libertat. l. final. in princ. ff. de eo, quod metus causâ, Oltrad. cons. 261.* & censetur liquidissima probatio ejus, de quo præsumitur, immò sufficit, etiam ubi requiritur probatio per instrumentum, *l. quæcunque,* juncta *l.1. C. de Apoch. publ. lib.10.* semper enim, quando aliquis actus à jure præsumitur, eo ipso probatus dicitur; ita ut dum ista solemnitas ex diuturnitate triginta annorum à lege præsumitur, eo ipso probata censetur, donec contrarium non probetur, *Glos. in l.4. C. de pignorat. action.* & in hoc differt à fictione, nam præsumitur super verò, & incerto: fingitur autem super falso, & certo, *Glos. in l. unic. §. accedit, in ver. præsumatur, C. de rei uxor. action.*

3. Hinc, contrà fictionem legis non datur probatio in contrarium, quòd veritas aliter se habeat, ex quo propriè inducta est contrà veritatem, *Glos. in cap.2. de arbit. in 6. in ver. lex,* circà *finem,* ubi absens fingitur præsens, & contradicens, *Felin. in cap. quanto, de præscript.* secùs autem contrà juris præsumptionem: quia est fundata super incerto, sed debet probare is, qui habet præsumptionem contrà se, & additur, quòd jus dicendi de nullitate alicujus actus, tam extrà judicialis, quàm judicialis, ut testamenti contractus, vel sententiæ, non durat: nisi spatio triginta annorũ, *Baldus in l. scire oportet, §. fin. ff. de excusat. tutor.* ubi dicitur, quòd quærela nullitatis, tempus à jure præfixum non habet: nisi prout aliæ actiones, *Baldus de præscript. in 4. p. princip. quæst.21.* at remedium dicendi de nullitate contractus, non durat, nisi triginta annis, ergo, post lapsum triginta annorum silet actio agendi, ac Judicis volentis judicare; & actio, seu officium Judicis semel extinctum, ampliùs non reviviscit, *l. si quis aliam, ff. de solution. & l. eleganter, ff. de pignor. action.* vide, quæ dico de præscriptione in *1. p. de Privil. tract.12. q.10. & seqq.*

Quæst.31. Præsumptio prædicta, an inducatur ex solo lapsu 30. vel 40. annorum, absque alia conjectura?

1. BAldus in *l.2. C. de legit. hered. & in l. si aliena, ver. sed si non adierit, ff. de acquir. hered. & in l. si filius, C. de petit. hered.* dicit, assensum non præsumi ex temporis antiquitate, nisi interveniat scientia, assentire debentis, hinc assensum Rom. Pontif. non probata ipsius scientia, non præsumi, post Priscos allegatos dixit *Afflictus decis.107.* sub *num.7.* & habetur in *l. final. C. de præscript. longi temporis,* ibi, *sola temporis longinquitate, etiam si sexaginta annorum curricula excesserint, libertatis jure minimè mutilari oportere congruit æquitati,* hæc ibi. ubi *Glos.* subnectit, nec etiam centum, quia justus titulus multa petit, & exigit, *Vilagut* post multos *lib.2. de reb. Eccles. non alien. cap.5. num.17.*

2. Hoc tamen non procedere dicas, quando, nedum adest temporis decursus, sed etiam continuata possessio rei alienatæ, & canonum solutio: tunc enim præsumi dixit *Rot. Rom. decis.179. divers. p.2.* & in novissimis coram *Illustrissimo Coccino decis.210. num.12.* ubi ait, ex lapsu tanti temporis, una cum observantia, ultrà triginta annos præsumi assensum prædictum; & ita per eandem Rotam fuisse sæpè resolutum, *Quaranta in summ. Bull. ver. alien. num.46. Capyc. decis.4.* ubi post latè tradita de præscriptione ait, quòd consensus ubi requiritur à principio, non præsumitur, nisi fuerit continuata aliqua ejus notitia, vel nisi fuerit sequuta diuturna observantia illius actus, *Thom. Gram.* mirificè in *decis.79. num.1. & sequent.* & eo magis, si per Monasterium fuit intentatum judicium, pro observatione conventionis initæ, *Ricc. in praxi var. resolut.319. num.3. in fin. & collect.706. super cap. terrulas, in fin. Barbos. p.3. de offic. Episcopi, allegat.95. num.73. Ciarlinus in controvers. forens. cap.39. Fabius de Anna consil.113. num.41.* & ita in Sacro Consil. Neap. fuisse sæpè decisum, refert *Thor. tom.1. comp. decis. ver. assensus Sedis Apostolicæ, & ibidem ver. consensus Summ. Pontif.* & in *supplem. decis. ver. assensus Apostol. & D. Reg. Hector Capyc. Latro,* olim eruditissimus Advocatus, nunc verò meritissimus Regens Supremi Collateralis Consilii *tom.2. consult.156.* ubi, ob sua eleganter tradita *in fin.* testatur; Sacr. Consil. in causa Alphonsi Antinori cum Venerabili Monasterio Divi Francisci Terræ S. Severini, duas sententias à se ante latas reformasse, & habetur expressè in *d.cap. pervenit 4. de empt. & vendit.* ibi, *triginta annis bona fide, justoque titulo possedit.*

3. Et ratio esse potest, tum quia, qui alienationem prohibitam habet, si patiatur contrà se præscribi, alienare videtur, *l. alienationis verbo, ff. de verb. signif.* etenim, ut *ibidem* inquit *Dyn.* in præscriptione adest tacitus consensus partis, & sequitur *Megal.* in suo *promptuario, ver. alienat. n.5. Flav. Cherub. in Comp. Bull. in Constitut. Pii IV.* incip. *provida Rom. Pontif. Schol.2.*

4. Tum etiam; quia in longi temporis possessore præsumitur justus titulus, *l. si filius,* juncta *Glos. C. de petit. hæredit. & l. qui in aliena, §.1. de acquir. hæred.* prout dixit *Rota* in una *Bononiens.* de mense Maii 1519. coram *D. Petro de Capizucchis,* inter Aemilium de Blanchis, & quendam alium, & per extensum refert *Cassador. in decis.8. super Regulas Cancell. & Navar. de off. jud. ord. cons.14.* in 1. edition. ex eo, quòd lex præsumit titulum ex sola possessione, vide eum; quia eruditè loquitur.

5. Dixi, quòd possessio debet esse cum justo titulo, & bona fide, quia possessor malæ fidei, nullo tempore præscribit, quæ juris Regula fuit confirmata per *textum cap. vigilanti, de præscrip.* ibi, *quoniam nulla antiqua dierum possessio, juvat aliquem malæ fidei possessorem;* & per *textum cap. dudum 31. de decimis,* ibi, *mandavimus, quòd idem prior præscriptionis titulum quem allegavit, probaret,* & quòd de jure Canonico ad præscribendum requiratur bona fides, & justus titulus, habetur etiam in *cap. pervenit, de emptione, & in d. l. fin. de præscriptionibus.*

6. Nec nocet illa Regula, quæ dicitur, quòd titulus præsumitur ex tempore, cujus initii memoria non extat in contrarium: quia non procedit, quando expressè producitur titulus nullus, & invalidus: quoniã antiquitas temporis in alienatione, de qua agitur, solum inducit præsumptionem, & cessat præsumptio, ubi de veritate apparet in contrarium, ut in *l. continuus, §. cùm ita, ff. de ver. obligat.* præsumptio enim cedit veritati, & per contrarias

17. Nec ob aliam causam, præter expressas, solet in hujusmodi alienatione Papa dispensare, *Pyrr. Corrad. in praxi dispensat. Apostol. lib. 9. cap. 1. num. 20. in fin.* quod intellige regulariter, ut in facti contingentia decisum fuit tempore *Gregorii XIV.* in mense Augusti 1590. in petitione Ducis Ferrariæ, de qua relatè *Franc. de Leon. in thes. for. Eccles. p. 1. cap. 5. num. 13.*

18. Solemnitas ad id de jure antiquo requisita, est etiam quadruplex, *Redoan. q. 24.* prima est tractatus; Superior enim localis volens alienare, debet cum suo Capitulo discutere, an expediat, nec ne? *Sylvest. ver. alienat. nu. 3. & Ricc. 1. p. prax. de alienat. decis. 51.*

19. Ad hunc autem tractatum convocandi sunt omnes illi, quorum interest, ut Canonici in Ecclesia Capitulari, & Monachi de Conventu in Monasterio, *cap. sine exceptione 12. q. 2. cap. tua, de his, quæ fiunt à Prælato, cap. ut super, de reb. Eccles. non alien.*

20. Et sufficit unus tractatus, publicè, & collegialiter factus, ut constat ex præcitatis *capitulis*, ubi fit mentio tractatus in singulari, ut notat *Covar. lib. 1. var. cap. 17. num. 1.* & latè *Ricc. in d. decis. 51. num. 4.* ubi refert ita fuisse per Rotam resolutum in una *Placentina aquarum* 10. Februarii 1597. coram *Orano.*

21. Secunda est, consensus Capituli illius, scilicet Ecclesiæ, de cujus bonorum alienatione tractatur, & debet esse expressus, & majoris partis Capituli, eorum scilicet, qui sunt præsentes, non autem absentium, ut dicitur in *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælato*, & constat ex illo verbo, *Collaudatio*, quod importat consensum expressum, prout post allegatos *Bonac. in d. punct. 4. num. 1.*

22. Dixi, majoris partis, & non omnium; quia, quod fit à majori parte Capituli, censetur fieri ab omnibus, *cap. ut super 8. §. possessiones, de rebus Eccles. non alien.*

23. Tertia est, ut interveniat subscriptio singulorum de Capitulo, ut habetur in *d. cap. sine exceptione 12. quæst. 2. & cap. tua nuper, de his, quæ fiunt à Prælat.* quæ subscriptio satis est, ut fiat manu Notarii, *Syl. cit. loc. num. 3. in fin. & Bordon. ubi suprà, num. 31.*

24. Quarta est authoritas Prælati, utpote Superioris, qui est Episcopus in non exemptis, & Provincialis, vel Generalis in exemptis; ille enim dicitur verè Prælatus quoad id, de quo agitur, cui immediatè subest Ecclesia, pleno jure, *Syl. cit. loc.* Quorum licentia concessa ad alienandum, inseri debet cum suo *Decreto* in instrumento, juxtà Constitutiones Religiosorum, & Bullas Summorum Pontificum, *Rodriquez tom. 1. q. 27. ar. 3.* cum suo *compendio resol. 7. num. 6. Portell. in dub. ver. alienatio, nu. 4. Confectius tit. 9. cap. 2. §. 4. Navar. cons. 6. & 7. & Bonac. cit. loc. punct. 4. num. 4.*

25. Quibus omnibus hodiè accedit consensus Apostolicus, sine quo non reperitur legitima solemnitas, ut dicitur in *d. extrav.* & consimilibus *Constitutionibus*; nam hodiè assensus Apostolicus est solemnitas solemnitatum, conditionum, & forma formarum, ut patet ex dictis, & infrà dicendis.

Quæst. 10. Tractatus de alienandis immobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii, an sit omninò necessarius?

1. Affirmativè dic; quia bona immobilia Ecclesiarum Regularium sunt communia pluribus, ut universis; eò, quòd in illis non habeant majus dominium Prælati dictarum Ecclesiarum, quàm habeant singuli Subditi Regulares, licet Prælati habeant majus jus, illa dispensandi, ut apparet in bonis Universitatum, commissis administrationi aliquorum illius Officialium, legitimè deputatorum, & in bonis cæterarum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, in quorum administratione specialiter deputantur aliqui Clerici Sæculares Collegio, vel Capitulo ipsarum.

2. Sed res communis pluribus, nequit validè alienari, nisi de consensu illorum, quibus est communis; etenim nemo inauditus, vel invitus debet suo jure privari, & fieret illi maxima injustitia, nam quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum, *cap. cum omnes de Regul. in 6.* ergo omnes illi convocandi sunt ad hujusmodi tractatum, quorum interest, his negotiis intervenire, alias tractatus foret nullus, ipso facto, prout tot jura decernunt. Quod procedit, etiam si res sint communes pluribus, ut sunt illa bona immobilia, quæ assignantur singulis Canonicis, vel Clericis alicujus Ecclesiæ Sæcularis Collegiatæ, habito respectu ad labores, & dignitates uniuscujusque ipsorum, & liquet in bonis cujuivis Universitatis Laicorum: quia etsi singulis Civibus illius reperiantur concessa ad possidendum, & ad singulorum ipsorum dispositionem videantur indulta; nihilominus, tacitè videntur obligata Universitati, ut ipsis uti possit, ad sibi consulendum in ejus necessitatibus; quia sub hac tacita conditione, etiamsi non exprimatur, censentur indulta, ut Universitas, tempore necessitatis possit illis uti.

Quæst. 11. Tractatus hujusmodi, an debeat præcedere consensum Capituli?

1. Affirmativè deciditur in *cap. sine exceptione 12. q. 2.* ibi, *sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quicquam donare, vel commutare, vel vendere audeat: nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Clerici tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ, hæc ibi:* ubi vides, quòd prius debet discuti causa alienationis, an sit necessaria, & utilis Ecclesiæ, ac proinde, tam tractatus, quàm assensus Capituli in alienandis bonis Ecclesiæ, debet præcedere supplicationem porrigendam Summo Pontifici, pro obtinendo ipsius necessario assensu.

2. Id ipsum habetur in *c. 1. §. quia verò, de reb. Eccl. non alien. in 6.* ibi, *quia etiam tractatus solemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eandem ordinationem, & concessionem ipsam, de fratrum nostrorum Consilio decernimus, non valere,* hæc *ibi,* quod priùs fuit decisum in *cap. tua nuper, § ne quis Episcopus de his, quæ fiunt à Prælat.*

Quæst. 12. Consensus tacitus Capituli, an sufficiat in alienatione prædicta?

1. Quòd alienatio bonorum immobilium Ecclesiæ, facta sine consensu Capituli, sit irrita, & nulla, non est dubitandum, habetur enim expressè in *cap. sine exceptione 52. 12. q. 2.* ibi, *irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiæ erit absque conniventia, & subscriptione Clericorum*; & in *cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *irrita erit Episcoporum donatio, & venditio vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Clericorum,* & *c. alienationes 37. 12. q. 2.* ibi, *irritum erit, & ultioni Canonicæ subjacebit.*

2. An autem tacitus consensus Capituli sit satis in alienatione prædictorum, quæstio est; de qua hinc inde *Doctores.*

Tu autem concorda, aut sumus in alienatione perpetua, & ultrà triennium; & sic requiritur expressus consensus Clericorum, & subscriptio eorum, aliter alienatio erit ipso jure nulla.

Vel versamur in alienatione temporali, citrà triennium;

nium; & sic sufficit tacitus consensus Capituli, & constat ex *cap. 1. §. quia etiam, de reb. Eccles. non alien. in 6.* ibi, *quia etiam contractus solemnis, & diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum non fuit adhibitus, &c.* ubi *Glos. in ver. perpetuis* ait, nota, quòd in temporalibus, in quibus non ita læditur Ecclesia, sufficit consensus tacitus, in perpetuis expressus, & tractatus secundùm formam *cap. sine except. 12. q. 2.*

3. Quod priùs dixit in *cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælat. ver. contradicente*, ibi, *in perpetuis est necessarius expressus consensus, & subscriptio, per quam appareat de consensu*; & colligitur ex illo verbo *d. c. 1. de his quæ fiunt à Prælat.* ibi, *absque collaudatione*, collaudare, idem est, quod simul laudare, laudatio enim fieri nequit, nisi voce, aut scripto, vel aliquo exteriori signo, utputà, assurgendo, vel caput discooperiendo proponenti hujusmodi alienationem faciendam, in quam est expressè consentire, ut ex multis ostendit *Alphon. Vilagut lib. 1. de reb. Eccles. non alien. cap. 31. num. 1.* ubi habes multa jura, ex quibus evidenter colligitur, quòd in aliis alienationibus temporalibus, tam bonorum stabilium, quàm mobilium Ecclesiæ, sufficit, si interveniat consensus tacitus Capituli, stante expresso assensu præstito Oeconomo Ecclesiarum, cum potestate locandi bona immobilia Ecclesiarum per triennium, juxtà *extravag. Pauli II.* & aliorum Pontificum successorum, ut in scriptura Institutionis est videre.

Quæst. 13. Consensus Capituli non habiti in communi, an valeant?

1. Glos. *in cap. dudum 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. ver. tractatus* cum distinctione discordes *Doctores* concordat, dicendo, quòd ubi non præcessit tractatus alienandi: non valent hi consensus, non habiti in communi, secus autem, si præcesserit, & deliberaverunt alienare, licet singulariter præstentur.

2. Verùm, est absolutè dicendum, quòd de jure communi, consensus singulariter præstitus, non valet; sed debet adhiberi collegialiter; tum quia ita colligitur ex ethymologia ipsius nominis: est enim consensus multorum voluntas, ad quos res pertinet simul, juncta *Glos. cit. loc. in fin.* tum etiam; quia consensus extrà Capitulum præstitus, potiùs dicitur consensus singulorum, quàm Capituli, & habetur in *d. cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *absque collaudatione*, quod est simul laudare rem in qua Capitulares consuluntur; & in *cap. in genesi, de elect.* ibi, *universalis electio, vel communis.*

3. Nec dices, quòd hoc est speciale in electionibus, quia debet habere locum in omnibus aliis contractibus, & actibus cujuscunque Universitatis, vel Collegii, prout contrà *Glossam* prædictam sentit *Syl. ver. consensus, q. 4. num. 5.* ubi ad hoc multos allegat, & habetur expressè in *cap. cùm accessissent, §. quocirca mandamus, extrà de Constitut.* ibi, *communiter statuisse*, & in *cap. ei, qui appell. §. nominationes 2. q. 6.* ibi, *nominationes verò libellis, vel edictis factæ, citrà Concilium publicum, non valent, de quibus nec appellare necesse est, si solemnitas deest*, hæc *ibi.*

4. Quibus accedunt jura civilia, quæ ferè per extensum refert *Vilagut lib. 1. de reb. Eccles. non alien. cap. 12. num. 1. & sequent.* cui favet *Bonac. in d. p. 4. num. 2. in fin.* etenim res communes, in communi loco, ac collegialiter tractanda; excepto tamen casu necessitatis, etsi periculum sit in mora.

**
*

Quæst. 14. Capitulum quid significet, & sit?

1. Capitulum, ut hic sumitur, significat Congregationem multorum, & præcipuè Ecclesiasticorum, ut in *cap. 30. de rescriptis*, & docet *Syl. ver. capit. num. 1.* & potest definiri, quòd secundùm fictionem juris, sit quædam singularis persona, & unum corpus, compactum ex multis singularibus personis, quasi ex diversis membris, distincta tamen ab illis componentibus.

2. Et colligitur ex *cap. novit 4. de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *novit tua discretionis prudentia, qualiter tu, & Fratres tui, unum corpus sitis: ita quòd tu caput, & illi membra esse probantur. unde non decet, te omissis membris, aliorum consilio uti*, hæc *ibi.* ubi Papa appellat Caput Ecclesiæ Hierosolymitanæ ipsum Patriarcham; Corpus verò ipsius Capitulum, quod licet fictè dicatur, una persona singularis: nihilominus, repræsentat multas personas veras, & singulares constituentes supradictam personam fictam, quod extende ad Universitatem, Societatem, & Collegium, ex *l. mortuo, ff. de fidejuss. & mandat.*

3. Dixi, distincta tamen; quia recedentibus omnibus Scholaribus alicujus Scholæ, seu Collegii, & aliis redeuntibus, idem tamen Collegium dicitur, sicut mortuis omnibus insimul de populo alicujus Civitatis, & aliis loco eorum subrogatis, idem tamen dicetur Populus, ergo Populus distinguitur à particularibus, & Collegium à collegiatis, quod intellige, secundùm fictionem juris; secùs autem quatenùs est in se quoddam totum, per aggregationem confectum, & liquet in Domo, & Grege, qui resultat ex decem ovibus, prout latè *Bal. in d. l. mortuo, & in l. omnes Populi, col. 10. ver. sed nunquid, ff. de just. & jure*, de qua re vide, quæ dico in *tract. 2. de elect.*

Quæst. 15. Capituli potestas, an consistat in majori, & saniori ejus parte?

1. Affirmativè deciditur in *c. ea noscitur, §. respondemus, de his, quæ fiunt à Prælat.* ibi, *si constiterit, Conventus, vel majoris, & sanioris partis, non adfuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit evocare*; hæc *ibi, & cap. 1. de his, quæ fiunt à majori par. cap.* ibi, *& majoris, & sanioris partis Capituli, statutis super hoc duxeritis resistendum, obtineat sententia plurimorum*, hæc *ibi*: Item habetur in *d. auth. hoc jus porrectum, C. de sacrosanct. Eccl. & l. quod major ff. ad municip.* ubi hæc propria verba habentur, *quod major pars Curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint*, hæc *ibi.*

2. Unde benè dicitur, quod fit à majori parte Capituli, censetur fieri ab omnibus; absentia enim paucorum non debet nocere facto à majori parte Universitatis, ut dicitur in *l. nominationum, C. de Decurionibus, & fil. eorum, lib. 10.* ibi, *ne paucorum absentia, sive necessaria, sive fortuita debilitet, quod à majore parte Ordinis salubriter fuerit constitutùm, cùm duæ partes Ordinis, in Urbe positæ, totius Curiæ instar exhibeant*, hæc *ibi.*

3. Benè verum est, quòd factum, vel constitutum, non ab omnibus, sed à majori parte Capituli, non potest dici concorditer factum, sed de jure legitimè gestum; illa enim dispositio dicitur facta concorditer in Collegio, vel Universitate, quæ fuit facta collegialiter, nemine discrepante; prout ex multis docet *Alphonsus Vilagut in tract. de rebus Eccles. non alien. lib. 1. cap. 3. num. 8.* & constat ex ethymologia nominis; nam concordia dicitur à con, quod est, simul; ita, quòd oportet, ut nullus discrepet, & colligitur ex *c. bona memoria, il secondo, de postul. Prælat. & cap. etsi unanimiter, eod. tit.* unanimiter dicitur, quasi unius animi, ergo non potest dici, Electores fuisse unanimes, si eorum aliquis fuit discors à sententia communi, de qua re vide, quæ dico *p. 3. tract. 2. de loco elect. q. 8. & sequentibus*

4. Quot

4. Quot verò perſonæ requirantur ad conſtituendum Capitulum, ad hoc, ut ejus actus dicatur capitulariter factus, habes in *d.p.3. tract.2. de loco elect.q.6.* & quænam ſint de intrinſeca ratione Capituli *ibid.q.4.* & quid, & quotuplex ſit, & pro quo ſupponat, & alia hujus generis vide *ibid.d.q.4.& ſequent.*

Quæſt. 16. Minor pars Capituli ſi diſſentiat, an teneatur ſubſcribere determinationi factæ, à majori parte ejuſdem Capituli?

1. NEgativè dico, ſi id, quod eſt determinatum, ſit evidenter in præjudicium, & damnum Eccleſiæ: nam in tali caſu, minor pars non ſolùm tenetur non ſubſcribere, ne fortè ſubſcribendo videatur conſentire, & ſic det in pœnas contrà alienantes, ut expreſsè dicitur in *cap. ſi quis Presbyt. de reb. Eccleſ. non alien.* ſed tenetur contradicere, & ad Superiorem appellare, ut habetur in *dict. cap. ſi quis, § ſed etiam:* immò unus ſolus illius minoris partis, poteſt contradicere, & ad Superiorem appellare, qui Superior, cauſa cognita debebit determinatum à majori parte reſcindere, ſi appellans, verum dixiſſe fuerit repertus, *Panor. in d. cap. num. 5. & Vilagut de reb. Eccleſ. malè alienat. p.1. cap.4.* Secùs autem dicendum, ſi concluſum à majori parte Capituli, ſit rationabile, juſtum, & Eccleſiæ utile, *Peyr. tom.1. de Privil. in Conſtit.9. Jul. II. num.8.*

Quæſt. 17. Si quis non vult conſentire determinationi factæ à Capitulo, ex quo eſt injuſta; verùm, ne ſibi Prælatum odioſum reddat, ſubſcribit, an in foro conſcientiæ ſit ſecurus, nec incidat in pœnas oppoſitas contrà malè alienantes?

1. PAnor. in cap.2. de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli, num.9.* dicit, quòd iſte nolens conſentire, licet non teneatur appellare, tenetur tamen expreſsè contradicere, & facere quantum poteſt, ut illa determinatio alienandi reſcindatur, alioquin non evitabit pœnas, nec peccatum, & ratio eſſe poteſt, quia quilibet de Univerſitate debet votum ſuum exprimere in concernentibus factum Univerſitatis, ex debito officii, argum. *cap.1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli,* is autem, qui tenetur loqui, & tacet, habetur pro conſentiente, ut docet idem *Panor. in d. cap.1. de his, quæ fiunt à major. par. nu. 13. & ibidem Innocen. num.4.*

Quæſt. 18. Solemnitates, de jure antiquo requiſitæ in alienatione rei Eccleſ. an ſint correctæ, ac ſublatæ per dictam Paulinam?

1. AFfirmativè dic; quia de novo jure *d. extrav.* in alienatione rerum Eccleſiaſticarum magni valoris, duo copulativè debent concurrere, & non alia: nempè, juſta cauſa, & ſolemnitas, hoc eſt, Papæ aſſenſus; latè *Ricc. in 1.p. prax. deciſ.1. & p.2. reſolut. 383.* ubi id comprobavit ex ſæpè deciſis in Rota Romana; etenim Papæ authoritas in alienatione prædicta, omnem juris ſolemnitatem excludit; adeò, ut ubi illa intervenit, nulla alia requiratur: eſt enim omnis ſolemnitas de jure Canonico, quod ſubeſt authoritati Papæ, *Pyrrhus Corrad.* poſt allegatos *lib.9. praxis, cap.1. num.22. Bonac. de alienat. p.4. nu. 6. § dixi, Bordon. reſolut.27. q.8. num.36. in fin. Lezana p.2. cap.19. de bonis Monaſterii num.62. in fin.* & alii graviſſimi *Doctores*, quos egomet infrà refero *q. 26. an aſſenſus Papæ ſuppleat ſolemnitatum defectum:* quandoquidem Papa, ob plenitudinem ſuæ poteſtatis, poteſt Clericis auferre bona Eccleſiæ, etiam ſine cauſa; quia in illis Clerici non habent dominium, & docuit *Abbas in cap. Conſtit. extra de Relig. Domib.* & alii plures, quos refert, & ſequitur *Vilagut 1.p. cap.112. num.8.* & quidem majora facere poteſt, de quibus latè *Guido Papa q.589.* incip. *quæritur, utrum fur famoſus, nu.6. fol.* mihi 186.

2. Proinde, authoritas Prælati, tractatus, conſenſus Capituli, & ſubſcriptio ſingulorum, de quibus dictum eſt ſuprà, hodiè non requiruntur in alienatione prædicta; quia ſunt de ſolemnitatibus antiqui juris Canonici, quæ per *d. Paulinam* fuerunt correctæ, & abrogatæ, nec conſenſus Epiſcopi ad alienandum bona Eccleſiarum, ſibi ſubjectarum, nec quidem Patroni, ſi Eccleſia ſit patronata, propter eandem rationem, quia ſcilicet Dominus Papa omnia poteſt, quoad ea, quæ ſunt de jure Canonico, *Ricc.* multis citatis in *d. reſolut.383.* ſub *num.1. & ſequent.* & latè *Novar. 1.p. ſum. Bull. de alienat. bonorum, ſuper Bull. Paul. IV. num.25.*

Quæſt. 19. Solemnitates extrinſecæ, an præſumantur?

1. THomas Grammaticus in deciſ.79.* incip. *cauſa Reverendi Epiſcopi, num.2.* ait, non poſſe præſumi Capituli authoritatem, ac ſolemnia ex temporis diuturnitate, data invaliditate, & nullitate contractus, prout *Gloſ. in cap.1. de reſtit. in integrum,* & in *num.6.* dixit, malam fidem præſumendam eſſe in eo, qui præter, & contrà juris formam, conceſſionem rei Eccleſ. recepit, per vulgatam juris *Regulam, qui contrà jura, de Regul. jur. in 6. & l. quemadmodùm, C. de agric. & cenſ. lib.11.* nec præſumenda eſt juris ignorantia, cùm quilibet, ſcire jura præſumatur, ut in *l. leges ſacratiſſ. Cod. de legib.* quod fortiùs habet locum in Viro ſcito, & prudente, & diſcreto.

Id ipſum dicit *Afflictus in deciſ. 107. in fin. & Capyc. deciſ.4.* poſt citatos, & ratio eſſe poteſt; tum quia ſolemnitas extrinſeca, eſt, quid facti, & facta non præſumuntur, ut infrà dico, tum etiam; quia ſolemnitas extrinſeca, exigit ſcripturam, quæ niſi oſtendatur, non præſumitur, quod *Ciarlinus* ex multis in ſuis *forenſ. lib.1. cap.39. num.7.* dicit, poſſe habere locum, quando tantùm adeſt curſus decem, vel viginti annorum, ſed de hac re vide, quæ dico infrà.

Quæſt. 20. Subhaſtatio, & poni ad incantum, an ſit de forma alienationis rerum Eccleſiaſticarum?

1. NEgativè *Guido Papa deciſ.194.* cui favet *Genueſ.* multis citatis in nova *prax. cap.107. num.9.* & latiſſimè in *practicab. Eccleſ. quæſt.296.* ſed ſufficit, ut obſervetur forma data in *ſumma 12. quæſt. 2.* in *cap. ſine exceptione, & in cap. dudum, de rebus Eccleſ. non alien.* & conſiſtit in hoc, ut res Eccleſiæ alienetur cum tractatu præcedenti, & de conſenſu Capituli, & Epiſcopi, ſeu Superioris, immediatè, & Domini Papæ, ad præſcriptum *dict. extrav. & Decreti* Sacræ Congregat. ſuprapoſiti: immò ſi res ſit exigua, & modica, poteſt alienari, juxtà terminos *c. terrulas,* etiam ſine licentia Capituli.

2. Nec obſtat *dict. auth. hoc jus porrectum*, in qua oppoſitum diffinitur; quia eſt de jure civili, quod in re noſtra non procedit, prout ex multis deciſum refert, & obtinuit in facti contingentia *Novar. p. 2. ſum. ſuper Bull. Pauli IV. nu.30. & Riccius 1. par. praxis, in deciſ.60. in princ.* ait, quòd bona Eccleſiaſtica offerenti plus juſto pretio, propter æmulationem, non ſunt liberanda, & quatenus ſint liberanda plus offerenti, debet attendi tempus ſubhaſtationis, & non alias, *num.8.*

Quæſt. 21.

Quæst. 21. *Assensus Apostolicus, an sit necessarius in alienatione rei Eccles. quæ fit ex summa necessitate?*

1. QUod alienatio rei Ecclesiæ fieri possit ex summa necessitate, sine assensu Apostolico, docet *Steph. Quaranta*, cit. *loc. num.* 42. *Barbosa in d. allegat. num.* 58. *in cas.* 7. & alii plures, quos refert, & sequitur *Ciarlinus controver. for. cap.* 105. *num.* 54. moventur ex multis.

2. Primò; quia prædicta *extrav. Paul. II. & Decretum* Sacræ Congregationis suprà positum, prohibent alienationem voluntariam, non autem necessariam: casus enim extremæ necessitatis in omni prohibitione censentur excepti. Secundò; quia necessitas facit licitum, quod alias erat illicitum, *cap. quod non est licitum, de Regul. jur. in 6.* Tertiò; quia necessitas non habet legem, ut in *l.* 1. *& ibi Bald. ff. de offic. Proconsul. & Doctores* omnes *in l. Pupillo, § si quis rivos, ff. de nov. oper. nunciat. Caphal. consil.* 451. ob quod sæpè sæpiùs est causa violandi Regulas juris communis, *Felin. in cap. querelam, de jur. jur.* ac proinde, in necessitate prædicta licitum est, surripere, absque peccato mortali: tunc enim omnia sunt communia; dummodò Dominus rei, non sit in æquali necessitate, *D. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *ar.* 7. nec non licet comedere panes propositionis, prout fecit *David, cap. ideò, § ita ergo* 25. *q.* 1. & ex messe aliena colligere spicas, etiam in Sabbatho, easque manibus ligare, & comedere, prout fecerunt Apostoli, quippè qui, in tali facto fuerunt à Christo Domino defensi.

3. Ex quibus plura inferuntur; & præcipuè, quòd si Prælatus sit in causa tantæ necessitatis, ut Papa consuli, & adiri non possit, & periculum sit in mora, veluti, si captivi sint redimendi de manu Turcarum, vel Pauperes in gravi necessitate pascendi, tunc validè poterit alienare immobilia, & mobilia pretiosa, sine assensu Apostolico, ex *textu cap. aurum, & cap. Gloria Episcopi* 12. *q.* 2.

4. Amplia primò, ad Episcopum, etiam si juraverit, non alienare, inconsulto Domino Papa, *Riccius.* 4. *p. decis.* 168. *num.* 13.

5. Amplia secundò, ad Regulares indigentes victu: dummodò non reperiant, qui credito illis tribuat; nec possint consensum Rom. Pontificis expectare; quia sic possent alienare, & pignorare, vel pecunias ad cambium recipere, ne cogantur mori, *Peyr. in formul. litt. A. cap.* 11. sub *forma dandi facultatem alienandi, num.* 3. *ver. & alterius quæro*, & *Megal.* in suo *prompt. ver. alienat. num.* 15. ubi hoc præcipuè ad Illustr. Theatinos extendit, ex quo, nec in communi aliquid possident, at vivunt ex eleemosynis spontè oblatis.

6. Amplia tertiò, ut Armenta, & Pecudes Ecclesiæ, si sint in aliquo vitæ discrimine, possint alienari, sine d. solemnitate, cum consensu tamen Capituli, & dummodò pretium earundem conservetur, ad finem alias emendi, calamitate transacta; secùs alienatio esset irrita, prout in facti contingentia consuluit *Marcellus Megala tom.* 2. *var. resolution.* 113. *num.* 3.

Quæst. 22. *Assensus Apostolicus, an sit necessarius in alienatione facta, ex causa necessaria; utpotè, pro solvendo ære alieno?*

1. MAtthæus de *Afflictis decis.* 191. *ibique Ursillus* negativè respondent: eò, quia prohibitus alienare sine consensu Domini, non videtur prohibitus, si alienat ex causa necessaria, sine consensu illius; ut dicitur in *l.* 1. *C. de fundo dotali, l. alienationes ff. famil. ercisc. l. Divus, ff. de pet. heredit.*

2. Tunc autem alienatio dicitur necessaria, cùm possessor alienat sua, & in alium transfert, ob æs alienum, aut propter dotem, & similia: de quibus *D. Ludovisius dec.* 299. *D. de Marinis, quotid. resolut. cap.* 256. *nu.* 10. *Navar. decis.* 177. *Ruciul. tract. de jur. Person. extrà Eccles. grem. existent. lib.* 5. *cap.* 36. *& Pyrr. Corrad. in praxi lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 26.

3. Verùm, alienatio bonorum Regularium est invalida, si fiat ex necessitate solvendi æs alienum, sine licentia Papæ, *Rota Rom. decis.* 203. *p.* 4. & alii plures, quos refert, & sequitur *Novar.* 1. *p. sum. de alienat. nu.* 7. tum quia in omni justa, & licita alienatione requiritur assensus Apostolicus, ut constat ex decisis; excepta tamen necessitate extrema; hoc est, si urgens imminet necessitas, & periculum est in mora; & Romanus Pontifex non potest consuli, nec adiri, *Redoan. de alienat. q.* 19. *nu.* 34. *& Mascardus conclus.* 75. *num.* 29. tum etiam; quia Ecclesia non tenetur solvere æs alienum, nisi sit legitimè contractum, ac conversum in ejus utilitatem, in quo consuli, & audiri vult Papa, propter suæ Ecclesiæ indemnitatem; tum item; quia esto, quòd Ecclesia teneatur ad debita contracta; nihilominus, ad eam ab his sublevandum, est ordo servandus, ut primo distrahantur fructus, secundò res mobiles, tertiò pretiosa minus damnosa, & posteà pretiosiora; quartò res stabiles minùs utiles, deinde procedendum est ad utiliora, quorum tantum alienandum est, quantum sufficit; in quibus ad evitandum evitanda, necessum est, ut Dominus Papa consulatur, *Turrecremat. in sum.* 12. *q.* 2. *Redoan. de reb. Eccles. non alien. q.* 19. *nu.* 91. *Mascardus conclus.* 75. *num.* 13. *& Lezzana ver. alien. num.* 10.

Quæst. 23. *Assensus Apostolicus, an sit omninò necessarius in omni casu licito?*

1. AFfirmativè *Genuens. in prax. Archiep. cap.* 85. in novis, *num.* 2. *Barbos. p.* 3. *de pot. Episcopi allegat.* 95 *nu.* 2. *Gavant. Manuali Episcop. ver. alien. num.* 3. *Leo in Thes. for. cap.* 15. *num.* 7. *Bonac.* cit. *loc. p.* 4. *num.* 6. *ver. dixi, de jure antiquo, Bordon. resol.* 27. *q.* 6. *n.* 32. & est expressa decisio *d. extrav. Ambitiosæ*, ubi Papa volens consulere indemnitati Ecclesiarum, quæ ante *d. Paulinam* magnum patiebantur detrimentum ex alienatione suorum bonorum, à Prælatis, & Rectoribus facta; prohibuit quascunque alienationes, inconsulto Romano Pontifice, qui sibi reservavit cognitionem justæ causæ, in omni alienatione requisitæ; quia ipse est Dispensator Ministeriorum Dei, Caput Ecclesiæ, Custos, & Administrator Ditionum, ad Romanam Ecclesiam pertinentium, *Leo* cit. *num.* 27.

Dixi, requisitæ; quia in quacunque dispensatione requiritur justa causa, *Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum nu.* 60. *de constit.*

2. Nec potest præsumi, quòd Romanus Pontifex adversùs tot jura prohibentia alienationem bonorum Ecclesiæ; dispenset sine justa causa, *Pyrr. Corrad. lib.* 9. *prax cap.* 1. *num.* 7. *&* 21. præcipuè utilitatis, *Bordon.* cit. *loc.* licet interdum videatur dispensare in solemnitate, ad alienandum de jure antiquo requisita, *Molina de contract. disp.* 468. *Sarmient. de reddit. p.* 1. *cap.* 2. *& Caval. decis.* 30. *num.* 31.

3. Neque his obstant, qui dicunt, & volunt, etiam hodiè, in casibus à jure permissis, & sic ex causa utilitatis, vel necessitatis, licitum esse, cum licentia Episcopi, seu Ordinarii, & solemnitate juris communis, alienare, & hypothecare res Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, quod colligunt ex illis verbis *d. extravag. præterquam in casibus à jure permissis.*

4. Quià etiam in casibus alias à jure permissis, & servatis solemnitatibus à jure communi requisitis, hodiè non posse alienari, vel hypothecari bona Ecclesiastica, inconsulto Romano Pontifice, certū est, & hæc sententia est longè probabilior, eamque multis probant *Stephan.* Qua-

Quaranta in sum. Bull. ver. alienatio, & Aloys. Ricc. tom. 1. prax. fori Eccl. & prælertim in hoc Regno, ut testatur *Marcus Anton. Genuens. in praxi Curiæ Archiep. Neap. cap.* 10. & alii plures gravissimi *Doctores*, quibus subscribit *Merolla tom. 3. disput. 7. de jurisdictione Capituli sede vacante, dub. 17. num.* 64.

5. Nec obstant dicta verba *extrav.* nempè ly, *praterquam in casibus à iure permissis*: quia ea referuntur tantùm ad concessionem in emphyteusin, de qua immediatè ante Pontifex loquutus fuerat, ut clarè colligitur ex illis aliis verbis, quæ subsequuntur, *ac de rebus, & bonis in emphyteusim, ab antiquo concedi solitis.*

Quæst. 24. Assensus Apostolicus, an necessariò requiratur in alienatione rei Eccles. cedente in ejus utilitatem?

1. DE hac re eleganter disputat ad partes *D. Vincentius de Franchis decis. 35. Stephan. Quaranta* cit. *loc. nu.* 34. *ampliat.* 18. *& Ricc.* cit. *loc. decis.* 7. & alii *Doctores* non pauci, qui respondent ad quæsitum negativè; quia ubi in aliquo actu, seu dispositione debet intervenire aliqua solemnitas ad certum finem, habito tali fine, & effectu, per quem introducitur solemnitas illa, licet in actu non interveniat; nihilominus actus valebit, *cap. cùm cessante, de appellat. & l. fin. de hared. instut.*

2. Sed ita est, quòd finis, seu effectus, ad quem respiciūt tot jura, hujusmodi solemnitates requirentia, in alienatione rei Eccles. est utilitas clara, & manifesta ejusdem Ecclesiæ; ergo, hac stante, & habita, cessant solemnitates adinventæ, ad evitandum fraudem, *Rodr.* post allegatos *tom. 1. q. 27. ar.* 9.

3. Verùmtamen, contraria opinio est omninò in praxi amplectenda, tam in consulendo, quàm in judicando; & est verior, & securior, nam alienatio rei Ecclesiæ, duo copulativè requirit, ad hoc, ut valeat, & sustineatur, nempè causam, & solemnitatem, adeò, ut unum sine altero non sufficiat; secùs, alienatio erit nulla, & irrita, & contrahentes incidunt in pœnas *d. extrav. Ambitiosæ*; & ita in Consilio Neap. decisum refert idem *de Franchis, ubi suprà*, & sæpæ sæpiùs in Rota Romana *Riccius* cit. *loc.* & latè *Bord. resolut. 27. q. 7. num. 33. Bonac. p. 4. §. dixi num. 6.* ubi hoc testatur de communi, *Fabius de Anna* erudité in *consil. 38. num. 1. lib. 1. Villagut p. 2. cap. 5. num. 186. & Novar. 1. p. sum. de alienat. bonorum super Bull. Pauli IV. num.* 34. *fol.* mihi 601.

Quæst. 25. Assensus Apostolicus, an debeat præcedere, vel subsequi contractum alienationis rei Ecclesiæ?

1. NAvar. de jure patronatus, consil. 2. in 1. editio. *num.* 18. *ver. quintum rejicitur* ait, consensum Superioris posse supervenire, & maximè Papæ, si id faciat, cum clausula, *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*; & habetur expressè in *cap. cura de jur. patron.* ibi, *aut Diœcesani Episcopi habuerit posteà consensum*, sed loquitur in jure patronatus, non autem in casu nostro.

2. *Rebuff.* in suo *comp. alienat. rei Eccles. cap.* 9. post *Baldum in cap. 1. num. 3. de syndico, Redoan. q.* 42. sub *num.* 1. *& Præses de Franchis decis.* 163. *num.* 2. post citatos ait, quòd hujusmodi assensus sufficit, si superveniat, quia ex post facto operatur, & docet de praxi *num.* 11. *Riccius* verò in *dict. decis. 24. num. 5. & D. de Marinis* cit. *loc.* ajunt, quòd assensus Apostolicus, post alienationem subsequutus, nihil operatur, & ob id, non validat contractum præteritum; nisi in eo sit facta mentio de alienatione jam facta.

3. Nihilominus, vera sententia est, quòd assensus Apostolicus potest præcedere, & subsequi actum alienationis prædictæ; dummodò non tradatur possessio; ita *Carlinus, ubi suprà, num. 25. & Pyrr. Corrad.* cit. *loc. in dict. cap. 5. nu.* 65. ubi post allegatos ait, quòd satis est, utrique parti non tradere possessionem, etiam si dixerint, *salvo assensu Apostolico*, ad evadendas pœnas *d. extrav. ambitiosæ*, & constat ex praxi, qua, ut plurimum petitur confirmatio Apostolica super instrumento, jam inito super alienatione facta, etsi partes prætermiserint in supplicatione narrare, quòd non fuit tradita possessio, adduntur per Dominos Officiales Datariæ hæc verba: *possessione minimè tradita, Corr. ubi suprà.*

4. Proinde, *Stephan. Quaranta* cit. *loc. nu.* 10. pro cautela consuluit, *ut beneficiatus, qui terram sui beneficii volebat concedere in emphyteusim, illam locaret per triennium, & eo elapso, in emphyteusim concederet cum pactis emphyteuticis in forma; salvo tamen, & reservato assensu Apostolico, infrà dictum triennium impetrando; ita, quòd, eo elapso non sit translata possessio, nec utile dominium: nisi impetrato, & exequuto assensu Apostolico, & non aliter, nec alio modo, alias, eo non obtento, habeatur pro non facta concessio, nisi locat. o pro dicto triennio tantùm*, hæc ille.

5. Dixi, dummodò non tradatur possessio; quia alienans bona Ecclesiæ, etiam reservato assensu Apostolico, si tradiderit possessionem, ante prædicti assensus impetrationem, incidit in pœnas *d. Paulinæ*, prout in facti contingentia, sub anno 1599. declaravit *Clem. VIII.* & per extensum refert *Genuens. in praxi, cap.* 52. in novis, *& Paul. Squillant. p. 2. de obligat. Cleric. dub. 3. num.* 38.

6. Nec obstat illa Clausula, *non aliter, nec alio modo*, quia dicta protestatio est contraria facto, & censetur illusoria, prout decisum refert *Gramm. decis.* 49. *& D. Vinc. de Franchis decis.* 267.

7. Quod limita in Procuratore, qui etsi stipuletur cum dicta clausula, & possessionem tradat, non ob id facit, suum Dominum in censuras incidere, prout latè *Ricc. ubi suprà decis. 57. num.* 2.

Quæst. 26. Assensus Apostolicus, an suppleat defectum solemnitatum?

1. AFfirmativè respondet *D. Antonius Capycius decis. 16. num.* 1. ibi, *aliæ solemnitates non habent locum, quando Papa, alienationem rerum Ecclesiæ fieri mandat, vel de illis disponit; cùm ipse sit Dominus bonorum Ecclesiarum.*

2. Hinc, res inutiles, exiguæ, vel onerosæ Ecclesiæ, possunt alienari sine ulla solemnitate; quia ita voluit Papa in *cap. terrulas, & cap. item* Domus 12. *q.* 2. *Guido Papa decis. 156. num.* 1. & est decisio *Rotæ Romanæ divers. decis. 95. par.* 2. & in noviss. coram *Coccino decis. 292. num.* 5. ibi *Papa potest sanare omnes nullitates, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus in contrarium, si licentia, vel confirmatio fiat motu proprio, & ex certa scientia, ibidem num.* 6. quod procedit, etiamsi cum ipso Papa contrahatur, etiam ut persona privata, latè *Ricc. 1. p. prax. decis.* 37. in 1. editione; quod intellige habere locum, quando Papæ authoritas legitimè, ac validè interponitur, secùs autem, si fuerit surreptitiè, & consequenter nulla, *Stephan. Quaranta ver. alienatio, num. 7. in fin. & Corrad. lib. 9. prax. cap. 1. num.* 22.

3. Et quamvis Dominus Papa suppleat defectum solemnitatum, adeò, ut nulla alia juris sit necessaria, cum sit Summus Administrator rerum Ecclesiæ; nihilominus, non supplet defectum causæ, *Quaranta* cit. *loc. & Genuens. in praxi cap. 106. n.* 6. nec defectum consensus Capituli, *Quaranta ubi suprà, num.* 7. neque defectum personarum supplicantium, *Corrad.* cit. *loc. cap. 4. num.* 8. nisi exprimat, & id faciat, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis, *Bonac. d. punct. 5. num.* 7.

Quæst. 27. Papa, an possit sine justa causa res Ecclesiæ alienare?

1. DE hac re eruditè disputat *Navar. tom. 2. in com. de spoliis Clericorum*, edito super *Caput non liceat Papæ 12. q. 2.* ubi in §. 2. & 3. *num.* 7. & 8. multiplici ratione motus, respondet negativè, Primò; quia solus Christus, & nemo alius est verus Dominus bonorum Ecclesiæ, ut constat ex *dict. cap. non liceat, cap. nulli 1. de reb. Eccles. non alien.* & est decisio *Concilii Trid. sess. 25. cap. 1. de refor.* ibi, *ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt*; ergò dominium rerum Ecclesiasticarum reperitur penes Deum, seu Jesum Christum, intuitu cujus bona Ecclesiæ oblata sunt.

2. Confirmatur, Summus Pontifex non est verus, & absolutus Dominus rerum Ecclesiasticarum, sed earum Dispensator, seu Administrator, Depositarius, Conservator, Vicarius, seu Procurator Christi, *S. Thom. 2. 2. q. 100. de simonia, ar. 1. ad 7.* ibi, *quàmvis enim res Ecclesiæ sint Papæ, ut principalis Dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut Domini, & Possessoris*, hæc *ille*; quod intellige de possessione nomine sui ipsius, sicut laici communiter possident bona sua, ut *ibidem Cajet.* ait, in *ver. nota 2.* quòd Papa non est Dominus, sed Dispensator principalis pecuniæ Ecclesiæ, ac per hoc pecunia Ecclesiæ, non est sua absolutè, ut possit ad libitum de ea disponere, quod priùs dixit in *comment. ar. 8. q. 43.* ubi ex suis dictis infert unam gravem conclusionem, vide eam, *Turrecrem. in cap. videntes 12. q. 1.* & *Navar. in com. de redditibus Ecclesiast. q. 1. §. 40.* seu *quadragesimo monito, num. 6. & sequent.* Confirmatur, nullibi enim legitur, Christum Dominum tradidisse Papæ absolutum dominium rerum suarum, sed tantùm Ministerium, ad alendum pauperes & similia, ut dicitur in *cap. aurum 12. q. 2.* & constat ex illis verbis, *Petre pasce oves meas.*

3. Secundò, Summus Pontifex tenetur ad observantiam illius *præcepti Septimi Decalogi*, de non furando; omnia enim præcepta *Decalogi* sunt naturalia, & ligant omnes, nullo excepto, *D. Thom. 1. 2. q. 94. ar. 1. & q. 99. ar. 2. & 2. 2. q. 122. ar. 1. & in 3. sent. distinct. 27. q. 1. ar. 4.* & constat ex illo *Exodi 20. non furtum facies.*

4. *Præceptum* autem prædictum *septimum Decalogi*, de non furando, non solùm prohibet, ne quis rem alienam sibi approprient, sed etiam, ne quis rem alienam alteri tradat, vel ea utatur, contrà voluntatem Domini, §. *furtum*, & §. *placuit, Instit. de obligat. quæ ex delictis nascuntur.*

5. Sed ita est, quòd bona Ecclesiæ sunt Christi, ut dictum est, ergo, qui tollit ea Christo & tradit alteri, contrà ejus voluntatem, sine justa causa, violat *præceptum* prædictum, & sacrilegium committit *cap. 1. 12. q. 2.* ibi, *qui Christi pecunias, & Ecclesiæ aufert, & rapit, ut homicida in conspectu Judicis deputabitur*, hæc *ibi*, quod intellige, sine justa causa.

6. Tertiò, Papa obligatur vinculo sui juramenti, ex quo est de jure naturali, & divino, cui Papa subjicitur, quamvis sit suprà jus, contrà jus, & extrà jus humanum, secundùm quod dicitur legibus solutus, secùs autem, quoad jus naturale divinum, prout ex multis ostendit *Leo in thesaur. for. Eccles. par. 1. cap. 15. num. 15.* cui inhæret *Bonacin. in dict. pun. 5. §. 1. num. 1.*

7. Sed ita est, quòd Cardinalis, dum ad Cardinalatus apicem promovetur, jurat, se non alienaturum bona prædicta, nec consensurum in alienationem bonorum Ecclesiæ, contrà prædictam *Constitutionem*, & maximè *Pii V.* quam ponit *Leo, cit. loc. num. 12.* nec hujusmodi juramentum cessat, gratia Pontificiæ dignitatis, obligatio enim personalis non extinguitur, nisi persona extincta, immò Papa, adepto Pontificatu, iterum jurat observare, quod anteà promiserat, non alienare contrà *Constitutiones* hucusque editas.

8. Nec Papa potest secum in juramenti vinculo dispensare, sine justa causa; secùs peccat *Leo*, & *Bonac. cit. loc.*

9. Quartò; quia ita fuit decisum per Eminent. Cardinales in Consistorio, & per Reverendissimos Auditores in Rota Romana, tempore *Gregorii XIV.* in causa Ducis Ferrariæ, de qua latè idem *Leo ubi suprà, num. 13. & sequent.* ex quibus *Navar. §. 3. de spoliis Cler. num. 8.* infert, *quòd aliqua alienatio rei Ecclesiæ, per Papam facta, est justa, & valida, uti est illa, quæ fit ex justa, & rationabili causa: aliqua valida, sed non justa, ut si sine justa causa res unius Ecclesiæ transferatur in alteram, & alia nec justa, nec valida, ut si res Ecclesiæ sine justa causa alienentur in usus profanos, vel in laicos*, hæc *ille.* Sed quando Papa consultus dispensat in alienationibus, semper præsumitur, justam adesse causam.

Quæst. 28. Assensus Apostolicus, an ex lapsu triginta annorum, præsumatur interfuisse in alienatione rei Eccles.?

1. VAriant in hac quæstione *Doctores*: sunt enim, qui ob multa respondent negativè ad quæsitum, tum quia, ad validè alienandum res Ecclesiæ, duo copulativè requiruntur, nempè causa, & solemnitas, ita ut alterum sine altero non sufficiat, *cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. & Clem. 1. eod. tit.* præcipua autem solemnitas est assensus Apostolicus, ut in *d. Paulina*, qui est de forma contractus, & ob id debet præcedere; dat enim esse contractui; & causa, maximè formalis præcedit suum effectum, nec potest per æquipollens adimpleri, nec potest præsumi, quòd interfuit; quia est quid facti, & facta non præsumuntur, nisi probentur, *l. in bello, §. facta, ff. de Captiv. & postlimin. revers. l. veriùs, de probat. & l. quæcunque, §. fin. ff. de publica. in rem act.* propter quod, benè dicitur, quòd mandatum Principis, ob temporis diuturnitatem, non præsumitur, *Bald. in l. 2. C. si ex falsis instrum. Bart. in l. Pomponius, §. ratio, in fin. ff. de Procur. Caval. in decis. 54. nu. 22. p. 1. Boer. decis. 274.*

2. Tum etiam; quia tempus suaptè natura non inducit, nec tollit obligationem, nec si est invalida, eam confirmat, *l. obligationum ferè, §. placet, ff. de actionib. & obligationib.* quamobrem, contractus in principio nullus, ob defectum formæ, nullo tractu temporis potest convalidari; quia defectus formæ est insanabilis, & juxta *c. non firmatur, de Regul. jur. in 6. non firmatur tractu temporis, quod ab initio de jure non subsistit.* hæc *ibi.*

3. His tamen non obstantibus, *Navar. in cons. 1. de reb. Eccles. alien. nu. 2.* in 1. edition. ait, quòd prædicta fallunt, quando lapsum est tempus triginta annorum; & in *consil. 3. de censib. num. 7.* id ipsum confirmat; tum quia solemnitas, non solùm intrinseca, sed etiam extrinseca, præsumitur longo tempore, *l. si filius, C. de petit. hæred. & l. qui in aliena, §. sed si non adierit, ff. de acquir. hæred.* tum etiam; quia ita habetur expressè in *cap. pervenit 4. de empt. & vendit.* ibi, *quòd triginta annis constante illorum matrimonio, Domum ipsam, bona fide, tituloque justo possedit*, hæc *ibi*, & ante eum *Felin. in cap. Albericus, de testib. & in cap. sicut, de re judicata*, & *Alex. cons. 79. in 2. dubio, lib. 1.* in propriis terminis tenet, quòd solemnitas extrinseca, requisita in alienatione rerum Ecclesiæ, præsumitur intervenisse, per tempus quadraginta annorum, ubi ex pluribus ostendit, quòd solemnitas consensus Capituli, & tractatus, & alia hujusmodi, ex diuturnitate temporis præsumuntur intervenisse; & Rota Rom. secundùm hanc opinionem semper in omni occurrentia judicavit, cujus præcisa verba affert *Quaranta, ver. alien. n. 46.* & latè *Nicol. Garz. de benef. p. 12. c. 2. §. 2. nu. 179.* & latissimè *Riccius 1. p. praxis, decis. 34.* in antiq. & in *2 p. variar. resolut. 319. numer. 3. & resolut. 383. & in 2. p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 114.* in novis, & *Novar.* in sua *allegat.* *ibidem*

tia prædicta, & ita etiam fuisse in S. Cons. Neap. decisum in causa D. Cæsaris de Ragone, Rectoris Ecclesiæ Sanctorum Apostolorum, Civitatis Neapolis, cum Andrea Gattula, refert *Donatus Antonius de Marinis tom. 1. resol. quotid. cap. 27. in fin.* & ratio decisionis potuit esse; quia spatium triginta annorum, etiam in magno præjudicio tertii præscribit, ut ex *d. cap. pervenit, de exempt. & vendit.* & in modico præjudicio, ad præscribendum sufficit lapsus decem annorum, quæ præscriptio triginta, vel quadraginta annorum, currit etiam contrà ignorantem, nec in ea requiritur scientia ejus, contrà quem præscribitur, *Marian. Socin. cons. 22. num. 25. lib. 1.* ubi allegat *Bald. Angel.* & alios in *l. si cui, de præscript. trigint. vel quadrag. annorum*, & habetur in *l. fin. C. de long. temp. præscript. & Bartol. in l. 1. §. si quis autem, ff. de itiner. actuque privat.* & docent omnes *Canonistæ in cap. vigilantes, de præscript.*

2. Et hoc ideò, non quòd tempus inducat solemnitatem, seu assensum; sed quia lex præsumit, intervenisse ab eo die, quo incœpit possessio, seu tenuta, ac si instrumentum exinde celebratum fuisset, *Bartol. in l. 1. C. qui admitt. & in l. sciendum, ff. de verb. obligat.* & cum sit præsumptio juris, relevat conventum ab onere probandi, & transfert onus probandi negativam solemnitatis in adversarium, *l. generaliter, §. si petitum, ff. de fideicomm. libertat. l. final. in princ. ff. de eo, quod metus causa, Oltrad. cons. 261.* & censetur liquidissima probatio ejus, de quo præsumitur, immò sufficit, etiam ubi requiritur probatio per instrumentum, *l. quæcunque*, juncta *l. 1. C. de Apoch. publ. lib. 10.* semper enim, quando aliquis actus à jure præsumitur, eo ipso probatus dicitur; ita ut dum ista solemnitas ex diuturnitate triginta annorum à lege præsumitur, eo ipso probata censetur, donec contrarium non probetur, *Glos. in l. 4. C. de pignorat. action.* & in hoc differt à fictione, nam præsumitur super verò, & incerto: fingitur autem super falso, & certo, *Glos. in l. unic. §. accedit, in ver. præsumatur, C. de rei uxor. action.*

3. Hinc, contrà fictionem legis non datur probatio in contrarium, quòd veritas aliter se habeat, ex quo propriè inducta est contrà veritatem, *Glos. in cap. 2. de arbit. in 6. in ver. lex*, circà finem, ubi absens fingitur præsens, & contradicens, *Felin. in cap. quanto, de præscript.* secùs autem contrà juris præsumptionem: quia est fundata super incerto, sed debet probare is, qui habet præsumptionem contrà se, & additur, quòd jus dicendi de nullitate alicujus actus, tam extrà judicialis, quàm judicialis, ut testamenti contractus, vel sententiæ, non durat: nisi spatio triginta annorũ, *Baldus in l. scire oportet, §. fin. ff. de excusat. tutor.* ubi dicitur, quòd quærela nullitatis, tempus à jure præfixum non habet: nisi prout aliæ actiones, *Baldus de præscript. in 4. p. princip. quæst. 21.* at remedium dicendi de nullitate contractus, non durat, nisi triginta annis, ergo, post lapsum triginta annorum silet actio agendi, ac Judicis volentis judicare; & actio, seu officium Judicis semel extinctum, ampliùs non reviviscit, *l. si quis aliam, ff. de solution. & l. eleganter, ff. de pignor. action.* vide, quæ dico de præscriptione in *1. p. de Privil. tract. 12. q. 10. & seqq.*

Quæst. 31. Præsumptio prædicta, an inducatur ex solo lapsu 30. vel 40. annorum, absque alia conjectura?

1. Baldus *in l. 2. C. de legit. hered. & in l. si aliena, ver. sed si non adierit, ff. de acquir. hered. & in l. si filius, C. de petit. hered.* dicit, assensum non præsumi ex temporis antiquitate, nisi intervenerit scientia, asseritur debentis, hinc assensum Rom. Pontif. non probata ipsius scientia, non præsumi, post Priscos allegatos dixit *affl. Ctus decis. 107.* sub *num. 7.* & habetur in *l. final. C. de præscript. longi temporis*, ibi, *sola temporis longinquitate, etiam si sexaginta annorum curricula excesserint, libertatis jure minimè mutilari oportere congruit æquitati*, hæc ibi. ubi *Glos.* subnectit, nec etiam centum, quia justus titulus multa petit, & exigit, *Vilagut* post multos *lib. 2. de reb. Eccles. non alien. cap. 5. num. 17.*

2. Hoc tamen non procedere dicas, quando, nedum adest temporis decursus, sed etiam continuata possessio rei alienatæ, & canonum solutio: tunc enim præsumi dixit *Rot. Rom. decis. 179. divers. p. 2.* & in novissimis coram *Illustrissimo Coccino decis. 210. num. 12.* ubi ait, ex lapsu tanti temporis, una cum observantia, ultrà triginta annos præsumi assensum prædictum; & ita per eandem Rotam fuisse sæpè resolutum, *Quaranta in summ. Bull. ver. alien. num. 46. Capyc. decis. 4.* ubi post latè tradita de præscriptione ait, quòd consensus ubi requiritur à principio, non præsumitur, nisi fuerit continuata aliqua ejus notitia, vel nisi fuerit sequuta diuturna observantia illius actus, *Thom. Gram.* mirificè in *decis. 79. num. 1. & sequent.* & eo magis, si per Monasterium fuit intentatum judicium, pro observatione conventionis initæ, *Ricc. in praxi var. resolut. 319. num. 3. in fin. & collect. 706. super cap. terrulas, in fin. Barbos. p. 3. de offic. Episcopi, allegat. 95. num. 73. Ciarlinus in controvers. forens. cap. 39. Fabius de Anna consil. 113. num. 41.* & ita in Sacro Consil. Neap. fuisse sæpè decisum, refert *Thor. tom. 1. comp. decis. ver. assensus Sedis Apostolica, & ibidem ver. consensus Summ. Pontif.* & in *supplem. decis. ver. assensus Apostol. & D. Reg. Hector Capyc. Latro*, olim eruditissimus Advocatus, nunc verò meritissimus Regens Supremi Collateralis Consilii *tom. 2. consult. 156.* ubi, ob sua eleganter tradita *in fin.* testatur; Sacr. Consil. in causa Alphonsi Antinori cum Venerabili Monasterio Divi Francisci Terræ S. Severini, duas sententias à se ante latas reformasse, & habetur expressè in *d. cap. pervenit 4. de empt. & vendit.* ibi, *triginta annis bona fide, justoque titulo possedit.*

3. Et ratio esse potest, tum quia, qui alienationem prohibitam habet, si patiatur contrà se præscribi, alienare videtur, *l. alienationis verbo, ff. de verb. signif.* etenim, ut *ibidem* inquit *Dyn.* in præscriptione adest tacitus consensus partis, & sequitur *Megal.* in suo *promptuario, ver. alienat. n. 5. Flav. Cherub. in Comp. Bull. in Constitut. Pii IV.* incip. *provida Rom. Pontif. Schol. 2.*

4. Tum etiam; quia in longi temporis possessore præsumitur justus titulus, *l. si filius*, juncta *Glos. C. de petit. hæredit. & l. qui in aliena, §. 1. de acquir. hered.* prout dixit *Rota* in una *Bononiens.* de mense Maii 1519. coram *D. Petro de Capizucchis*, inter Aemilium de Blanchis, & quendam alium, & per extensum refert *Cassador. in decis. 8. super Regulas Cancell. & Navar. de off. jud. ord. cons. 14.* in 1. edition. ex eo, quòd lex præsumit titulum ex sola possessione, vide eum; quia eruditè loquitur.

5. Dixi, quòd possessio debet esse cum justo titulo, & bona fide, quia possessor malæ fidei, nullo tempore præscribit, quæ juris Regula fuit confirmata per *textum cap. vigilanti, de præscrip.* ibi, *quoniam nulla antiqua dierum possessio, juvat aliquem malæ fidei possessorem*; & per *textum cap. dudum 31. de decimis*, ibi, *mandavimus, quòd idem prior præscriptionis titulum quem allegavit, probaret*, & quòd de jure Canonico ad præscribendum requiratur bona fides, & justus titulus, habetur etiam in *cap. pervenit, de emptione, & in d. l. fin. de præscriptionibus.*

6. Nec nocet illa Regula, qua dicitur, quòd titulus præsumitur ex tempore, cujus initii memoria non extat in contrarium: quia non procedit, quando expresè producitur titulus nullus, & invalidus: quoniã antiquitas temporis in alienatione, de qua agitur, solum inducit præsumptionem, & cessat præsumptio, ubi de veritate apparet in contrarium, ut in *l. continuus, §. cùm ita, ff. de ver. obligat.* præsumptio enim cedit veritati, & per contrarias

rias probationes tollitur, ut in *l. fin. in princip. ff. quod met.*

7. Neque his obstat *Constitutio Pauli IV.* incip. *injunctum nobis*, edita anno 1555. ubi inter alia statuit, hujusmodi alienationi factæ, non servatis juris solemnitatibus, non suffragari longam temporis præscriptionem, quin teneantur Possessores ad talium bonorum restitutionem, una cum fructibus perceptis, & in futurum percipiendis.

8. Nec illa *Pii V.* incip. *etsi de singulis*, qua cautum est, hujusmodi detentores compellendos esse, non tantùm ad restitutionem hujusmodi bonorum, verùm etiam ad restitutionem fructuum inde perceptorum, & eorum, qui percipi potuerunt; Neque illud axioma, quòd in rebus Ecclesiasticis, seu in materia Canonica standum est Sacris Canonibus, seu Constitutionibus Summorum Pontificum; tum quia, dicta *Constitutio Pauli IV.* fuit reducta ad terminos juris à *Pio IV.* in sua *Bulla*, incip. *providâ*, eò, quòd satis abundè per anteriores Canones fuerat provisum, adeò, quòd hodiè attenditur dispositio Sacrorum Canonum, præsertim *Pauli II.* quæ est inter *extravag. communes*, sub *titulo de reb. Ecclesi. non alien. Quaranta* cit. *loc. ver. alien. in principio, & Flav. Cherub. in Comp. in Bulla Pii IV.* ubi assignat aliam causam dictæ reformationis; tum etiam; quia decisiones Rotæ Rom. præallegatæ, cum majori parte prædictorum *Doctorum*, loquuntur post tempus dictarum *Constitutionum*, ut est videre apud *Farinac. decis. 664. p. 1. & decis. 506. & 537. p. 2. Ludovis. decis. 52. Marescot. var. resolut. lib. 1. cap. 13.* & alios, qui post prædicta scripserunt, & de illis notitiam habuerunt: tum item; quia nos non dicimus, Prælatos posse alienare, sed alienasse cum Beneplacito Apostolico, ex juris præsumptione, quæ pro veritate habetur, *Ciarlinus ubi suprà num. 26.*

9. Nec officit *Quaranta, & Barbosa ubi suprà* dicentes, quòd tempus triginta, vel quadraginta annorum, non intelligitur currere, vivente Prælato, seu Rectore, qui fecit alienationem, immò neque post mortem illius; nisi data scientia, & patientia cujuslibet Rectoris, seu Prælati successoris.

10. Quia hujusmodi limitatio, nec est vera, nec fundatur in jure, à quo tantùm habetur, quòd ad præsumendum hujusmodi assensum, requiritur, ut tempus triginta, vel quadraginta annorum sit elapsum cum possessione, justo titulo, & bona fide, ut in *d. cap. pervenit, Seraph. decis. 1027. num. 13. Ludovis. decis. 354. num. 19.* & post allegatos *Ciarlin.* cit. *loc. num. 30.*

11. Non reticeam tamen dicere, quòd contrà hujusmodi præsumptionem, desumptam ex diurnitate temporis, admittitur probatio in contrarium; *Felin. in d. c. sicut, de sent. & re judic. nu. 5. & Afflictus in decis. 107. nu. 5.*

12. Quæ quidem probatio potest esse, & fieri ex multis, & præcipuè ex inspectione instrumenti ipsius alienationis, si in eo fuerint observatæ, vel prætermissæ solemnitates, *Cravett. in tract. de antiq. tempor. p. 3. cap. 1. incip. venio nunc, num. 27.*

Quæst. 32. An liceat recedere à contractu inito cum illa Clausula, salvo assensu, interim, quòd beneplacitum Sedis non fuerit impetratum?

1. ILlustrissimus *D. Carol. Maranta*, Episcopus Juvenacen. *tom. 3. controver. respons. 7.* respondet affirmativè; & ita in *fin. d. respon.* testatur, fuisse bis decisum in Curia Archiep. Neapolitan. in causa R. D. Thomæ Anelli Picioccho, cum Patribus Congregationis Piorum Operariorum; tum quia prædictus assensus est omninò necessarius, stante dicta clausula, etiam si alias de jure non requireretur, etenim pacta quæcunque in investitura adjecta, sunt attendenda; nedum si erunt superflua; verùm etiam, si repugnent naturæ feudorum, D. *Capanus de jur. relev. p. 4. q. 28. nu. 8.* & dixit *Rota* in una *Neapolitana Laudemii* 10. Decembris 1639. quòd licet Prælatus successor in Ecclesia, non teneatur solvere relevium pro feudo, tamen hoc fallit, si in investitura cautum sit, ut relevium solvatur, quando Prælatus moritur, & in propriis terminis Beneplaciti Apostolici in alienatione rerum Ecclesiæ, tenet *Ludovis. decis. 192. nu. 1. & ibi Addit. nu. 3.* dicit, ita fuisse dictum in una *Pisan. bonorum* 28. Octobris 1585. coram *Bravo*, & in *Aret. Capellaniæ* 16. Januarii 1616. coram *Buratto*, & in una *Ferrariens. Decimarum* 23. Junii 1617. ideoque deficiente assensu Papali, deficit anima contractus, adeò, ut jure merito dicatur nullus, irritus, & invalidus, & non entis nullæ sunt qualitates, *Crav. cons. 747. num. 22.*

2. Tum etiam; quia natura conditionis est, suspendere actum conditionalem, cui adjicitur, nullum inferre jus, nullamque inducere obligationem, usque in ejus nativitatem, *l. cedere diem, ff. de verb. signif.* & habetur in *cap. verùm 4. de conditionibus*, ibi, *nisi fortè tali sit conditione vallatum*, ubi *Glos.* multa allegat jura, & in *cap. unic. §. ille verò, de sponsalib. in 6.* ibi *ante conditionem extantem, sic ut consensum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oriatur.* quia conditio nihil ponit in esse, *l. substituto, ff. de acquirendo rer. dom. & l. si quis sub conditione, ff. si quis omiss. caus. test.* ac proinde contractus conditionalis, verè, & propriè non potest dici contractus, & ab eo licet resilire ante assensum præstitum; prout sæpè censuit Roma Romana, & refert *Riccius in d. prax. decis. 33.* in qua quærit, an sit locus pœnitentiæ in alienatione prædicta: & constat ex ejus diffinitione, est enim conditio eventus fortuitus, in quo dispositum suspenditur, *Navar. cons. 2. de condict. apposit.*

3. His tamen non obstantibus. *Quaranta ver. alien. nu. 34. ampliat. 18. Genuens. in praxi, cap. 106. num. 2.* & in suis *practicab. Ecclesi. q. 18. num. 2. in fin. & Ricc. ubi suprà in d. decis. 7. num. 4. ver. declara secundò*, ajunt, quòd etsi contractus alienationis rei Ecclesi. sit nullus, & invalidus, ob defectum Beneplaciti Apostolici, non habiti: nihilominus non potest rescindi ad omne arbitrium contrahentium, sed duntaxat ad petitionem Ecclesiæ, cum etiam solemnitas ista fuerit introducta ad favorem Ecclesiæ, si ipsa vult stare contractui, non potest altera pars venire contrà; quia claudicat contractus ad favorem Ecclesiæ, & quæ in favorem sunt inducta, non debent in odium retorqueri, *Innoc.* communiter receptus in *cap. 1. de his quæ fiunt à Prælatis, Puteus decis. 310. lib. 1. Crescent. decis. 1. de locato*, & ita esse in Sacr. Congregat. decisum, refert *Genuens. ubi suprà*, & secundùm hanc opinionem judicavit in facti contingentia *Ciarlinus controv. forens. lib. 1. cap. 39. num. 37. & sequent.* ubi de hac re optimè tractat.

4. Verùmtamen *Præs. Franch. in fin. d. decis. 35.* limitat opinionem prædictam, dicitque, eam esse veram: *dummodò Ecclesia post initum contractum, illi stare volens, parata, & sollicita sit adhiberi facere legitimas solemnitates, vereque, & cum effectu, eas adhiberi faciat, seu Papæ assensum super contractus validitate obtineat, ne conductor, seu cessionarius perpetuò stet in suspenso, & Ecclesia semper in tuto*, hæc ille.

Quæst. 33. Iudex Ecclesiasticus, an possit cogere laicum conventum, ad observantiam contractus initi super alienatione rei Ecclesiæ?

1. IN hac difficultate affirmativè respondet *Ciarlinus* cit. *loc. num. 50.* quia tractatur de re Ecclesiæ, & id Laicus non negat: Ideò cognitio spectat ad Judicem Ecclesiasticum, *cap. si Clericus laicum, de for. compet.* & maximè, ratione connexitatis, *cap. quanto, de judic.* & ubi con-

controversia est, non super Canone, sed super negotio principali emphyteusis Ecclesiasticæ, cognitio spectat talrem cumulativè ad Judicem Ecclesiasticum, prout latè *Farinac. decis. crimin.* 305. *num.* 2. *& sequent.*

2. Sed negativè alii respondent, qui sunt in contraria sententia, ad quam probandam facit *Decisio* 35. *D. Vincent. de Franchis*, ubi similis quæstio fuit tractata in S. C. & tradunt *Hostiens. Innocent. Butrius, Socin. & Felin. in cap. cùm sit general. de foro competenti, & Ofascus dec.* 78. *n.* 19. vide tamen *Thesaur. lib.* 2. *q.* 15. *& D. de Marin. resol.* 207. *lib.* 1.

Quæst. 34. An possit res Ecclesiæ retineri, donec contractus cassetur in foro fori, ob defectum solemnitatum?

1. Affirmativè *Navar. in com. de reb. Eccles. non alien. num.* 17. & in *com. de spol. Cler.* §. 2. *num* 6. *Rodr. tom.* 1. *q.* 27. *art.* 10. *Quarant. & Ricc. ubi suprà*, dummodò fiat detentio sine dolo, & justa causa intervenerit in alienatione prædicta.

Quæst. 35. Capitulum terrulas 12. q. 2. an sit derogatum à d. Paulina, vel à Trid. ubi suprà?

1. Negativè respondent communiter *Doctores*, & ità anno Domini 1596. 19. Decembris fuit à Sac. Congregatione decisum, & refert *Stephan. Quaranta ver. alien. num.* 41. his præcisis verbis.

Sacra Congregatio Concil. censuit, neque Constitutionem Pauli II. neque Concil. Trid. Decretum derogasse dispositioni cap. terrulas 12. *q.* 2. quod item dixit eadem Sacra Congregatio, sub anno Domini 1601. respondens Episcopo Faventino, & refert *Barbosa de off. & potestate Episcopi, allegat.* 95. *cas.* 4. *num.* 51. *Naldus in summ. ver. Prælatus, num.* 7. *& ver. alien. num.* 5 *Peyr. tom.* 1. *Privil. Minim. in Constit* 9. *Julii II.* §. 1. *num.* 15. *Gavant. in Manuali Episcop. ver. alien. num.* 22. *& Lezana eod. ver. num.* 7.

Quæst. 36. Res stabilis exigua, an possit alienari sine assensu Apostolico?

1. Et dico quod sic; dummodò sit parvi valoris, ceu sunt Terrulæ, Vineolæ, ac Domunculæ Ecclesiæ, tum quia in generali prohibitione alienationis, non veniunt modica, *Abbas in cap. ut super. de reb. Eccles. non alien.* tùm etiam; quia de minimis & modicis non curat Prætor, *l. scio, ff. de restit. in integrum*; tum item; quia lex generaliter loquens, non includit modica, *Socin. in fallent.* 229. tùm denique; quia *cap. Terrulas* non comprehenditur sub *dict. extrav. Pauli II.* nec sub *Decret. Concil. Trid.* ut fuit à Sacta Congregatione decisum, ut dictum est suprà, & docent post Priscos *Genuens. in prax. cap.* 75. *nu.* 3. *Anna consil.* 36. *num.* 35. *& Graff. p.* 2. *consil.* 2.

2. Quod etiam procedit, si res stabiles sint Ecclesiæ minùs utiles, steriles, onerosæ, & plus incommoditatis, quàm utilitatis, *Guido Papa decis.* 156. *Barbosa allegat.* 95. *num.* 26. *D. Reg. Capycius Latro tom.* 2. *consult.* 156. *num.* 4. *& sequent. & Bordon. resolut.* 27. *quæst.* 10. *num.* 38.

3. Amplia habere locum, etiam in Prælato jurante, non alienare, inconsulto Romano Pontifice, *Ricc.* 1. *p. prax. decis.* 39. *nu.* 8. *& p.* 2. *var. resolut.* 383. *& Novar. in prax. novi tur. Pontificii*, sub *tit. de alienat. rerum Ecclesiæ, conclus.* 1. aliàs 23. *num.* 17. sed nota diligenter, quod modica pars magni prædii non potest alienari sine solemnitate, tum quia partes sapiunt naturam illorum, quorum sunt partes; tùm etiam, quia fieret in fraudem legis, & cederet in damnum Ecclesiæ; prout idem *Novar.* in suis *foren.* latè dixit *q.* 22. *p.* 1. & ante eum *Ricc. decis.* 224. *p.* 2. *Genuens. in prax. cap.* 75. *num.* 4. *in fine, & Lezana ver. alienare, num.* 7.

4. Amplia decisionem procedere, etiam in locatione; quod enim potest vendi sine solemnitate, multò magis potest locari.

5. Bene verum, quod debet attendi dispositio *dict. cap. terrulas*, cujus propria verba sunt hæc:

Terrulas aut Vineolas exiguas, & Ecclesiæ minùs utiles longè positas, parvas, Episcopus sine consilio Fratrum, (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem. hæc *ibi.*

6. Ex quibus verbis apparet, quod tres requiruntur causæ copulativè ut hujus rei alienatio fieri possit, prætermissis aliis juris solemnitatibus: quarum Prima est, quod res sit exigua. Secunda, quod non sit utilis Ecclesiæ. Tertia, quod adsit necessitas: *Guido Papa in d. decis.* 156. *Mar. Anton. Maceratens. var. resol. lib.* 1. *resolut.* 25. *num.* 13. *& Ricc. in d. p.* 2. *var. resolut.* 383. ubi per dispositionem *d. cap. Terrulas* excusavit quendam Archipresbyterum, ejusque Clerum, qui in emphyteusim concesserunt Terrulas, & Domunculas suæ Ecclesiæ, sine licentia Episcopi Ordinarii, ob quod fuerunt ab eodem Ordinario citati, ad dicendum causam, quare, &c. ex eo; quia consensus prædictus est de solemnitatibus antiqui Juris Canonici, quæ solemnitates per *d. Paulinam* censentur reformatæ & cassatæ; nihilominùs; quia qualitas dans jurisdictionem est probanda; praxis & consuetudo alienandi res parvas ad præscriptum *d. c.* talis est, Primò, porrigitur memoriale Episcopo loci, quo petitur præstari ab ipso assensum super alienatione facienda. Secundò, Episcopus decernit, capi informationem, quâ captâ & viso, quod alienatio tendit in evidenrem utilitatem Ecclesiæ, interponit Decretum, & præstat assensum; nam etiam in concessione rerum modici voloris requiritur Decretum, seu licentia Ordinarii; etiam concurrentibus supradictis tribus conditionibus, ut docuit *Zerola ver. alienat. p.* 2. *vers. respondetur. Mar. Antonius Maceratens. lib.* 1. *var. resolut. cap.* 25. *num.* 13. *Corrad. in d.* sua *prax. lib.* 9. *cap.* 2. *num.* 46. *& Ricc. in praxi* 1. *p. decis.* 94. in 1. edit. & *Barbosa allegat.* 95.

7. Sed adverte, quod in alienatione prædicta, in casibus ordinariis, reverà non requiritur causæ cognitio, nec partis citatio, aut Judicis pro Tribunali sedentis Decretum, vel sententiæ prolatio, & ordo judicialis; & sic illa causæ cognitio, quæ est plena & solemnis, sed ea, quæ semiplena est, non solemnis, & impropriè dicitur causæ cognitio, sed potiùs discussio, tractatus, & consultatio, *Redoan. in tract. de reb. Eccles. non alien. q.* 24. *num.* 50. *& Corrad. ubi suprà*, quapropter Episcopus loci, circà id non debet se conniventer habere, vel ad libitum concedere, sed sibi consulere; quia agitur de patrimonio Christi, ad cujus distractionem debent illa tria copulativè concurrere; prout ex multis ostendit *Barbosa allegat.* 75. *num.* 50.

Quæst. 37. Res exigua, cujus valoris esse debet, ad hoc, ut alienari possit, ad præscriptum d. Capituli Terrulas?

1. Quaranta *ver. alienat. num.* 41. *in fin. Genuens. in praxi cap.* 35. in novis. *num.* 4. *Ricc.* 1. *p. praxis decis.* 39. *num.* 8. *ver. sed quæstionis est* in 1. editio. & 2. *p. var. resolut.* 383 *num.* 5. *Barbosa de officio, & potestate Episcopi p.* 3. *allegat.* 95. *num.* 51. *in casu tertio, Peyr. tom.* 1. *Privil. Minim. Constit.* 9. *Jul. II.* §. 1. *num.* 15. *Bordon. resolut.* 27. *de alienat. q.* 10. *num.* 38. *& Lezana eod. ver. num.* 7. *in fin.* dicunt, hoc remitti Judicis arbitrio considerantis facultates Ecclesiæ, temporum, locorum, & rerum qualitates; tum quia, in *d. cap. Terrulas* nihil dicitur de pretio hujusmodi rei, &, quæ sub certa lege à jure

diffinita non reperiuntur, Judicis arbitrio relinquuntur, *l.1 de jur. delib. Decius in cap. Sedes, num. 7. de rescriptis, & in cap. si pro debilitate in fin. de off. deleg.* tùm etiam; quia *Gloss. d. cap. Terrul. in ver. exiguas* loquitur dubitativè, dicens, fortè exiguas, vocat non valentes ultrà viginti solidos; & sic non determinatè, *l. in commodato, § sicut autem ff. commodat. l. in substitutione, & ibi Gloss. in ver. fortè, ff. de vulg. & in l. si duo, ibique Gloss. de recep. arbitr.*

2. Hinc *Staffil. de litt. gratiæ, fol. 352. num. 1. & 2.* dixit, quod arbitrium *d. cap. Terrulas,* potest extendi ad valorem centum aureorum, aut ad annuum censum quinque ducatorum, & ita fuisse practicatum, refert *Zerola in prax. Episcopali, ver. alien.* in Curia Archiepiscopali Salernitana, tempore Marci Antonii Marsilii Columnæ, tunc temporis Archiepiscopi illius Ecclesiæ; & alii, quos refert *Ricc. in d. resol. 383. num. 5.*

3. His tamen non obstantibus, nullatenùs recedendum est à verbis *Gloss. dict. cap. Terrulas,* quæ per totum Orbem recepta est, prout tenent Domini Abbreviatores Majoris Præsidentiæ Cancellariæ Apostolicæ, prout de auditu testatur *Pyrr. Corrad. in d. praxi lib. 9. cap. 4. num. 45.* & quod tenet Romana Curia, omnes aliæ debent sequi & amplecti; ipsa enim est Mater, & aliarum Curiarum Magistra; *Gonzales ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 13. § 1. nu. 12.* & eò magis, quià quod dixit *Glossa in d. cap.* habetur expressè in *Can. si quos 57. ead. q.* ibi, *quod tamen jubemus, viginti solidorum numerum, & modum in Terrula & Vineola, vel Hospitiolo tenere,* hæc ibi, ubi *Glossa* testatur, quod sit decisio *Concilii Agathens.* est autem unus solidus, idem quod unum scutum auri, in auro stampatum, *Panor. in cap. conquerente, de off. ordinar. ibique Felin.* & facit ad hoc *cap. qui Subdiaconum 17. q. 4.* & docet *Covar. var. resolut. lib. 1. cap. 11. & lib. 2. cap. 3. & in tract. de numismat. § 1. & 2.* Scutum verò, quod successit loco ipsius solidi, licet aliquandò decrescat, juxtà copiam vel penuriam eorundem, in ipsa Urbe nihilominùs constituit regulariter Julios tresdecim cum dimidio, monetæ Romanæ: unde viginti solidi supradicti constituunt summam scutorum viginti septem ejusdem monetæ Romanæ, hujus autem Regni Neapolitani, triginta ducatorum currentium ad rationem decem carolenorum, pro quolibet ducato, ita *ubi suprà Corradus,* qui fuit in utroque Regno versatissimus; ac proindè, Illustrissimi loci Ordinarii non habent arbitrium circa valorem rei parvæ alienabilis, secundùm dispositionem *d. cap. Terrulas*; quia versamur in his, quæ ut patet ex dictis, sub certa lege diffinita reperiuntur, per *textum d. l. 1. ff. de jur. delib.* & docet *Dec. in cap. Sedes, num. 7. de rescriptis, & Bordon. d. resol. 27. de alien. q. 5. § sed casum ponamus, num. 19.*

Quamobrem, *Genuens.* cit. *loc. num. 2.* benè dixit, quod hodie vix alienantur modica sine assensu Papæ, juxtà *cap. Terrulas,* & dato, & non concesso, quod res, de qua agitur, sit arbitraria; non ideò alienatio hujusmodi, ad libitum facienda est, sic effrenatè & indifferenter, ut Ecclesia suis bonis remaneat spoliata; sed cum grano salis, & tunc, quando plus utilitatis percipitur ex rei alienatione, convertendo pecuniam in aliud utilius, quàm ex ejus retentione, alienatio enim debet esse utilis, non autem perniciosa Ecclesiæ, ob quod prædiolum exiguum Ecclesiæ utile, non potest alienari, sine solemnitate, *cap. 1. 17. q. 4.* & docet *Genuens. ubi suprà, num. 4. in fine.*

5. Nec his obstat *Zerola, ubi suprà* nec *Leo* in suo *Thesaur. for. Eccles. p. 4. cap. 1. num. 73.* ubi dicit, rem modicam dici ad hunc effectum, quæ non excedit valorem viginti quinque ducatorum auri de Camera; qui secundùm supputationem prædictam, faciunt summam triginta sex ducatorum Monetæ Romanæ, & hujus Regni Neapolitani, quadraginta in circa; quia distant à veritate & praxi Romana, *Corrad.* cit. *loc.*

6. Nec nocent *Naldus in sum. ver. Prælatus & Gavantus in Manual. ver. alienat. num. 24.* dicentes, ita fuisse à Sac. Congregat. decisum, sub anno 1601. quia nihil de tali declaratione authenticè apparet. Undè videtur, quod in his etiam quasi semper est necessarius assensus Apostolicus.

Quæst. 38. Provincialis, an possit rem parvam, propria authoritate alienare, absque Consensu Capituli?

1. Gloss. in d. cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in ver. communicatio, & cap. Abbatibus 31. 12. q. 2. in ver. subscriptione Episcopi, respondet: quod licet Abbas non possit sine consensu Episcopi, alienare rem Ecclesiæ, ut hic, & 17. q. 3. cap. in venditionibus, & cap. nonnulli, de rebus Ecclesiæ non alienandis, potest tam Episcopus, quàm Abbas, sine licentia Capituli, si subest necessitas & res sit modica, juxtà *cap. Terrulas, in d. quæstione & causa.*

2. Quod videtur procedere in Provinciali, ex quo Provincialis, Abbas, & Episcopus, quoad jurisdictionem æquiparantur, & ferè sunt idem, *Rodr. tom. 1. q. 27. ar. 6. & Miranda,* multis citatis *tom. 2. Manual. q. 7. ar. 1.*

3. Nihilominùs contraria opinio est vera, & in praxi securior: tum quia omnes ferè hodie Provinciales vetantur id facere ex eorum Regula & Statutis; tum etiam quia non sunt electi ad distrahendum, sed ad conservandum bona Monasteriorum sibi subjectorum; tum item quia nequeunt hujus vel illius Monasterii Religiosis præjudicium inferre, quod facerent, si possent alienare in casu posito, Religiosi enim aluntur ex redditibus illius, quibus distractis, deficeret eorum sustentatio.

4. Nec nobis obest *capit. Terrulas*; quia dispar est ratio; etenim Episcopus alienans, juxta mentem illius, non præjudicat Ecclesiæ, nec Fratribus suis, secùs autem Provincialis, ut dictum est suprà; tùm etiam, quia prædictum *capit.* procedit, si subest necessitas, & res sit modica & non necessaria: de quibus debet constare, auditâ parte, de cujus præjudicio agitur: qualitas enim dans jurisdictionem, est probanda, *Bordon. resolut. 27. q. 1. num. 2.*

Quæst. 39. Locatio & conductio rerum Ecclesiasticarum ultra triennium, an sit nobis vetita?

1. Et dico quod sic; & ita habetur expressè in *dict. Paulina,* quam *Didacus Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 16. num. 3. Navar. tom. 2. com. de alienat. rerum Ecclesiast. nu. 21. & 40. ver. alien. nu. 18. Genuens. in prax.* nova *cap. 75. num. 11. & Barbosa allegat. 95. num. 4.* intelligunt, habere locum in illis Terris & Prædiis Ecclesiæ, quæ quotannis fructificant, seu ferunt justum fructum, quolibet anno; ut in Lusitania, ubi Oliveta, quæ non ferunt quotannis justum fructum, sed tantùm unum biennio, locantur ad sex annos, ut exindè Conductores possint percipere tres fructus.

2. Proindè si res Ecclesiæ sit talis conditionis, ut ex ea quolibet triennio, unicus tantùm fructus percipiatur, poterit in novem annos locari; quia primum triennium æquivalet unico anno, ita secundum & tertium; ciò alternatim fructificant, possunt per sex annos locari: etenim locatio illa, in *d. extrav.* præfinita, respicit fructus triennales, non autem temporis spatium sine fructu.

3. Amplia, id ipsum habere locum in emphyteuta rei, quæ non fructificat; nisi tertio quoque anno, ut non devolvatur Ecclesiæ, si non solverit per quinquennium; neque per octo annos, juxtà terminos *cap. potuit de locat. & l. 2. de jur. emphyt. Covar. ibid. nu. 4. & D. de Marinis quotid. resolut. cap. 6. num. 5.*

4. Amplia, ut nec mandatum possit alicui concedi, ad locandum ultrà triennium, & quamvis indefinitè fiat,

fiat, ita debet intelligi, adeò, ut Procurator, finito triennio non sit ampliùs Procurator, idem *Covar.* cit. *loc. num. 6. ver.* 4.

Quæst. 40. *Locatio rei Eccles. per novennium facta eodem die tribus personis, cuilibet per triennium, an sit nulla?*

1. ET quidem nullam esse affirmat *Genuens.* in suis *pract. cab. Eccles. q.* 355. quia in hujusmodi locationibus sola persona locantis debet esse in consideratione; ratione unitatis temporis, ne per indirectum concedatur, quod de directo prohibetur, argum. *cap. cùm quid una via, de Regul. juris in* 6. Hinc ille Rector Ecclesiæ, qui eodem die locabat tribus personis, cuilibet per triennium, cum hac conditione, ut post finitum tempus locationis factæ uni, haberet locum conductio alterius, & successivè, optimo jure fuit reprehensus, & dictum, quod incidit in pœnas *d. extrav. ambitiosæ*; quia in ejus fraudem stipulavit.

2. Amplia, ut propter eandem rationem nequeat fieri locatio ad sex, vel novem annos, cum hac clausula, *ut tot sint locationes, quot triennia, & ut finito primo triennio, tunc facta sit nova locatio.* Perperam enim redderetur *d. Paulina, Covar. var. resolut. lib.* 2. *cap.* 16. *nu.* 4. *&* 40. *num.* 18. quod tamen intellige, ut dictum est hic suprà immediatè.

Quæst. 41. *Locatio rei Eccles. facta per triennium, an durante primo triennio, possit prorogari in aliud triennium?*

1. NEgativè dic; quia dicta prorogatio censeretur facta in fraudem d. *extravag. ambitiosæ*; prout in simili casu dixit *Cardin. in Clem.* 1. §. *fin. col. penultim. de reb. Eccles. Alex. consil.* 68. 2. *col. vol.* 3. *& Jason in l. manumissionis, col.* 3. *de just. & jur.* & facit ad hoc *cap. quanto, de Privil. & l. sed si manente, ff. de precar. & l. etiam,* C. *de jur. dot.*

2. Verùm, si prorogatio seu relocatio addat nonnulla alia bona, & augeat mercedem, potest fieri, quia ratione rei superadditæ, & mercedis auctæ, est nova & diversa locatio, in qua nulla præsumitur fraus; prout eruditè ostendit *Genuens. in practicab. Eccles. quæst.* 471. *in fin.*

Quæst. 42. *Si prædicta prædia fructificent quolibet anno, & locentur per sex, vel novem annos, an locatio hujusmodi sit in totum nulla, vel sustineatur pro triennio tantùm?*

1. VAriant in hac quæstione *Doctores*, quos refert *Covar. var. resolut. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 4. *Afflict. decis.* 107. *Jul. Clar.* §. *emphytensis, q.* 6. *num.* 2. *&* §. *feudum, Genuensis in praxi, cap.* 75. in novis, *num.* 11. *&* 15. *Ricc.* 1. *p. prax decis.* 117. in 1. editione, latè *Nicol. Garz. de benef. p* 2. *nu.* 48. *Peyr. tom.* 1. *Privil. in Constit. Jul. II. num.* 26. *Barbosa par.* 3. *de off. & potestate Episcopi allegat.* 95. *num.* 5. *ver. quæstio est dubia, Ciarlin. controver. forens. cap.* 8. *à num.* 24. *D. Donatus Antonius de Marin. lib.* 1. *quotid. resolut. cap.* 6. *num.* 7. *& Paul. Squillant. par.* 2. *de obligat. Cler. dub.* 2. *num.* 35.

2. Tu verò cum distinctione concorda, aut locatio est dividua, vel individua, si enim primo modo sit, nempè facta tempore separabili, utique sustinetur pro triennio, licèt quoad illud tempus, quod triennium excedit, remaneat nulla; tum quia in separabilibus, tempus utile non vitiatur per inutile, ut dicitur in *cap. utile, de Regul. jur. in* 6. *& in l.* 1. §. *sed si mihi, ff. de ver. obligat.*

3. Sed in casu posito, potest separari tempus permissum à prohibito, ergò. tùm etiam; quia donatio facta absque insinuatione ultrà quingentos aureos, in excessu tantùm vitiatur & remanet firma, quoad summam à jure permissam, ut in *l. sancimus, C. de donat.* tùm item; quia concessio Indulgentiarum facta ab Episcopo ultrà tempus à jure sibi permissum, quamvis sit nulla ratione excessus, nihilominùs valet pro tempore permisso, ut dicitur in *cap. Indulgentiæ, de pœnit. in* 6.

3. Proindè si locatio sit facta ad sex, vel novem annos, cum clausula, *quod sint tot locationes, quot triennia,* vel *quod finito primo triennio, ex tunc censeatur locata pro alio triennio,* vel quod facta sit nova locatio, sustinetur pro primo triennio, etsi locatio invalida sit quòad tempus ultra triennium, quia cùm plures sint locationes, ad invicem distinctæ, & vitium non sit in prima, sed in reliquis; non video, quâ ratione pro primo triennio debeat claudicare, *Garz.* cit. *loc. n.* 61. *D. de Marinis, & Squillant. ubi suprà.*

4. Amplia, idipsum procedere in emphyteusi concessa ultrà tres generationes, ut valeat, scilicet quòad tempus à lege permissum in *auth. de non alien.* §. *quod autem, in fine,* secùs quòad reliquum, & docent præcit. *DD.*

5. Nec his nocent illa verba *d. extrav. ambitiosæ,* nempe, *quod alienatio, concessio & locatio hujusmodi sint omninò nullius roboris & momenti*; quia debet intelligi respectu temporis illiciti, non autem liciti, prout ex multis docet *Barbosa* cit. *loc. num.* 16. ubi pariter respondet ad ea, quæ possent objici.

6. Secùs autem dicendum, si locatio sit individua; sic enim in totum vitiatur, & in nulla parte sustinetur, etenim in individuis utile per inutile vitiatur, quod enim tangit putridum, putrescit, prout sæpè fuit in Rota Romana decisum, & refert *Genuens. & Ricc. ubi suprà.*

7. Quod autem contractus sit individuus, & inseparabilis, vel non, potest constare ex conjecturis, per quas arguitur, & attenditur animus contrahentium, utpotè, si appareat, locatorem, aut conductorem, non minori tempore, rem illam vel locaturum, vel conducturum, quàm ad sex, vel novem annos, ut si pro eis unum detur pretium, seù una solvatur merces, locatio est omninò rescindenda, & in nulla parte sustinetur, prout de communi ostendit *Covar.* cit. *loc. num.* 5. *in fin. ver. sed præmissa opinio Baldi.*

8. Et hoc non ex eo, quod ex illa unica mercede, unica tantùm censeatur locatio, ut quidam autumant, sed ex eo; quia ex illa unica pretii, seu mercedis assignatione pro omnibus annis, satis videtur constare, contrahentes pro paucioribus annis non contracturos, *Barbosa ibid. num.* 13. *& Ciarlin.* post citatos, *ubi suprà.*

Quæst. 43. *Prælatus succedens, an teneatur stare locationi factæ per suum Prædecessorem?*

1. PRo hac eruditissimè loquitur *Didacus Covar. var. resolut. lib.* 2. *c.* 15. *nu.* 6. *Syl. ver. locatio, num.* 11. *Guido Papa decis.* 48. *Præses de Franchis decis.* 163. *nu.* 8. *Quarant. ver. alien. num.* 19. latè *Genuens.* in suis *practicab. Eccles. q.* 138. *Ricc.* 1. *par. praxis, dec.* 112. in 1. editio. & *collect.* 1007. 2165. *&* 4000. ubi habes plures ampliationes & limitationes, *Barbosa de off. & potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 94. *num.* 1. *Bonac. tom.* 2. *de contract. disput.* 3. *q.* 8. *p. ultim. nu.* 10. *ver. quæres quartò, Joan. Bapt. Ciarlin. controver. for. cap.* 93. multis citatis *num.* 12. *D. Donat. Ant. de Marinis quotid. resolut. cap.* 259. ubi multa habes de Colono & Locatore *num.* 10. & novissimè *D. Joan. Bapt. de Thoro in comp. decis. Neap. ver. successor singularis, an teneatur stare Colono,* ubi nova tangit, & solvit.

2. Qui quidem de communi respondent, quod Prælatus successor non tenetur stare locationi factæ per ejus prædecessorem, si tamen fuit facta nomine proprio, & ad pro-

propriam ejus utilitatem, ut expresè habetur in *l. emptorem*, C. *de locat. & conduct.* etiamsi in contractu locationis dictum esset, *pro se, suisque successoribus*, quia locatio hujusmodi finitur morte locantis, etiamsi foret ad modicum tempus *Glos.* communiter recepta in *cap. ultim. ne Prælati vices suas*; & patet ex eo; quia mortuo Rectore, qui locavit, fructus, & redditus ad successorem pertinent, & ei reservantur, *cap. præsenti, de off. ord. in 6. cap. relatum, il 2. de testam.* ergò locatio ejus morte extinguitur; obligatio enim personalis non transit ad secundum successorem; quia personalia non transferuntur: quod procedit, sivè Rector dicatur usuarius, sive usufructuarius, ex quo non potest dici, quod habeat plenam administrationem, *Covar.* cit. *loc. & Gratian. discept. forens. cap.* 37. *num.* 17. *& D. de Marinis ubi suprà, num.* 9.

3. Proindè, Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, locantes fructus suarum præbendarum, hujusmodi locationibus suos successores non adstringunt; quia hi fructus semper pertinent ad eorum utilitatem, *Abbas in c. ex litteris n.* 7. *de probat.* quod extende ad omnem alium simplicem Beneficiatum, *Barbos.* cit. *loc. num.* 10. secùs autem dicendum, si locatio fuit facta nomine Ecclesiæ, in ejus utilitatem, & in ea intervenit authoritas Superioris: his enim concurrentibus, Prælatus succedens stare tenetur, prout post *Glos. in d. cap. fin. ne Prælati vices suas*, dixerunt *Domini de Rota decis.* 1. *de locat. in nov.* & decisum refert *Ricc. in d. decis.* 112. *& in d. collect.* 1007. tùm quia Ecclesia nunquàm moritur; tùm etiam; quia Prælatus Ecclesiæ, & Tutor Pupilli, pari passu ambulant, qui cùm rerum pupilli sit legitimus Administrator, easque utiliter locet, successor non potest recedere à contractu locationis, ut dicitur in *l. si tutelæ ff. de administrat. tutorum.*

4. Locatio autem dicitur fieri nomine Ecclesiæ, etiamsi fiat nomine proprio; dummodò id ex conjecturis percipiatur, ut si sit facta nomine dignitatis, dum tamen non sit restricta ad personam ipsius locantis, *Hostiens. in d. cap. final.* vel si in ea aliquod onus sit injunctum Ecclesiæ, argum. *l. nonnunquàm, ff. ad trebell.* & pro utilitate Ecclesiæ censetur facta, si Ecclesia indigebat reparatione, vel alia expensa, vel si fiat, ut solvantur debita, nomine Ecclesiæ contracta, *Genuens. in d. q.* 138. *nu.* 3.

5. An autem hæc omnia copulativè requirantur, vide *Covar.* cit. *loc. ver. ego verò considerandum*, ubi ait, *quod hoc pendet ab illo articulo, an Rector, vel Prælatus, licitè, ac validè locare potuisset, absque alterius authoritate, nam si ea fieri non potuisset, frustra controvertitur, an successor teneatur stare locationi, quæ nulla & irrita fuerit, quod si locatio fieri potuit, & facta fuit nomine Ecclesiæ, ab eo, qui legitimam Ecclesiæ & ejusdem patrimonii administrationem habet, ego non video, quâ ratione successor possit à contractu locationis recedere, nec refert, quod locatio hujusmodi sit utilis, vel inutilis: nam ad hoc damnum effugiendum, Ecclesia poterit petere restitutionem in integrum, quæ tunc commodè & opportunè competit, ex quo licet contractus sit validus, ipsi tamen Ecclesiæ est damnosus.* hæc ille.

Quæst. 44. *Locatio fructuum, vel redditum beneficiorum Ecclesiasticorum, pertinentium ad beneficia, vel ad Ecclesias, an possit fieri ultrà triennium.*

1. COvar. *lib.* 2. *var. resolut. cap.* 16. *num.* 6. ob identitatem rationis respondet affirmativè, ex eo; quia judicat, *d. Paulinam* non habere locum in locatione prædicta. Tu autem secundùm veriorem, ac tutiorem sententiam respondeas negativè; tum quia prohibitâ alienatione simpliciter, censetur prohibitus omnis actus, per quem alteri quæritur jus aliquod in re, ut dicitur in *l. ultim. C. de reb. alien. vel non.* & constat ex decisis, sed per prædictam locationem, in re locata quæritur jus conductori ultrà tempus à jure præscriptum, ergò; tùm etiam, quia ita habetur expresè in *dict. Paulina*, & ita decisum refert *Gamma decis.* 390. *& Barbosa allegat.* 95. *num.* 19.

2. Benè verum est, quod Clericus beneficiarius potest usumfructum rei Ecclesiasticæ concedere cum solà obligatione dandi, scilicet commoditatem & utilitatem capiendi fructus, vitâ suâ durante; per hanc enim concessionem non transfertur aliquod jus in re, sed beneficiatus tenetur solùm exhibere usufructuario commoditatem percipiendi fructus, *Quarant. ver. alienatio, num.* 18. *vers. tertiò declaratur, in fin.* ubi post citatos dixit, *& hac est cautela, ut valeat contractus ultrà triennium*, & sequitur *Megal. p.* 1. *cons.* 74. *num.* 2. *& in prompt. ver. alienat. num.* 17. *& Paul. Squill. p.* 2. *de obligat. Cler. dub.* 1. *nu.* 34.

Quæst. 45. *Res Eccles. an possint in aliquo casu, ultrà triennium in emphyteusim concedi, sine assensu Apostolico?*

1. ET dico quod sic; tribus tamen concurrentibus, ut in *d. extrav.* dicitur, primò, quod concessio fiat in casibus à jure permissis, secundò, de rebus & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tertiò, in Ecclesiarum evidentem utilitatem, & non aliter, nec alio modo.

Quæst. 46. *Quænam res dicatur solita locari, & in Emphyteusim concedi, ad hoc, ut modo prædicto possit alienari?*

1. DE hac re luculenter *Covar. var. resolut. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 4. *ver. his tandem præmissis, Abbas in cap. ut super de reb. Eccles. non alien. Rebuff. in com. alienat. rerum Ecclesiast. Clarus in §. emphyteusis, q* 6. *& §. feudum, q.* 17. *Redoan de reb. Eccles. non alien. q* 7. *§. his paucis, num.* 5. *Menoch. cons.* 75. *num.* 1. *Cæsar de Grassis de reb. Eccles. non alien. decis.* 134. *Ursill. in annot. ad decisionem Afflicti* 305. *num* 10. *Genuens.* in nova *praxi cap.* 75. *n.* 5. *Stephan. Quarant. ver. alien. n.* 40. *Ricc. in praxi for. decis.* 26. *& dec.* 125. in 1. editio. *Barbosa de off. & potest. Episcopi, alleg.* 95. *nu.* 29. *Pyrr. Corr. in praxi lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 13. & alii plures de communi dicunt, quod tunc res dicitur solita concedi, quando de ea præcesserunt duæ locationes, eodem modo factæ simul cum cursu temporis quadraginta annorum, aut una tantùm locatio, facta tamen cum authoritate Papæ, *Jul. Clar. & Ursill* multis citatis *ubi suprà.*

2. Primo modo, solitum & consuetum fundatur in præscriptione, de qua dixi in *tract. de Privil.* & suprà de præsumptione fundata in diuturnitate longissimi temporis: etenim ex lapsu temporis quadraginta annorum, Sedis beneplacitum præsumitur interfuisse, ut dictum est hic suprà *q.* 28.

3. Secundo modo fundatur in evidentia facti, quod potest apparere ex visura instrumenti, vel scripturæ continentis Decretum illius, cui hoc fuit à Sancta Sede commissum; quandoquidem res Ecclesiæ semel effecta alienabilis cum solemnitate, efficitur perpetuò alienabilis, absque solemnitate, ut dicitur in *cap.* 2. *de feudis*, & magis expresè in *d. extrav. ambit.* & constat ex eo; quia qui alienationem veterem invenit, eamq; confirmat, etiamsi in alteram personam transferat, non dicitur alienare, per *textum l.* 1. *§. permittitur, de aqu quot.* bona enim solita concedi, censentur exclusa à *d. Generali Constit. Pauli II.* & hoc ideò; quia hujusmodi nova concessio non dicitur alie-

alienatio; sed potiùs executio antiquæ concessionis, ut per bellè notant *DD. in d. cap. 2. de feudis*; nam quando res fuit alienata, cum debitis solemnitatibus, videtur ex tunc statutum, & ordinatum, quasi in vim primæ alienationis, quod de cætero res illa possit alienari, *Rot. Rom. decis.* 360. *num.* 12. *p.* 1. *divers.* undè nihil facit Prælatus, titulum concedens, *Feder. de sen. consil.* 173. quod intellige procedere & esse verum, dummodò ista bona concessio, fiat eodem modo & forma, quibus & priùs: secùs autem; nam sicut quando additur nova qualitas in investitura, feudum antiquum efficitur novum, *Afflictus in Constit. Cùm circà justitia, num.* 9. *& in Constit. Regiæ Majestatis, nu.* 8. ita & res Ecclesiæ solita locari, propter additionem novæ qualitatis, non potest de novo alienari, sine solemnitate necessaria, *Genuens.* multis citatis in *practica b. Eccles. q.* 470. *num.* 4.

4. Proindè conclusio principalis multis modis limitatur, & primò, si res devoluta, & in Ecclesiam reversa, reperitur Ecclesiæ, seu Monasterio incorporata, nequit sine solemnitate alienari; quia per illam incorporationem amisit primam naturam, & novam assumpsit, erat enim primitùs ab Ecclesiæ bonis separata, nunc autem reperitur unita, & de corpore effecta, *Quarant.* cit. *loc.*

5. Tunc autem dicetur incorporata Monasterio, quoties Superior id expressè declarat, eam describendo, vel describi mandando inter bona Monasterii, vel tacitè colligendo fructus, sicut solet de aliis jam incorporatis, quod de communi testantur *Genuens.* cit. *loc. prax. num.* 6. *& Bonac. de contract. feud. & emphyt. p.* 4. *num.* 30.

6. Secundò, si res primò fuit concessa pro masculis, non potest concedi, nec relocari pro fœminis; item si priùs fuit locata personis, non potest secundâ vice Communitati, vel Potentioribus sine solemnitate concedi; quia solitum nequit alterari. *Pyrr.* cit. *loc. nu.* 17. *& Bordon. resolut.* 27. *q.* 11. *num.* 41. *in fin.*

7. Tertiò, si res primò fuit cum hoc pacto concessa, quod non transeat ad extraneos; quia in Ecclesiam reversa, non potest secundâ vice sine assensu alienari, *Ricc. in d. q.* 26. *num.* 5.

8. Quartò, si res inculta aut sterilis, in emphyteusim conceditur, ad hoc, ut reducatur ad culturam, vel fiat fructifera; si posteàquam sit fructifera, & ad culturam reducta, in Ecclesiam revertatur, non potest de novo ultrà triennium locari, sine licentia Papæ; quia cessavit causa primæ concessionis, & res est intrinsecè mutata, *Cæsar de Graff. decis.* 135. *num.* 14.

9. Nec tandem hodie habet locum in Civitatibus & Locis, S. R. Eccles. devolutis & devolvendis; non enim possunt ampliùs alienari, nec de novo in feudum concedi, prout latè constat ex *Constit. Pii V. & Urb. VIII.* super his specialiter editis, & sic in omnibus suprà dictis videtur hodie necessarius Apostolicus assensus.

Quæst. 47. *Res mobilis, an alienari possit, sine solemnitate & quænam sit illa?*

1. RESpondeo quod sic; dummodò servando servari non possit, & habetur expressè in *d. extrav.* ibi, *ac de fructibus & bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia*, hæc *ibi.*

2. Quæ autem sit illa? Vix ab aliquo rectè diffinitur: potest autem sic diffiniri, quod res mobilis sit illa, quæ non durat triennio, vel usu consumitur, aut non fructificat, arg. *l. quæ lex*, § *ultim. C. de administrat. tutorum. cap. vestra, de locato, Navar. in com. de alienat. rerum Eccles. num.* 4. *Quarant.* cit. *loc. num.* 37. *Genuens.* in nova *prax. cap.* 75. *num.* 7. *& Barbosa p.* 3. *allegat.* 95. *num* 38. proindè vinum, frumentum, vestes acritæ, & similia, quæ non fructificant, & citò veterascunt, possunt alienari sine Papæ assensu, immò sine consensu Capituli, *Peyr. tom.* 1. *in Constit.* 9. *Jul. II. nu.* 10. *in fin.*

3. Secus autem dicendum de mobilibus pretiosis, hæc enim computantur inter bona stabilia Ecclesiæ, *Cajet. in sum. cap.* 75. *Syl. ver. alienat. num.* 7. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 22. *& Ricc.* multis citatis *decis.* 61. in 1. editio. *prax.* 1. *p.* ceu sunt vasa aurea, argentea, Vestes pretiosæ, quæ longè distant ab interitu, & commodè servari possunt, ut Gemmæ, & his similia.

Quæst. 48. *Res mobilis, cujus valoris esse debet, ad hoc, ut dicatur pretiosa, & queat alienari, sine licentia Papæ?*

1. CAstrus Palaus *tom.* 2. *disp. unic. punct.* 15. § 1. *num.* 2. ait, illas res mobiles alienabiles esse sine solemnitate, quæ valorem centum aureorum non attingunt, quod valde notandum esse, dicit *Anton. Diana par.* 4. *tract.* 4. *Miscell. resolut.* 223.

2. Veruntamen postpositis aliorum Dicteriis, cùm res pretiosæ correspondeant bonis stabilibus, dicendum est de illis, juxtà dispositionem *cap. Terrulas*; ita ut res mobiles valentes ultrà viginti solidos, non possint à Prælato alienari; eò fortiùs, si verum sit, Sac. Congreg. ita declarasse, prout testantur *Naldus ver. alienare, num.* 5. *& ver. Prælatus, num.* 7. *Peyr. tom.* 1. *Privil. in constit.* 9. *Jul. II. nu.* 15. *D. Alex. Peregrin. in comp. Privil. Theat. ver. alien. in schol. ver. ad quam autem summam, & Lezana eod. ver. num.* 18. *in fin.* quid autem sit solidus aureus, & quot carolenos hujus Regni significet, dixi hic suprà *q.* 37.

Quæst. 49. *Grex Ovium, Caprarum, & similium, an alienari possit sine solemnitate?*

1. NEgativè; quia servando servari potest, § *sed si gregis, Instit. de rer. divis.* & de ejus fructibus, emolumenta & redditus percipere consuevit Ecclesia, & computantur inter bona mobilia pretiosa, quæ immobilibus comparantur.

2. Licet tamen sine solemnitate vendere Arietes, Agnos, Hircos, Hedos, Animalia vetera, supervacua, inutilia, Morbo affecta, & similia: non tamen licet alienare totum Gregem: nisi concurrentibus causis, & servatâ formâ *d. extrav. ambitiosæ, Quaranta* cit. *loc. nu.* 24. *Genuens. in praxi cap.* 75. *num.* 7. *Riccius* 1. *p. prax. decis.* 61. in 1. edition. *& Novar. in praxi novi jur. Pontif. de alienat. conclus.* 1. aliàs 23 *num.* 12 *in fin.*

3. Quot autem Oves faciant Gregem, docet *Glossa in cap. nullus* 1. *de elect. ver. duo*, ibi, *nota, quod quatuor vel quinque Porci, vel decem Oves, faciunt Gregem, l. Boves, ff. de abigeis.*

Quæst. 50. *Libri Monasterii, an computentur inter mobilia pretiosa?*

1. ET quidem computari dicas, si libri valeant ultrà viginti solidos, secus autem, si infrà, juxtà mentem, *cap. Terrulas*, de quo latè suprà.

2. Sed quid dicendum, si libri singuli seorsùm accepti, sint pauci valoris, conjunctim verò ac simul accepti, sint magni valoris, an alienari possint sine dicta licentia.

Peregrinus in d. comp. Privil. Theat. ver. alienat. in schol. vers. tertia dubitatio est, post multa respondet, quod dicti libri, si simul accepti, valent ultrà summam prædictam, non possunt alienari absque licentia Sac. Congregat etiamsi singuli seorsùm sumpti non ascendunt ad valorem requisitum ad mobile pretiosum; quia ad constituendum mobile pretiosum, non requiritur unitas physica, hoc est, non est necessariũ, ut res mobilis sit una numero, ad hoc, ut dicatur pretiosa, sed sufficit unitas moralis

talis plurium rerum, habentium aliquam habitudinem inter se in ordine ad eundem usum & finem; hoc est, sufficit, quod plures res sint unum totum per aggregationem in ordine ad unum finem, ut constat de grege Ovium & Caprarum; quod est unum quid per aggregationem, & nequit in totum alienari, etiamsi Oves seorsum singulæ venderentur, & constat de furtis minimis, quorum materia minima continuatur, etenim cùm pertingunt ad notabilem quantitatem, peccatum mortale constituunt, & patet de illo, qui si unam vitem alicujus vineæ recidat, ob parvitatem materiæ, non dat in pœnas *d. extrav.* secùs autem, si plures vel omnes vites successivè occidat, *Bonac.* cit. *loc. nu.* 7. quod totum procedit in casu posito, aliter fraus posset fieri legi, & paulatim omnes librariæ vendi sine licentia Papæ, quod dedecet fateri.

3. Quæ tamen conclusio multis modis limitatur; & Primò, ut non procedat, quandò libri paulatim venduntur, & in meliores & utiliores commutantur, ex *c. sine exceptione* 12. *q.* 2. Secundò quando libri successivè venduntur, & inter unam & aliam venditionem interponitur magna temporis mora: sicut enim furta minima in tali casu non censentur continuari; ita nec hujusmodi venditiones.

Quæst. 51. Pecunia, an connumeretur inter immobilia, vel mobilia pretiosa?

1. S*ylv. ver. alien. nu.* 7. *q.* 8. *Stephan. Quaranta eod. ver. num.* 25. *Ricc.* 1. *p. praxis decis.* 50. *num.* 3. *& decis.* 73. *in fin.* in 1. edition. *Barbosa allegat.* 95. *num.* 40. *Peregrin. in comp. Privil. Theat. ver. alienat. in schol. ver. dubia verò, & Ciarlin. controver. forens. cap.* 87. ex multis ostendunt, quod pecunia, absolutè, simpliciter, & regulariter sumpta, est de mobilibus, quæ servando servari non potest; transfertur enim de loco ad locum, & instar Orbis in gyrum vertitur, & patet ex eo; quia res mobilis, ad hoc, ut dicatur pretiosa, tria copulativè debet habere; primò, ut valeat ultrà viginti solidos, secundò, ut possit commodè conservari, & tertiò, ut sit fructifera. Pecunia verò licet sit in magna quantitate, de sui natura non habet conservari, sed distrahi. Non enim datur & accipitur, ut conservetur, sed ut consumetur in aliud, etenim fuit inventa ad commutationes rerum faciendas, & ad emendum disposita, prout eruditè de more docet *D. Thom.* communiter acceptus 2. 2. *q.* 78. *ar.* 1. *in respons. ad* 6. ibi *usus autem principalis pecuniæ est ejus distractio in commutationes, nec usus pecuniæ distinguitur à substantia ejusdem; quia sicut usus vini est bibi, ita & usus pecuniæ, est alienatio seu distractio, & sicut vinum consumitur per ejusdem usum, nempè per ly, ibi; ita & pecunia, per ly alienari*, prout doctè *Cajet. in d. loc.* 2. 2. *in princip. com.* ibi, *usus pecuniæ, non in esse naturæ, sed in ordine ad commutationes rerum non distinguitur à substantia pecuniæ, cujus usus est consumptio, hoc est, expendi in commutationibus*, & latè sequitur *Sot. de just. & jur. lib.* 6. *q.* 1. *ar.* 1. *Corrad. de contract. lib. q.* 22. *ver. secunda conclusio Bald. cons.* 449. *num.* 2. *Molina de contract. disputat.* 304. *num.* 7. & censuit *Rot. Rom.* in novissimis *decis.* 301. *num.* 41. coràm *Merlino*.

2. Nec fructificat, sed otiosa manet; prout expressè habetur in *cap. ejiciens, distinct.* 88. *in fin.* ibi, *ex pecunia reposita nullum usum capis, quandoquidem nummus non parit nummum*, & habetur in *l. nummi. ff. delit. jur. D. Reg. Capyc. Latro tom.* 2. *consult.* 134. *num.* 31.

3. Hinc plura collige; & Primò, quod ex pecunia mutuo data nihil potest percipi, absque labe usurarum, *cap. salubriter de usur. Covar. lib.* 3. *var. resolut. cap.* 1. *num.* 3. *ver. sextò, hinc, Afflict. decis.* 284. *num.* 1. & liquet in *Bull. Papæ Nicol. V.* inserta in *pragm.* 1. *de censibus, pagin.* mihi 72. *& Pii V.* de qua latè *Navarr. in com. de usur. num.* 8. *& Bonac.* post allegatos *disp.* 3. *q.* 4. *punct. unic. proposit.* 1. *num.* 14.

4. Secundò, quod Beneficiarius, cujus beneficii fructus essent in pecunia numerata, potest illam expendere absque solemnitate, *Bonac. de alienat. bonorum Eccles. disput.* 2. *q. unic. punct.* 2. *num.* 5.

5. Tertiò, quod Monetæ Monasterii, manu Procuratoris exactæ, ad eandem Ecclesiam pertinentes: possunt investiri & distrahi in emptionem alicujus stabilis fructiferi, sine Papæ licentia, *Ricc. in d. decis.* 50. *num.* 2.

6. Quartò, quod legatum omnium bonorum mobilium Domus, comprehendit pecunias existentes in capsa Domus legantis, ex *l. cætera*, § *sed si separaverit, ff. de leg.* 1. & ita bis esse in Senatu decisum, ex multis refert *Michael Crass. sent.* § *legatum, q.* 19. *num.* 7. & in Sac. Consil. Neap. *D. Thoro p.* 2. *compen. decis. Neap. ver. legatum omnium bonorum mobilium Domus*, ubi in facti contingentia habes jura, & partium litigantium *allegationes*, quod magis procedere favore Ecclesiæ, testatur *Syl. ubi suprà.*

7. Quintò, quod pecunia de capitali, seu sorte principali relicta Monasterio, cum potestate distrahendi, potest consumi, seu investiri, & alienari absque metu pœnæ *d. extrav. D. Episcopus Maranta tom.* 3. *respons.* 58. *& Marcell. Megal. tom.* 2. *var. resolut.* 128. *nu.* 10. ubi ex multis ostendit, pecuniam non posse pertinere ad proprietatem Monasterii, ex eo; quia non est in fructu, sed potiùs in consumi, ut dictum est suprà, & docet *Glos. in l.* 1. § *quæsitum, ff. ad trebell.*

Quæst. 52. Pecunia destinata ad emptionem stabilium censuum, mobilium pretiosorum, & similium, an possit alienari, sine assensu Papæ?

1. H*Æc* quæstio est dubia, circà quam variant *Doctores*: tu autem cum distinctione resolve. Aut pecunia fuit deposita ad emptionem prædictam, cum obligatione illam investiendi; & sic non potest alienari, nisi ut cætera stabilia Monasterii; quandoquidem taliter accepta, existimatur fructuosa & lucrosa, perindè pertinere ad proprietatem & patrimonium Ecclesiæ.

2. Aut Prælatus, vel Capitulum, id simpliciter fecit, hoc est, sine voto & juramento, illam investire deliberavit: & sic potest expendi, sicut ante deliberationem, quia ex tali deliberatione simplici nulla nascitur obligatio, *Syl.* cit. *loc. n.* 7 *in prima fall. ver. dico autem*, & facit ad hoc *tex. l.* 3. §. *quid ergò, ff. de contrario judicio tutelæ*, & secundùm hoc procedit sententia eorum, qui dixerunt, pecuniam ad rerum immobilium comparationem destinatam, inter mobilia computari, ex eo; quia quæ destinata sunt ad aliquam rem, vel factum, pro absolutis non habentur, *Michael Crass.* § *legatum, q.* 19. *num.* 7.

3. Nec non decisio Curiæ Archiep. Neapolit. in propriis terminis habita, & per *Ricc.* relata in *praxi* 1. *p. decis.* 73. in 1. edit. in *fin. ver. pecunia verò*: in utroque enim loco pecunia fuit destinata in emptionem stabilium, ex mera & simplici deliberatione; secùs autem, si fuisset deposita, cum obligatione illam investiendi, ut dictum est: & ita fuisse in Rota Romana decisum in una *Veneta nullitatis contractus* 13. Novembris 1602. coràm *Pamphilio*, refert *Marc. Antonius Genuens.* in nova *praxi, cap.* 75. *in annot. num.* 14. sub his præcisis verbis.

Non posse Prælatum alienare magnam quantitatem pecuniæ, etiam convertendam in utilitatem Monasterii, licet sit mobilis sine solemnitate, si est in proprietate Monasterii: tum quia potest Ecclesia in contractu emptionis decipi in pretio; tum etiam, quia præfata pecunia non erat in redditu vel fructu, ut de ea Prælatus, prout de aliis fructibus disponere posset, Clem. 1. *de reb. Eccles. non alien. sed erat in proprietate Monasterii*, quam pariter refert idem *Ricc.* cit. *decis. nu.* 3.

num. 3. ver. limit. primò, & eleganter multis citatis docet *Quaranta ver. alien. num. 25. Bonac. tom. 1. de alienat. bonor. Eccles. disput. 2. q. unic. p. 2. num. 5. ver. secus dicendum, Barbosa p. 3. de off. & potestate Episcopi, allegat. 95. Peyr. tom. 1. in Constit. 9. Jul. II. num. 11. Peregrin. in comp. Privil. Theat. ver. alienare in schol. num. 40. Novar.* in novissimis *decis. 225. num. 7. Tambur. de jur. Abbat. tom. 3. disput. 13. q. 1. Bordon. resolut. 27. de alienat. num. 55. & Lezan. p. 2. cap. 19. num. 59.* qui unanimiter de communi & veriori sententia dicunt, quòd pecunia non dicitur stare otiosa, quando est ad aliquem finem destinata, sed fructuosa, & se fundant in *l. si Caius, §. 1. ff. de legat. 3. & in §. constituitur, Institut. de Ususfruct.* hinc plura inferuntur, &

4. Primò, quòd pecunia, quæ servata manet pro futura necessitate, vel pro conservando magis patrimonio Monasterii, censetur de immobilibus, ob quod nequit distrahi absque solemnitate.

5. Secundò, pecunia data ad censum, vel cambiis tradita, aut in montibus collocata, nequit distrahi sine licentia Papæ; quia extat fructuosa, & inter immobilia computatur; est enim pecunia hujusmodi jus quoddam incorporale exigendi quotannis certam pecuniæ quantitatem, quod rei immobili æquiparatur, *Bald. in cap. cum causam, ad finem de re judic. Tiraquell. de retract. §. 1. Gloss. 7. num. 117.* & alii plures, quos referunt *Additio. ad Jul. Clar. § final. q. 78. num. 151. ver. sed bona mobilia, & Bonac. & Peregrin. cit. loc.* secùs autem, si esset deposita ad simplicem conservationem.

6. Tertiò, pecunia, quæ provenit ad Monasterium ex affrancatione, seu ex extinctione census alicujus, non potest alienari, sed iterum debet investiri; quia annui redditus computantur inter immobilia, *Bordon. cit. loc. nu. 55.* quidquid dicat in *num. 52.* de pecunia consignata in Banco S. Ambrosii Mediol. à particulari Religioso, vel à Monasterio, *Lezana in d. cap. 19. num. 59. in fin.*

7. Quartò, pecunia recepta ex venditione rei immobilis, debet converti in emptionem alterius rei immobilis, *Bonac. cit. loc. ver. tertiò dico, & Quarant. ubi suprà, num. 25.*

8. Quintò, pecunia Ecclesiæ relicta ab aliquo, ut in emptionem rei mobilis pretiosæ convertatur, nempe calicis, lampadis, vel similium pretiosorum, quæ deserviunt Ecclesiæ, nequit distrahi, sine violatione *d. Paulina.*

9. Sextò, pecunia dotalis Monialium, etiamsi sine licentia Sac. Congreg. posset erogari, & expendi in emptionem stabilium, prout in eadem Sac. Congregat. decisum refert *Gavant. in manual. ver. Monialium alimenta, num. 5. & Tambur. de jur. Abbatiss. disput. 5. q. 7. nu. 6.* non tamen potest distrahi, sine licentia in alios usus, quàm ut de fructibus illius sustentari valeat, ex eo, quia dos fuit destinata pro sustentatione vitæ Monialis, *Bonac. cit. loc. num. 5. & Lezana num. 57.*

Quæst. 53. Pecunia Ecclesiæ, an possit à Prælato mutuò tradi?

1. NEgativè dic, & constat ex *l. fin. C. de his, qui ex public. nat. lib. 11.* ubi imponitur pœna deportationis, cum publicatione bonorum, dantibus mutuò pecuniam Fisci; & quod dicitur de Fisco, intelligitur etiam de Ecclesia, *Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ, num. 13. in fin. de Constit.*

2. Quod intellige de pecunia conservata ad occurrentes necessitates Ecclesiæ, vel destinata ad emptionem stabilium, & docet *Bonac. de alienat. bon. Eccles. disput. 2. q. unic. p. 2. num. 5. ver. tertiò sequitur.* Secus autem, si pecunia esset in fructu, vel redditu Ecclesiæ; quia de ea disponere posset, sicut disponit de aliis redditibus, & fructibus Monasterii, eleemosynaliter eam tradendo indigentibus; discretè tamen *Genuens. in practicabilib. Eccles. q. 143. in fin.* & dico infrà *de largitione munerum.*

Quæst. 54. Vasa aurea, argentea, & similia, quæ ab interitu distant, an connumerentur inter mobilia pretiosa?

1. AFfirmativè dic, tum quia ità expressè habetur in *d. extrav. ambitiosæ*, ibi, *& mobilia pretiosa Deo dicata*; tum etiam, quia æquiparantur immobilibus, & in hac materia pari passu ambulant, *l. sancimus, C. de sacrosanct. Eccles.* & docet *Abbas in cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. & Quarant. cit. loc. num. 24.*

2. Hinc Calices cum patenis, lampades, candelabra argentea, ampullæ, vasaque benedicta, cum aspersorio, & consimilia, Sacrificio Missæ servientia, non possunt alienari sine licentia Papæ; & eò fortiùs, si sint aurea, *Ricc. 1. p. prax. decis. 61. num. 2.* in 1. editione.

3. Amplia ad gemmas, ac vestes pretiosas, quæ longè ab interitu distant, & usui Ecclesiæ deserviunt, *Barbos. allegat 95. num. 39. & Merolla tom. 3 de Privil. disput. 7. de jurisdict. cap. 7. num. 160.*

4. Quod dictum procedit, etiamsi res prædictæ seorsum, & singulariter sumptæ, sint parvi valoris: dummodò simul acceptæ, valeant juxtà dispositionem *cap. Terrulas, 12. q. 2.* etenim in his rebus mobilibus, ad faciendum mobile pretiosum, non requiritur unitas physica, nempe, ut res sit una numero, sed satis est unitas moralis, scilicet, ut sint una res per aggregationem, ad aliquem finem ordinata, ut dictum est suprà; sed lampades, & similia insimul accepta, ordinantur ad unum, & eundem finem, utpotè ad Dei cultum, & Ecclesiæ ornatum, ergo licèt singulæ non tanti valeant, adhuc nequeunt alienari sine solemnitate, *Peregrin. cit. loc.*

5. Verumtamen limita, conclusionem prædictam non procedere in oblationibus, ac votis alicui Imagini Regularium factis; hæc enim possunt alienari sine assensu Apostolico, ut cætera mobilia non pretiosa, quæ servando servari non possunt, *Ricc. 1. par. prax. decis. 102.* in 1. editio. *num. 6. Bonac. de alienat. disput. 2. q. unic. punct. 2. num. 6. Novar. 1. p. sum. Bull. de alienat. rerum Regularium, super Bulla Gregor. XIII. num. 22. & Diana p. 4. tract. 4. Miscell. resolut. 223. ver. nota quartò.*

6. Sed quid de vasis argenteis, quæ simul sumpta excedunt summam triginta ducatorum?

Respondent præcitati *Doctores*, quòd vasa aurea, vel argentea in casu posito, secundùm probabilem opinionem, nequeunt alienari, sine assensu Apostolico, ex quo fortè respiciunt cultum ejusdem Sancti, cui fuerunt oblata, & consequenter censentur res una unitate morali, de qua dictum est suprà.

7. Probabiliùs tamen, & meritò censet oppositum *Peregrinus in comp. Privil. ver. alien. in schol.* paululùm ante *dubitationem quartam*, ex eo, quia finis ille non est finis intrinsecus horum votorum, quæ solùm à vovente redduntur, ut suo voto satisfaciat, nec ad aliquem Ecclesiæ usum ordinantur, sed otiosa manent in testimonium gratiæ acceptæ: nihilominus ad tollendum omne scrupulum, tutiùs erit, in his Sanctam Sedem consulere, ut in praxi vidi observatum in multis Locis nostri Ordinis.

***

Quæst. 55. Lampades argenteæ, & similia pretiosa, an valeant alienari, ad hoc, ut earum pretium convertatur in fabricam Monasterii?

1. Illustrissimus *Ricc. decis. 7. in praxi decisionum omissarum*, positarum in *fine 1. p. fol.* mihi 9. dicit, quòd sic, ex eo; quia ex hac alienatione nullum dominium in extraneam personam transfertur, cùm remaneat apud eandem Ecclesiam, *Bonac.* verò *de alienatione, disput. 2. q. unic. p. 2. num.* 30. dicit totum oppositum; seclusâ tamen consuetudine in contrarium; tum quia hæc sunt mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, & quibus Ecclesia ornatur, ut in *d. extrav.* dicitur; tum etiam, quia sicut est prohibitus omnis contractus, per quem transfertur dominium directum, vel utile, etiamsi fiat inter Ecclesias, itâ & à fortiori videtur invalida alienatio dictorum bonorum mobilium, cùm illorum dominium transferatur in extraneum.

2. Verumtamen *illic Riccius* loquitur de lampadibus superfluis, quæ ab una Ecclesia alteri venduntur, vel commutantur, ob superfluitatem, quas alienationes, vel commutationes, inter Ecclesias factas, voluit non comprehendi sub dispositione *dict. extravag.* de qua re dico infrà, & additur, quòd *d. Paulina* loquitur de necessariis, & de usu Ecclesiastico dicatis, non autem de superfluis, quæ otiosa manent. Tu autem cogita, an hæ lampades sint alicui usui Ecclesiæ destinatæ; ad hoc, ut possint dici de mobilibus pretiosis: pecunia enim absoluta ab usu & fructu, non numeratur inter mobilia pretiosa.

Quæst. 56. Reliquiæ Sanctorum an possint alienari à Prælato, sine licentia Papæ?

1. Et quidem posse, probabile dicunt *Bonac.* cit. *loc. num.* 31. *Peregrin. in d. schol. ver. quinta dubitatio, Diana p. 4. tract. 4. resol. 223. ver. notandum, Bordon. de alienat. resolut. 27. q. 22. num. 62. & Lezana ver. Reliquia, num.* 3. ex quo non comprehenduntur sub mobilibus pretiosis, de quibus loquitur *d. extrav.* etenim ipsa loquitur tantummodò de bonis temporalibus, pretio æstimabilibus; Reliquiæ verò Sanctorum non sunt pretio æstimabiles: ergo illarum alienatio non prohibetur ex hoc capite.

2. Sed non posse, probabiliùs putant, non solùm iidem, verùm & *Genuens.* in nova *praxi cap. 71. in annotat. num. 4. Riccius 1. p. prax. decis. 63. num. 2.* in 1. editio. D. Episcopus *Marania controver. p. 2. resp. 3. num. 3. & sequent. & Antonius Ricciull. lucubrationum Ecclesiast. lib. 1. cap.* 44. & ea ratione dicuntur, quia si vasa sacra prohibentur alienari, § *sacra, Instit. de rer. divis.* & liquet in *d. Paulina*, ibi, *Deo dicat.* multò fortiùs debet prohiberi alienatio Reliquiarum. Hæ namque sunt adorandæ multiplici ratione, quod non valet dici de vasis sacris; tum quia sunt promptuaria Dei, pura Christi habitacula, organa Spiritus Sancti, & immaculata specula, ut dixit *Sacrosancta Nicæna secunda Synodus, action. 3. tom. 2. Concil. fol.* mihi 498. tum etiam, quia Deus Sanctorum Reliquias miraculis honorat, *D. Thomas 3. par. q. 25. art. 6. in corp. & ibidem Cajet.*

3. Tum item, quia per eas multa nobis impetrantur beneficia, & gratiæ fructus conferuntur, ex *Conc. Trid. sess. 25. in princ. in Decreto de Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum.*

4. Quapropter jure optimo censentur omni auro & argento, omnique thesauro pretiosiores, teste *Chrysostomo in Hom. 8. de Laudibus Pauli Apostoli*, ibi, *opulentissimum hunc igitur thesaurum in nostris avidè pectoribus recondamus. Hauriamus certatim virtutes ex abundanti isto bonæ voluntatis fonte manantes, & cupiditate maximè feracissimè hujus arboris poma rapiamus, &c.*

5. Perinde earum venditio aperta est simonia, *c. fin. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, Sylv. ver. Reliquia, & Sanchez ad Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 43. num. 22.* & furtum est mortale, immò sacrilegium, *cap. corpora, de consecrat. distinct. 1.* etiamsi sit minimæ partis; quia quælibet particula Reliquiarum est sacra, & eandem retinet venerationem, *Navar. super extrav. de datis pro justit. not. 10. num. 20. & de simonia, consil. 52. num. 3.* in 1. editio. *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 3. num. 5. & Portell. in dub. ver. Reliq. num. 5.*

6. Nec ipsarum distractio fieri potest sine licentia Papæ, quippe qui nec eam absolutè concedit, sed cum quadam limitatione & clausula; *dummodò* scilicet *non extrahantur particulæ de Reliquiis insignioribus, nec de muro clausis, & cum consensu Episcopi,* de quo stylo, & praxi Curiæ Romanæ testantur *Genuens. num. 6. & Ricc. num. 5.* cit. *loc.* & *dummodò recipiantur à sponte dantibus, non aliter, nec alio modo, Ricciull. ubi suprà, num. 3.*

7. Quod procedit in Reliquiis existentibus in proprietate, & dominio Ecclesiæ, non autem in Reliquiis existentibus penès pios viros, uti personas particulares, nam & hæ ab eisdem dari possunt, & distribui, absque Episcopi, & Papæ licentia.

8. Neque in Reliquiis, quæ afferuntur à mercatoribus è partibus infidelium; quia hæ pariter possunt alienari; facta tamen illarum recognitione: etenim considerantur, ut res propriæ, *Ricciull.* cit. *loc.* nec procedit, si in Ecclesia reperiantur plures partes ejusdem Sancti; nam in tali casu Rector, pietatis causâ potest sine dicta licentia frustulum aliquod alteri concedere, quia aliis remanentibus, Ecclesiæ decor non deficit, & pietas dilatatur, *Fusc. de visit. lib. 1. cap. 8. num. 12. ver. cum licentia tamen Episcopi.*

9. Nec his obstat *cap. corpora, de consecrat. distinct. 1.* in quo dicitur, quòd corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio Principis, id est, Papæ, vel Episcopi, & Sanctæ Synodi, id est, Canonicorum; quia *d. cap.* procedit de jure antiquo; fallit autem de jure novo; fuit enim reformatum in *d. Paulina*, per quam hodie nemini licet cum sola licentia Episcopi Reliquiarum frustula concedere, *Genuens.* cit. *loc. num. 6. in fin.*

Quæst. 57. Annui census, Actiones, & Iura, an possint alienari, inconsulto Papa?

1. Negativè dic; quia annui census inter immobilia connumerantur, prout manifestè decidituri in *Clem. exivi de Paradiso, §. cùmque annui redditus, de verbor. significat. & in l. si quis Inquilinos ff. de legat. 1.* & docet *Covar. lib. 3. var. cap. 7. num. 2. Garzias de benef. p. 2. cap. 5. num. 97. Riccius 1. p. prax. decis. 44.* in 1. edition. *& 2. p. ver. resolut. 194. in fin. & in collect. super d. Clem. 668. Quarant. ver. alienat. num. 26. Barbosa allegat. 95. num. 46. Novar. in prax. nov. jur. Pontif. de alienat. num. 9. & D. Donat. Anton. de Marinis p. 1. quotid. resolut. cap. 11.* & ratio esse potest, quia cùm annuus census non possit, nisi super re immobili constitui, ex *Constitut. Martini V. Calixti III. Pii V.* & aliorum Summorum Pontificum, ratione hujus cohærentiæ dicitur consistere in eodem loco, in quo res illæ, quibus cohæret, sitæ sunt, *Roder. de ann. redditib. lib. 2. q. 9. n. 8. Carroc. decis. 105. num. 16.* vel quia omnes res, ex quibus fructus percipiuntur, inter immobilia connumerantur; quia quod singulis annis renascitur, fructus est, ex *Gloss. in l. divortio, § si vir, ff. solut. matrim.* & docet *Bald. in proœm. feudor.*

2. Hinc multa inferuntur Corollaria, & Primò, Superiores

periores Regulares non posse permittere, Religiosos subditos habere annuos census; & eò fortius, si sint Ordinis Minorum; quia hoc eis repugnat de jure communi Canonico, & speciali.

3. Secundò, annuos census non posse alienari sine solemnitate, per *textum in l. jubemus nulli, C. de sacrosanct. Eccles.*

4. Tertiò, comprehendi in legato immobilium, ob quod, si statutum disponeret, ut de venditione cujuslibet rei immobilis solvatur gabella; debet etiam solvi pro venditione annuorum redditum, *Surdus decis. 204. & Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 107. num. 15.*

5. Quartò, illud tempus requiri, & necessarium esse ad præscribendum annuos census, quod requiritur ad præscribendum bona immobilia, *Carrocius cit. loc. nu. 7.*

6. Quintò, pecuniam in contanti extantem, quæ pervenit ex affrancatione, seu extinctione census, vel ex testatorum ordinatione, vel ex contrahentium conventione, vel pervenit ad Ecclesiam ex alia venditione, posse collocari, & converti in emptionem annuorum redditum, vel aliorum stabilium, *D. de Marinis cit. loc. num. 13. & Bordon resolut. 27. q. 16 num. 55.*

7. Sextò infertur, quòd sicut emens bona stabilia, pro illis collectas solvere tenetur; ità pariter & emens annuos census solvere tenetur pro eo, quod habet super fundo, in quo impositus est census, & venditor pro residuo fundi, qui sibi remanet sine censu, ut constat ex *d. extrav. Pii V.* & reliqua, quæ exinde sequuntur, vide *d. collect. Ricc.*

8. Quod tandem dictum est de censibus, extende ad jura, & actiones Monasterii; quia hæc dicuntur bona incorporalia, quæ quamvis non sint propriè res mobiles, vel immobiles, reducuntur tamen ad illud bonorum genus, circa quæ versantur; si enim versantur circa bona immobilia, immobilia sunt; secùs autem, & colligitur tum ex *l. si ad resolvendam, C. de prædiis minorum*, tum etiam ex *d. extravag.* quæ absolutè loquitur de bonis, & docet *Syl. ver. alienat. q. 10. Panor. in cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. & Bonac. in d. p. 2. num. 19.*

9. Proinde si quis lampadem argenteam, vel calicem Regularibus legasset, Prælatus Regularis Legatarius non potest pro illis pecuniam accipere; quia non possumus sine solemnitate alienare jus, & actionem ad mobile aliquod pretiosum, *Peregrin. in Comp. ver. alien. in d. schol. in 4. dubit.*

10. Idem procedit in transactione, compromisso, cessione litium, causarum, nominum debitorum, & similium, ob eandem rationem, *Quarant. cit. loc. num. 20.*

11. Quod intellige de re immobili, & Ecclesiæ incorporata; secus autem dicendum de rebus, in quarum possessione ipsa Ecclesia non existit; quia in tali casu sine solemnitate potest fieri remissio, transactio, & concordia; quia hic non alienantur res, quas Ecclesia habet, sed quas sub dubio sperat habere, & pro acquisitione rei certæ expedit remittere, quod in spe prætenditur, *Peregrin. cit. loc. dubit. 6. & Diana p. 4. tract. 4. Miscell. resol. 224. in not. 3.*

Quæst. 58. Annui Redditus, seu Census Ecclesiastici, an possint diminui, vulgò calare, sine assensu Apostolico?

1. Illustrissimus *Riccius 1. p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 134.* cui favet *Novar. in praxi novi jur. Pontif. de alienat. conclus. 1. alias 23. num. 9. D. Donat. Anton. de Marinis quotid. resolut. cap. 6. num. 11. & Paulus Squillant. de obligat. Cler. par. 2.* sub *dub. 3. num. 50.* post allegatos negativè resolvit, si contractus stat, hoc est, in suo robore, & firmitate manet, & non fuit rescissus: diminutio enim est species alienationis, *l. final. C. de reb. alien. vel non l. alienatum, ff. de verb. signif.* & patet ex eo, quia annui redditus connumerantur inter immobilia, quæ non possunt minui, nec dividi in partes minimas alienabiles, sine beneplacito Sedis; & ità in facti contingentia fuit resolutum in dicta Curia Archiep. & practicatum in anno 1613. quando Civitas Neapolitana voluit annuos redditus omnium creditorum, etiam Ecclesiarum minuere, & sbassare, ad sex ducatos pro quolibet centenario; prout refert idem *Ricc. 1. p. prax. decis. 71. num. 4.* in 1. editione.

2. Secùs autem dicendum, si contractus fuit rescissus, & pecunia fuit per debitorem deposita in publico Banco, vel alibi, & cùm tunc dicatur novus contractus, & sit in libera Ecclesiæ, seu Clericorum facultate, quem velint, de dicta pecunia investire; si proinde non inveniuntur tot redditus, quot per primum debitorem exolvebantur, utpotè decem pro quolibet centenario: posset dicta pecunia investiri, pro quantitate redditus, quæ reperitur; cùm res tanti valeat, quanti vendi potest, *l. pretia rerum, ff. ad legem falcidiam*, & notant *DD. in l. 2. C. de rescind. vend.* & hoc modo redditus Ecclesiastici non dicuntur diminui, etiamsi dicta pecunia investiretur, ac daretur primæ personæ, sine assensu Apostolico, argum. *l. alienationis verbum, ff. de verb. signif.*

Quæst. 59. Legatum, hæreditas, & quid simile, an possit validè repudiari à solo Prælato, sine assensu Apostolico?

1. Hæc quæstio dubia est, suósque hinc inde habet Achilles, de quibus latè *Præses de Franchis decis. 14. num. 16. & seqq. Syl. ver. alienat. num. 18. q. 19. Quaranta ver. alien. num. 23.* & magis clarè *num. 44. Sanchez de matrim. lib. 6. disput. 4. Ricc. 1. p. prax. decis. 96.* in 1. editio. *Bonac. de alienat. disp. 2. quæst. unic. p. 2. num. 33.* egregiè *Genuens.* in suis *practicab. Eccles. cap. 6. q. 151. pag.* mihi 195. *Barbosa 3. par. de off. & potestate Episcopi, allegat. 95. num. 51.* eruditè *Novar. decis. 115. Peregrin.* in suo *comp. Privil. Theatin. ver. alien. in schol. in 8. dubit. Megal.* in suo *prompt. eod. ver. num. 17. in medio, Bordon resolut. 27. quæst. 12. num. 46. & Lezana p. 2. cap. 19. num. 60. ver. an autem Prælatus.*

2. Qui dicunt, quòd de jure communi solus Prælatus potest legatum, vel hæreditatem validè repudiare, absque metu pœnarum, *d. extrav.* & se fundant in multis: Primò, in illa communi Regula, qua dicitur, quòd Prælatus non potest suæ Ecclesiæ in quæsitis præjudicare, secus autem in acquirendis, sed hæreditas delata, nondum tamen Ecclesiæ incorporata, dicitur jus quærendum, non autem acquisitum, & patet ex eo; quia in *d. extravag.* prohibetur alienatio rei Ecclesiæ, legatum autem ante sui acceptationem non potest dici, quòd sit Ecclesiæ; ergo non comprehenditur sub dispositione *d. Paulinæ, & Decret.* Sac. Congregat.

3. Secundò, quia repudiatio non est alienatio, ut constat ex *textu, l. qui autem, in princip. ff. de his, quæ in fraud. Credit.* ubi debitor, qui non est solvendo, non potest aliquid alienare in præjudicium Creditorum; & tamen potest repudiare hæreditatem, vel legatum; quia hoc non est alienare.

4. Confirmatur ex *l. alienationis, ver. qui occasione, ff. de verb. signif.* ubi dicitur, *quòd qui occasione non utitur in acquirendo, non dicitur alienare, nam alienare, est jam acquisitum in alium transferre, sed non acquirere, est negligentia, aut malitia volentis obviare*; & hoc est præcipuum fundamentum hujus opinionis.

5. Confirmatur, quod est in spe, non est in re, *l. Spes, C. de donat.* unde jus in spè dicitur jus imaginarium, *l. in suis*, ubi latè *Bald. ff. de liber. & posthum.* res autem legata, est in spe Ecclesiæ, non autem in re, ut dictum est, ergo.

6. Tertiò patet ex eo, quia si emphyteuta Ecclesiæ cessaverit per biennium à solutione Canonis, potest solus Prælatus ei remittere caducitatem; quia nondum erat res incorporata Ecclesiæ, & docet *Cardinal. in cap. potuit, de locat.*

7. Nec non & novalia, quæ ejus Ecclesiæ deberentur, potest dimittere, vel sibi retinere, vel alii Ecclesiæ concedere; sine tamen licentia Papæ, *cap. quoniam. de decimis.* Idem fortè procedit in laudemiis futuris, quæ possent ejus Ecclesiæ obvenire; prout tenent multi *Doctores.*

8. Quartò, quia ita sæpiùs censuit *Rota Romana*, & præcipuè in causa *Aversana S. Benedicti*, 5. Novembris, 1597. coram *Litta*, & in una *Bonon. de Pazonib.* 13. mensis Maji, 1588. coram *Fabio. Puteus decis. 519. lib. 2. Feder. de Senis in cons. 9. Lap. allegat. 26.* & refert *Ricc. in dict. decis. 96.*

9. Negativa verò sententia se pariter fundat in multis. Primò in *l. magis puto, §. fundum, ff. de reb. eorum*, ubi habetur, quòd pupillus non potest sine licentia Prætoris repudiare legatum sibi delatum, ubi *Ulpianus* ità loquitur, *fundum, aut legatum repudiare pupillus sine Prætoris authoritate non potest; esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat.* hæc ille.

10. Nec dices, quòd hoc procedit in pupillo, ex eo, quia caret administratione; nam ratio *Ulpiani* est universalis, quæ respicit non administrationem, sed ejus possessionem, seu tenutam.

11. Secundò, clarum est, Ecclesiam habere jus, & actionem ad legatum, ad hæreditatem, aliaque bona sibi relicta, ex *l. 1. & 2. C. commun. de legat.* insuper & hypothecariam, ex *l. final. C. de sacrosanct. Eccles.* unde ipsam rem videtur habere, *l. qui actionem, ff. de regul. jur.* ergo sumus in quæsitis, non autem in quærendis, ergo exigitur assensus Apostolicus; quia repudiatio respectu juris acquisiti, alienatio est, licèt non sit alienatio rei perfecta, ut dicitur in *d. l. qui autem, & in d. §. fundum.*

12. Tertiò, Prælatus tenetur acquirere suæ Ecclesiæ, & non acquirendo, tenetur ad interesse, *cap. quicunque, ibique Gloss. 12. q. 4.* instar tutoris, qui potuit acquirere pupillo, & non acquisivit, juxtà *textum in l. quidquid, C. arbitr. tut.* ergo nec in acquirendis potest præjudicare suæ Ecclesiæ; quia hæc duo non se compatiuntur: tenetur quærere, aliàs punitur, & potest in quærendis suæ Ecclesiæ præjudicare? qui enim potest aliquid facere, jure facit, & quod fit jure, non est punibile.

13. Confirmatur, Prælatus, qui in damnum Ecclesiæ repudiat legatum, impedit, ne exinde obventiones à Ministris Ecclesiæ recipiantur, & consequenter est excommunicatus, ex *Conc. Trid. cap. 11. sess. 22. de reformat.* ergo.

14. Nec his obstant aliquæ decisiones Rotæ Rom. quia eadem Rota sæpè resolvit in contrarium *decis. 359. p. 2.* apud *Verall.* quapropter ejus authoritas pro nulla parte potest allegari, ex Regula *l. ubi repugnantia, de Regul. juris*; hanc denique opinionem nedum communiorem ac veriorem, verùm etiam & verissimam ex multis ostendunt, & ab ea in consulendo, & judicando recedendum non esse, *Genuens. & Novar.* cit. *loc.* & *Aloys. Ricc. 4. p. decis. 54.* ubi eruditè respondet ad objecta.

15. Tu verò plura considera, & primò, quòd illa Regula, qua dicitur, quòd Prælatus potest suæ Ecclesiæ in acquirendis præjudicare, non autem in quæsitis, in nullo jure reperitur, immò & contrarium; nam in *cap. requisivit, 1. de in integrum restitutione*, habentur hæc verba, *absque ulla restrictione, cùm Episcopo ejusdem Ecclesiæ conditionem facere deteriorem non liceat, & Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari.* hæc ibi: id ipsum legitur in *cap. 2. de donat.* & in *Can. final. 16. q. 6.* à *Gratiano* dicitur, ibi, *quia Procurator conditionem Ecclesiæ potest facere meliorem, non autem deteriorem, &c.* & lex indefinitè loquens, universaliter debet intelligi, juxta vulgatam Regulam *l. Prætor, § ait Prætor, ff. de nov. oper. nunciat.* & *l. de pretio, ibique Glossa, ff. de public. in rem act.* & quando lex, statutum, vel Pragmatica nullum casum excipit, nec Judex debet excipere, ex *Gloss. in l. quamvis, ff. de in jus voc.* & docet *Novar. ubi suprà, num. 5. Glossa* tantùm in *dict. cap. 2.* fecit illam differentiam, respectu quæsitorum, non autem acquirendorum, ibi, *meliorem, hoc verum est in acquisitis; secùs autem in acquirendis*, quod dictum videtur reformatum ab alia *Glossa in cap. fraternitatem. 2. de donation. in ver. non debet*, ibi, *non debet in faciendo, sed omittendo tamen potest*; tunc enim omittit Prælatus, quando conniventer se habet, & negligit adire, vel acceptare, & aliud est, omittere, & aliud, facere, nempe repudiare, vel cedere.

16. Secundò considera, an simus in re levi, vel gravi, utili, vel inutili, an in his, quæ ipso jure, absque alio requisito quæruntur Ecclesiæ: legatum enim delatum Ecclesiæ, confirmatur morte legantis; & absque acceptatione Prælati quæritur Monasterio; hæreditas etiam non adita, sequuta morte testatoris, pertinet ad Monasterium, idem dic de donatione, quæ sine acceptatione Prælati est de jure Ecclesiæ: in his enim fallit dicta Regula, etiamsi detur ei locus, *Ricc. in dicta decis. 4. par. Barbosa* cit. *loc. num. 54. & Genuens. in practicab. Eccles. q. 341.*

17. Tertiò, esto, quòd Prælatus posset suæ Ecclesiæ præjudicare in quærendis, hoc debet intelligi, respectu suæ Ecclesiæ Cathedralis, quam immediatè regit; secùs autem respectu cæterarum, latè *Riccius in 3. p. decis. 49.* ubi latè de dicta Regula, & in *2. p. var. resolut. 114.* ubi ex multis concludit, quòd Monachus non potest repudiare legatum factum ad beneficium Monasterii.

Quæst. 60. Bona Confraternitatum, Hospitalium, & piorum Locorum, an possint alienari sine assensu Apostolico?

1. Negativè dic, si Confraternitates, & Hospitalia sunt erecta authoritate Episcopi; secùs autem *Ricc. in praxi 1. p. decis. 48. & 82.* in 1. editio. & in *2. p. var. resol. 372. Barbos. allegat. 75. num. 32. Bonac. de alienat. disput. 3. q. unic. p. 2. num. 10. Ciarlinus controver. for. cap. 116. Gavantus* in suo *Manuali ver. alienatio, num. 15. D. de Marinis cap. 6 num. 8 lib. 1. & Novar. 2. p. sum. Bullarum, de alienat. super Bullam Pii IV. & Pauli IV. n. 30.* & hoc ideo, quia loca erecta authoritate Episcopi, censentur pia, religiosa, & Ecclesiastica; unde gaudent immunitate Ecclesiastica, visitantur ab eodem Episcopo, dant quartam de piis sibi relictis, & gaudent præscriptionis Privilegio; etenim effecta sunt de jure Ecclesiasticorum; & in dubio ità præsumuntur fuisse erecta, *Caval. decis. 63. Riccius, & Novar. ubi suprà*, & eò fortiùs ità præsumuntur erecta, si ibidem reperiantur Sepulturæ, vel Cœmeterium, vel si ibi administrentur Sacramenta, aut celebrentur divina, vel si habeant Campanile cum Campana, *Quarant. & Bonac.* cit. *loc.*

2. Immò, etiamsi careant Campanili, & Campana, dummodò Rectorem habeant sibi ab Episcopo institutum, vel ab eodem, ut dictum est, fuerint visitata, quia Campanile, & Campana non sunt causa efficiens loci religiosi; sed tantùm signum, quòd in fundatione illius intervenit Episcopi authoritas.

3. Hinc, si ex aliis signis comprehendatur, Hospitale, vel Confraternitatem esse fundatam authoritate Episcopi, id solùm sufficit ad constituendum Locum Religiosum; prout ex multis ostendit *Ciarlin.* cit. *loc. num. 11. & sequent.* & habetur in *c. ad hæc, de Relig. Domib.* & constat ex Palatio Episcopi, & ejus Seminario, quæ licèt non habeant Campanile, nec publicam Campanam; adhuc gaudent Privilegio immunitatis Ecclesiæ; secùs autem dum,

dixi; quia loca erecta sine authoritate prædicta, censentur merè profana, sæcularia, & Collegia Laicorum.

4. Perinde, possunt destrui, & ad libitum profanari; nec non eorum bona alienari, consumi, in sæculares usus converti, & Laicorum gabellis supponi, sine solemnitatibus requisitis in alienationibus rerum Ecclesiasticarum; quia censentur jura Laicorum, de quibus Jura Canonica non se intromittunt.

5. Quod procedit, etiamsi ibidem exerceantur opera pietatis, & concernant pium usum; quia aliud est, loqui de loco pio, & sacro, & aliud est loqui de operibus piis, *Quarant.* cit. *loc.* Idem dic de Oratoriis privatis, etiamsi ibidem celebrentur Missæ de licentia Episcopi; quia uti fundata privata authoritate in loco proprio & particulari, censentur accessoria, quæ sequuntur naturam sui principalis, *Novar.* cit. *loc.* cum præcit. *ubi suprà.*

Quæst. 61. Res empta ab Ecclesia cum pacto de retrovendendo, an possit revendi sine assensu Apostolico?

1. ILlustrissimus *Riccius 1. p. praxis decis.* 52. in 1. editio. & *Novar. 1. par. summ. de alienat. num.* 4. multis citatis respondent negativè; quia retrovenditio est vera, & propria alienatio; nam ex ea dominium transfertur, & jus in re deperditur.

2. Nihilominus *Bordonus resolut.* 27. *q.* 4. *num.* 8. contrarium veriùs putat, ex eo, quia retrovenditio non est propriè alienatio, neque novus contractus, neque diversus à priori, sed rescissio illius, non libera, sed necessaria; pullulat enim ex pacto de retrovendendo, nec comprehenditur sub dicta *Extravaganti, & Decreto*, prout ex multis ostendit *Redoan tract. de alienat. q.* 66 *num.* 9. quod probabile putat *Bonac.* cit. *loc. de alienat. p.* 2. *num.* 16. neque per eam transfertur dominium, at fit restitutio, seu remissio rei, non absolutè incorporatæ, sed conditionaliter habitæ, sicut fit in repudiatione legati, ut constat ex *l. alienationis, ff. de verb. signific.* nec de ea solvitur laudemium, ob rationem prædictam.

Quæst. 62. Alienatio cum pacto de retrovendendo, an possit fieri sine solemnitate?

1. NEgativè, quia est vera alienatio, *Afflictus decis.* 338. *Gratian. discept. forens. cap.* 526 *num.* 31. *tom.* 3. & alii plures, quos refert & sequitur *Novar.* 1. *p. sum. Bull. de alienat. super Bull. Gregor. XIII num.* 4.

Quæst. 63. Bona immobilia relicta, vel donata Monasterio incapaci, retinendi etiam in communi, an comprehendantur sub d. Extrav. & Decret.?

1. REspondeo negativè; ideoque possunt alienari sine assensu Apostolico, & pretium eorum potest converti in necessitatem, & utilitatem Monasterii; quia hæc bona non sunt Monasterio incorporata, ob incapacitatem ejusdem, ut dicitur in *Clem. exivi, de verb. signific.* sed ita est, quòd in alienationibus rerum nondum Ecclesiæ incorporatarum, non exigitur beneplacitum Sedis, *Novar in praxi novi jur. Pontific. super d. Decret. Sac. Congregat. num.* 3. & docent omnes, & constat ex decisis, ergo.

2. Secùs verò dicendum de bonis mobilibus pretiosis, prout sunt Calices, vasa aurea, argentea, & similia; quia hæc censentur incorporata, & applicata divino cultui; de qua re latè *Sanchez lib.* 7. *sum. cap.* 25.

3. Hinc PP. de Observantia, Capuccini, & Theatini possunt sibi relicta alienare sine licentia Papæ, & pretium venditorum in utilitatem sui Monasterii convertere, quod extende ad annuos census, jura, & actiones, ex quo computantur inter stabilia, *Peregrin. in comp. Privil. in schol. ver. alienat. in* 4. *dubit.* quod magis patet ex supplici libello Sacræ Congregat. porrecto, & subsequuta declaratione ejusdem, quæ est tenoris sequentis:

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini. Generalis Clericorum Regularium exponit humiliter Illustriss. DD. VV. qualiter ejus Religio nullo unquàm tempore possedit bona aliqua immobilia, animo ea retinendi, cùm id expressè prohibeant Constitutiones ejusdem Religionis; à tali enim possessione voluntariè se abstinet, ut eò liberiùs, & promptiùs paupertatem Christi Domini imitetur: & licèt stabile quoddam Panhormi, eidem Religioni relictum, nondum alienatum sit, hoc fuit inopia emptorum, & multitudo litium: nunc verò temporis, Præposito Domus ejusdem Civitatis injunctum est à Capitulo Generali, ut quàm citissimè, quocunque modo illud vendat, & quocunque pretio, quapropter humiliter eadem Religio postulat, ab hac Sac. Congregatione declarari, non comprehendi sub prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis; promittendo, prout opus est, ex nunc, & in futurum juxta formam Constitutionum ejusdem Religionis firmiter observaturam supradictum Institutum; nec ullo unquam tempore recepturam, seu accepturam bona aliqua immobilia, titulo vel eleemosyna, vel emptionis, vel quocunque alio; nisi ad effectum, ea vendendi, vel pro usu fabricæ Ecclesiæ, seu Monasterii: & in tantum intendit, tale Decretum gratiosum sibi suffragari, in quantum hujusmodi Institutum est servatura, &c.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quamdiu Institutum superiùs propositum retineat, quoad bona immobilia, non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Ecclesiæ non alienandis. Cosm. Card. de Torres. Prosper Fagnanus Sac. Congregat. Secret.

Et habetur in *Libello* attitulato, *Bullæ & Decreta recentiora*, sub *Decret.* prædict. Sac. Congregat. editis, *de reb. Regularium non alienandis, fol.* mihi 100. quod etiam per extensum refert *Pyrr. Corr.* sub eodem *Decret. in praxi dispensat. Apostol. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 13.

Quæst. 64. Si stabilia sub tali conditione donentur, ut à dicto Monasterio alienari non possint, secùs autem non intelligantur legata: an hujusmodi conditio sit licita, & valeat?

1. NEgativè *Syl. ver. alienatio, q.* 21. *num.* 10. *& eod. ver. Armilla, num.* 29. cùm enim sit turpis, utpotè contra statuta dicti Monasterii, habetur pro non adjecta, nec pœnæ appositæ datur locus, ob eandem rationem; ideoque bona prædicta sunt omninò alienanda, etiam extrà casum necessitatis, vel utilitatis, eorumque pretium est erogandum ad utilitatem d. Monasterii, vel in sustentationem pauperum, non obstante conditione prædicta; quia non nocet, neque valet, ut dictum est.

Quæst. 65. Bona relicta Monasterio capaci, sub conditione, quòd possint alienari sine assensu Apostolico; an valeant alienari absque prædicta solemnitate?

1. STephanus *Quaranta ver. alienat. num.* 31. *Bonac.* cit. *loc. p.* 4. *num.* 10. *Bordon. resolut.* 23. *q.* 11. *num.* 24. *& Gavantus in Manual. ver. alienat. num.* 16. respondent negativè; tum quia prædicta conditio habetur pro non apposita, ex quo expresè est contra jus, *cap. verum, de condit. apposit.* tum etiam, quia pacta contra leges, nullam

lam vim habere possunt, *l. pacta, C. de pactis, & l. non dubium, C. de legib.* tum item, quia cùm dominium rei donatæ sit quæsitum Ecclesiæ, res effecta est Ecclesiastica, quæ ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet, & non ampliùs ad legantem.

2. Nec dices, quòd cessante causa finali, cessat legis dispositio, *cap. cùm cessante, de appellat.* quia causa finalis piarum dispositionum est Deus ipse, & animæ legantis salus; modus verò est causa impulsiva, quæ non impedit legatum, prout ex multis egregiè ostendit *Did. Covar. var. resolut. lib. 1. cap. 14. num. 6. & D. Episcopus Maranta controver. p. 1. respons. 9. num. 21. in responsione ad primum.*

3. Nec testatoris interest, quòd res ab eo donata, alienetur ab Ecclesia, cum consensu, vel sine consensu Papæ; sed tantùm providere necessitati pii loci; qui quidem illam conditionem apposuit, quantum in se est; & dummodò sit possibilis; nec potest præsumi, quòd velit se opponere voluntati Papæ; nec legatum amittitur, ob gravamen non adimpletum; cùm gravamen ex justa causa commodè ac honestè adimpleri non potest, *Novar. decis. 130. num. 29. & sequent. & Ricc. collect. 4204.* ubi de hac re plura habes.

Quæst. 66. Bona relicta Monasterio capaci, an possint permutari sine assensu Apostolico; si sic Testator disposuit?

1. PYrrhus Corrad. in sua *praxi dispensat. Apostol. lib. 9. cap. 7. num. 14.* respondet affirmativè; & hoc ideò, quia in traditione cujuscunque rei potest quis adjicere quæcunque pacta, & quascunque conditiones, & leges: etiam cùm tradit rem Ecclesiæ, prout habetur expressè in *cap. verùm, de condit. apposit.* quilibet enim est rei suæ moderator, & arbiter, *l. in re mandata, C. mandat.* perinde dispositio hominis facit cessare dispositionem legis, *l. maritus, de Procurator. l. fin. C. de pactis,* & notant *Doctores in l. fin. C. de jur. emphyt. & Canonistæ in cap. potuit, de loc.* & in propriis terminis declarat *Marius Antoninus Macerat. var. resol. lib. 1. resolut. fin. cas. 44.* ubi ait, sic in puncto tenuisse *Socinum senior. cons. 48. num. 4. & cons. 53. num. 16. vol. 1.*

2. Proinde in Curia Romana supplicationes præstitæ ad obtinendum beneplacitum Apostolicum super his permutationibus, non admittuntur tanquam porrectæ super re non necessaria; & docet de praxi *Corrad.* cit. *loc. num. 15.* ex quo stante dicta conditione, idem est, ac si ipse testator permutasset, *Surd. cons. 30. num. 4. & Menoch. de arbitr. cent. 2. casu 171.* Quod intelligo procedere in permutatione necessaria, ut si testator legaverit rem suam Monasterio, sub hac conditione, ut illam teneatur permutare cum Titio; quia res transit cum onere suo, hoc est, cum illa obligatione, ut permutetur, *l. si convenerit, §. si fundus, ff. de pignor. l. Pomponius, §. 1. de acquir. poss. & cap. ex litteris, de pignor.* etiamsi res transeat ad Ecclesiam, *Cravetta cons. 217. n. 5.* & alii plures, quos refert, & sequitur *Bordon. resol. 27. q. 2. num. 3.*

3. Quod magis amplia ad permutationem faciendam ex debito justitiæ, ut si res perventa, permutanda foret cum alio, ex obligatione contracta per personam legantis, dum erat in humanis; tum quia Ecclesia legataria succedit in oneribus testatoris, & tenetur adimplere contractus, in quos testator se obligavit; nam ex contractu nascitur obligatio realis, quæ transmittitur ad hæredes, *l. necessariò, §. quòd si pendente, ff. de peric. & com. rei vend.* tum etiam, quia ex persona hæredis, seu legatarii, conditio obligationis non mutatur, *l. 2. §. ex his, ff. de verb. signif.* sed adhuc perseverat, & transit in successorem, qui tenetur ad onera hæreditatis, ut dictum est.

4. Nec his nocet *cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. extrav. & Decretum* suprà positum; quia debent intelligi de alienatione, & permutatione voluntaria, non autem necessaria, prout ex multis ostendit *Bordon.* cit. *loc. in fin.*

Quæst. 67. Bona Monasterii an possint sine solemnitate hypothecæ submitti, vel in pignus dari?

1. NEgativè dic, & constat ex decisis hîc suprà; tum quia appellatione alienationis in materia favorabili venit etiam hypotheca, & pignoratio; tum etiam, quia ita expressè habetur in *d. extrav. & Decreto S. Cibi, hypotheca, &c.* quod verbum debet intelligi nedum de hypotheca, & pignoratione speciali, ut quidam putant, sed etiam de generali; quia *d. extrav. & Decretum* loquuntur absolutè, prout advertit *Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 16. num. 7. ver. hactenùs de locatione,* cui favet *Quarant. ver. alienat. num. 17. Rodriq. tom. 1. q. 27. art. 1. & Bonac. de alienat. p. 2. num. 23.*

2. Quod dictum tamen limita in extrema necessitate non procedere, *Naldus in summ. ver. alienare, num. 3.* & post allegatos *Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 9. Jul. II. num. 3.*

3. In qua summa necessitate est etiam ordo servandus, ut priùs oppignorentur mobilia, quæ servando servari non possunt. Secundò stabilia minùs utilia; si verò tanta sit necessitas, ut exigat, etiam pretiosa alienari, tunc etiam in his est ordo servandus, ut priùs alienentur pretiosa non benedicta, secundò benedicta, tertiò non consecrata, ut sunt calices, patenæ, vestes, & similia ornamenta deputata in Altaris ministerium, vel ad cultus divini celebrationem, & quòd pignoratio consecratorum nullo modo fiat laicis, ex *textu* singul. *cap. 1. ne Clerici, & in Clem. si beneficiorum, de decimis, in fin.* & docet *Covar. ubi suprà.*

4. Quam limitationem extende ad omnem alium casum, in quo Prælatus potest licitè, sine licentia Papæ, res Ecclesiæ alienare, aut permutare; tum quia nomine alienationis venit pignoratio; tum etiam, quia existente licito contractu ex parte obligantis, erit etiam licita hypotheca, quæ adjicitur contractui, ut quid accessorium, cujus est sequi naturam sui principalis, juxta *Regulam 42. in 6.* tum tandem, quia authoritate concessa faciendi aliquid, intelliguntur omnia concessa, sine quibus illa authoritas commodè nequit expleri, *cap. 5. & cap. 21. §. sexta, de off. delegat. in fin.* ergo, concessa authoritate stipulandi contractus, censetur concessa hypotheca, & obligatio bonorum Ecclesiæ, quæ in illis solet adjici, in confirmationem, & corroborationem contractus, *Bordon.* cit. *loc. num. 13.*

Quæst. 68. An liceat Regularibus accipere pecunias mutuò, cum solutione lucri cessantis, vel ad cambium, ut dici solet?

1. SAcra Congregatio sub his verbis negativè respondit: *Cùm post editum Decretum de rebus Regularium non alienandis compertum sit, Regulares, qui eodem Decreto prohibentur, census imponere super bonis, ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum hujusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; cùmque ex hujusmodi contractu eludatur mens Sacræ Congregationis, cui in primis in votis fuit, consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum hujusmodi plurimùm læduntur, Sanctissimo Domino nostro approbante, decrevit, & declaravit, hujusmodi contractus esse contra mentem Decreti; ut suprà editi: ideoque non licere Regularibus pecunias, ut præponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decretis pœnas, ipso facto incidere, Datum Romæ 21. Maii, 1629. Cosmus Cardin. de Torres: locus † sigilli. Prosper Fagna-*

Fagnanus Sec. Congregat. Et refert per extensum *Corrad.* cit. *loc. num.* 12. & habetur in *d. Libello* attitulato *Bulla, & Decreta recentiora, fol.* 99.

Quæst. 69. *Prælatus cædens, vel succidens arbores fructiferas Possessionum Monasterii, sine solemnitate, an incidat in pœnas d. extrav. & Decret.?*

1. DE Arboribus cæsis latè *Graffius in praxi casuum reservat. lib. 2. cap. 6. Navar. de reb. Eccles. non alien. consi. 6. & 7.* in 1. editione, *Quarant. in sum. ver. alien. num.* 33. *Aloys. Ricc. 1. p. praxis, decis.* 53. in 1. editio. *Megal. p. 3. instit. confess. lib. 4. cap. 6. num.* 94. *Rodr. tom. 1. q. 27. art. 4. Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 9. Jul. II. nu.* 17. *Ciarl. controver. forens. cap. 2.* & magis ample in *cap.* 51. *D. Episcopus Maranta controver. p. 2. respons.* 17. *Bordon. resolut.* 27. *de alienat. num.* 14. *&* 18. *Gavant. in Manual. ver. eod. num.* 18. *Tambur. de iur. Abbat. tom. 3. disput.* 13. *q.* 3. *& Lezana ver. alienat. num.* 16.

2. Ex quibus collige Primò, quòd arbor, quæ non emisit radices, non potest dici arbor, *l. 3. ff. Arb. furt. cæsar, Navar. in d. consi. num.* 1.

3. Secundò, quòd arbores sunt duplicis generis, aut sunt frugiferæ, & feraces, ut sunt olivæ, ficus, vites, & consimiles ferentes Poma.

Aut non sunt fructiferæ, nec feraces, ut Populus, Salix, Fraxinus, Ulmus, Platanus, & similes.

4. Tertiò; quòd arbores dicuntur fructiferæ, ex eo; quia reddunt fructus, sivè naturales, sivè industriales; etenim illi sunt naturales, qui sponte à natura producuntur, nec eis hominis industria dat initium, ut poma, & ligna de sylva cædua, *l. fructus, ff. de usur.* industriales verò sunt illi, quos reddunt vites, & olivæ, nempè oleum, & vinum, ex *textu, l. 3. ff. arbor. fruct. cæsa, l. 1.* § *arboris, ff. de arbor. caden.* & dicuntur ità; quia citrà industriam hominis, natura non profert, *Graff.* cit. *loc.*

5. Quartò, quòd arbores Nucum, Castanearum, & similes; licet sint fructiferæ: veruntamen in incisione æstimantur cæduæ, & non fructiferæ, si ad hoc primariò reperiantur destinatæ: & patet de sylva, glandibus onusta, quæ dicitur cædua, & non fructifera, si ad cæsionem primariò censeatur deputata, ut exindè uberiores fructus reddat, prout latè ex multis ostendit *D. Maranta* cit. *loc. num.* 29. *& sequent.*

6. Quintò, quòd incidens arbores fructiferas, quorum fructus est destinatus in cibum hominum, peccat mortaliter, & potest puniri civiliter, & criminaliter, & ob id tanquàm latro potest furcis suspendi, & bestiis tradi, ex *l. capitalium, ff. de pœnis,* & docet *Graff.* cit. *loc. num.* 10.

7. Quibus sic stantibus, respondeo ad quæsitum affirmativè; tum quia hæ arbores solo cedunt, & jure soli judicantur, *l. adeo* § *alienam, ff. de acquir. rer. dom.* § *si Titius, Instit. de rer. divis.* latè *Quarant. Ricc. & Bonac.* cit. *loc.* tum etiam; quia arbores non sunt in fructu, sed pars proprietatis reputantur, sed Prælatus non potest alienare fundos, nec reddituum proprietatem, ut constat ex *dict. extrav. & Decreto,* ergo.

8. Tum item, quia Prælatus non potest conditionem Ecclesiæ facere deteriorem, *cap. requisivit, de in integrum restit.* & in *can. final.* 16. *q.* 7. sed ex arboribus excisis fundi substantia non remanet, sed deterior efficitur, *Natta consi.* 481. *num.* 4. tum item; quia arborum incisio, æquiparatur demolitioni Domorum, *l. & eleganter,* § *non solum, ff. de dolo. Surdus decis.* 300. *num.* 6. & plures alii, quos refert *Ciarl. in utroque cap. num.* 3. *&* 4. tum item; quia Prælatus Regularis in specie prohibetur alienare possessiones Monasterii, *Clementin. Monasteriorum, de reb. Eccles. non alien.* nomine autem possessionis veniunt res possessæ, seu arbores inhærentes solo, ut multis citatis advertit *Navar. in d. consi. 6. num. 2. Quarant. & Bonac.* cit. *loc.* ergo.

9. Proindè, Beneficiatus non potest incidere arbores fundi sui beneficii, etiam non fructiferas, absque metu pœnarum *d. extrav.* quia æquiparatur usufructuario, *Gloss. in cap. præsenti, de off. ordin. in 6.* arbores enim incidere, spectat ad verum dominum, *Mascard. de probat. conclus.* 195. *num.* 2. quod non potest dici de Beneficiato, *Navar. in d. consi. 7. num. 1. Quarant. Ricc. & Bonac.* cit. *loc.*

10. Et additur, quòd Prælatus deteriorando conditionem immobilium Ecclesiæ in casu posito, nedum incidit in pœnas prædictas, verum etiam in excommunicationem latam contrà usurpantes, vel impedientes redditus, & introitus, nè perveniant ad Ministros Ecclesiæ, ex *Concil. Trid. cap. 11. de reformat.* & ità fuisse à Sac. Congreg. decisum, refert *Megal.* cit. *loc.* fuit enim dubitatum, *an cædentes arbores fructiferas in bonis Ecclesiarum, vel aliud simile damnum inferentes, intelligantur comprehensi in d. Sac. Conc. Trid. Decreto?*

Sacra Congregatio respondit, comprehendi, si in proprios usus converterent, aut impedirent, ne fructus, aut res ipsa percipiantur ab iis, ad quos de jure pertinent.

Quod etiam voluit habere locum in Rectoribus, ut illemet testatur, & docet de causa scientiæ, vide illum.

11. Limita tamen, conclusionem principalem non procedere in sylva cædua, nemore, arundineto, & aliis cæduis, quæ per incisionem sunt in fructu, & renascuntur; per hujusmodi namque incisionem, non deterioratur fundus, *l. divortio,* § *si fundum, ff. solut. matrim.* at potiùs melioratur, ut ex multis ostendit *Quarant. & Ricc.* cit. *loc.*

12. Quandoquidem, ad hoc sylva dicitur cædua, ut cædatur, & ut succisa rursus ex stipite, aut radicibus renascatur post breve, aut longum tempus.

13. Limita secundò, in fructiferis, si hæ arbores sint vetustæ, & corruptæ, aut non fructiferæ, & in loco earum aliæ utiles plantentur, *Peyr. ubi suprà.*

14. Limita tertiò, si ex incisione fundus fieret fructuosior, quàm anteà esset, utpotè, cædendo arbores opacas, aut nimis densas; quia umbra, & densitas fructibus nocet, ut palam est, *Navar. in d. consi. 6. & Rodriq.* cit. *loc.*

15. Limita quartò, quando sumus in parva materia, ut si Prælatus faciat unam, vel duas arbores fructiferas incidere in fundo, *Ciarlin. in d. cap. 2. num.* 52. ubi id ampliat ad quinque vel sex; quia incisio, seu deterioratio debet esse notabilis, & perpetui detrimenti, circà substantiam rei.

16. Et tandem, ad validitatem prædictorum debet attendi decisio Rotæ Rom. quam refert *Farin. par. 2. decis.* 553. *Peyr. num.* 23. *& Lezana* cit. *loc.* in qua determinatur, *quòd ad incurrendas pœnas dict. extrav. requiritur, non solùm, quòd incisio arborum sit in magna quantitate, & quòd arbores sint destinatæ ad afferendum fructum annuum, & quòd non sint cæduæ, sed etiam requiritur, quòd deterioratio fundi sit notabilis:* hæc *ibi.*

Quæst. 70. *An solus Prælatus possit sine consensu sui Capituli, opacas arbores cædere, & cæsas vendere, absque metu pœnarum?*

1. AFfirmativè *Navar. in d. consi. 6. nu.* 3. cui favet *Rodr. in d. ar. 4. Quarant. num. 33. in fin. & Peyr. ubi suprà, num.* 19. quia Prælatus in evidenter meliorando conditionem Ecclesiæ, non indiget consensu sui Capituli, cum de se hoc teneatur peragere, ut constat ex decisis; sed hoc totum procedit in casu posito, nam cæsio prædictarum arborum fuit utilis, & bona; sicut enim nimia raritas arboreti nocet fructui eius, in non quærendo; ità nimia densitas nocet arboribus, & fructui ab eis ferendo;

umbra enim tollit fructus, & arbores facit steriles, ut palam est.

2. Confirmatur; sicut herbas, rubos, lapides, & alia nocentia arboribus, potest tollere solus, sine consensu Capituli; ità potest tollere illas arbores, quæ impediebant augmentum fructuum, & utilitatem aliarum arborum; ergo, in casu posito nulla intervenit alienatio, neque damnificatio, sed evidens melioratio.

3. Id ipsum procedit in venditione arborum cæsarum: nam harum venditio, nullo jure prohibetur: quia sunt res mobiles, & quæ servando servari non possunt: ergo licitè possunt vendi; eo fortius, si earum pretium convertatur in emptionem stabilium, ad utilitatem Monasterii.

4. Nec dices, quòd hic est actus dominii, quod Prælatus non habet, nec habere potest: neque utile, neque directum, *cap. fraternitatem, de donat.* quia licet nullum habeat dominium in rebus Monasterii; est tamen illarum Procurator, qui, ut dicitur in eodem *Capitulo*, conditionem Ecclesiæ potest facere meliorem, instar tutoris, qui tenetur bona Pupilli meliorare, juxtà terminos *l. lex, quæ tutores, C. de administrat. tutorum.*

Quæst. 71. Res creditoribus obligata, si ad Ecclesiam pervenit, an pro illis satisfaciendis alienari possit, sine assensu Apostolico?

1. QUaranta cit. *loc. num. 36. ver. vigesimò amplia,* cui favet *D. de Marinis quotid. resolut. cap. 6. num. 12.* prætermissis opinionibus, cum distinctione respondet, aut Prælatus Ecclesiasticus, rem Ecclesiæ vult vendere ex se, pro satisfaciendo creditoribus; & in tali casu non valet alienare, sine beneplacito Sedis; & ità practicatum, se vidisse testatur; quia alienatio facta pro censu extinguendo, dicitur facta pro causa utilitatis, & non necessitatis: aut vult rem illam alienare ad creditorum instantiam; & sic potest sine dicta licentia alienare; priùs tamen sibi juridicè constito de multis, quæ ad id concurrere debent copulativè.

2. Primò, ut urgens extet causa alienandi, secundò, quòd debitum ex bonis Ecclesiæ mobilibus satisfieri non possit, quod debet Judici constare legitimè per discussionem bonorum, tertiò, quòd illa res vendatur, quæ minùs damnosa est Ecclesiæ, quartò, quod pro modico debito, magna res non distrahatur, quintò, ut ipsius Judicis Ecclesiastici interveniat authoritas, & quòd hæc omnia, Judicis decretum præcedant, demum, quòd subhastatio subsequatur, prout in alienatione rerum minorum, *Afflict. decis. 249.* quod extende ad quodvis urgens aliud debitum; legitimè tamen ab Ecclesia contractum.

3. Tunc verò dicitur debitum legitimè contractum ab Ecclesia, quando fuit cum assensu Apostolico; alioquin non possunt bona Ecclesiæ obligari, ut constat ex decisis, aut si fuisset versum in utilitatem Ecclesiæ, quod probare tenetur creditor in tribus casibus, scilicet, in deposito, mutuo, & pro solutione debiti Ecclesiæ legitimè contracti, nec creditur assertioni Prælati, *Rebuff. in com. alien. num. 33.* & latè *Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 17. nu. 3.* his verbis, *ubi tamen alienatio fit pro satisfaciendis debitis Ecclesiæ, & pro æris alieni solutione, non præsumitur causæ justitia: sed oportet probari, pecuniam debitam, versam fuisse in utilitatem Ecclesiæ, & in eius commodum expensam esse; alioquin alienatio rerum immobilium non tenet,* & habetur in *authen. de alien. & emphyteu. ver. his verò omnibus præcedentibus,* & post *Doctorum Collectaneum Aloys. Ricc.* longa manu 1. p. prax. decis. 2. in 1. editio. & *ibidem decis. 3.* ubi docet modum probandi, pretium rei venditæ fuisse conversum in utilitatem Ecclesiæ, de qua dixi sæpiùs, & latè *Corrad. lib. 9. prax. cap. 5. num. 1. & 2. & cap. 7. num. 28. & sequent.*

Quæst. 72. Census, an imponi possit super immobilibus Ecclesiæ, sine licentia Papæ?

1. NEgativè expressè deciditur in *c. nulli, de reb. Eccles. non alien. & in dict. extrav. & Decret.* S. C. nec Romanus Pontifex solet hanc licentiam concedere, nisi in causa utili, & necessaria, nempe, pro solutione debitorum legitimè contractorum, pro reparanda Ecclesia, vel molendino, pro emendis paramentis necessariis, & consimilibus, quibus alias non potest occurri, & non nisi cum Decreto, quòd Orator, singulis annis, ratam dictorum censuum, cum effectu extinguere, & exolvere teneatur; ità, quòd hujusmodi census, intrà tot annos, à data concessionis licentia computandos, omninò redempti, res, & bona omnia prædicta, ab illis prorsùs liberata esse censeantur, ipsoque Oratore in extinctione, & ex solutione alicujus ratæ deficiente, supradicta licentia, cum inde subsequutis, nulla sit eo ipso. Nec non, nisi cum illa Clausula: *dummodò pecuniæ, pro dictis censibus constituendis in solutionem eorundem melioramentorum, unico contextu convertantur.*

2. Id ipsum Dataria mandat observari, quando petitur vendi Domus, seu Molendinum, aut quid simile inutile, aut sterile, quod Ecclesiæ est potiùs damnosum, quàm utile, ratione expensarum, vel ex alia causa, nempè cum illa Clausula, ut pretium rei venditæ erogetur in hoc, vel illud, unico contextu, ne fortè monetæ diminuantur; prout latè de praxi docet *Corrad. ubi suprà cap. 9. num. 19. & sequen.* de qua re legi debet *Bald. in cap. ad audientiam, il secondo, de rescriptis, in fin. & Novar. 1. p. sum. de alienat. super Bull. Paul. IV. num. 10.*

3. Nec his nocet *Bordonus in d. resolut. 27. num. 72.* dicens, quòd pro construendo Choro Ecclesiæ potest vendi aliquod stabile Monasterii, cum sola licentia Provincialis, & pretium exindè proveniendum potest consumi, ac distrahi sine licentia Papæ.

4. Tum quia ei obstat stylus, & praxis Curiæ Romanæ, de qua dictum est suprà; tum etiam; quia Prælatus debet conditionem suæ Ecclesiæ facere meliorem, non distrahendo, sed augendo annuos census; tum denique quia licet res Ecclesiæ pro utilioribus valeant alienari, *cap. ut super, de reb. Eccles. non alien. §. possessiones:* Papa tamen consulto; etiam in omni alio casu justo, & necessario; excepta semper necessitate extrema, ac materiæ parvitate, juxtà dispositionem *cap. terrulas,* ut dictum est suprà.

Quæst. 73. Pecunia restituta Monasterio in extinctione census, an possit investiri in emptionem alicujus Domus, aut Prædii, vel sit necessariò implicanda sub alio censu?

1. ET dico, quòd pecunia census extincti, potest converti in emptionem alicujus rei stabilis, fructiferæ tamen; quod esse censeo utilius Ecclesiæ; tum quia Religio per contractum hujusmodi fit rei emptæ immediatè Domina, & Patrona, in emptione autem census fit solum Domina cujusdam juris exigendi singulis annis, quandam quotam; qui enim emit annuos census, nihil proprietatis in prædium acquirit, super quo census imponitur; sed jus tantum nanciscitur percipiendi ipsum annuum censum, sivè pensionem, juxtà *textum cap. constitutus, de Relig. Domibus, in 6.* ex re ipsa stabili fructifera, super qua census impositus est, *Covar. var. resolut. lib. 3. cap. 7. num. 3. Franciscus Sarmientus lib. 7. selectarum interpretationum, cap. 1. num. 13. D. Reg. Carol. Tapia decis. Sac. Cons. 25. num. 23. & D. Episcopus Marant. controver. lib. 3. respon. 50. num. 4.* tum etiam; quia census facile pereunt, ex quo fundus, super quo sunt positi, alteri reperitur obligatus,

ligatus, unde solet dici, quòd census incenditur, livellus, seu livera finitur, prædium autem stat, quod intellige, si sit in proprietate Ecclesiæ, *Bordon in d. resolut.* 27. *q.* 30. *num.* 75.

Quæst. 74. *Pecunia Ecclesiæ restituta ex censuum revenditione, an possit investiri in redemptionem aliorum censuum Ecclesiæ, absque assensu Apostolico?*

1. AFfirmativè dic; tum quia redemptio censuum non est alienatio, sed resolutio præcedentis alienationis, quæ per census venditionem fuerat anteà contracta: vel dicas, quòd redemptio hujusmodi est translatio census debiti, census enim non extinguitur, sed de persona transfertur in personam, prout eleganter tradit *Cenedus de censibus p.* 3. *cap.* 1. *q.* 3. *ar.* 1. *num.* 16. & 17. *Duardus eod. tit. tom.* 2. §. 5. *q.* 8. *num.* 2. & Ecclesia subrogatur in Censuariorum locum, prout in facti contingentia consuluit *D. Episcopus Maranta controver. jur. p.* 3. *respon.* 3. tum etiam; quia isthæc redemptio est valdè utilis Monasterio, soluto enim ære alieno, certum est, quòd fructus omnium bonorum ipsius cedunt in eius commodum, & utilitatem, absque ulla diminutione: census namque creditoribus venditi, onus afferunt, & non levamen; quia bona ipsa, & patrimonium minuunt, ergo, redimere bona Ecclesiæ, quæ priùs erant æri alieno subjecta, bonum est, & commodum, sine ulla controversia.

2. Nec objicies, quòd sicut non licet sine beneplacito Sedis, accipere pecunias ad censum, pro extinctione priorum censuum, quamvis fructus, qui ex re percipiuntur, inferiores sint, quàm census, qui solvuntur, *Novar.* 1. *par. sum. de alienat. num.* 10. & 2. *p. eod. tit. num.* 4. ità non licet, pecuniam restitutam, in redemptionem prædictam implicare: nam aliud est, pecunias accipere, & pro illis census annuos vendere super bonis Ecclesiæ, ut constitutos alios census redimat, & aliud, restitutas pecunias, quæ Ecclesiæ sunt, in redemptionem censuum investire: illud namque est vendere, & alienare voluntariè, hoc verò est redimere, & reemere, quod est acquirere, & meliorare, & à diversis non fit illatio.

3. Nec replices, quòd pecuniæ, ex redemptione censuum restitutæ inter immobilia computantur, quæ nequeunt alienari sine assensu Apostolico, *Quarant. ver. alien. num.* 25. & *Ricc.* 1. *p. prax. decis.* 96. *num.* 6. in 1. editio. & *decis. Cur. Archiep.* 199. *num.* 2. quia Prælatus non alienat, nec distrahit pecunias restitutas; si ex illis bona creditoribus vendita redimat, illaque liberet ab onere solvendi annuos census, sed verè, & realiter acquirit, & conditionem suæ Ecclesiæ facit potiorem, ut dictum est: & fortius, si pecuniæ restitutæ maneant infructuosæ, ubi æs alienum premit, & Creditores urgent: hodie autem ex decreto Sacræ Congregationis regularium servatur Contrarium.

Quæst. 75. *Pecuniæ Regularibus relictæ, ad finem celebrandi perpetuò pro anima alicujus, an possint implicari in fabricam Ecclesiæ, vel Monasterii, sine assensu Apostolico?*

1. MArta in suis *Decisionibus, voto* 243. *nu.* 3. & *Peyr.* in suo *formul. litt. A. cap.* 11. *nu.* 2. inquiunt, quòd sic, dummodò hi Regulares non possint aliundè dictam Ecclesiam, vel Monasterium fabricare, & quòd in illa imponant obligationem recitandi Missam perpetuam, juxta mentem testatoris: tum quia, sicut prædictæ pecuniæ possunt converti in annuos census; ità possunt implicari in dictam fabricam utilem, & necessariam: nam utrobique eadem ratio est: tum etiam; quia sicut si quis Ecclesiam, vel Conventum à se fabricatum, alicui Religioni donaret, cum onere Missæ perpetuæ quotidie celebrandæ, possent illius Religiosi, dictum Conventum, vel Ecclesiam, cum tali onere suscipere, & posteros ad illam Missam celebrandam obligare: ità si Ecclesia, vel Conventus ruinam minaretur, possent Religiosi illius, dictam pecuniam in reparationem expendere, & posteri tenerentur ad dictam Missam celebrandam; Monimento tamen posito in aliquo publico loco, quo posteris innotescat, quòd ex illa pecunia, Conventus, vel Ecclesia fuit fabricata.

2. Nec objicies, quòd præfatæ monetæ sic implicatæ, non fructificant, contrà mentem Sacræ Congregationis, *de celebrat. Missar.* §. 5. *in Constit.* 9. *Urb. VIII. tom.* 4. *Bull. Cherub.* nam fructificant; tum quia in Ecclesia diruta non potest celebrari, nec per consequens, ex ea possunt percipi emolumenta, quæ ex Ecclesiis rectè administratis recipiuntur; tum etiam; quia priùs est locus, quàm locatum; ergo: si Missa debet celebrari in Ecclesia; si hæc non adest, celebrari non potest: tum item; quia si illi Religiosi non haberent Conventum ad habitandum, possent ad hunc effectum Domum conducere, & pro ea annuam pensionem solvere, ergo ad evitandum tale damnum, poterunt ex illa jam dicta vinculata pecunia, Monasterium ædificare.

3. Amplia, ut prædicta pecunia possit pariter erogari in omnem aliam fabricam, cujusvis Domus, Ecclesiæ utilis, & necessariæ, ob cujus carentiam cogitur Monasterium aliam conducere, & consequenter aliquod damnum pati: quandoquidem si Regularibus licet, dictam pecuniam in emptionem Domus convertere, vel ex ea annuos census extinguere, ut dictum est suprà; cur eisdem haud licebit, prædictam pecuniam in utilitatem perpetuam Monasterii erogare?

Quæst. 76. *Regulares, an possint emere aliquod stabile, tot scutis; impositis tamen ad censum super illud, sine assensu Apostolico?*

1. LEzana *ver. alien. num.* 5. *in fin.* respondet affirmativè; quia in tali casu Ecclesia non alienat, sed acquirit illud stabile, tali onere affectum, quod nullo jure est prohibitum: quod verum judico, dummodò pro illo censu, taliter contracto nulla imponatur hypotheca, nec specialis, nec generalis in bonis Monasterii, sed venditor debet esse contemptus, ut res illa solùm sibi obligetur, quæ est subjecta censui; etenim *d. Paulina* loquitur absolutè de hypotheca, & ità indefinitè debet intelligi, etsi *cap. nulli, de reb. Eccles. non alien.* loquatur de speciali.

Quæst. 77. *Regulares, an sine dicta licentia possint alienare bona difficilis recuperationis, vel incerta, aut incognita?*

1. AFfirmativè *Naldus in sum. ver. alien. num.* 9. *Gavantus in Manual. ver. eod. num.* 42. & *Novar. p.* 2. *sum. Bull. de alien. num.* 17. eo tamen pacto, quòd laicus emptor, suis expensis, & periculo ea recuperet, ut constat ex *decis. Rot. Romanæ* 31. *num.* 1. *p.* 2. *in recent.* & hoc ideò; quia res, de qua agitur, ut supponitur, non est incorporata Ecclesiæ, nec reperitur in proprietate, & possessione ejusdem.

Quæst. 78. *Capellæ & sepulturæ, an possint alienari sine labe simoniaca, & assensu Apostolico?*

1. DE hac re egregiè loquitur *D. Thom. in* 4. *sent. distinct.* 25. *q.* 3. *ar.* 2. & 3. & 2. 2. *q.* 100. *ar.* 4. *ibidem Cajet.* & *in ar.* 3. ejusdem *quæst.* & latè in suo *primo quolibeto,*

libeto, fundato super *d. quæst.* & *in summula, ver. simonia*, *ibique Didac. à Rosar. in addition. Sylv. in summ. ver. sepult. q.2. num.2.* & *ver. simon. q.12. num.12. Tabien. ver. simon. num.38. ver. utrum Capella, Armill. ver. sepult. num.24. Dominicus Soto de just.* & *jur. lib.9. q.7. art.1. Franc. Victoria in relect. de simon. p.2.* super illud *Matth.10. gratis accepistis, gratis date, Joan. Bapt. Corrad. in responsis ad casus conscientiæ 1. p. quæst. 40. Joann. de la Crux, p.1. præcept. 7. q.4. dub.9. conclus.2. Ledesma in summ. p.2. tract.12. conclus.34. Navar. lib.3. de sepult. cons.2.* in 1. editio. *Rodriquez p.2. summ. latin. cap.58. de simon. conclus.2. num.2.* & *tom.3. de Regul. q.58. art.2.* & *tom.4. additio. ad sum. ver. sepult. conclus.14.* cum suo *comp. resolut. 128. de sepult. num.11. Portell. ver. sepultura, num.16.* & *tom.2. respons. p.2. casu 20. num.2. Peyr. tom.1. Privil. in Constit. 26. Leon. X. §.11. num.21. Nicol. Garzias tract. de benef. p.5. cap.9. num.134.* & *seq. Quarant. ver. alien. num.29. Genuens. in praxi Archiep. cap. 41. num.18.* & sibi contrarius *num.28. in additio.* in 2. editio. *Aloys. Ricc. 1. p. praxis decis.42.* in 1. edition. *Megal. 2.2. lib.2. cap.5. q.6. n.179. Barbosa in cap.13. num.2. de sepulturis*, & amplissimè *de off.* & *potestate Parochi, cap.26. num.16. Anton. Diana, p.2. tract.1. Miscel. resolut. 57. Corrad. in praxi lib.9. cap. 4. nu. 15.* & nuper *Lezana 2. p. cap.19. num.56.* & *p.4. ver. sepult. num.16.*

2. Ex quibus collige Primò; quòd locus Capellæ, vel Sepulturæ, ex quo est locus Religiosus, sacer & pius, non potest vendi Laico; ità, ut is cui venditur, fit Dominus ejus; ut expressè dicitur in *Can. decimas 1.16. q.7.* ibi, *à Laicis possideri, Apostolica authoritate prohibemus*: sunt enim Laici incapaces possidendi jura spiritualia; ob quod Laicus non potest habere jus eligendi Priorem in aliquo Monasterio; *cap. Sacrosancta Romana 51. de elect.* ibi, *jus eligendi in Collegiata Ecclesia, non cadit in Laicum*; *nec contra id potest induci consuetudo, cap. Messana 56. eod. tit.* nec præscriptio, *cap. causam, quæ 7. de præscriptionibus*, & *cap. cum Laicis 12. de reb. Eccles. non alien.*

3. Secundò collige, quòd nec potest vendi Laico, ut jus funeris habeat in sepulchro; hoc est, sepeliendi in eo, se suosque successores, & impediendi, ne alii sepeliantur in illo, prout expressè deciditur in *cap. Abolendæ 12. de sepult.* ibi, *inolevit* (supple mala consuetudo) *ut de cedentibus, non priùs permittatur effodi sepultura, quam pro Terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesia persolvatur: mandamus, quatenus cum loci Diœcesanus exist. u inhibeas Clericis, ne quidquam omninò præsumant exigere*: hæc *ibi*.

4. Secus autem laborarent vitio simoniæ; est enim simonia, studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

5. Verùm, ut infrà dicam, aliquid potest esse annexum spiritualibus, ut dependens ab illis, sicut habere beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum; quia non competit, nisi habenti officium Clericale: undè hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus; & propter hoc illa nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spirituali venditioni subjici.

6. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatus, quod ordinatur ad præsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia. & Vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum: undè hæc non præsupponunt spiritualia, sed magis ea, ordine temporis præcedunt; prout præcisè loquitur *D.Thom.* in cit. *loc. 2.2. in corpor.*

7. Nec dices, quòd Vasa sacra, quibus correspondent pia loca, possunt vendi ratione materiæ, sine labe simoniæ; prout cit. *loc.* subnectit idem *D. Thom.* ibi, & *ideò aliquo modo vendi possunt, non autem in quantum sunt spiritualibus annexa.*

8. Tum quia in *d. c. abolendæ, de sepult.* prohibetur vendi locus sacer pro sepultura, nedum ratione benedictionis, verùm etiam ratione terræ, ut ibi, *non priùs permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt*, &c. idem habetur in *Can. quæsta est nobis, can. postquam pretio victus can. in Ecclesiastico*, & *can. præcipiendum 13. q. 2.* in quibus ardenti zelo reprehenduntur hi, qui vendunt terram sepulcri, eisque dicitur, *quid terra terram vendis? memento, quòd terra es, & in terram ibis.*

9. Tum etiam; quia idem *D.Thom. ibidem in responsione ad secundum* declarat, quomodò, & quando Vasa sacra vendi possunt, ibi, *tamen pro necessitate Ecclesiæ, & Pauperum, materia eorum vendi potest; dummodo præmissa oratione, priùs confringantur; quia post confractionem non intelliguntur esse Vasa sacra, sed purum metallum. Unde, si ex eadem materia similia vasa iterum integrarentur, indigerent iterum consecrari*, hæc *ille*: id ipsum dixerat *d. loc. sent. in d. art. 3. in responsione ad secundum*, ibi, *venditio sepulturæ potest intelligi dupliciter, uno modo, quod vendatur terra sacra pro sepultura*; & *de hoc est similis ratio*, & *de venditione sacrorum vasorum; quia cœmiterium consecratum potest vendi ratione terræ in necessitate Ecclesiæ, sicut & calix ratione materiæ: non autem potest vendi ratione consecrationis*: hæc *ille*: quippe qui, ut vides, loquitur in casu necessitatis extremæ, juxtà *c. aurum Ecclesia habet 70. 12. q.2.* dicitque quòd in necessitate urgenti, Ecclesia potest alienare Vasa sacra, confracta tamen, & ratione materiæ, non autem ratione consecrationis, quæ nec quidem in tempore necessitatis vendi potest, sine labe simoniæ, & hæc est vera mens *S. Thomæ*, cui *Sacri Canones* correspondent, ex quo, minimè loquuntur in casu prædicto.

Quæst. 79. Quonam modo usus concedendi Capellas, cum potestate fundandi sepulturam, possit excusari à labe simoniæ?

1. De usu, & consuetudine vendendi, & emendi Capellas cum jure funerandi multa loquitur *Rodr. in d. art.2. q.58.* & *Garzias ubi suprà, num.134.* & docent de praxi servanda *Genuens. Quaranta*, & *Ricc.* cit. *loc.*

2. Qui quidem usus, uti introductus, vel consultus à Viris doctis, & piis, non potest præsumi, quòd sit simoniacus, sed debet ab illa multis modis excusari.

3. *Eminent. Cajet. in d. art.3. q.100. 2.2.* & *in sum. ver. simonia* ait, quòd datum pro reparatione Ecclesiæ, vel pro sustentatione Ministrantium spiritualia, licitè datur, & accipitur, absque ullo vitio simoniæ, ut clare patet ex doctrina *Domini in Evangelio*, & *Pauli Apostoli*, dicentium, *quòd dignus est operarius cibo suo*, & alibi, *qui altari deservit, de altare vivere debet*: hoc enim non est vendere spiritualia, nec locare operas pro mercede, & pretio spiritualium; sed velle, habere necessaria ad vitam corporalem, sine qua non possumus spiritualia exercere; quod adeo verum est, ut hoc stipendium sustentationis, possit in pactum deduci, prout eruditè *ibidem* ostendit idem *Cajetanus*, cui subscribit *Navar. in sum. cap.23. de simonia, num.100. in fin. ver. quartò præmitto*, & colligitur ex *cap. sicut*, & *cap. non satis, de simonia*, & *cap. Judices 1. distinct. 91.*

4. In quibus dicitur, quòd dare, vel accipere aliquid temporale, minùs principaliter, & tanquàm pro causa impulsiva, & excitativa pro spiritualibus, non est simoniacum, & docet *Glossa in cap. cùm esset, de simon.* & *C. cum ad nostram, de elect.*

5. *Dominicus Sotus* in cit. *loc. de just. in responsione ad tertium argum.* ait, *quòd pretium datum, vel acceptum pro honoratiori loco in Ecclesia, ob pompam non necessariam, ibidem habendam; non est simoniacum; quia in tali casu censetur solutum ratione dignioris situs*, & *non spiritualium*: *honor enim, & pompa sunt quid temporale*, & *pretio æstimabile*, quæ ratio potiùs subtilis, quàm vera, & substantialis

tialis videtur *Genuens. in d. loc. num.* 18. eique non satisfacit: *tum quia Canones generaliter prohibent, aliquid accipi pro loco sepulturæ, nec distinguunt, an eligatur sepultura in meliori loco Ecclesiæ, vel alio, nec nos distinguere debemus, l. de pretio, ff. de publiciana in rem actione, tum etiam; quia hoc tenent viri gravissimi, qui dicunt, id malè servari, ac palliari solitum; quare, concessio sepulchri cum Capella, debet fieri gratis, & Patroni poterunt sponte dotare, vel donare, & hoc pacto vidi confici instrumenta à Notariis peritis, nam in instrumento testati sunt, de spontanea concessione loci, ex parte Ecclesiæ, & de spontanea donatione Capellæ, ex parte recipientis, & hoc pacto cessat scandalum, & suspicio avaritiæ, & simoniæ, & hæc resolutio est conformis Gloss. final. in d. cap. abolendæ, communiter recepta, quæ dicit, quòd licet Clerici non possint aliquid petere pro loco sepulturæ; tamen si laici, ex consuetudine laudabili aliquid solvunt, possunt compelli ad illam observandam, juxtà c. ad Apostolicam, de simon. pulchrè Abbas in dict. cap. abolendæ, Neapoli solvuntur grana quindecim pro fovea, seu loco sepulchri, & Romæ etiam extat talis consuetudo, ut dicit Hier. Gabr. cons.* 40. hæc *Genuens.* in impression. Rom. anni 1630. *c.* 33. à *num.* 18. ad *num.* 23. cui favet *Suar. tom.* 1. *de Relig. tract.* 3. *de simon. lib.* 4. *c.* 14. *num.* 22. ubi dixit, *quòd venditio Capellæ potest salvari à labe simoniæ, ex illa ratione, nempe, obligationis, quòd nullus alius ibi sepeliatur; non autem ex illa, de honoratiori loco sepulturæ; quia altior locus sepulturæ, sepultura est, & consequenter nequit vendi, sine simonia.*

6. Ad quæ motiva benè respondet *Garzias in d. cap.* 5. *p.* 9. *de benef. num.* 137. dicens, *quòd Canones prohibent aliquid accipi pro loco sepulturæ, scilicet necessario, & in loco sacro, non verò pro honoratiori loco, & in tali situ non necessario, de quo loquitur Sot. ut clare ibi patet, nec concessio sepulchri, seu Capellæ salvaretur à simonia, ex eo, quòd diceretur fieri gratis, si in eodem instrumento, aut statim recipiens, aliquid daret, licet diceret, donare propter correspectivitatem, & unitatem actuum, Caputaq. decis.* 235. *p.* 1. *cum aliis, licet concessio Capellæ, & dotatio bene possent fieri simul: quia dotatio non habet rationem pretii, nec illæ solutiones, quæ fiunt pro loco, seu apertura sepulturæ, quando sepeliuntur defuncti, possunt salvari, & excusari, ratione laudabilis consuetudinis, juxtà d. cap. ad Apostolicam, & quòd ex devotione id obtulerint, & solverint, ut per Doctores in d. cap. ad Apostolicam, & Joan. Gutierr. plures referentem, Canon. quæst. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 148. *at in proposito, dictæ solutiones, ex consuetudine non videntur habere initium voluntarium; nec est verisimile; immò in aliquibus Diœcesibus videntur introductæ per Constitutiones Synodales, quæ approbantur à Concilio Provinciali Compostellano, act.* 3. *Decreto* 10. hæc *ille.*

7. Exindè pariter solvitur objectio *Suar.* & additur; quòd locus Ecclesiæ, aut est honoratior, ob respectum ad rem spiritualem, nempe, quia ibi canitur *Evangelium*, vel quia est propinquior Altari Majori, aut est honoratior, ob respectum temporalem, utpotè, quia est in dextera parte Ecclesiæ, aut in medio ejus, ut à transeuntibus facilè videatur, dare pro loco honoratiore, primo modo simoniacum est; secus autem secundo modo; emens enim locum honoratiorem, in quo sedeat in Ecclesia, non committit simoniam, ob finem intentum, qui est merè laicalis, *Bonac.* cit. *loc. num.* 4.

8. Nec objicies, quòd emere Capellam, in qua est jus patronatus, criminosum est; ex quo censeretur venditum jus patronatus, quod est spirituale; quia *Sotus* loquitur de venditione simplicis sepulturæ, & additur, quòd sicut habens quis Capellam cum jure patronatus, absque simonia potest illam vendere, quoad ejus materiale, in quo fundatur illud jus patronatus, *Ledesma* cit. *loc. conclus.* 35. ità pariter, habens quis sepulchrum proprium, suis sumptibus emptum, vel ædificatum pro se, suisque hæredibus, & successoribus; potest illud vendere, juxtà valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas, in ædificando factas; quia ibi non venditur benedictio, nec aliqua res spiritualis, ut etiam ipsemet *Suar.* post allegatos dicit in *d. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 18.

9. Ex quibus bene apparet, quòd illa ratio *Soti* de honoratiori loco, non est rejicienda, nec damnanda, ad excusandum dictum usum, & praxim à labe simoniæ.

10. *Peyr.* tandem cit. *loc. num.* 21. libenter adhæret opinioni prædictæ, ex quo vendere Terram, seu Locum sepulturæ, non est malum de se: sed quia prohibitum ab Ecclesia: etenim simonia est duplex, una de jure naturali divino, altera verò de jure positivo Ecclesiastico, uti est venditio vasorum sacrorum, & sepulturæ, ut docet *Cajet. Sotus, & Victoria ubi suprà*; jus autem Ecclesiasticum potest abrogari, & tolli, contraria consuetudine, prout in multis factum est: antiquitus enim, corpora defunctorum non sepeliebantur intrà Ecclesiam, ut patet ex *Can. præcipiendum* 15. 13. *q.* 2. *in fin.* ibi, *intrà Ecclesiam verò, & prope Altare, ubi corpus, & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur*: qui rigor fuit postmodum temperatus: ità forte dicendum de *cap. abolendæ, de sepult.* quod ait, præcipuè procedere in Ecclesiis, ac Cæmeteriis Regularium exemptorum, tum quia *d. cap. abolendæ*, in quo principaliter se fundat opinio contraria, solum præcipit Episcopis, ut inhibeant Clericis sibi subjectis; Regulares autem exempti non sunt de jurisdictione Episcoporum: sed hoc mihi non arridet; tum quia Prælati Regulares, respectu suorum subditorum sunt Episcopi æquipollenter; tum etiam; quia materia præcepti, æqua est utrobique; tum denique quia agitur de favore animarum, nempe de evitando scandalo, suspitione avaritiæ, & simoniæ: ea autem, quæ concernunt salutem animarum, ob identitatem rationis sunt amplianda; tum etiam; quia loquuntur potiùs consulendo, quàm præcipiendo, tum item; quia quoad id, de quo agitur, potuerunt tolli, & abrogari, ut dictum est, *d. cap. abolendæ, de sepult.*

11. Quibus habitis concludo pro solutione principalis quæsiti, immediatè positi; quòd jus hujusmodi sepulturæ non potest alienari, nisi servata forma *d. extrav. & Decret.* eo maximè; si venditio fiat cum illa obligatione, de non sepeliendo ibi alios; quia hoc est coarctare libertatem præsentium, ac futurorum Ministrorum; cum res Ecclesiæ, actiones, & jura non possint alienari; neque ei servitus imponi, sine justa causa, & Papæ consensu: secus autem dicendum, de admittendo, & sepeliendo, quem in sepultura propriæ Ecclesiæ, ex quo Prælati Regulares liberam habent sepulturam, *Clem. dudum, de sepult. in* 6.

12. Quod amplia procedere in eo Prælato, qui sine aliqua obligatione, & titulo venditionis, Capellam suæ Ecclesiæ concedit alicui Devoto, ad hoc, ut ibidem possit Devotus recipiens suos mortuos tumulare, eamque suis sumptibus ampliare, augere, & magnificare; hoc enim est potius quærere, quàm alienare.

Quæst. 80. *Capella alicui vendita, an possit ab eo avocari, & alteri concedi?*

1. *Sylv. ver. sepult. q.* 3. *num.* 3. *& Armilla eod. ver. num.* 24. post allegatos dicunt, quòd sic, extinctis tamen omnibus cum sua Domo, quibus fuerunt pia loca concessa; quia mortuo usuario, usus redit ad proprietarium liberè, *l. prima, C. de usufr.*

2. Quod dictum *Rodriq. tom.* 4. *additio. ad sum. ver. sepultura, concl.* 14. dicit procedere, etiamsi primus defunctus haberet nomen in Capella inscriptum, vel aliquid reliquit Monasterio, pro fabrica, & ornatu Capellæ, quæ ampliatio non placet *Armillæ* cit. *loc.* neque *Portell. p.* 2. *cas.* 20. *num.* 1. tum quia jus legitime alienatum, ulte-

ulterius non censetur vacare, *cap. cum accessissent* 8. *de Constit.* tum item; quia per illum redditum annualem videtur defunctus cum Ecclesia pactum fecisse, ut nunquàm alius ibidem sepeliatur: pacta autem legitimè inita, etiam post mortem sunt servanda, *cap. Antigonus* 1. *de pactis*; tum item; quia ità est communis praxis, ut Capella ab Ecclesia ritè alienata, in posterum nullatenus ab eadem revendatur; secus si foret concessa ad nudum usum, aut sine debito pretio.

Quæst. 81. *Contractus alienationis bonorum Regularium, sine debitis requisitis, an sit, ipso jure nullus?*

1. Molina *tom.* 2. *de just. disput.* 466. *Suar. tom.* 4. *de Relig. tract.* 8 *lib.* 2. *cap.* 27. *Novar.* 2. *p. sum. de alienat. num.* 3. & *Lezana* 1. *p. cap.* 10. *num.* 2. *in fine Decreti* ajunt, quòd contractus facti sine prædictis conditionibus, & solemnitatibus, sunt irriti, absque ulla sententia, & declaratione; cum irritatio non sit pœna, sed natura ipsorum posita à lege: undè de sua natura corruunt, absque alio requisito; hinc, qui hoc modo recipit bona alienata à Monasterio, non potest illa in conscientia retinere, nec etiam fructus illorum, etsi sit in mora restituendi, tenetur ad omnia damna Monasterii; quia emens bona Ecclesiæ, absque solemnitatibus, & propria licentia, dicitur esse in mala fide, *cap. qui contrà jura, de Regul. jur. in* 6. *cap. si quis Presbyterorum, in fin.* ubi *Gloss. de rebus Ecclesi. non alien.* & est *decisio Rot.* 278. *p.* 1. argum. *l.* 2. *C. si quis ignorans, rem minoris esse*, Pignorans, & alienans rem Ecclesiæ, licet consentiat, repetit rem cum fructibus, etiam quòd alleget turpitudinem suam, *Rot. decis.* 14. 1. *p. diversorum.*

2. Nec Monasterium potest cedere juri suo, tum quia hoc est intentum Ecclesiæ propter indemnitatem bonorum Ecclesiasticorum, tum etiam; quia hoc est de reservatis Papæ.

3. Benè verum, quòd alienans Ecclesia sine solemnitate, & recipiens pretium, tenetur ad restitutionem pretii, si velit infringere contractum, ex allegatis in una *Romana* 15. Junii coram Illustrissimo *Coccino*, teste *Pico decis. Rot. Rom.* 11. *num.* 1.

Quæst. 82. *Res Monasterio relicta, sub conditione, ne possit alienari, & in casu, quo alienetur, pertineat ad hæredes ipsius donantis, an possit alienari, illa conditione non obstante?*

1. Respondeo, quòd res sub dicta conditione relicta, non potest alienari, quin pertineat ad hæredes donatoris; tum quia libertas disponendi de rebus propriis, competit hominibus de jure naturæ, *l. nec enim*, §. *deportati, ff. de milit. testam. l. milites, C. eodem tit.* tum etiam; quia testatoris ultima voluntas, modis omnibus servanda est, *c. ultimæ voluntatis* 13. *q.* 2. nec Dominus Papa potest hanc liberam testandi facultatem tollere, nec testamenti leges, vel conditiones mutare, *Covar. var. resolut. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. & *sequent.* tum quia dominium rei propriæ, nec quidem per Principem tolli potest: nisi forte ob publicam, & communem utilitatem; competit enim naturali jure: tum etiam; quia sequuta morte ipsius, qui fideicommissum instituit, omnibus vocatis competit jus ad rem, quo quis nequit sine injuria spoliari, per ea multa, quæ allegat *Megal.* 2. 2. *instit. confess. lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 2. *num.* 199.

2. Benè verum est, quòd mobile pretiosum relictum Monasterio ad certum finem, cum sola obligatione non alienandi, potest alienari, cum causa tamen, & solemnitate, nempe, ut eius pretium implicetur in emptionem rei utilioris, *Rodriq. tom.* 1. *q.* 27. *art.* 2. aut quia cessat finis, ad quem fuit legatum: etenim cessante fine, cessat lex, *cap. cum cessante, de appellat.* & *l. fin. ff. de hæred. instit. Navar. de sent. excom. consi.* 57. *Suar. lib.* 6. *de leg. cap.* 9. *num.* 11. & *Portellus* 1. *p. casu* 17. *num.* 1.

Quæst. 83. *Res Monasterii an possit alienari sine consensu Capituli, & Superioris Monasterii, nec non, & Episcopi?*

1. Negativè resolvitur in *Can. Abbatibus* 41. 12. *q.* 2. ibi, *absque permissu, & subscriptione Episcopi* *nihil liceat alienare*, & *in Can. in venditionibus* 40. 17. *q.* 4. ibi, *quidquid sine licentia Episcopi venditum fuerit, ad potestatem Episcopi revocetur*: quod intellige procedere in Monasteriis non exemptis; secus autem in exemptis: in his enim sufficit consensus Capituli, & Superioris, vel Prælati sui, si Capitulum non habeat; & habetur expressè in *Clem.* 1. *de reb. Eccles. non alienandis*, ibi, *Conventus sui, aut si Conventum non habeat, Prælati proprii, assensu ad hoc nihilominus accedente*, hæc ibi.

2. Quibus hodie necessariò debet superaddi Beneplacitum Apostolicum, juxtà mentem *d. Paulinæ*, & *Decreti* Sacræ Congregat. suprapositi, aliàs nulla, & irrita erit alienatio, præter pœnas, quæ incurruntur, & sic in omnibus aliis supradictis.

Quæst. 84. *Provincialis, an possit propria authoritate, bona hujus Monasterii in aliud sibi subjectum transferre?*

1. Negativè deciditur in *cap. irrita*, *de rebus Eccles. non alien.* & *in Clemen. unic. de supplenda negligentia Prælat.* ubi Prælati Regulares prohibentur propria authoritate suis Mensis applicare beneficia, aut redditus propriæ administrationis, vel sui Prioratus, quibus accedunt alia jura, per quæ ostenditur, bona Monasterii non posse alienari sine consensu Capituli; nec quidem commutari, sine licentia Papæ.

2. Amplia, ut Prælatus Regularis non possit propria authoritate bona immobilia, vel mobilia unius Monasterii divitis in aliud tenue transferre, tum quia hæ translationes sunt quædam species alienationis: prohibita enim alienatione simpliciter, censetur prohibitus omnis actus, quo dominium rei directum, indirectum, utile, ususfructus, usus unius Ecclesiæ, possessio, vel quodvis aliud jus in aliud transfertur, vel abdicatur, *Rodriquez tom.* 1. *q.* 27. *art.* 1. *Bonac. de alienatione*, *disput.* 2. *quæst. unic. p.* 2. *num.* 1. tum etiam; quia ità habetur expressè in *cap.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alien.* ubi dicitur, quòd non licet Episcopo, vel Abbati unius Ecclesiæ, terram vertere ad aliam, quamvis ambæ sint in eius potestate; & in *Clem. unic. de supplenda negligentia Prælat.* proindè non solum donatio, venditio, & quivis alius actus gratuitus, aut onerosus, quo rei dominium in alterum transfertur, prohibiti sunt nobis, sine dicta licentia; verum etiam omnis alius contractus, per quem transfertur dominium utile, retento directo, *Quarant.* cit. *loc. num.* 4. & dictum est pluries suprà.

3. Neque his nocent Privilegia, quibus olim forsan licebat prædicta erogare; quia hæc hodie vacant, ut constat ex *d. Paulina*, & *Decreto* Sac. Congregat. suprapositis, secus autem, si sermo sit de mobilibus, quæ servando servari non possunt, quia Privilegia prædicta, quoad hæc non censentur vacare.

* * *
* *

Quæst. 85.

Quæst. 85. Permutatio inter duas Ecclesias, de bonis earundem, an fieri possit, sine assensu Apostolico?

1. DOctissimus *Bordonus resolut. 27. q. 2. num. 3. Trivisanus decis. 56. p. 2. & Aloys. Ricc. 1. p. prax. decis. 38. & decis. 74.* in 1. editio. & in 2. editio. *resol. 35. & resol. 60.* ob multa affirmativè respondent, Primò; quia ità expressè habetur in *cap. hoc jus porrectum, §. sibi invicem 10. q. 2. & in cap. 1. de reb. Eccles. non alien.* Secundò; quia jura prohibent alienationem rerum Ecclesiæ, tum ne bona ad usum pauperum destinata, erogentur in alium finem; tum etiam; ne res Ecclesiæ contingat converti in usum profanum, tum item, ne dominium prædictorum bonorum, ab eadem Ecclesia auferatur; quorum nihil reperitur in permutatione prædicta: tum quia parum refert, an bona prædicta sint bona unius, vel alterius [illegible], cum quidquid habeat quævis Ecclesia, pa[illegible] fit, *cap. quod autem 24. q. 7.* nec bona hujusmodi [illegible]tata, censentur applicata usui profano; tum de[illegible] quia licet dominium bonorum commutatorum tra[illegible] ab una in aliam Ecclesiam; non ideò dicitur a-vo[illegible] vel ablatum ab Ecclesia universali, & cessante cau[illegible]ali, cessat legis dispositio, *cap. cùm cessante, de appell.*

[illegible] Tertiò; quia spirituale cum spirituali licitè potest pe[illegible], *Glos. in cap. ad quæstionem, ver. queat, de rerum per[illegible]* [illegible]modò id fiat, Decreto Episcopi, vel ejus Vicari[illegible] ab eo, ad id facultatem habente, ut in *dict. cap. ho[illegible]rectum, §. sed permutare.*

[illegible] Res autem permutandæ inter hanc, & illam Ecclesi[illegible] [illegible]entur spirituales, ut ex multis ostendit *Ricc. in d.* [illegible] *in fin.* ergo.

[illegible] tamen non obstantibus, contrarium tenent, m[illegible] allegatis *Stephan. Quarant. ver. alienat. num. 14. & nu[illegible] Bonac. de alienat. q. unic. p. 2. nu. 14. D. Donat. Anton[illegible] Marinis quotid. resolut. cap. 6. num. 13. ver. quartò* [illegible] *med. Barbos. allegat. 95. num. 55. Novar. 1. p. summ.* [illegible] *num. 3. & 8. Gavant. in Manuali eod. ver. num. 8.* [illegible] *Corrad. in praxi lib. 9. cap. 10. num. 4. & Lezana* [illegible]*atio, nu. 12.* tum quia permutatio est species alie[illegible], ut in *cap. nulli, de reb. Eccles. non alien.* perindè, p[illegible] alienare, non potest permutare, *Bald. in auth.* [illegible] *C. comm. de legat. ver. quaero, & Jason. in l. 1. ff. de re*[illegible] *num. 5.* cum pluribus *sequent.* ibi, *certum est,* [illegible]*latione venditionis venit etiam permutatio, &* [illegible] *permissa, intelligitur etiam permutatio,* ex *textu* [illegible] *ver. ff. de statu liber:* tum item; quia in *d. extrav.* [illegible] *& Decreto* est nobis vetitus omnis actus, vel con[illegible], per quem dominium transfertur, ut dictum est [illegible] tum etiam; quia jura prædicta, simpliciter, & ab[illegible]loquuntur, & lex indefinitè loquens, universaliter [illegible]ntelligi, absque ulla exceptione; tum etiam; quia [illegible]nalis *d. Paulinæ, & Decreti* est evidens utilitas Ec[illegible], de qua evidente utilitate Summus Pontifex vult [illegible]i: tum denique quia ità docet praxis Romanæ [illegible], nempe, hujusmodi permutationes bonorum, et[illegible]ter duos Beneficiatos, seu Ecclesiarum Rectores, [illegible]modo fieri posse, sine assensu Papæ, & nisi servatis [illegible]nitatibus contentis in *cap. sine exceptione 12. q. 2.*

[illegible] De qua praxi decisum testatur *Quaranta* cit. *loc. &* [illegible] *fin. d. resol. 35. & 60. & Barbosa ubi suprà,* & ità de[illegible] à *Gregor. XIII.* refert *Matth. Contarellus* Datarius [illegible] Pontificis, relatus à *Pyrr. Corrad. ubi suprà num. 8. in* [illegible]*lio.*

[illegible] Quæ omnia procedunt, ubi *Paulina* est, quoad [illegible] usu recepta, & cessante consuetudine immemorabili in contrarium: nam si *d. extravagans,* quoad id, de quo agitur, non foret usu recepta, & vigeret immemorabilis in contrarium, possent utique hujusmodi permutationes fieri, cum sola licentia Episcopi, prout fit in foro Ecclesiæ Reghiens. & testatur *Joan. Bapt. Ciarlin. controvers. for. c. 8. num. 87.*

7. Quod dictum intellige, quoad Ecclesias Sæcularium, secùs Regularium; quia Regulares tenentur omninò ad observantiam præfati *Decreti* Sacræ Congregat. per quod cessant Privilegia, & renovatur prædicta *Paulina*; & nihil hodiè refert, an *d. Paulina* fuerit in usu, vel non, quia ut dictum est, standum est prædicto *Decreto.*

8. Quapropter mihi non placet *Peregrin. in comp. ver. alienat. in schol. dubit. 7. Tambur. tom. 1. de jur. Abbat. disput. 13. q. 2. num. 19. & Diana 4. par. tract. 4. Miscell. resolut. 223. ver. not. 2.* dicentes, quòd utraque opinio est probabilis; quia post prædictum *Decretum,* tale dictum non potest esse verum, nisi speculativè, secùs autem practicè, & sic debet assensus Apostolicus intervenire.

Quæst. 86. Regulares ejusdem Monasterii, an valeant inter se res suas permutare, vel donare, absque metu pœnarum?

1. N*Aldus in sum. ver. alienatio, num. 4. & Lezana eod. ver. num. 11.* respondent affirmativè, præscindendo tamen à *Constitutione Clem. VIII. de largit. munerum,* de qua infrà: & procedit, etiamsi donatio, vel permutatio foret de rebus immobilibus, vel pretiosis; tum quia in *dict. extrav. & Decreto,* ea solum prohibetur donatio, per quam dominium rei donatæ transfertur, quod non potest dici de permutatione, & donatione habita inter Fratres unius, & ejusdem Monasterii; nam dominium rei sic commutatæ, non transit, sed manet in eodem Monasterio sicut anteà, tum etiam; quia hæres prohibitus à testatore alienare, dans sorori suæ; non dicitur alienare, *Glos. in cap. Apostol. Sedes, ver. alienare, de his, quæ fiunt à major. part. cap.* & docet *Innoc. in cap. quæsitum, de rerum permut.* tum item; quia alienatio prohibita extrà familiam, non dicitur prohibita in filiam nuptam, *Menoch. cons. 420. num. 21.* tum denique quia prædictum *Decretum* Sac. Congregat. non loquitur de subditis. Quamobrem Regularis unius Monasterii potest commutare, vel donare alteri Regulari alterius Monasterii, vel Moniali Ordinis tantum, & de licentia sui Superioris, *Lezan.* cit. *loc.* quod intellige de his, quæ servando servari non possunt.

Quæst. 87. Census, seu contractus, in dubio an præsumatur simplex, vel potiùs emphyteuticus?

1. PRisci *Doctores,* hac in parte dixerunt, quòd si in illa Regione frequentantur contractus censuales, contractus in casu dubio erit censualis; aliàs secùs, si frequentaretur contractus emphyteuticus.

2. *Matthæus de Afflictis decis. 129. num. 4.* ubi de hac re retulit opiniones; concludit tandem, quòd debet præsumi censuarius, & non emphyteuticus, *Follerius* in sua *praxi de censibus, ver. hujusmodi census, num. 93. Capyc. decis. 123. Gramm. decis. 75. Crescent. decis. 1. tit. de censibus, Milanens. decisio. Siciliæ 123. lib. 1. Rot. divers. decis. 707. p. 1. Caval. decis. 43.* & sequitur *Ricc. collect. 2163.* quod procedit de jure communi; quia cum dubitatur, quis contractus factus sit, eum accipere debemus, qui sit utilior contrahentibus, *Glos. in l. si quis nec causam, in princ. ff. si certum petatur, Bald. in l. incendium, ad fin. C. eodem tit.* sed contractus censualis est utilior, nam per ipsum evitatur rei caducitas, nam esto, quòd contrahens non solvat censum per multos annos, non ideò cadit à jure suo.

3. Quod dictum multi limitant, nam autumant procedere in privata persona; secùs autem in publica, & commu-

communi; ceu est Universitas, & Ecclesia; quamobrem, contractus in casu posito, favore Ecclesiæ, vel Universitatis debet præsumi potiùs emphyteuticarius, & non censualis, *Thesaurus forens. q.43. & Ricc. collect. 2692.*

4. Quod non amplectitur *Crescent. decis. unic. de censibus, D. Reg. Hector Capycius Latro tom.2. consult. 156. nu. 40.* in propriis terminis *Valascus de jure emphyteutico, q. 32. num.3. Gratianus discept. cap. 188. num. 14. & 28. D. Episcopus Maranta tom.4. respons. 71. num. 15.* & ità à Rota Romana fuisse sæpè decisum, uno ore testantur; tu autem cogita, est enim res arbitraria, in qua bonum erit, habere Judicem benevolum.

5. Quando census judicetur emphyteuticus, vel alterius speciei, declarat idem *Riccius p.4. decis. 304. & Novar.* in suis novissimis, *dec. 232.* cujus item *Allegationes* ad id facientes ponit idem *Ricc. in collect. 2692.* ubi multa cumulat ad rectè judicandum.

Quæst. 88. Emphyteuta, invito Domino an possit rem emphyteuticam renunciare?

1. DE hac re sunt opiniones; nam *Capella Tholos. decis. 404. Francisc. Marc. decis. 725. & Thess. decis. Ped. 20.* dicunt, quòd non.

2. Contrarium verò tenet *Faber lib.4. C. tit. 42. Defin. 11. Ricc.* autem *collect. 2163.* dicit, quòd prima opinio est communior, quam tamen censet limitandam esse, in casu, quod emphyteusis esset capta per Matrem pro se, & filiis: quia nisi filiorum ratificatio subsequatur, filii illam renunciare poterunt, ut concludit *Gratian. decis. 88.* & subjungit, quòd opinio *Fabri* procedit, dum tamen antè omnia solvantur pensiones omnes, & canones omnium annorum præteritorum, & se fundat in consuetudine, quæ in his servanda est, ut dicit *Verall. decis. 230. lib.1.*

3. Verumtamen, est absolutè dicendum, quòd hæres potuit, invito Domino renunciare rem emphyteusim, non adita hæreditate, vel etiam, si fuerit adita, cùm protestatione tamen, de non sibi præjudicando, vel si expressè voce, aut scripto fuit protestatus, se nolle subire gravamen, nec ampliùs debere solvere canonem, & ratio esse potest; quia emphyteusis non potest dici hæreditaria, sed jure proprio, ex pacto, & providentia pervenit ad hæredes, *Bartol. in l. ut juris jurandi, §. si liberi. num.4. ff. de oper. libert. Covar. variar. lib.2. cap.18. num.20. Valasc. de jure emphyt. q.44. ver. si verò emphyteusis. & q.49. num.6.* & ità sæpiùs fuit à Rota Romana decisum, & refert *Joan. Bapt. Coccin.* in suis novissimis, *decis. 310. num.17. fol.* mihi 552. undè dictum est, quòd emphyteusis Ecclesiastica, de sui natura non transit ad hæredes, nec venit in generali institutione, *Ricc. collect. 2795. & collect. 3768.* unde nunquàm censetur pertinere ad hæredem; nisi ipse dicat, & incipiat canonem solvere, more parentum. Secùs autem, si dixerit, se nolle externa gravamina sufferre, sed paternam, vel maternam tantùm hæreditatem subire: emphyteusis enim, ut dictum est, non venit nomine hæreditatis: at semel acceptata, debet perseverare, & hæres ad canonis solutionem potest cogi, vi tacitæ, vel expressæ ratificationis: etenim canonis solutio liberè facta, acceptationem, & ratificationem præsupponit; non enim solveret, nisi acceptasset.

Quæst. 89. Pœnæ d. Paulinæ inflictæ contrà male alienantes, quænam sint?

1. ET dico, quòd in prædicta *Bulla* quatuor continentur pœnæ, quarum prima est, nullitas contractus, ibi, *si quis autem contrà hujus nostræ prohibitionis seriem, de bonis, & rebus eisdem, quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris, vel momenti.*

2. Secunda pœna est excommunicatio[illegible] reservatæ, inflicta tam contrà alienantes, quà[illegible] recipientes, ibi, *& tam qui alienat, quàm is, qui [illegible] bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.*

2. Tertia, interdictus est ingressus Ecclesiæ, quoad Episcopos, & Abbates; & post sex menses, [illegible] est suspensio à regimine, & administratione, ibi. *[illegible] Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, &c.*

4. Quarta, Inferiores Prælati privantur [illegible] facto Prælaturis illius Ecclesiæ, cujus bona alien[illegible]t, ultrà excommunicationem, ibi *inferiores verò Prælati, Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, [illegible] vel administrationem quomodolibet obtinentes.*

5. Verum adverte, quòd supradictæ pœnæ non habent locum in Religiosis subditis: tum quia [illegible] loquitur de Prælatis beneficiariis, & aliis administrationem habentibus; & in materia pœnali Constitutio non extenditur ad non expressa, tum etiam; quia *Paulina* prædicta loquitur de alienantibus; Religiosi verò subditi non dicuntur alienare, sed solum præstant consensum in alienationem, & docet *Cardin. Zabar[illegible] Clem.1. de reb. Eccles. non alien.* cui post allegatos favet *Bonac. cit. loc. p.5. num.1.* ubi exindè infert, quòd Religiosus subditus, aut alius quicunque qui nullo jure administrationem habet, si arbores incidit, Domos demolitur, aut aliquid Ecclesiæ destruit, vel in alios distrahit, [illegible] alienat, aut fundos immutat; non ligatur ista excommunicatione, seu pœnis *extravagantis.*

6. Id ipsum procedit de *Decreto* Sac. Congregat. edito pro Regularibus, & suprà posito, ut solùm Capitula Generalia, vel Provincialia, & Superiores eorundem comprehendat; non autem alios, propter eandem rationem, *Bordon. resolut. 27. de reb. Eccles. non alien. [illegible] num. 17. §. alterum est*, sed data hac opinione subditi prædicti aliis pœnis mulctandi sunt, de quibus *Doctores* prædicti.

Quæst. 90. Quid à pœnis prædictis possit excusare?

1. PRimò equidem, ab his pœnis excusat bona fides, secundò, ignorantia, tam juris, quàm facti, dummodò ignorantia non sit conjuncta cum ingenti temeritate, *Navar. cons. 19. num. 13. de reb. Eccles. non alien. in 1. edition. & cons. 5. num. 2. & in com. de non alien. [illegible] 14. Megal. tom. 1. consil. 32. num. 2. & 40. nu. 50.* & [illegible] illis verbis *Bullæ*, ibi, *quicquam alienare præsumpserit;* [illegible] sumptio enim denotat dolum, scientiam, & [illegible] teni, per illa jura, quæ refert *Navar.* cit. *loc.* & *Gr[illegible] tom. consil. 22. de sent. excommunicationis, num. 13.* & [illegible] suprà dixi in *tract. de violat. claus. q.17.* & ratio esse potest, quia simplicitas, bona fides, & ignorantia probabilis, excusat à peccato mortali, secundùm omnes; & consequenter ab omnibus pœnis, quæ supponunt peccatum mortale, uti sunt pœnæ graves: tertiò, excusat opinio saltem alicujus probati Doctoris, qualis est, qui [illegible] dictum benè probat, *Navar. cons. 2. de præscriptionib. [illegible] tom. 2. com. de alienat. num. 16. & Quarant.* cit. *loc. nu.* [illegible] tò, excusat revocatio facta ante traditionem rei, [illegible] *cons. 18. de reb. Eccles. & Quarant. ubi suprà:* qua[illegible] dem requiritur ad incurrendum in pœnas, ut re[illegible] dita parti recipienti alienatum.

2. Neque his obstat *Bonac. in d. p.5. num.2.* [illegible] prædictas pœnas incurri statim, ubi perfectus [illegible] tractus; licet res nondum sit tradita; quia multi [illegible] ctus perficiuntur, solo mutuo consensu, antequam res tradatur: etenim eius ratio non nocet; quia con[illegible] dicitur perfectus, quando partes non possunt ab eo resilire, non autem quoad totum suum complementum, quo perficitur traditione rei, ut post multos *Bordon. resolut. 27. quæst. 25. num. 68.*

Quæst. 91.

Quæst. 91. Pœnæ prædictæ, an incurrantur, statim admissa culpa?

1. DE hac re latè dico *p. 2. tract. 4. de violata clausura, in Bull. Pii V. q. 27. & sequent.* & in *p. 4. tract. 2. de recip. ad habitum in Bull. Sixti V. q. 1. & sequent.* à quonam, Religiosi sic irretiti sint absolvendi? vide in *p. 3. tract. 11. q. 8. & seq.* & non displicebit.

Quæst. 92. Excommunicatio d. Bullæ, an sit Papæ reservata?

1. NEgativè dictum est suprà, & constat ex lectura *d. extrav.* ubi excommunicatio *ibi* expressa, nemini reservatur: perinde, potest absolvi à quovis Confessario, approbato tamen à loci Ordinario, & parte satisfacta; quod etiam procedit de interdicto respectu Episcoporum.

2. *Thesaurus* tamen in 2. *p. praxis, de pœnis, ver. alienat. cap. 1. ver. primò nota* dicit, quòd quamvis excommunicatio hujus *extravag.* non sit Papæ reservata: est tamen aliundè reservata; etenim alienantes bona Ecclesiæ, sine debita forma, & ea recipientes, secundùm multos *Doctores* incurrunt in pœnas latas contra usurpantes, seu occupantes bona Ecclesiarum, vel impedientes, ea percipi ab iis, ad quos pertinent; quia malè alienans, videtur usurpare, vel impedire, quod est contra dispositionem *d. cap. Conc. Trid.* suprapositi.

3. Quæ quidem opinio placet *Bonac. in d. p. 5. num. 3.* seclusa tamen bona fide; quia ut dictum est, bona fides excusat à mortali, & consequenter ab excommunicatione, quæ non incurritur sine prævio peccato mortali.

4. Sed displicet *Lezanæ, ver. alien. num. 20. in fin.* ubi inquit, *Concilium Trid.* in cit. *loc.* loqui dumtaxat, de verè usurpantibus, seu in proprios usus convertentibus bona Ecclesiarum; ideoque subdit, non posse extendi ad simpliciter alienantes, juxtà vulgatam *Regulam odia, &c.* quandoquidem, usurpare, propriè acceptum, more Juriconsultorum, est sibi vendicare, hoc est, proprium facere, & suum esse dicere, teste *Calepino, in ver. usurpo, in fine*; quod explicans *Cajet. in sum. ver. excom. cap. 27.* ubi examinans excommunicationem *Bullæ Cœnæ*, inflictam contrà usurpantes res Ecclesiæ, ait, quòd illa verba debent accipi formaliter; quia fures, seu latrones, qui res Ecclesiæ furantur, aut rapiunt, ut quasdam res mundi; non incidunt in *Canonem*; quia non accipiunt illas, ut res Ecclesiæ, sed ut res sunt; quod dictum ingeniosum dixit *Franciscus Suarez tom. 5. de cens. disput. 21. sect. 2. contrà usurpantes, in 17. censura, num. 96.* ex eo; quia usurpare proventus, & redditus Ecclesiæ, est illos sibi assumere, uti proprios, & tanquam ad se pertinentes, & quòd hoc fiat authoritativè, in spretum Ecclesiæ, cum violentia, juxtà quæ intelligendum venit dictum *Decretum cap. 11. Conc. Trid.* quod tamen ad simplicem alienationem non potest adaptari.

5. Nec obstat dicere, si excommunicatio *d. extrav.* nulli est reservata, & potest absolvi à quolibet Confessario ritè instituto; ad quid ergo sæpè sæpius quæritur, & obtinetur eius absolutio per *Brevia* Pœnitentiariæ? id enim est, vel pro foro exteriori, ad obviandum molestiis, quæ oriri possent, vel etiam in foro interiori, ad majorem securitatem; aut enim hoc fit ex ignorantia authoritatis suorum Superiorum, *Alphon. de Leon. de cens. recoll. 4. ver. commissarii, fol. 297. col. 1.* quod ante ipsum alii dixerunt.

Quæst. 93. Prælatus, si celebret post alienationem rerum Eccles. à se factam, sine assensu Apostolico, an contrahat irregularitatem?

1. DEcisio hujus controversiæ pendet ex illa, an dicta *extrav.* sit, vel non sit usu recepta: nam si sit in usu, secundùm se totam, certum est, quòd Prælatus alienans res Ecclesiæ, sine solemnitate *d. extrav.* incidit in excommunicationem latæ sententiæ; qui si ità irretitus celebret, fit irregularis; quia censuræ, quoad forum animæ sortiuntur effectum suum, absque alia declaratione ex *Cajet. in summ. ver. censura.*

2. Si verò *d. Paulina* nullatenùs est recepta, vel si sit recepta quoad pœnas intrinsecas, & non quoad pœnas extrinsecas, nempe, si sit recepta quoad nullitatem contractus locationis factæ, non autem quoad censuras, dicendum est ad quæsitum negativè; prout latè *Ricc. in prax. variarum resolut. 272. in medio,* & est decisio *Navarri in sum. cap. 27. de cens. num. 150. in excom. 52.* ubi examinans *extrav. Pauli II.* ait, *quòd jam pridem nos Salmanticæ tulimus sententiam, qua judicavimus ex probatis coram nobis, irritam, & nullam fuisse quandam locationem, in plures, quàm in tres annos factam; Clericum autem, qui eam fecit, non debuisse judicari excommunicatum, juxtà antiquum jus cap. 1. ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant: neque per consequens irregularem, eo, quòd celebrasset post illam locationem, absque absolutione, & sic credimus, in paucis locis esse receptam quoad pœnas extrinsecas, quamquam in multis est recepta, quoad dispositionem principalem, & pœnam intrinsecam nullitatis contractus locationis factæ in plures, quàm tres annos:* hæc ille, qui ut vides, ob id dixit, quòd ille Clericus non contraxit irregularitatem, ex eo; quia illa *Decretalis,* illo loco non erat usu recepta, quoad pœnas extrinsecas, utpotè censurarum.

3. Et ad majorem certitudinem vide ea, quæ dicit *Genuens.* in sua nova *praxi Archiep. Neapolit. cap. 52. fol.* mihi 168. ubi narrat, *quòd in anno 1599. fuit dubitatum, & maximè disceptatum in Curia Archiepiscopali, an quidam Rector Ecclesiæ esset excommunicatus, & incurrisset in alias pœnas contentas* in *extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ non alien. ex quo alienaverat quoddam territorium dictæ Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice; sed cum clausula, reservato assensu Papæ, nec aliter, nec alio modo, & antequàm impetratus fuisset assensus, tradiderat possessionem dicti territorii, & re tandem delata ad Clem. VIII. declaravit, dictum Rectorem incurrisse in pœnas d. extrav. ambitiosæ, & rescripsit Vicario Neap. quòd dictum Rectorem absolveret in utroque foro à censuris, dummodò prius dictus Rector revocaret alienationem, & reintegraret Ecclesiam in suo statu, aut saltem faceret pro suo posse, quòd dicta Ecclesia reintegraretur; movendo litem in judicio, vel alia ad hunc effectum faciendo*: hæc ibi, & ita est servandum.

****

TRACTATUS XV.

DE LARGITIONE MUNERUM REGULARIBUS INTERDICTA.

HUc usque diximus de rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis, per Regulares non alienandis: nunc verò est dicendum de mobilibus non pretiosis; ad quarum distractionem est omninò observanda *Constitutio Clementis VIII. & Urbani VIII.* quæ est tenoris sequentis.

§. 1. *Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Religiosæ Congregationes, ab insigni sanctitate viris Spiritus Sancti afflatu institutæ, tantas Ecclesiæ Dei utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas, & instaurandas Romani Pontifices prædecessores nostri, magnā jure optimo diligentiam semper adhibuerint: nam cum ea sit rerum humanarum conditio, & natura; ut etiam, quæ optimè fundata, & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim Dæmonis astutia, paulatim deficiant; ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur, idcircò Summorum Pontificum vigilantia, magnoperè laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina, aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus Constitutionibus communita, integra, atque incolumis permaneret, quorum nos vestigiis pro eodem officii munere, insistere, & pastoralem illorum sollicitudinem (quantum possumus) divina adjutrice gratia cupimus imitari: quare, ne muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ professoribus, ex Christi patrimonio quibusvis hominibus, quavis ex causa sæpe tribuūtur, gravia incommoda, & mala, etiā boni specie existant præcavere studētes.*

§. 2. *Hac nostra perpetuò valitura Constitutione universis, & singulis cujuscunque Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium bona immobilia, & redditus certos ex indulto Apost. possidentium, vel non possidentium, seu cujusvis Congregationis, Societatis, & Instituti (non tamen militiæ) Regularibus personis utriuslibet sexus omnem, & quamcunq; largitionem, & missionem munerum, penitus interdicimus: sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia, & singula Capitula, Conventus, & Congregationes tam singulorum Conventuum, Monasteriorum; Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum, quàm Provincialia, aut Generalia cujuslibet Provinciæ, sive Universi Ordinis, Societatis, aut Instituti: eorumq;, vel earum Camerarios Commissarios, & quoscunq; Officiales, & singulares personas: ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatū hujusmodi Superiores, quascunq; dignitates obtinentes, etiam Generales, & Provinciales Magistros, Ministros, & quocunq; nomine Præfectos, nec non Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum, & Locorum quorumcunq; Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam, Majores, Guardianos, Ministros Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo Præsidentes, tam ipsis Regularibus, quàm Locorum Ordinariis, seu quibusvis Superioribus subjectas utriuslibet sexus ad vitam, vel ad tempus datos.*

§. 3. *Adeò, ut nemo unquam eorum, vel earum, directè, vel indirectè, palam, vel occultè, tam communi, quàm particulari, & proprio nomine, etiam sub quovis statuti, vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu, vel quacunque causa; nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re maturè discussa, unanimi consensu omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, quidquam tale attentare valeat.*

§. 4. *Id autem ita absolutè, & generatim vetitum intelligatur, ut neque omninò fas sit quidquam donare, tam ex fructibus, redditibus, & proventibus, collectis, vel contributionibus, aut oblationibus, seu eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ, seu massæ communis, vel cujusvis fabricæ, & Sacristiæ, quorum bona communiter, ut præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quam ex pecuniis, etiā quæ à singulis quovis modo acquisita in commune conferenda, omninò sunt: nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur: nec si forsan privatim, & nominatim cuilibet Religioso à suis Superioribus, vel à propriis Affinibus, Propinquis, Familiaribus, Amicis aut Benevolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ, aut charitatis, & illius propriæ personæ intuitu attributæ, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut Loco acquisita; eique ut ad libitum de eis disponat, per Superiores concessa fuerint.*

§. 5. Præterquam leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel Religionē pertinentia munuscula communi tantùm; nunquàm verò particulari nomine (ubi Superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda.

§. 6. *Sed, & hujusmodi missiones munerum, ipsis Religiosis utriuslibet sexus, non solum per se; verum etiam per alios, tam directè, quàm indirectè prohibitas declaramus.*

§. 7. *Neque verò quispiam ab hac generali prohibitione se excusare valeat; etiamsi munera miserit cuivis personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ, cujuscunq; status, gradus, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non solùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali; verum etiam Ecclesiastica & Pontificali, aut alia majori, etiam S. R. E. Cardinalatus dignitate fulgenti, etiam proprio loci Ordinario, etiam ex causa, & occasione benedictionis, vel susceptionis habitus Regularis, tonsuræ, aut professionis Monialium, tam sibi subditarum, quàm non subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis, vel Congregationis Protectori, Vice protectori, Generali, vel Provinciali, aut cujusvis Monasterii, Prioratus, Domus, aut cujuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocunque officio, munere, aut dignitate fulgenti, vel cuicunq; etiam simplici, & particulari Religioso.*

§. 8. *Ita ut inter ipsos quoque Religiosos) ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus, & dignitatibus, alter alterius gratiam, aut benevolentiam aucupetur) quæcunq; largitio, aut donatio munerum (nisi rerum minimarum, de licentia expressa, & in scriptis Superiorum) sit penitùs interdicta.*

§. 9. *Insuper prohibemus, ne unquàm eisdem Regularibus liceat ullas pecunias, quocunque modo erogare in alicujus etiam Benefactoris aut Protectoris, vel Ordinarii honorem, etiam occasione transitus, vel primi ingressus, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi testificationem, seu pro prædictis personis quavis auctoritate, vel dignitate fulgentibus, honorificè, lautè, & opiparè excipiendis, seu pro quibusvis Conviviis eisdem, aut cuivis alteri quacunque occasione, vel causa exhibendis, vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusvis personis, tam ejusdem Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci, quàm extraneis largiendis.*

§. 10. *Aut pro exhibendis spectaculis, etiam piis intrà Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras, seu pias, vel*

extrà

extra eas in quibusvis publicis, aut privatis, sacris, aut profanis Locis, etiam ubi sanctorum vita, aut res pia gesta, etiam in memoriam passionis Dominicæ Populis spectanda proponuntur, aut aliàs in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam, & ostentationem, aut ad oblectationem, vel paucorum lucrum, & privata commoda quomodolibet pertinentibus: nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione de consilio, & consensu Superiorum sublevandis, aut aliàs in rebus licitis, & per Capitulum Generale, aut Provinciale, non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus; sumptus hujusmodi fiant.

§.11. *Declarantes tamen per hæc, laudabilem, & Apostolica doctrina, sacrisq; Canonibus commendatam hospitalitatem, præsertim ergà Pauperes, & Peregrinos nequaquàm imminui, aut prohiberi: quinimmò, si qui redditus ad id, vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus, aliquorum Monasteriorum, Ordinum, aut Regularium hujusmodi Locorum, ex testatorum, vel donantium voluntatibus, sive aliàs applicati, aut donati sunt, eos omninò (ut decet) integrè in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu Locis desertis, & ab Laicorum ædibus longiùs remotis, ubi tamen pauperum, & verè egenorum ratio in primis habeatur.*

§.12. *Si quos verò ditiores, occasione transitus, sive aliàs ex devotionis, aut necessitatis causa eò divertere contigerit, eos sane deceret refectorio communi cum Religiosis, mensaque, & ferculis communibus, nequaquàm à cæteris distinctis contentos esse: verum omninò ipsi Regulares in Hospitibus hujusmodi potentioribus excipiendis, ità se gerant, ut in eis frugalitas, & paupertas Religiosa prorsus eluceat.*

§.13. *Pari etiam ratione districtè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus, aliàs, quàm, ut superiùs dictum est; vel Regularis quocunque honore, praeminentia, nobilitate, aut excellentia, etiã S. R. E. Cardinalatus dignitate præditus, etiam Protector, Vice protector, loci Ordinarius Prælatus, Generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domus, aut Loci cujuslibet Superior, erumvè Affines, Propinqui, Familiares, aut Ministri utriuslibet sexus, quidquam contrà hanc superiùs expressam prohibitionem recipiant.*

§.14 *Quòd si, vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Superiore quopiam, Generali, Provinciali, aut alio quocunque fungente, aut à Conventu, Capitulo, vel Congregatione, sive ab universo Ordine, & Religione quidquam receperint, id, quod acceperint, suum non faciant. Verum ipso facto absq; aliqua monitione Iudicis, Decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omninò in utroq; foro teneantur: adeo, ut restitutione ipsa realiter non facta, neq; etiam in foro conscientiæ absolvi possint.*

§.15. *Hanc autem restitutionem fieri volumus, non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri Loco, de cujus bonis facta est largitio, vel si non de eius bonis donatum est in quo idem Religiosus donans professionem emisit: vel si nomine totius Capituli, Conventus, aut Congregationis, vel Universi Ordinis, seu Religionis donatio facta extiterit, pariter communi mensa, aut massa, cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur; ita ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo, aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget concedere quoquo modo possit.*

§.16. *Quòd si quis ex supradictis Regularibus utriuslibet sexus, cujuscunq; gradus, ordinis, dignitatis, ac ubilibet locorum existentibus conjunctim, cum cæteris, seu divisim nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, ordinationum, jussionum, Decretorum, Mandatorum transgressor fuerit, statuimus, ut omnibus, & singulis per eum obtentis dignitatibus, gradibus, muneribus, & officiis, eo ipso privatus, ac ad illa, & alia similia, vel dissimilia in futurum obtinenda inhabilis perpetuò, & incapax, ac perpetua infamia, & ignominia notatus existat: & præterea privationem vocis activæ, & passivæ, absque ullo Superioris Decreto, aut Ministerio, ipso facto incurrat; nec non, ultra hujusmodi pœnas, etiam tanquam contra furti, & simoniæ criminum reum, tam per viam denunciationis, accusationis, aut querelæ, quam etiam ex officio procedi, & inquiri, condignisque suppliciis affici debeat.*

§.17. *Pœnis aliis à jure statutis, ac per alias Constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domus, aut Loci, statuta, vel consuetudines contra personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis, & inflictis, nihilominùs in suo robore permansuris.*

§.18. *Quo circa universis, & singulis modernis, & pro tempore existentibus Locorum Ordinariis, eorumq; Vicariis, & Officialibus, nec non quorumcumq; Ordinum, Prioratuum, Monasteriorũ, & Domorum Superioribus, etiã Generalibus, seu Provincialibus, cæterisq; ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, authoritate, & vigilantia, præsentem Constitutionem firmiter, & inviolate observari, & contra inobedientes, vel transgressores condignis pœnis animadverti: eosdem inobedientes, nec non contradictores quoslibet, & Rebelles per opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis.*

§.19. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictorumque Monasteriorum, Prioratuum, Domorum, Locorum, nec non Ordinum, Congregationum, Collegiorum, Iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoq; indultis, & litteris Apostolicis quorumcunq; tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus præsentis nostræ Constitutionis impediri quomodolibet valeat, vel differri, & de quibus, quorumq; totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis: quæ omnia, quatenus præmissis in aliquo adversentur, prorsus tollimus, & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

§.20. *Volumus autem, ut præsentes litteræ in Valvis S. Joan. Lateran. & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & in acie Campi Floræ publicentur, affixis inibi earum exemplis: & dimissis, quodque earum exempla, seu illarum compendia in libris quorumcunque statutorum prædictorum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, Domorum, Ordinum, Congregationum (quoad Moniales in vernaculum, & vulgarem cujusque Religionis sermonem versa) & a loci Ordinario, qui id quamprimum fieri curet, subscripta inserantur, & saltem quotannis in Capitulis, sivè Congregationibus, cuiusque earum alta, & intelligibili voce legantur: & nihilominus post sexaginta dies à die publicationis, (ut præfertur,) in Romana Curia faciendæ, unumquemque citrà montes, ultrà montes verò post quatuor menses, perinde arctent, & afficiant, ac si cuique personaliter intimata, & per eos jurata fuissent.*

§. 21. *Quòdque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in judicio, & extrà illud, ubique adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum interdicti, prohibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli*

Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali anno incarnat. Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, tertiodecimo Kal. Iulii. Pontificatus nostri anno tertio. L. Cardin Prodat. M Vestrius Barbianus. A. de Alexiis. Registrata apud Marcellum Secretarium.

In nomine, & à Nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, indictione septima, die verò secunda mensis Iulii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Clementis divina providentia Papæ VIII. anno tertio: retroscripta litteræ publicatæ, & affixæ fuerunt in acie campi floræ, & aliis locis publicis, & consuetis, per nos Prosperum Spada, & Franciscum de Bonis, ejusdem S. D. N. Cursores: ità Fran. de Bonis S. D. N. Papæ Curs. Gabriel. Savarellus Curs. Mag.

Et habetur per extensum in *Bull. Laertii Cherubini pag.* 40. & est 28. inter *Bullas* ejusdem *Papæ Clementis*, de qua plures multa loquuntur, & præcipuè *Sorbus Capuccinus in comp. Privil. Minor. in ver. dare*, *fol* mihi 189. & nuper *Novar p.* 2. *sum Bull tit. de munerum largitione.*

Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam.

NVper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Petri ad vincula Presbytero Cardinali S Onuphrii nuncupato majori Pœnitentiario, ac nostro in Alma Vrbe pro Vicario in spiritualibus Generali, & nostro secundùm carnem Fratre Germano à nobis deputata, emanavit declaratio tenoris subsequentis. Videlicet.

1. *Cum circa interpretationem Constitutionis Fel. rec. Clementis Octavi, sub dat. 13 Kal Iulii Pontificatus sui anno 3. de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, nonnullæ difficultates, & ambiguitates sint exortæ, Congregatio specialiter à Sanctissimo Domino nostro Vrbano divina providentia Papa Octavo coram Eminentissimo Cardinali Sancti Onuphrii Majori Pœnitentiario, ac Vrbis pro Vicario deputata, authoritate sibi attributa declaravit, & declarat, munera à Religiosis utriusq; sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, eiusq; conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè; & dummodo id non fiat, nisi de Superiorũ localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure, vel ex Constitutionibus, seu Consuetudinibus cujusq; Religionis respectivè, in hujusmodi casibus requiratur.*

2. *Consensum verò Conventus in § 3 ejusdem Constitutionis ad leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, & Religiositatem pertinentia munuscula largienda, &c. requisitum, intelligi debere de consensu alias de jure requisito, & ubi concurrit ambitionis suspitio, quâ cessante, nec in his requiri licentiam Superiorum in scriptis in §. 4. ejusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam, etiam oretenus eisdem concessam, declarat.*

3. *Commessationes autem, compotationes & Convivia in excipiendis præsertim Benefactoribus, Protectoribus, vel Ordinariis honorificè, & lautè, de quibus in §. 5. & 6. ejusdem Constit. censeri tantummodo prohibita, si decentiæ status Regularis adversentur.*

4. *Restitutionem verò receptorum, Conventibus faciendam, de qua in §. 7. ibidem cautum est, si id commodè fieri potest: alias Conventui ejusdem Religionis viciniori loco, ubi petita fuit absolutio restituantur.*

5. *Insuper eadem facultate sibi tributa, omnes, qui hucusque adversus supradicta Constitutionis Capitula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt à pœnis quibuscunque in eadem Constitutione inflictis, & incursis, posse, & debere à propriis Confessariis absolvi in foro conscientiæ, etiam non facta hujusmodi rerum donatarum seu datarum restitutione.*

6. *Quoad eos verò, qui præter modum prædictum graviori Religionis detrimento, largiendo, vel recipiẽdo transgressi sunt, sed ob inopiam restituere nequeunt, eadem Sanctitas concedit majori Pœnitentiario, ut de præteritis usq; ad diem datæ præsentium in foro conscientiæ absolvat, dispenset, & condonet, seu absolvi, dispensari, & condonari mandet, prout in Domino magis expedire judicaverit.*

7. *Et ne prædictæ Clementis VIII. Constitutionis memoria dilabatur. Superiores locales cujuscunq; Monasterii, Conventus, Domus & Collegii Regularis, sub pœna privationis officii, vocisq; activæ, & passivæ ipso jure incurrenda, efficere teneantur, ut in perpetuum singulis annis mense Ianuario, non solum prædicta Constitutio (quàm in nullis quis eius partibus eadem Sanctitas, omninò observari jubet, & quatenus opus sit innovat quemcunq; prætensum nõ usum, aut prætensum usum, seu prætensam consuetudinem, damnando, & irritando.) Verum etiam hoc Decretum in aliqua publica mensa perlegantur Omnibus, tã Ecclesiasticis personis, etiã Regularibus, quã laicis, cujuscunq; sint ordinis, conditionis gradus, ac dignitatis, etiam speciali nota dignis, & qui sub generali dispositione non cõprehenderentur, prædictam Clementis Constitutionẽ contrà præsentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta, super quibus Sanctissimus mandavit, expediri Breve. Datum Romæ die 15. Septembris 1640.*

8. *Quapropter, ut præmissa firmiùs subsistant, & inviolabiliter observentur, quantũ cum Domino possumus providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine; declarationem præinsertam, cum omnibus, & singulis in ea contẽtis, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, illisq; inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, illaq; inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum, observari, sicq; & non aliter in præmissis per quoscunq; Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Delegatos, & quosvis alios quacunq; authoritate fungentes, sublata eis, & eorũ cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus: non obstantibus quoad ea, quæ declarationi prædictæ, & præsentibus sunt contraria, vel diversa Constitutioni fel. recor. Clementis Papæ Octavi prædecessoris nostri prædicti, ac omnibus illis, quæ idem Clemens in Constitutione hujusmodi voluit non obstare, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 16. Octobris 1640. Pontificatus nostri anno decimo octavo. M. A. Maraldus.*

Quæst. 1. *Largitio, quid sit, & quomodò hic accipiatur?*

1. RESpondeo, quòd largitio ex vi vocabuli est profusa rerum donatio: dicitur enim largitio à verbo largior græcè, latinè, profusè dono; & sumitur aliquando pro promissione, & concessione, sicut illud verbum, *largior*, teste *Calepino ibidem*; & quamvis largitio, & largitas in rigore Grammaticorum inter se differant; adeò ut largitas sit humanitatis, & largitio ambitionis: est enim largitas rationabilis, & definitus liberalis affectus: largitio verò expensa, quæ fit ad aucupandum favorem in petitione Magistratuum, quod vulgò dicitur subornatio.

2. Nihil-

2. Nihilominus apud *Juristas* & hîc largitio pro liberalitate ponitur; nam liberalitas largitas nominatur; quod enim largum est, non est retentivum, sed est emissivum: sed ità est, quòd liberalitas à se emittit, & liberat animum possidentis divitias, ab affectu, & custodia earundem, ergo benè dicitur liberalitas, ut eleganter ostendit *D.Thom.2.2.q.117.art.2. in corpor.*

3. Quæ quidem cùm sit virtus moralis ad beatitudinem ordinata, & Reipublicæ valde necessaria, non potest præsumi, quòd in vim hujus *Constitutionis* sit omninò & absolutè, ac omnibus modis Regularibus interdicta; sed illa tantùm, quæ sit imprudens, immoderata, & indiscreta; non autem, quæ votum paupertatis non violat, nec enormiter Monasterium lædit; etenim *Constitutio* hæc, ut infrà dico, non statuit jus novum, nisi quoad pœnas transgressoribus inflictas, & quoad formam approbandi causam, & modum largiendi.

4. Quapropter dico, quod Religiosorum Prælati, & subditi possunt facere donationes, etiam intuitu liberalitatis; discretè tamen, ac religiosè, juxta formam *d. Constitutionis, & Declarationis* Sacræ Congregat. suprà positæ.

5. Secùs autem indiscretè, sive donent ad finem ambitionis, sive ob aliam causam, dummodò per talem donationem votum paupertatis violetur, *Sorb.* cit. *loc. in princ. expositionis, in 2. adver. & Diana 1.p. tract. de paupertate Relig. resol.11. Sanchez lib.7.cap.8.sum.num.5. & Thesaur.2.p.prax.de pœnis, cap.10. ver. munera, §. sed, & tit. donationis.*

Quæst. 2. Quænam sint causæ finales hujus Constitutionis?

1. ET dico, quòd sunt quatuor, quarum prima est, ut Regularium Ordinum disciplina conservetur, aut labefactata in pristinum restituatur, ut in *proœmio*; secunda est, ne bona patrimonialia Christi, ut *ibidem*, seu ne bona Monasteriorum, vel quorumcunque Regularium, sive sint redditus, sive eleemosynæ, seu bona quorumcunque acquisita, dilapidentur, & dissipentur, ut in §. 4. tertia est, ut votum paupertatis integrè observetur, quarta, ut prava Regularium ambitio evitetur, ut in §.8. mens enim Principis ex pluribus indagatur, nedum ex proœmio legis, verùm etiam ex verbis mediis, & extremis, ut dicitur in *cap. secundò requiris, 41. de appellat.* & constat ex aliis juribus per nos allegatis *1.p. de Præsul. tract. 8.q.1.* Attamen harum quatuor major est, ne violetur paupertas religiosa, ad cujus custodiam aliæ ordinantur; & ducor ex multis. Primò, quia fundamentum religiosæ disciplinæ est paupertas religiosa, ut dicitur in *Clem. exivi de Paradiso, de verb. significat. & cap. exiit, eod. tit.* secundò, ex titulo *Constitutionis*, attitulatur enim *de largitione munerum Regularibus interdicta*; quia votum paupertatis ob munerum donationes, vel acceptationes, quæ fiunt, vel accipiuntur absque Superioris licentia, maximè violatur; tertiò, quia Regularis hujus *Constitutionis* transgressor, fit reus furti, & simoniæ, ut in §.16. quia peccatum proprietatis in Religioso habet duplicem, immò triplicem malitiam, nempe furti, sacrilegii, & simoniæ: furti, & sacrilegii, quia usurpat sibi aliquid de bonis Monasterii, & tribuit alteri, absque expressa, vel tacita licentia Prælati, & simoniæ; quia forsitan ambitione impulsus pro consequendis officiis clam sublata donat, ut dicitur in §. 8. ergo ob violationem voti paupertatis fit reus tot criminum, & punitur, ergo principalis finis, & causa causarum dictæ *Constitutionis* est, tueri votum paupertatis, ad cujus violationem sequuntur alia incommoda, ut in *proœmio*.

2. Hinc, si quis diceret, se non dare, ut aucupetur gratiam Superioris, vel alterius, sed ob alium finem, non ob id excusaretur à pœnis d. *Constitutionis*, quia licèt in tali casu cessasset unus finis, nempe simoniæ, nihilominus non cessaret finis principalis, utpote violatio paupertatis, ad quam Religiosus debet semper respicere, prout colligitur ex *textu §. affinitatis, Instit. de nupt.* ubi dicitur, quòd quando sunt plures causæ æquè finales, cessante una, non cessat altera, prout occurrit in casu posito; quia licèt cessasset dilapidatio bonorum Monasterii, aut simoniæ, nunquam tamen potest cessare illa, quæ respicit votum paupertatis, quod est fundamentum Religionis, ut dixi: & hæc est vera sententia, quam amplectitur *Sorbus* cit. *loc. ver. tertiò, in §.1. à Sancto Fausto lib.8. Thes. q. 182.* & alii plures, quos contra se citat *Diana tract. de paupertate Religiosa, resol.33.* & patet ex dictis; ac proinde Regulares, & Moniales, etiam cum licentia sui Superioris non possunt inter se munera elargiri, nisi cessante ambitione, & salvo remanente voto paupertatis, ut dictum est suprà, & sequitur *Tambur. de Jur. Abbatiss. disput.9.q. 9.* ubi dicit, opinionem *Dianæ* posse habere locum in rebus minimis, quæ paupertatem non violant, & à legislatore non habentur in consideratione.

Quæst. 3. An dicta Bulla statuat novum jus?

1. ETsi prædicta *Bulla* prima fronte videatur valde exorbitans à jure communi, nihilominus non est ità, prout omnes in ea *Scribentes* advertunt: non enim est lex revocatoria juris antiqui, sed renovatoria, ut notat noster *Joan. de la Crux lib.1. de statu Relig. cap.3. dub. 5. conclus.3. & Sorb.* cit. *loc. in fin. exposit. d. Bullæ*, quandoquidem Regulares de jure communi non sunt capaces dominii, nec possunt habere proprium, *cap. non dicatis 12.q.1. cap. Monachi, de statu Monach. cap. cùm ad Monasterium, eod. tit.* & ex *Decreto Sacri Concil. Trid. sess.25. cap. 2.* quod incipit, *nemini igitur Regularium.*

2. Perinde, largitio munerum de antiquo jure communi est omnibus Regularibus vetita, per ea, quæ habentur in *cap. nulli liceat, & cap. si quis, de reb. Eccles. non alien.* etenim, qui nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest, *cap. Abbatis, distinct. 54.* nec juri communi potest derogari, nisi à Summo Pontifice dicatur, quod in *d. Bulla* minimè reperitur.

3. Benè verum est, quòd videtur statuere novum jus, quoad pœnas transgressoribus inflictas, & quoad formam approbandi licentias largiendi, quando scilicet causæ non reperiuntur in jure expressæ, nec permissæ, quatenus vult, eas debere approbari à Congregatione generali, unanimi omnium consensu, cùm aliàs de jure communi sufficiat consensus majoris partis Capituli, cùm agitur de alienatione rerum pertinentium ad mensam communem, *cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à Prælat.* & docet *Gloss. in cap. cùm omnes, de Constit.*

4. Quò verò ad reliqua, nihil novi præcipit; etenim prohibet largitiones, erogationes, & munera rerum Monasterii, quæ aliàs de jure erant illicitæ, & prohibitæ, & quidquid olim erat licitum, etiam hodie licitum remanet, *Suar. tom.4. de Relig. tract.1. lib.2. cap.26. num.15.* & alii plures, quos refert & sequitur *Carol. Thes.* in sua *praxi de pœnis Eccles. 2.p. ver. munera, cap.10.*

Quæst. 4. Prælati Regulares, an de jure communi possint de rebus Monasterii aliquid donare?

1. DE jure communi dic, quòd sic, & habetur in *cap. nullam, 18.q.2.* ibi, *ut de cætero fideliter, & studiosè universa, quæ vel ad divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem ejusdem Monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere convenit, debeat adimplere*, hæc *ibi*. & ratio esse potest, quia Abbatia, Prioratus, & aliæ Præfecturæ sunt propriè beneficia Ecclesiastica; unde Abbas, vel Prior alicujus Monasterii est beneficiarius;

ficiarius; sed de jure communi ad Beneficiarium pertinet disponere de rebus, & fructibus sui beneficii, ergo. *Navar.comm.2.num.11.de Regul.*

2. Dixi, de jure communi; quia quoad quantitatem & modum, debent attendi Decreta, & Statuta specialia Religionis; etenim sæpè sæpiùs ex particularibus statutis bona Monasterii non possunt alienari sine Capitulo, & justa causa, licèt sint mobilia.

3. Benè verum est, quòd inter Prælatos non reperitur æqualis potestas in dispensandis bonis Monasterii; nam penès Provincialem major residet facultas, quàm penès Priorem, & major penès Generalem, quàm penès Provincialem; quia sicut Episcopi ratione status, & uberiorum fructuum, majora possunt donativa facere, ità Generales & Provinciales, qui in Religione sunt ut Episcopi, majorem habent authoritatem donandi, quàm cæteri inferiores, *à S.Fausto lib.8.Thes.q.122. Petrus Navar.lib.3. de restit.cap.1.num.183. Suar.tom.4.de Relig. tract.8.lib.2.cap.26. Quarant.ver.alienat.n.42. Barbosa de off. & potest.Episc.alleg.95.num.39. & Lezan.p.2.cap.19. num.54.*

Quæst.5. Prælatus quantam sibi & subditis quantitatem possit concedere ad donandum extraneis?

1. NAvar.lib.3. de donationibus, consil.6. in 1. editio. & in d.com.2. de Regul.num.11. ait, Prælatum posse donare fructus Monasterii, ut constat ex decisis; inter vivos tamen, & intuitu paupertatis, pietatis, vel remunerationis, & similium virtutum, non autem causa mortis, hoc enim repugnat paupertati. Verùm non assignat, quantam fructuum quantitatem possit donare, & donandi suis subditis facultatem facere.

2. *Rodr.* verò in 1.*p.sum.latin.cap.90. conclus.2. num.* 8. ait, quòd Prælati Religionum, qui habent bona in communi, possunt facere donationem extrà Ordinem de bonis mobilibus Monasterii, sine licentia Conventus, dummodò sit pauca quantitas, & adsit causa rationabilis, & quòd eandem donationem possunt facere subditi de licentia Superioris.

3. Quanta verò debeat esse ista quantitas, relinquitur arbitrio prudentis viri. Idipsum dicit *Sanch. in sum. lib.7.c.19.num.90. Bonac.*latè *tom.1. de alienat.bon.Eccles. disp.3.Pejr.tom.1.de subdito,q.2.cap.2. §.8. Barbosa in collect.Bull.Apostol. ver.Superior Regularis, & Lezana 2.p. sum.cap.19. num.57.in medio,* ajunt, declaratum fuisse à Sacra Congregatione, posse Superiores Monasteriorum, non obstante *Decreto de reb. Regularium non alien.* ex fructibus bonorum pingues eleemosynas facere, putà decem rubiorum tritici, & similium, ex quo fructus non comprehenduntur in dicto *Decreto*; verùm de ista *Declaratione* non constat authenticè.

4. *Ludovicus Lopez in instruct.c.40. Joan. Crucius de statu Relig.lib.1. de voto paupertatis, cap.3. dub.5. & Corduba in sum.q.54.* inquiunt, quòd Prælati Regulares possunt sibi, suisque concedere licentiam donandi, usque ad decem aureos, de bonis sibi applicatis pro causa pia, & rationabili, utpote pro nuptiis cognatorum, & pro gratificatione beneficiorum, pro cultu divino, & similibus, non tamen possunt ampliùs insumere, sine licentia Provincialis, vel alterius similis, vel Superioris Prælati, & hoc observant timorati, & docti Prælati.

5. *D. Barthol. à S. Fausto lib.8. q.150. de voto paupertatis,* post *Cordubam in sum.* tenet, Superiorem posse licentiam concedere expendendi decem ducatos, alii singulis mensibus duorum vel trium aureorum summam, alii autem singulis annis decem, aut duodecim, aut quindecim aureos.

6. *Molina* verò *tom.2. de justitia, disp.276. & Azor. lib.12.c.12.q.4.* censent, rem hanc totam arbitrio prudentis remittendam pro quantitate redditutum, & necessitate pauperum.

7. Cum quibus ego concurro, quia de hac re non potest tradi certa Regula, sed prudenti viro relinquitur, qui consideratis redditibus, & introitibus Monasterii, & conditionibus loci, & temporis, & personæ petentis, poterit id moraliter definire.

7. Nec præceptum *Capituli Pisani* reperio confirmatum, nec in *Constitutionibus* positum, ne dicam, *ibidem* reperiri oppositum; etenim in *cap.14.tex.3.litt.D.§.item declaramus,fol.50.col.4.* habetur, quòd Religiosus subditus non debet facere eleemosynam, quia licèt ei aliqua concedantur ad usum, non tamen habet usumfructum: perinde non potest donare, neque de concessis ad usum, neque per industriam acquisitum; quia omnia prædicta sunt Monasterii, quantum ad dominium.

9. Et infrà in *eod.cap.14.tex.4.litt.F.fol.52.col.1.* dicitur, *Religiosus si ea, quæ sunt ei ad usum concessa, sine voluntate, & consensu Superioris, quasi Dominus rerum donat, vel vendit, mortaliter peccat: nisi fortè in ratihabitione sui Prælati spem poneret,* hæc *ibi,* nec aliud verbum apparet de tali quantitate, quod totum amplectitur *Ricc.4.p.praxis,resolut.86.*ubi recitatis opinionibus, *num.* 2. subnectit, *Ego tutiùs censerem, quòd cùm in hac Bulla non sit determinata quantitas, debeat id remitti arbitrio Superioris, qui ruminatis conditionibus Religiosi donare volentis, & ejus, cui fit munusculum, & cognita causa, ob quam donatio impartitur, & considerata facultate Monasterii, poterit majorem, vel minorem facultatem dare in quantitate, & qualitate; ubi enim aliquid in statuto, & lege non est determinatum, Judicis arbitrium versari debet, sed adverte, quòd tunc succedit arbitrio Judicis, quando à lege, vel consuetudine, aut statuto certam sanctionem, & declarationem non habemus, & arbitrium debet regulari juxtà conditiones prædictas, & qualitatem personarum.*

Quæst. 6. An dicta Bulla obliget ad culpam mortalem?

1. QUi dixerunt, dictam *Constitutionem Clem.VIII.* in desuetudinem abiisse, respondent negativè, ex quo lex non recepta, non ligat, nec habet vires, *cap.in istis, §.leges, distinct.4.* & docet *Gloss.in cap.1. de treug. & pace,* ubi dixit, transgressorem legis, vel canonis non recepti non peccare, nec puniendum esse; tunc autem lex dicitur non recepta, quando vel Principe sciente per aliquos usus contrarios excluditur, vel eo ignorante per decennium negligitur, & omittitur, nec ullo pacto admissa fuit, *Imol. & Felin. in d.cap.1. de treug. & pace,num.13.& Covar.lib.2.var.resol.cap.16.num.6.*

2. Verùm, cùm hæc ad casum nostrum nequeant applicari, ut constat ex suprà dictis; dicendum est ad quæsitum affirmativè; tum quia est lex justa & Pontificia, continens observantiam voti paupertatis, ad quam omnes Religiosi tenentur: lex enim justa civilis habet vim obligandi in foro conscientiæ, per ea multa, quæ docet *D. Thom.* communiter acceptus 1.2.*q.96. art.4. in corp. & ibi, Cajetan.in princ.com.* tum etiam, quia est valdè pœnalis; quoties enim lex aliquid præcipit, vel vetat sub gravibus pœnis, obligat ad culpam mortalem, prout luculenter ex multis demonstrat *Dominicus Sotus de just.lib.1. q.6.art.5.* & colligitur ex illo *Deut. 25. Juxtà mensuram delicti, erit & plagarum modus,* & habetur in *cap.extra.extrav.de his, quæ fiunt à major.par. Capituli, & cap.felicis,de pœnis, in 6.*

3. Igitur ex pœna levi vel gravi arguitur culpa levis, vel gravior; pœna enim regulariter accepta præsupponit culpam.

4. Tum denique, quia in *d.Clem.* habentur illa verba, *districtè,*

districtè, penitùs, omninò, nullo modo, quæ sunt valde præceptoria, & per se obligatoria ad peccatum mortale, ut communiter docent *Doctores*.

5. Nec dices, quòd lex obligans ad pœnam, desinit obligare ad culpam; quia hoc est vulgare dictum, quod caret veritate. *Sot.* cit. *loc.*

Quæst. 7. Quænam Religiosæ personæ subjiciantur dictæ Bullæ?

1. ET dico, quòd omnes, & singuli Religiosi professi utriusque sexus, cujuscunque Ordinis sint, Mendicantium, vel non Mendicantium, gradus, & dignitatis, comprehenduntur sub *d. Bulla*.

2. Quamobrem, Abbates Canonicorum Regularium, Fratrum Claustralium, Cisterciensium, & similium Canonicorum S. Augustini, non possunt largiri contra dictam *Bullam*; quia licèt gaudeant jurisdictione Episcopali, adhuc sunt veri Religiosi, partes, & membra suæ Religionis, *Navar.com.2.de Regul.num.6. & com.4. num.70. Ricc.in d.4.par.praxis,resolut.*81. *& Bonac.ubi suprà,punct.2.num.*1.

3. Ampliа primò hoc ad Religiosos, & Moniales existentes extrà Claustra in domibus suorum parentum, vel aliorum, quacunque de causa; quia locus non eximit ab observantia Regulari, & à *Constitutionibus* Rom. Pontificum, *Sorb.*cit.*loc.* paulò antè § 1.*à S.Fausto, Ricc. cit.loc.num.*5. *& Bonac.punct.2.num.*12.

4. Amplia secundò, ad Religiosos Societatis Jesu; quia sunt verè Religiosi, etsi solùm tria vota simplicia emiserint; ut patet ex *Bulla Greg.XIII.* edita anno Domini 1582. quæ incipit, *Quantò fructuosius*, & docent *Sanchez de matrim. disp.25.num.15. Rodr.tom.1.q.1.art.1. & Garzias de benef.p.7.cap.10.num.53.*

5. Amplia tertiò, ad eum, qui facta professione in una Religione, transit ad aliam, in qua est Novitius; quia hic verè est professus prioris Religionis, licèt in secunda sit Novitius, *Bonac.*cit.*loc.num.*5.

6. Excipiuntur tamen primò à dicta *Bulla* Milites Regulares, ut sunt S.Joan.Bapt. S.Jacobi, S.Stephani, Calatravæ, Alcanteræ, & similium Ordinum; prout expresse dicitur in §. 2. ibi, *non tamen militiæ*, & ratio esse potest, quia licèt hi Milites sint veri Religiosi, attamen non vivunt in Clausura, nec propè habent legitimum Superiorem, à quo possent in largiendo moderari, & præcipuè in dimicando contra hostes fidei.

7. Secundò, Novitii, & Novitiæ non subjiciuntur *d. Bullæ*, ex quo ipsa loquitur de Regularibus utriusque sexus; Novitii, seu Novitiæ non dicuntur propriè Regulares, quia illi propriè dicuntur Regulares, qui emittunt tria vota essentialia in aliqua Religione approbata à Sancta Sede, & ista duo requiruntur copulativè; adeò, ut uno deficiente, non sequatur effectus; quapropter ab omnibus dictum est, quòd in odiosis Novitii non veniunt nomine Monachorum, prout eruditè loquitur *Sorbus & Ricc.* cit. *loc. & Novar.de elect.fori,q.63.num.14.sect.2.* & fusè *Sanchez in sum.tom.2.lib.5.cap.5.num.12.*

8. Tertiò, ob eandem rationem excipiuntur Anachoretæ, Eremitæ, Soli, Vagi, Bizocharæ, seu Mantellatæ, Tertiarii, seu Tertiariæ Ordinis nostri, vel S.Francisci, Oblati, Donati, Servientes Hospitali, Clerici Sæculares, etiamsi vivant in communi, & intrà septa eximuntur à dicta *Constitutione*; quia nempe non emittunt illa tria vota in Religione approbata à S. Sede, licèt habeant quendam modum vivendi, seu Regulam approbatam; quia aliud est, habere modum approbatum, & aliud, fecisse Professionem in Religione approbata, *Ricc.* cit. *loc. & Faustus ubi suprà, q.*188. in 2. editio.

9. Quartò, excipiuntur Episcopi Religiosi, vel aliàs habentes beneficium Ecclesiasticum; ex quo in *Bulla* prohibentur illæ largitiones, quæ fiunt de bonis pertinentibus ad Religiosorum Monasteria; at largitiones Episcopi Religiosi, vel habentis beneficium Ecclesiasticum, non fiunt de bonis Monasterii, sed de redditibus, quorum liberam habent administrationem de licentia Papæ; nam Episcopus Religiosus liberè potest disponere inter vivos, non solùm de fructibus, opera sua, aut aliunde acquisitis, verùm etiam de fructibus, & redditibus sui Episcopatus, vel beneficii, uti Episcopus, & Beneficiarius sæcularis, prout *Rota* decidit *decis.215.num.3.p.2.* in novissimis, & refert *Ricc. in d.4.p.resol.84.num.1. & Bonac. in d. disp.3.p.2.num.2.*

10. Quintò, denique eximuntur à *dicta Bulla* Religiosi ejecti, & expulsi à Religione justè, vel injustè, ex quo non sunt sub obedientia Prælati Regularis, ob quod videntur habere liberam administrationem suorum bonorum, utcumque acquisitorum, etiamsi aliunde peccent, prodigè, & immoderatè expendendo. *Bonac.* multis citatis *ubi suprà, num.*11. de qua re vide, quæ dixi in *tract. de ejectis.*

Quæst. 8. Donatio ob causam remunerationis, an comprehendatur in dicta Bulla?

1. NEgativè dic, juxtà prædictam *Declarationem S. C.* & meritò; quia *Bulla* loquitur de donatione gratiosa, quæ fit ex mera liberalitate, quæ secundùm *D.Thom.* communiter receptum in *primo sent. distinct. 18.q.1.art.2.in corp.* est datio irredibilis, compensationem non intendens, sed tantùm importans liberalitatem in donante, quæ liberalitas concernit rem propriam, cujus Religiosus non est capax, *cap.non dicatis 18.q.1.*& hæc est vetita Regularibus, *cap.nulli liceat, & cap.si quis, de rebus Eccles.non alien. & Cap.ad Monasterium, de stat. Monach.*

2. Datio verò antidotalis, seu remuneratoria, est compensatio debita alicui, ob servitia præstita; vel est permutatio, aut solutio debiti; ut expresse dicitur in *l.Aquilius Regulus, ff.de donationibus*, ibi, *defendi, non veram donationem esse, verùm officium Magistri, quadam mercede remuneratum*, & in *l.sed & si lege, §.consuluit, in fin.ff. de petit. hæreditatis*, velut genus quoddam hoc permutationis, fitque ex virtute gratitudinis, & ex morali honestate, debita de jure naturæ, *l.si non fortè, ff. de conditionibus indebitis, & l.si non sit, ff.de pet. hær.*

3. Ideoque, qui prohibentur donare, poterunt tamen ex causa remunerationis hoc facere, ut in Tutore, Curatore, & similibus advertit *Rodr.tom.2.q.47.art.3. Crucius lib.1.de stat.Relig.cap.3.dub.4.* post *conclusionem 3.ver.nota primò.*

4. Quod procedit etiam in Regularibus, ut determinavit *Rota* coram Eminent. *Ludovisio*, 13. Februar. 1609. & refert *Ricc.3.part. decis.227. num.5.* & magis amplè *4.part.prax. resol.83. & Navar. in comm.2.de Regul. num.12.*

5. Nec dices, quòd in *dicta Bulla* prohibetur aliquid erogare in honorem alicujus, etiam benefactoris, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, & testificationem grati animi, ut in §. 9.

Quia hoc prohibetur in casu particulari, hoc est, in casu hospitandi, & expendendi pecuniam ad honorem introitus, & adventus Superiorum, ut clarè habetur in d. *Constitutione*; non autem in aliis casibus: & exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, *l.quæsitum, §.denique de fid.instrum. § aut autem auth. de non alien.* & docet *La Crux* cit.*loc. ver. tertiò præcipitur, Sorb. in exposit. dict. Bull. ver. item alius casus est, Ricc.decis.227.* cit.*loc.in fin. & Bonac.ubi suprà,p.3.num.2.*

6. Hinc Religiosi poterunt remunerare servitia sibi præstita à Famulis, Nautis, Vecturinis, Cauponibus, & grati-

gratificare beneficia recepta à Medicis, Advocatis, Procuratoribus, & ab aliis: hæc enim, & similia, non sunt propriè donationes, sed satisfactiones, & remunerationes.

7. Immò, poterunt ultrà salarium debitum, aliquid ampliùs donare, ratione gratitudinis, quæ postulat semper ampliùs reddi, quàm sit acceptum: etenim intendit remunerare affectum, qui habet respicere gratiam, & amicitiam; prout in propriis terminis egregiè docet *D. Thom.2.2.q.106.art.6.*

8. Verùm, istud plus non debet excedere valorem meritorum, ac beneficiorum in quarta parte, ut si v.g. merita valeant duodecim, & à Religioso, & Moniali donentur sexdecim, *Navar. de reddit. q.1.nu.61. Sanchez de matrim.tom.2.lib.6. disp.6.n.91.* & alii plures, quos refert,& sequitur *Diana* cit. *loc. resol.12.*

9. Insuper, istud plus potest referri ad alias virtutes,ut illud,quod ultrà justum salarium datur famulis pro magna fidelitate adhibita in negotiis Monasterii:& illud datum Advocatis, & Procuratoribus ad bonum exitum litis, & illud datum ad exigendum pecuniam Ecclesiæ, sine lite & strepitu judicii, & illud datum nautis, & cauponibus ad redimendam propriam vexationem, ne scilicet malè tractentur ab illis; quibus tamen omnibus debet accedere licentia legitimi Superioris, juxtà formam præscriptam in prædicta *Declaratione S. C.*

10. Nec objicies, quòd per hujusmodi donationes remuneratorias minuitur Christi patrimonium, & consequenter sunt prohibitæ; tum quia hæ remunerationes non fiunt in præjudicium Monasterii, sed ejus utilitatem & decorem: incitant enim benefactores ad magis in posterùm benefaciendum; tum etiam, quia donatio antidotalis debetur hominibus de jure naturæ, quo tenemur benefactoribus benefacere; tum denique, quia *Constitutio* prædicta non intendit tollere jus naturæ, sed abusus circà paupertatem, & dissipationes bonorum Ecclesiæ.

Quæst. 9. An dicta Bulla habeat locum in largitione eleemosynarum?

1. NEgativè deciditur in *Declaratione* prædicta; & meritò, tum quia dicta *Bulla Clem. VIII.* loquitur de largitione munerum, strictè sumpta, quæ scilicet fit ex mera liberalitate: elargitio autem eleemosynarum fit ex pietate, & charitate. Eleemosyna enim est actus charitatis, misericordia mediante, ut patet ex ipso nomine, & latè docet *D.Thom. 2.2.q.32.art.3.* tum etiam, quia manifestè excipitur in *d. Bulla*, ibi, *nisi re ipsa pro divino cultu, & veris Christi pauperum indigentiis, & servato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio, & consensu Superiorum sublevandis in* §.10. tum denique, quia est actus virtutis, & meriti, qui non subjiciuntur *Bullæ* prædictæ, juxta præfatam *Declarationem* Sacræ Congregationis, approbatam ut suprà ab *Urb. VIII.*

2. Hinc Religiosi, de licentia tamen suorum Superiorum poterunt erogare eleemosynaliter id, quod superest, vel detrahendo sibi aliquid de victu, pauperibus dare, & multò magis, si pauperes essent consanguinei, nobiles,aut senes, *Graff.consil.1.de Regul.num.26. Riccius in 2.p.prax.resol.25. Bonac.* cit. *loc. punct. 1.num. 11. Diana ubi suprà, resol. 11. & Lezan. 3.p. sum. ver. dare, num. 12.*

3. Dixi, de licentia Superiorum; quia eleemosynæ non sunt faciendæ de alieno, sed de justis laboribus propriis unusquisque eleemosynam facere debet,ut *August.* dicit in *lib. de verbis Domini, sermone 35. Religiosi vero nequeunt habere proprium, nec sibi quærere, & ob id indigent licentia ejus, cui subsunt, cap. non dicatis 12. quæst. 1.*

4. Quæ quidem licentia debet præcedere, & non subsequi, secùs esset ratihabitio, & non licentia, *Abbas in consil.40.p.2. & Sorbus* cit. *loc. cas.4.*

5. Amplia, ut in extrema necessitate possint erogare sine licentia Prælati, prout egregiè docet *D. Thom.* cit. *loc.2.2.q.32.art.8. in responsione ad primum*, ibi, *nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum est eis furari, ut eleemosynam facerent, Sylv.ver.eleemosyna,num.7. & 8. & Rodr.tom.2.q.57.art.2.*

6. Immò etiam repugnante Superiore, quia cùm pauper in tali casu habeat jus aliquod super bona Religiosi, potest Religiosus illa cedere, sine licentia Superioris, *Sanchez lib.7.ad decal.cap.19.num.96. & Bordon.resolut.43.q.35.num.74.*

Quæst. 10. An d. Bulla Clem. VIII. sit usu recepta?

1. GRatianus in suis *disceptationibus forens.tom.2. cap. 202. num.7.* dicit, prædictam *Constitutionem Clem. VIII.* non fuisse usu receptam à Superioribus Regularibus, cui favet *Marcell.Megal.1.2.lib.2. cap.27.q.3. num.65.* ubi dicit, *quòd prædicta Bulla, & contenta in ea à Regularibus, & Ecclesiasticis Prælatis, etiam in supremis dignitatibus constitutis, recepta, & admissa non fuerunt, & non solùm per decennium, sed spatio ferè viginti annorum neglecta, & omissa fuerunt, ut omnes sciunt,* quod repetit in *tom. 1.cons.33.num.19.* & addit, *passim munera mittuntur, & recipiuntur, quæ esculenta, & poculenta non sunt, nec leviora, & nec ad devotionem, & Religionem pertinentia, & dato, quòd aliquo pacto, in principio admissa fuerit, attamen per non usum sublata est; quia lex per non usum tollitur.* hæc *ille.*

2. Idem dicit *Valerus Carthusianus ver. munera, num. 106. Homobonus p.4. de casib. reservatis, & par. 1. exam. tract.7.cap.30. q.123. Anton.Diana in d. Bull. resolut. 1. & 2. in fin. Bordon.resol. 43. in quarto casu reservando, q.34. num.73.* ubi ait, quòd ità practicatur, *Sanchez lib.7.ad decal.cap.19. num.42.in fin.* ait, *d. Constit.Clem.VIII.* in Hispania non habere locum, ex quo supplicatum fuit eidem Pontifici pro inobservantia ejusdem, essetque contentus de solo jure communi, & statutis Religiosorum; quod pariter asserit *Hier. Llamas in 3. p. suæ sum.cap.6. §.15. & Peyr.tom.1.de subdito,q.2.cap.2. §.6. ver. at huic conclusioni,* ait,idem procedere in Italia, *& Lezan. 2.par. cap.19.num. 54. in fin.* quod corrigit *in 3. par. ver. dare, num. 1.*

3. Sed de his ego demiror, tum quia prædicta *Constitutio* apud magis timoratos, fuit semper in usu, *Lezan. 3.p.sum.ver.dare,num.1.*& præcipuè apud Dominicanam familiam; nam in Capitulo Generali, Valentiæ celebrato 1596. & Capitulo Romano 1601. fuit intimata, & pro observantia ipsius Fratribus commendata, ut patet ex actis, & refert *Festus 2.p.sum.Constit. cap.301.* tum etiam, quia licèt de hac *Constitutione* fuit supplicatum, non tamen fuit admissa à Papa dicta supplicatio, & sic in Hispania per Nuncium Apostolicum fuit hoc intimatum cunctis Ordinum Procuratoribus, illis præcipiendo, ut de hoc suos Superiores certiores facerent, & exequutioni mandarent, prout de visu, & auditu testatur noster *P. Magister Frater Joannes de la Crux in lib.1. de statu Relig.cap.3.* post *quintum dubium,in fin.* ubi multa habes de hac *Constitutione in fin.*

4. Tum denique, quia prædicta *Clementina* fuit renovata ab *Urb. VIII.* nedum *ubi suprà*, sed priùs confirmando *Decreta* generalia, edita à *Clem. VIII.* pro reformatione Regularium: nec non in *Decretis de Apostatis, & ejectis*, editis jussu prædicti *Urbani VIII.* quæ *Decreta* inserta leguntur in *Const.26.* ejusdē Pontificis, *to.4. in Bull. Cherub.pag.* mihi 267 *in* §.1. ibi, *innovat Constitutiones, & Decreta*

Decreta generalia Sanct. mem. Clem. VIII. ad Regularium reformationem, quæ *Decreta generalia*, pro reformatione Regularium habentur *ibidem* paulùm infrà *pag.* 270.

5. Ex quibus benè apparet, illud dictum non esse verum; quòd scilicet Dominus Papa oscitanter se habuit, vel quòd scivit non usum prædictæ *Constitutionis*, & tacuit; quia uterque Papa geminavit rescripta, & repetivit mandata.

Quæst. 11. *Iusta causa, & licentia Superioris, quæ in largitione munerum requiruntur, an debeant concurrere copulativè?*

1. Respondeo, quòd duo copulativè debent concurrere in largitione munerum; nempe justa causa, & licentia legitimi Superioris, adeò ut uno deficiente largiens & recipiens sint in malo statu, quod jure optimo probatur; tum quia omnia jura, actiones, & bona professi, per ejus Monachatum transeunt in dominium, & proprietatem Monasterii, ut constat ex decisis in *tract. de successione Monasterii*, & habetur in *cap. statutum* 18. *q.* 1. & tradit *Innoc.* communiter acceptus in *cap. cùm olim, num.* 3. *de Privil.* & docet *Navar. de reddit. Eccles. q.* 1. *monit.* 10. *num.* 2.

2. Tum etiam, quia quidquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit, ut dictum est suprà; & habetur in *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 2. *in princ. de Regul.* ubi fit sermo de bonis stabilibus, & mobilibus, à Regularibus quovis modo acquisitis, ubi *Concilium* duo copulativè exigit; nempè, quòd bona acquisita statim tradantur Monasterio, & quòd incorporentur Conventui, & unum sine altero stare non potest, *l. si hæredes plures, ff. de condition. instit.*

3. Tum denique, quia ità habetur in *d. Bull. Clem. VIII.* hinc largiens sine causa & licentia, peccat mortaliter, ex quo disponit de re non sua, & sibi usurpat jus alterius. Professus enim nihil dominii habet, ut dictum est; & non entis, nullæ sunt partes.

4. Ideoque possunt puniri pœna furti, sacrilegii, & simoniæ, & recipiens hujusmodi munera, pariter mortaliter peccat, & tenetur restituere, ex quo accipit injustè, utpote ab homine non habente authoritatem; adeò, ut si sit morosus in restituendo, teneatur ad omne damnum, & interesse.

Quæst. 12. *Quotnam sint justæ causæ largiendi?*

1. In Capitulo Generali Dominicanorum, Valentiæ celebrato, sub anno 1596. pro observantia *d. Constitutionis* fuit declaratum, quòd Fratres dicti Ordinis ex pluribus causis Prælatorum judicio munera sæcularibus possent elargiri, ibi, *declaramus, id licere ex una trium causarum, unanimi consensu approbatarum, quæ scilicet sunt gratitudo, reconciliatio, sive conservatio benevolentiæ ad Ordinem, sive Conventum, vel ad se respectu finis boni, & pietas in parentes, usque ad quartum gradum inclusivè.*

2. Verùm in Capitulo Romano 1601. prædicta *Declaratio* fuit revocata his præcisis verbis: *Denunciamus, servandam esse ad litteram Constitutionem Clem. VIII. de largitione munerum Regularibus interdicta, irritam, & inanem decernentes ex mandato ejusdem Sanctissimi D. Clementis declarationem ejusdem Constitutionis factam in Cap. Valentino*, ut constat ex actis, & refert noster *Festus in d.* 2. *p. summarii cap.* 30.

3. Nihilominùs fuit nuper repetita, & magis amplè confirmata ab *Urban. VIII.* dicta sua *Constit.* suprapposita, cum prævia *Declaratione* Sac. Congregat. ibi, *munera à Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, necessitatis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis, ergà ipsam Religionem, vel Conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & dummodo id non fiat, nisi de Superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure, vel ex Constitutionibus, seu consuetudinibus cujusque Religionis respectivè in hujusmodi casibus requiratur*, ut meliùs est videre in suprapposita *Bulla Urbani VIII.*

4. Quibus in verbis multa sunt advertenda: & Primò, quòd declaratio regulariter accepta, nihil de novo inducit, sed illud, quod latens est, manifestat, *l. hæredes, ff. de testam.* ut latè dixi in *tract.* 8. *de Privil. q.* 2. *p.* 1.

5. Secundò, quòd causa, propter quam posset fieri facultas Regularibus largiendi munera, debet juxta *d. Bullam Clem.* discuti in generali Capitulo, aut in Generali Congregatione, & approbari unanimi consensu omnium Superiorum, & ab eisdem permitti, ut dicitur in §. 3. ibi, *nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re maturè discussa, unanimi omnium, Superiorumque permissu causa approbata fuerit, &c.*

6. Unde juxta *Bullam* prædictam non sufficit illa causa, quæ solùm fuit approbata in Capitulo Provinciali, aut habita aliquo dissentiente, vel sine approbatione, & permissu Superiorum. Verùm hodie hoc reperitur moderatum & limitatum, ità ut sufficiat licentia Superiorum localium, cum conditionibus ibi assignatis.

7. Tertiò, quòd id, quod dicitur in §. 5. *dict. Bullæ*, nempe, quòd leviora esculenta, aut poculenta, seu ad devotionem, vel Religionem pertinentia, non sunt tradenda, nisi communi nomine, & de consensu Conventus, & Superioris illius: hodie reperitur moderatum, & restrictum, solùm ad consensum de jure requisitum, & ubi concurrit ambitionis suspicio, ut liquet in *d. Declaratione.*

8. Quartò, quòd potest concedi Regularibus licentia largiendi munera ex omnibus causis, actum virtutis, & meriti continentibus, quod est valde notandum; quandoquidem multi sunt actus virtuosi, ac meritorii, uti sunt elargitiones eleemosynarum, defensiones civium, visitationes languentium, redemptiones captivorum, & omnia alia pia opera: illud autē dicitur pium opus, quod ex se, & de sui natura habet referri, & ordinari ad Dei honorem, utilitatem Ecclesiæ, & salutem animarum, licèt per accidens admisceatur alicui malæ circumstantiæ, ut in hospitium recipere, ex objecto pium opus est; etenim hospitari ex suo genere habet referri, & fieri ad Dei gloriam, & honorem; etsi hospes aliquem in hospitium recipiat in malum finem, ut putà, ob vanam gloriam, vel ut illum occidat, inimicis tradat, aut suis bonis spoliet: quandoquidem aliud est, loqui de causa agentis pium opus, & aliud, de causa ipsius operis. Causa enim facientis opus, potest mala esse; & causa operis optima: ut apparet in Sacerdote celebrante ob avaritiam: intentio enim Ministri non inficit opus de sui natura institutum ad laudem, & honorem Dei, ut quid diversum ab illo, ut benè advertunt *Doctores* ex *Augustino, in Capitulo quid culpatur* 23. *q.* 1. ubi habes, quòd potest esse causa justa belli, ex parte causæ, non autem ex parte bellantis; ut quando Rex animo se vindicandi, aut ex ambitione, seu cupiditate movet bellum, ut *ibidem Gloss.* notat.

9. Quintò, advertendæ sunt illæ dictiones, nempe, *modestè, & religiosè*, quæ sunt appositæ ad differentiam illarum, quæ notantur in §. 9. utpote, honorificè, latè, & opiparè.

10. Sextò, adverte, ly *localium*; quia non est particula limitativa, sed ampliativa; hoc est, licentia largiendi, nedum potest Regularibus concedi à Superioribus supremis,

mis, ut dictum est in *Bulla:* verùm etiam à Superioribus Conventualibus.

11. Septimò, quòd illæ clausulæ, si talis consensus de jure requiratur, vel de consensu aliàs de jure requisito, sunt appositæ ad denotandum hanc largitionem munerum, Regularibus permissam de sola licentia Superiorum localium, esse intelligendam de fructibus, & rebus mobilibus Monasterii, non autem de immobilibus, vel mobilibus pretiosis, quia hæc nequeunt de jure alienari sine justa causa & solemnitate, ut expresse dicitur in *cap. sine exceptione 12. q. 2. cap. 1. de rebus Eccles. non alien.* & latè dixi in *tract. præced. q.* 31.

Quæst. 13. Licentia quid, & quotuplex sit?

1. RESpondeo, quòd licentia est gratia, seu facultas concessa alicui, per quam sibi licet, quod priùs non licebat, & dicitur à liceo, lices, secundùm illud *Apostoli: Omnia mihi licent*, hoc est, concessa sunt; & facit ad hoc *cap. si causa, & cap. Christiano 33. q. 4.* & ea, quæ sunt posita in *summ. caus. 14. q. 1.*

2. Et potest esse duplex, nempe expressa, & specialis, aut tacita, & generalis; quam præsumptam vocat *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum*; licentia enim in certis casibus solet exprimi voce, scripto, aut nutu, in quibusdam verò tacitè præsumi.

3. Quæ quidem præsumptio, seu tacitus consensus Prælati potest conjici ex multis; Primò ex consuetudine & usu Religionis: etenim viridis consuetudo habita in aliqua Religione recipiendi aliqua, ac licitè expendendi sine expressa Superioris licentia, indicat tacitum consensum Prælati, sive in ejus præsentia, sive in absentia fiant receptiones, & dationes; *Petrus Navar. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 171. Sanchez lib. 7. ad decal. cap. 19. num. 4. & à S. Fausto lib. 8. Thes. de voto paupert. quæst. 142.* Secundò, ex persona Prælati, ut si sit facilis, vel difficilis ad concedendum subditis. Tertiò ex ejusdem taciturnitate; quia qui scit, & tolerat, censetur consentire, *cap. consentire, distinct. 83. Navar. lib. 3. de stat. Monach. cons. 3. num. 64. & à S. Fausto* cit. *loc. quæst. 39.* Quartò, ex persona subditi, utpotè, quia est Superiori exosa, & nullius authoritatis. Quintò, ex rebus gestis, ut si sint res graves, vel notabilis quantitatis. Sextò, si res gesta sit in damnum, vel utile Monasterii. Et ultimò, si talis consensus ex metu, vel precibus nimis importunis extorqueatur.

Quæst. 14. Licentia interpretativa, seu tacita, & præsumpta, an excuset Regulares à vitio proprietatis?

1. ET dico, quòd sic; regulariter tamen loquendo, & dummodò præsumptio sit rationabilis, & prudens, prout expresse dicit *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum:* quia taciti, & expressi eadem est virtus; *l. cùm quid, ff. si certum pet. & cap. 2. de rescriptis, Lopez 1. p. Instruct. consc. cap. 156. ver. penult. Turrecremat. cap. non dicatis, art. 8. 12. q. 1. D. Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 2. notab. 2. Joan. la Crux de stat. Relig. lib. 1. cap. 3. de vot. paupert. dub. 3. Sylv. ver. eleem. q. 5. num. 7. dicto 2. Tab. q. 8. num. 9. Armill. num. 5. eod. ver. Bannes in d. loc. 2. 2. & Sanchez lib. 7. ad præcepta, cap. 19. num. 4.* Quod procedit nedum in casu, quo Superior postulari non potest; ut quia longè distat, vel est occupatus, & urget necessitas, occurrit moralis commoditas accipiendi, vel expendendi ad beneficium Monasterii; quo casu sufficit probabiliter credere, Superiorem non fuisse denegaturum licentiam, si adiri posset, prout ajunt communiter *Doctores:* verùm etiam in casu, quo posset expressa licentia peti, sed ob aliquem humanum respectum, ut putà verecundiam, pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem, non petitur; quia quando rationabiliter præsumitur, Superiorem id velle, licèt expresse ejus consensus non habeatur, tamen non dicitur res fieri sine Superioris licentia, quia tacitum & expressum æquiparantur, ut dictum est suprà, & ex multis ostendit *Tambur. de jur. Abbat. tom. 2. disput. 22. q. 8. num. 1.*

2. Exinde *Navar. in com. 2. de Regul. num. 20.* consuluit, quandam Monacham non fuisse obligatam ad reddenda suæ Abbatissæ quædam munera, à quodam viro clandestinè accepta; ex eo, quia si ab illa petiisset, justè & libenter concessisset, & *lib. 3. de Regul. cons. 75. num. 64.* in 1. editio. ait, quòd Regularis Carthusianus de tacito consensu Prælati potest fructus arborum, ut sunt poma, granata, & similia in hortulo cellæ insertarum, in suos usus servare, aut mittere amicis suis, vel fautoribus Monasterii, absque peccato proprietatis, ex quo Prælatus scit, & non contradicit.

3. Ob quod, qui furatur rem Domino sciente, qui potuit contradicere, & non contradicit, non peccat; videtur enim Dominus hoc tacitè concedere; *l. penult. ff. de furtis, Cajet. in sum. ver. furtum, & in 2. 2. q. 46. art. 3. Turrecrem. ubi suprà, & Navar. in Manuali cap. 17. num. 26.*

4. Immò, posito, quòd Prælatus verè non consentiat, modò subditus habeat justam, & probabilem causam credendi, quòd consentiat, non peccat, *l. inter omnes, §. final. ff. de furtis,* & docet *Jacob. Graff. tom. 1. lib. 3. de Relig. cons. 9. num. 5. & 6.* quòd Religiosus, vel Religiosa, si tempore visitationis res suas abscondit Superiori visitanti cellam suam, non quòd timeat illis spoliari, sed ob verecundiam & confusionem, non ob id violat paupertatis votum, *Peyr. de subdit. tom. 1. cap. 2. q. 2. §. 4. Ant. Diana 1. p. de paupert. Religiosa, resolut. 31. & p. 6. tract. 6. Miscell. resolut. 58.*

5. Amplia, etiamsi modus iste clandestinus recipiendi Superiori displiceret, quia hujusmodi displicentia non obligat ad restitutionem rei furtim acceptæ, nec ad mortale, sed ad veniale tantùm; *Navar. in dict. com. & Cajet. ubi suprà.*

6. Secùs autem, si Dominus esset invitus; & displicentiam haberet, nedum quoad modum accipiendi, verùm etiam quoad substantiam rei surreptæ, non enim licet possidere alienum, invito Domino, *Joan. Bapt. Corrad. 1. p. respons. in additio. q. 59. litt. C.*

7. Neque his obstat dicere, quòd cùm ex variis causis Superior possit tacere, ut putà, ob timorem, vel verecundiam; non potest exinde certò præsumi licentia tacita; non enim qui furatur, excusatur à furto, si Dominus videat, & taceat, nec res aliena efficitur tua; quia Dominus ejus eam tibi probabiliter daturus esset, si eam peteres. ità nec res censetur ad tuum usum concessa, quia eam tibi Superior probabiliter esset concessurus, si peteres, aliter autem everteretur omnis obedientia Regularis.

8. Quia aut versamur in taciturnitate, quæ sit solùm quædam injusta permissio Superioris, & hæc non excusat Regularem à vitio proprietatis, *D. Ant. 3. p. tit. [illegible]* cui multi subscribunt; aut sumus in taciturnitate approbativa, & justa: ut si Prælatus, deficientibus *vi, metu,* & verecundiâ, potuit commodè prohibere, & non prohibuit, censetur approbare, ut habetur in *cap. consentire, distinct. 83.* ibi, *consentire peccato videtur, qui cùm posset resistere, tacet.* Et hæc excusat à peccato proprietatis.

***
**

Quæst. 15. Licentia hujusmodi, an sit necessaria Religioso, toties, quoties vult donare & expendere, vel ei sufficiat una generalis?

1. Thesaurus *in praxi de pœnis Eccles. p. 2. ver. munera, cap. 10. Sorbus Capuccin. in exposit. d. Bullæ,* post *secundum casum, ver. hac autem licentia, D. Barthol. à S. Fausto lib. 8. Thes. q. 145.* in novis, & in suo *libello de vitio proprietatis, q. 37. & 41. Bonac. disput 3. punct. 1. num. 9. de alienat.* dicunt, quod ista licentia dandi esculenta, quæ requiritur, potest dari semper pro semper, ne sæpè obtundantur aures Superioris: ut possit dari certis personis certa quantitas esculentorum & poculentorum; non passim & indistinctè, nec hæc donatio debet esse quotidiana; quia esset facere fraudem legi, & multa modica facerent unum satis.

2. Nec nocet *Graff. in pract. casuum reserv. lib. 3. de proprietate Monachorum, cap. 4. n. 58.* dicens, quod debet esse specialis, & toties, & quoties, &c. ex quo Prælatus cum suo Conventu debet judicare, an causa donandi sit justa; proindè in quolibet individuo est requirendus consensus utriusque, nempe Prælati & Conventus.

3. Tùm quia leviora esculenta & poculenta, & ad devotionem pertinentia, de quibus loquitur *Sorbus,* excipiuntur in *d. Bulla,* nec sunt concedenda causa cognita & discussa, totiès, quotiès; hoc enim esset valde durum.

Quæst. 16. Determinatio quantitatis Muneris largiendi, an pertineat ad Capitulum, & Superiores Monasterii?

1. Affirmativè dic; quia in *d. Bulla, & Declaratione* prædicta non fuit determinata quantitas boni, sed dumtaxat causa donandi; ergò quantitas danda, uti omissa, remanet in dispositione juris communis, à quo nullatenùs est recedendum; nisi novum cogat, *Diana* cit. *loc. resolut. 3.*

2. Sed de antiquo jure bona Monasterii nequeunt alienari; nisi de consensu Capituli, & Superioris Monasterii, ut dictum est in *tract. præced. q. 81.* & colligitur ex *cap. cùm in cunctis, de his, quæ fiunt à majori parte Capit. & cap. quod omnes, de Regul.*

Quæst. 17. Esculenta & poculenta leviora, ad quem valorem ascendere possint?

1. Bonac. *tom. 1. disput. 3. in expositione d. Bullæ, punct. 1. nu. 9. Diana* cit. *loc. resolut. 13. Tambur. de jure Abbatiss. disput. 9. q. 4. & Thes. de pœnis 2. p. prax. cap. 10. ver. munerum largitiones,* dicunt, quod *Clemens VIII.* in d. *Bull.* excepit esculenta & poculenta leviora, quæ duobus, vel tribus diebus consumantur, *l. Plebiscito, ff. de off. præsid. & l. solet, §. fin. ff. de offic. proconf.* & habetur in *cap. statutum 11. de rescriptis, in 6. § insuper, ut gratis,* ibi, *nullum munus, vel quidquid aliud; nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus,* ubi *Glossa* subnectit, *cùm numerus non adjicitur crederem, arbitrio boni viri relinquendum, habita etiam consideratione personarum,* juxtà *cap. etsi quæstiones 18. de simonia,* ibi, *cùm in accipiendis, vel dandis muneribus, tria sunt maximè attendenda, persona scilicet dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus.* hæc *ibi.*

2. Idem potest dici de rebus medicinalibus, utpote de terra sigillata, pulvere, liquore, conserva, & similibus; necnon idem est dicendum de levibus alterius generis, nempe libris, candelis, cultris, & aliis, ad usum humanum pertinentibus; etenim quoties in aliqua Regula excipiuntur aliqui casus, consequenter manent excepti similes casus, prout dicitur in *Clem. exivi de Paradiso, de verb. signif.* & est communis sententia *Juristarum, Bald. in cap. 2. de conjugio leprosorum, Felin. in cap. pastoralis de donat. & Joan. de la Crux de stat. Relig. lib. 1. de Voto paupert. cap. 3. in exposit. dict. Bull. ver tertiò not.*

3. Idem procedit in munusculis, quæ ad Religionem, & devotionem pertinent, ceu sunt libelli devoti, Agnus Dei, Coronæ, Imagines, Reliquiæ Sanctorum, Thecæ continentes Reliquias, Grana benedicta & consimilia, quæ ad devotionem pertinent.

4. Nec obstant *Sorb.* Capuccinus in *exposit. d. Bull.* post *secundum casum, ver. sed difficultas est, & D. Barthol. à S. Fausto lib. 8. Thes. de voto paupertatis, q. 191.* in novis, & in *libello de vitio proprietatis, q. 36. & sequent.* dicentes, quod esculenta & poculenta non debent excedere illam quantitatem, quæ si surriperetur, peccatum esset mortale, id est, quantitatem valoris unius, vel duorum carolenorum ad summum; & sic non deberent excedere pretium illud, quo homines solent locare suas operas diurnas, quod quando exceditur in furto, peccatum est mortale, ut dicit *D. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 6.* & patet ex verbis *Bullæ,* ubi non contentus Summus Pontifex dicere *esculenta & poculenta,* addidit illud diminutivum, *levia*; immò subjunxit, *leviora*; & eo magis cum sit attendenda conditio donantis, num pauper, num dives sit in donationibus, & quis reperitur pauperior; quàm sit Religiosus, vel Religiosa?

5. Quia hæc *Bulla* non est novi Juris inductiva, sed sed juris communis restitutiva, ut dictum est hic suprà; quapropter quidquid ante *d. Constitutionem* licebat, modò licet, & dari potest: & vice versa, quidquid nunc non licet, nec ante licebat; quia juri communi non censetur derogatum, nisi expresse & in individuo derogetur, *Sanchez in opuscul. lib. 7. c. 1. dub. 21. nu. 6. & Rota Rom. decis. 645. n. 5. p. 1. posthum. Farinac.* quod in *d. Bull.* non reperitur.

6. Ad quod item facit; quia evitanda est correctio juris communis, in quantum verba novæ legis pati possunt sensum, juri communi consonum, *l. unum, C. de inoffic. donat. & docent Doctores in cap. cùm expediat, de elect. l. sancimus, C. de testam. l. præcipimus.* C. *de appellat. Rota divers. p. 1. decis. 475. num. 2. & 6.* & licet lex nova utatur terminis universalibus, recipit tamen declarationem à jure communi, *Rot.* cit. *loc.* eò magis, quia *Clem. VIII.* fuit peritissimus Jurista, & secundùm eas loquebatur; ergò esculenta & poculenta, de quibus agitur, licet non valeant extendi usque ad valorem trium aureorum, ut dicitur in *d. l. solet, de offic. proconsul.* ob illa verba *Bullæ* nempè *leviora,* nihilominùs debent judicari, juxtà terminos *d. cap. statutum, de rescriptis, in 6. & cap. etsi quæstiones, de simonia,* & semper cum aliqua diminutione, ob dicta verba *Bullæ*

7. Nec objicies, quod hi *textus* loquuntur de muneribus, quæ Judicibus dantur à Sæcularibus, qui pro libito possunt disponere de suis rebus; quia jura Canonica indistinctè loquuntur, & quod possunt laici de jure gentium; valent cæteris paribus & Regulares de licentia Papæ, & liquet in alienatione rei Ecclesiæ facta ex indulto Apostolico.

Quæst. 18. Parvitas materiæ an liberet Religiosum à lethali culpa proprietatis?

1. Fuit quæsitum à *Clem. VIII.* in *Decreto* super casuum reservatione, ab omnibus Regularium Superioribus observando, edito die 26. Aprilis 1593. affirmativè decisum, in *casu tertio,* ibi, *proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale,* ut *in 4. tom. Cherub.* post *Constit. Urb. VIII. 26. pag.* mihi 272. & meritò; quia aliqua proprietas Religiosorum, sive consideretur in genere furti, quo usurpatur res aliena, invito Domino; sive in genere sacrilegii, quatenùs est contrà votum paupertatis,

tatis, poterit esse peccatum veniale, ob parvitatem materiæ; levis enim materia, potest in utroque genere habere locum, *D.Thom.* 2.2.*q.*66.*ar.*6.*ad tertium*, *Cajet. in sum. ver furtum*, *Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. conscientia*, *cap.* 156. *conclus.* 5. *Sanchez lib.* 7. *sum. cap.* 20. *nu.* 1. *D. Barthol. à S.Fausto lib.* 1. *Thes. de voto simplici*, *q.* 118. *Diana* 3.*p.resol.*24.*tract.*5.*Miscell.Lezana* 1.*p.sum.cap.*6.*nu.*57.& *Bordon.resolut.*43.*de quarto casu*, *q.*41 *num.*79 *in fin.*

2. Etenim non est verisimile, quod charitas Deo, & proximo debita, destruatur ratione parvitatis materiæ seu parvi nocumenti, ut si quis furetur racemum uvæ, vel voveat Rosarium, & omittat unam Salutationem Angelicam.

3. Proindè Religiosus, qui invito Prælato accipit ex rebus Monasterii, possidet, aut donat in minima quantitate; nimirùm unum trientem, non peccat, nisi venialiter: hæc enim non est quantitas, nisi modica, & quæ non cedit in detrimentum, vel dissipationem Monasterii, *Lopez p.* 2. *instruct. confess. cap.*6. & *à S. Fausto lib.* 8. *Thes. de voto paupertatis*, *q.*156. *ver. quartò dico.*

4. Nec sunt audiendi *Gerson.* 2. *p. in responsis* ad quasdam quæstiones sibi propositas, *q. penult Alphabeto* 34. *litt.S.*& *Passarellus in notan. Privil.Minim.cap.*43.*de proprietate abdicanda*, *ver. verùm quando*, & consimiles dicentes, Religiosum peccare mortaliter contrà votum paupertatis, si aliquid etiam minimum, nempè cultellum, acum, vel filum accipiat, donet, vel abscondat, sine scitu & consensu Prælati. Quia sine ulla probabilitate loquuntur, unde vehementer reprehenduntur à *Rodr.to.*3.*q.*29. *ar.*10.*conclus.*8.& magis rigidè à *Bordon.* cit. *loc.* nam materiæ parvitas in quocunque genere excusat à mortali.

Quænam sit ista parva quantitas, excusans à mortali, non uno modo definitur: etsi certissimũ sit eam sufficere, quæ non sit notabilis, nec sufficiens ad constituendam materiam peccati mortalis furti, ut sunt calculus benedictus, modicus panis, & cætera vilia, quæ nullam, aut minimam merentur recompensationem, quæ ut magis elucescat, suum cogimur rimari contrarium.

Quæst. 19. *Quænam quantitas requiratur, ad hoc, ut furtum censeatur mortale?*

1. Quæstio hæc est difficillima & intricata nimis, tam ex se, quàm ob varietatem tot *Doctorum*, quæ ut extricetur, ejusque pateat nodus, oportet diligenter advertere, quod furti gravitas potest perpendi absolutè, & relativè: absolutè, ut si res surrepta consideretur, ut in se est, præcisis circumstantiis loci, temporis & personæ, à qua res clanculò surripitur.

2. Relativè autem, si res ablata æstimetur, habito respectu paupertatis, vel facultatis Domini rei surreptæ: benè verum est, quod quomodocunque sumatur, variè definitur.

3. Eminent. *Cajet.* qui linceis oculis fermè omnia vidit, hoc judicio & arbitrio boni viri diffiniendum reliquit, licet in *summa*, *ver. furtum*, doceat modum regulandi judicium.

4 *Sylvester* egregius Thomista, & in jure peritissimus *ver. furtum*, *q.*2.*num.*4. dicit materiam, quæ excedit duos vel tres aureos, respectu magni Domini esse sufficientem ad constituendum furtum læthale; quid autem sit aureus nummus, habes in *tract. pracedent. quæst.*33.

5. *Dominicus Bannes* de eadem familia benemeritus 2.2.*quæst.*66.*de furto*, *ar.* 6 *in secundo documento* affirmat, summam centum aureorum, ex natura rei, & ex objecto non esse materiam peccati mortalis, respectu magni Principis; nisi sit notabiliter invitus, & ob tale furtum, aliud grave damnum patiatur.

6. *Sotus de just. & jur. lib.* 5. *q.* 3. *ar.* 3. *ad tertium*, inhærens opinioni *Sylvestri* dicit, quod duo vel tres aurei ducati, etiamsi à Cæsare surripiantur, licet illos flocci pendat, de se, & ex sui natura faciunt furtum lethale.

7. *Barthol. Medina* 1. 2. *q.*88. *ar.* 3. censet, duorum argenteorum summam damni illati, esse furtum mortale.

8. *Joannes de la Crux de stat. Relig. lib.* 1. *de voto paupe. cap.* 5. post *tertiam conclusionem, in expositione Bulla Clement. VIII.* post 5. *not. ver. prima est*, inquit, quod furari quatuor argenteos, est peccatum mortale contra justitiam, & contra votum paupertatis; quia est quid notabile.

9. *Joan. Bapt. Corrad.* 1.*p.respons.q.* 166. *ver.* 1. inquit, quod gravitas furti in se, & per se considerata, tam circà divites, quàm pauperes, est unius Julii, quæ inducit peccatum mortale; & subnectit, quod ratione personæ pauperis erit quandoque gravis quantitas medium Julii, immò octo vel sex nummuli, quæ quantitas diviti est levissima; pauperi verò magna & gravis, qui uno die in laborando vix tantùm lucratur, quo se sustentare possit.

10. *Ludovicus Lopez* 1.*p.instruct. conscientia, cap.* 192. *conclus.* 5. censet, unum argenteum esse parvam materiam ad constituendum furtum mortale, & sic de aliis Thomistis.

11. *Navar.* optimus Canonista, & juris prudentiæ peritissimus in *Manuali cap.* 17. *num.* 4. pensat, materiam notabilem ad constituendum peccatum mortale, ex natura rei esse summam duorum Regalium vel Juliorum; immò & unius & etiam dimidii; non tamen minorem quarta parte Regalis, vel Julii, in hac Regione, & aliis pecuniosis, & subjungit; non auderem damnare eum, qui medium inter quartam partem argentei, & dimidium argenteum assereret non esse peccatum mortale.

12. *Idem in com. de furto notabili* edito super *cap. fin.* 14. *q.*6. inserto *in fine* dicti *Manual pag.* mihi 745 *num.* 6. dicit, non esse definitum, neque jure naturali, neque divino, aut humano, quæ sit quantitas necessaria, ut furtum aliquod, damnum, aut retentio aliqua, aut alicujus rei usurpatio peccatum mortale efficiatur, communiter tenetur, & rectissimè, & quantitatem notabilem, & qualis hæc sit, determinandam esse boni viri arbitrio: quoniam quæ in jure definita non sunt, relinquuntur arbitrio boni viri, *l.* 1.*ff. de jur. deliber.* & *cap. de causis, de off. delegat.* & paulò posteà *num.*11. dicit, salvâ meliori sententiâ, mecum confitenti consulerem, ut pro notabili quantitate haberet summam centum dipondiorum, seu marapedinorum, quin & quinquaginta, & triginta, & viginti, aut pro tali non haberet minorem octo Dipondii, in hac Regione, nec in alia; qui est omninò videndus; quia ibi examinat opinionem *Soti*, & latè loquitur de materia.

13. Quam opinionem postmodùm reformavit in *consil.* 75. *de Regul. lib.* 3. in 1. edit. *num.*18. *ad tertium dubium*, ibi, *nunc autem; quia ab eo tempore in hoc usque multum abundavit pecunia numerata in bona Europa parte, facilè consentirem opinioni, in quam tu quoque vir doctissime inclinans; nempe nec furtum, nec appropriationem minoris quantitatis, quàm trium solidorum, sive quartorum Regalis, vel Julii, esse mortiferum, quin & augerem usque ad unum Julium, vel Regale: nisi quoddam statutum vestrum expressè haberet, appropriationem ultrà valorem trium solidorum, esse dignam excommunicatione & consequenter mortiferam, argum. cap. nemo, & cap. nullus* 11. *q.*3.

14. *Rodriquez tom.* 3. *q.* 29. *ar.* 10. *in conclus.* 8. sequens d. opinionem *Navarri*, dicit, quantitatem unius argentei, esse notabilem, ad hoc, ut qui furatur, peccet mortaliter.

15. *Idem in sum. tom.* 4. *cap.* 118. *num.* 27. & 29. putat, Religiosum non committere furtum, quandò non ascendit summam duorum aureorum.

16. Mi-

16. *Miranda tom.* 1. *Manual. q.* 28. *ar.* 17. *conclus.* 2. ubi latè differuit de re, se ignorare concludit.

17. *Sorb. in exposit. d. Bullæ,* post *secundam conclusionem,* putat sufficere valorem unius, vel duorum carolinorum.

18. *Sanchez in summ. lib.* 7. *cap.* 20. *num.* 3. censet, in Hispania requiri, ac sufficere quantitatem quatuor argenteorum, seu Juliorum.

19. *Bonac. tom.* 1. *disput.* 3. *p.* 5. *num.* 5. existimat quantitatem duorum, vel trium Regalium, regulariter loquendo, sufficere ad mortale peccatum furti, & proprietatis: hæc enim se habet instar furti.

20. *D. Barthol. à S. Fausto lib.* 8. *Thes. de voto paupert. q.* 169. in novis, quod repetit 1. *par. de contractib. disput.* 1. *q.* 28. & in suo *libello de vitio proprietatis, q.* 49. arbitratur, in Monasteriis ditissimis, trium argenteorum summam, quam Religiosus inscio Superiore accipit, aut expendit, esse materiam sufficientem ex objecto, ad efficiendum peccatum mortale contrà votum paupertatis; in Monasteriis, mediocri censu dotatis, duorum argenteorum summam, in Monasteriis autem pauperculis unius argentei: loquitur enim de Monasteriis possidentibus in communi.

21. *Sayrus* in sua *Clavi Reg. lib.* 9. *cap.* 15. ubi examinavit placita *Doctorum,* laudat opinionem *Sotı,* & dicti *Ludovici Lopez,* quibus inhæret *Diana* 1. *p. Moral. de Paupertate Religiosa, resol.* 36. hinc indè refert opiniones; *Lezana* 1. *p. sum. cap.* 6. *num.* 57. ait, quod in furto & vitio proprietatis, communiter, & regulariter loquendo, & seclusis circumstantiis personarum, temporis & loci, duo Julii, aut Regales Hispani, putantur materia gravis, & minus prædictis duobus Juliis materia levis.

22. *Peyr tom.* 1. *de subd. q.* 2. *cap.* 2. §. 9. *ver si quæras, & tom.* 2. *de Prælato, q.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 51. ait, quod Regulares furantes quatuor Regalia à suis Conventibus, non committunt culpam læthalem.

23. Et tandem *Bordon. resolut.* 43. *in quarto casu reservando, n.* 4. ubi fecit collectaneum *Doctorum,* ad illos se remittit.

24. Tu verò, ne in re tam gravi erres; multa considera; & primò, quod furtum ex genere suo est peccatum mortale; quia fit contra justitiam, quæ unicuique tribuit, quod suum est. Furtum autem facit, qui sibi usurpat, quod alienum est; ut patet ex ejus diffinitione, quam docet *D. Thom. q.* 66. *ar.* 3. est etiam peccatum mortale ex eo, quia nocet proximo in suis rebus, ut *ibidem D. Tho. ar.* 6. quod si leviter nocet, levis erit injustitia, leveque furtum; si verò notabiliter, gravis erit injustitia, & furtum grande, *Bannes cit. loc.*

25. Secundò considera, illud esse damnum notabile & grave, quod de se, & per se est tale, simpliciter & absolutè in genere furti, *Cajet. in d. ar.* 6. secus autem, si foret damnum notabile per accidens, hoc est, ratione damni illati, lucri cessantis, affectus rei, molestiæ captæ; & similium, ut si à sartore acum fureris, à sutore subulam, à scriba calamum, quem scis alium non habere, quo possit suis manibus laborare, & indè vivere, *Navar. in Manual. cap.* 17. *num.* 2. & 4. vel si transiens cum multis per vineam, unum racemum accipias, & causa sis, ut alii tuo exemplo, ingens damnum inferant; vel si ex horto alicujus pomum auferas, ob quod Dominus valdè tristatur, ex eo, quia illud multùm æstimabat; vel si quis pro re sibi ablata, ad iracundiam concitatur, quia est avarus, angusti cerebri & miserrimæ naturæ, aut alterius turpis qualitatis.

26. Tertiò, quod quantitas materiæ in furto, non potest tam absolutè considerari, quin habeatur respectus ad Dominum rei ablatæ; etenim furti gravitas pensanda est, tum ex damno injustè illato, tum etiam ex voluntate Domini iniquè ferentis rem suam sibi auferri; quia furtum nihil aliud est, secundùm *D. Thom. ubi suprà,* nisi occulta acceptio rei alienæ, invito Domino; ergò qualitas personæ, à qua res aufertur, debet attendi ad rationabiliter judicandum de furto; etenim eadem pecuniæ quantitas furto sublata, diviti potest esse levissima, pauperi verò, qui uno die in laborando vix tantùm lucratur, quo se sustentare possit, erit gravis & gravissima, & constat ex illo *Lucæ* 21. de Vidua mittente duo minuta in Gazophylacium, quæ secundùm sententiam Domini, plùs omnibus misit; intellige, secundùm suam proportionem, non autem secundùm quantitatem, ex quo miserrima erat, & ferè nihil ampliùs habebat, prout scitè *D. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *ar.* 4. *ad tertium,* ergò furti gravitas, seu mortale crimen, non ex sola quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis loci, temporis & personæ, cui aufertur, prudentis arbitrio æstimandum est, *Cajet. in sum. ver. furtum, & Palud. in rubrica de furtis, Crucius & Corrad. ubi suprà.*

27. Nec his obstat dicere, quod hoc fateri, non est loqui de materia gravi absolutè; quia *Doctores* per materiam gravem absolutè, intelligunt illam, quæ consideratur sine speciali respectu ad individualem conditionem Domini, non tamen sine generali respectu ad nocumentum Domini, *Bannes ubi suprà.*

28. Quartò, quod quamvis furtum rei exiguæ sit peccatum mortale ratione damni subsequuti, & injustæ molestiæ, & injuriæ Domino rei illatæ; quia violat charitatem & pacem, formaliter tamen non est peccatum mortale furti, sed reductivè tantùm; quia gravitas, & ratio formalis furti non sumitur ex damno, quod per accidens sequitur, aut ex molestia Domini, sed ex gravitate rei alienæ acceptæ secundùm se, ut ajebat *Cajet ubi suprà*; & ita ubi res, & secundùm se, & in ordine etiam ad Dominum suum, est exigua & levis, non dicitur peccatum mortale furti formaliter, sed reductivè, licet formaliter sit peccatum mortale pertinens tantùm ad peccatum, seu genus injustitiæ, quod vocamus damnum illatum, *Lopez* cit. *loc. cap.* 92. ubi ait, quod circumstantia, licet non semper mutet speciem; illa tamen circumstantia, quæ facit moralem actum, sine qua actus ille talis non esset, mutat quidem speciem in genere moris.

29. Ideoque in genere moris, furtum parvum, quod non est culpa mortalis, differt specie à furto magno, quod attingit speciem moralem; quandoquidem conculcare segetes, non est furari, sed damnum inferre, *Corrad. & Clavis Reg. ubi suprà, num.* 15.

30. Et quamvis quoad forum animæ idem sit judicium de furto formaliter habito, & reductivè seu materialiter accepto: utrumque enim obligat ad restitutionem, & contrariatur charitati, & paci Reipublicæ.

31. Nihilominùs, si Prælatus sub pœna excommunicationis sibi reservat proprietatem, quæ sit peccatum mortale, vel furtum grave, debet intelligi de furto, quod per se, & de se sit formaliter tale; hinc surripiens rem levem ex suo genere licet sit gravis per accidens; non ob id incidet in excommunicationem, nec poterit puniri, ut proprietarius, *Navar. in d. com. cap. final. nu.* 5. *& Sayr.* cit. *loc. nu.* 19.

32. Quibus habitis dico primò, quod duo, vel tres ducati, à quocunque auferantur, etiam à Rege potentissimo constituunt peccatum mortale, ita *Syl.* cit. *loc. q.* 2. *num.* 4. *Angelica eod. ver. num.* 34. *Lopez ubi suprà, & Sayr.* cit. *loc.* & est communis, prout ex multis testatur *Paulus Layman. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 1. *de injusto fortunarum damno, q.* 1. *num.* 3. *ver. dico tertiò.*

33. Amplia, etiamsi Rex illos parvi faciat; quia Rex licet prædives sit, indiget tamen multis, quæ ad usus Regios sunt necessaria, & requiruntur ad satisfaciendum Servis, & Militibus, & ad occurrendum necessitatibus communibus: ideoq; si illis privetur, fit illi ejusq; Familia-

ribus gravis læsio, ex quo privantur jure utendi re notabili, quandoquidem duobus aureis multa possunt utiliter comparari, quod etiam *Labeo* agnovit apud *Ulpianum in l. si quis affirmavit, ff. de dolo*, & expungit *Navar. in d. com. num. 9. in fin.* adeò, ut vix aliquis, etiam potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiorum oneribus tantæ pecuniæ jacturam non graviter ferat.

34. Secundò dico, quod in communibus personis quatuor, aut tres caroleni; in pauperibus verò duo aut unus, sufficiunt pro peccato mortali, & hoc procedit, seclusis aliis omnibus extrinsecùs damnis & nocumentis, quod non potest aliâ ratione probari: nisi quia ita humana ratio dictat, & humanum arbitrium solet judicare, attentis circumstantiis loci, temporis & personæ, quandoquidem eadem summa pecuniæ, plus uno, quàm alio tempore & loco valet, & eadem mensura tritici in nihilo variata, propter majorem vel minorem ejus copiam, plus uno tempore & loco, quàm alio valet, ac proindè sicut justa pretia rerum non consistunt in uno numero indivisibili mathematicè, sed moraliter, hoc est, habent plus & minus secundùm quod humana ratio dictat, habito respectu ad diversitatem loci, temporis, & personæ, ut dictum est. Ita dicendum est de præfata quantitate, præscripta ad constituendum peccatum mortale in genere furti, ut bene advertit *Clavis Regia, & à S. Fausto* post allegatos *ubi suprà, & Rodr. in 1. p. sum. cap. 151. conclus. 6.*

35. Tertiò dico, idem intelligendum esse de Monasteriis supremis, mediis & infimis; etiam nihil in communi possidentibus, cæteris autem paribus: quia etiam vilia, & minima, si sint talia qualia, nequeunt alienari sine licentia Superiorum, ut manifestè dicitur in *cap. exiit 3. de verb. signif. in 6.* post *medium*, *§ de vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus.*

36. Neque his nocet *cap. finale 14. q. 6.* ubi dicitur, quod fur non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; quia hoc procedit, & habet locum, si fur in furto rei modicæ habet voluntatem furandi majora, si posset, *Caiet. & Angelica* cit. *loc.* vel quando ex ablatione rei parvæ, Dominus intelligitur gravari; quia scilicet parva res est ei multum chara, *Syl.* cit. *loc num. 4.*

37. Nec §. *Gallinarũ, Instit. de rerum divisione*, ubi datur actio, & pœna imponitur pro furto unius gallinæ, quæ est res modica, tum quia intelligitur eodem modo, quo suprà; quamvis verum sit, quod actio & pœna gravis pro furto non potest præsumi, nisi pro peccato mortali; tum etiam, quia *ibi* jus civile non dicit, quod pro furto unius gallinæ detur actio, sed gallinarum & anserum; hoc est, si fur clam multas gallinas accipiat, potest puniri pro peccato mortali, quod non est contrà superiùs decisa.

Quæst. 20. Religiosus qui invito Superiore, paulatim modica surripit, nempè sex uncias panis, parum vini, & similia minuta, omnibus ferè diebus, an peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur?

1. CUm distinctione respondeo, quod hujusmodi Religiosus, aut habuit animum furandi majora, si si posset, adeò, quod per ipsum non stetit, per illa exigua furta devenire ad notabilem quantitatem, & sic peccat mortaliter: non enim attenditur id, quod furto ablatum est, sed mens furantis ut dicitur in *cap. final. 14. q. 4.* & docet *D. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 6. ad primum, ibique Cajet.* & liquet in fornicatione, quæ est mortalis ex solo consensu.

2. Sed non toties, quoties contingit ista modica rapere; quia in singulis prædictis parvis furtis non committitur novum peccatum mortale, sed illud continuatur, quod à principio per pravam intentionem incæpit; etenim omnes eæ singulæ acceptiones, non habent novam malitiam: sunt enim exequutiones illius primæ malæ voluntatis, quamvis oppositum alii dicant, *Sanchez tom. 2. sum. lib. 7. cap. 21. num. 1.*

3. Ad restitutionem tamen sub mortali faciendam non tenetur, usque dum furtum ad quantitatem constitutivam peccati mortalis non pervenerit: nemo enim ratione pravæ intentionis, quam habuit furandi quantitatē notabilem, tenetur ad restitutionem, quæ tantùm respicit damnum notabiliter illatum vel bonum impeditum; igitur in casu nostro, semotâ illâ pravâ intentione, nemo reperitur notabiliter læsus; perindè nullus tenetur sub mortali, rem illam parvam restituere, *Megala 2. 2. Institut. Confess. lib. 2. cap. 1. q. 3. num. 2.*

4. Quod etiam procedit in Religioso, qui furatur modica contra præceptum sui Prælati, non enim tenetur restituere, dum res clanculò ablata non infert Monasterio notabile damnum, sed peccat mortaliter ratione inobedientiæ, seu contemptus aut molestiæ datæ, fieri enim potest, ut Prælatus nimis contristetur, ob violationem sui præcepti lati contrà surripientes, etiam modica, ut testatur *Scriptura* de pomo Adæ vetito, *D. Thom. 1. 2. quæst. 88. ar. 5. & Graff. lib. 3. primæ partis decis. cap. 5. de Regul. num. 51.*

5. Verumtamen, cùm furtum perveniet ad quantitatem, quæ moraliter sufficit ad constituendum peccatum mortale, tenetur restituere sub mortali; tùm quia nemini licet locupletari cum aliena jactura; tum etiam quia alienum injustè acceptum, si in se sit notabile, sub mortali est restituendum; præceptum enim de non retinenda notabili re aliena, implicitè clauditur in præcepto de non furando, ut constat ex *decimo præcepto*, ibi *non rem cupies alienam:* desiderium enim usurpandi rem alienam, est causa præambula furandi, & furtum detinendi: perindè injustè cupere, usurpare, & retinere, paripassu ambulant; & quodlibet ipsorum est intrinsecè malum ex quo opponitur justitiæ, cujus est, unicuique reddere, quod suum est, ergò concupiscentia, & injusta detentio rei alienæ, prohibetur semper, & ad semper, igitur semper & ad semper facienda est restitutio, quando res est notabilis; talis enim est natura præcepti negativi, obligandi semper, & ad semper.

6. Aut Religiosus, qui paulatim res parvas surripuit, non habuit animū furandi notabilem quantitatē, sed avaritia ductus, vel aliqua alia occasione allectus, ad illam quantitatem pervenit, non peccavit in illis singulis furtulis, quæ præcedunt quantitatem notabilem; nisi venialiter: verùm, quando summa rerum surreptarum incipit esse notabilis, tunc actus, etiamsi non sit, nisi acceptio unius quadrantis; quia est accessio damni ad præcedentia, est mortalis; parvæ enim quantitates in materia furti permanent, & in unam coalescunt, ita ut malitia præcedentium venialium possit aggravari, & compleri ex malitia subsequentium, ut dixit *Sot. lib. 5. de just. quæst. 3. ar. 3 ad tertium, Lopez 1. par. instruct. conscient. cap. 93. Covar. lib. 1. var. cap. 3. num. 12. Rodr. in sum. 1. p. cap. 150. de furto, num. 8. Navar. in Manuali cap. 17. num. 140. & de Regul. cons. 75. num. 15. in 1. editio. Sanchez lib. 7. sum. cap. 21. num. 5. Clav. Regia lib. 9. cap. 15. num. 22. à S. Fausto lib. 8. Thes. q. 165. & 1. p. de contract. disput. 2. q. 61.* & in suo *libello de vitio paupertatis, quæst. 43. & Anton. Diana 1. p. tract. de paupertate Religiosa, resol. 33.*

7. Quorum omnium eadem est ratio, quia scilicet illud ultimum furtum; licet minimum ac minutum, superadditum præcedentibus furtulis, facit quantitatem notabilem, & complet malitiam illorum: ideoque est mortiferum, obligatque ad restitutionem sub mortali, *Layman, lib. 3. sect. 5. tract. 3. cap. 1. num. 6. q. 3.*

8. Se-

8. Secùs autem dicendum de furtulis præcedentibus, quæ insimul sumpta, sine illo superaddito, non faciunt summam notabilem, & ideò non obligant ad mortale, nec ad restitutionem.

9. Quod dictum est verum, sive furtula prædicta surripiantur unâ vice,sive pluribus vicibus, ab una & eadem persona, vel à diversis,parum enim refert, teste *Hieronymo*, an unico actu, vel pluribus proximum quis interimat vel spoliet, sive damnificet, cùm semper sit æquale damnum,sed satis est,ut dixi, quod parva furta præterita ad invicem continuantur, & quod semel commissa remanent, & quod habito respectu ad ipsa furtula, quæ præcesserunt,aggravatur malitia subsequentium.

10. Probatur & explicatur; nam posito, quod omnes vicini alicujus villæ aggregant triticum suum in cumulum unum; certum est, quod qui furaretur ex eo quantitatem notabilem, peccaret mortaliter, & teneretur ad restitutionem; ita pariter, qui eandem quantitatem à diversis cumulis surriperet; nec potest assignari dispar ratio inter furari ex multis cumulis seorsum sumptis, & furari ex eisdem simul unitis.

11. Confirmatur; quia secùs foret aperire amplam portam emptoribus Nobilium, qui fraudant Dominos suos, quasi singulis diebus, surripientes aliquid exiguum; & Mercatoribus, qui non eodem pondere & mensurâ vendunt & emunt; & Cauponibus, Stabulariis & reliquis, qui res minutim vendunt, ut parum ex singulis plus justo recipiant, qui si hæc peragant,ut ex multis paucis injustè acceptis, faciliter ditescant.

12. Nec objicies, quod omnia prædicta furtula, sic paulatim facta, sunt peccata venialia, & consequenter nequeunt constituere unum peccatum mortale, quamvis millies reiterentur,ex eo; quia peccatum veniale non potest fieri mortale; differunt enim genere, & patet ex eo; quia surditas non potest fieri cœcitas, nec punctus linea, prout benè docet *D. Thom.* 1.2.*q*.88.*ar*. 4.quia nos non dicimus,quod peccatum veniale transit in mortale; hoc enim esset transire de uno genere, in aliud diversum genus; quod esse non potest, nec fatemur, ex pluribus venialibus conflari unum mortale,sed dicimus, ultimum furtulum, quo completur quantitas gravis, in genere furti esse mortale; quia in virtute furtulorum præcedentium, infert notabile damnum; licet in se sit exiguum; sicut gutta postrema cavat lapidem virtute præcedentium, ut si v.g. decem oboli sint materia gravis peccati mortalis, in genere furti,& fur hodie surripit unum, cras alium, postridiè alium, & postero die alium, sine tamen animo deveniendi ad decimum; in tot furtis sæpè repetitis nunquam peccavit mortaliter, ratione levis materiæ, & carentiæ animi surripiendi majora: ubi tandem attingit decimum obolum, peccat mortaliter & tenetur restituere; quia posito & superaddito illo ultimo obulo præcedentibus, ponitur materia gravis; ergò illa acceptio ultimi oboli, est causa efficiens talis damni; & sic est mortifera & restitutioni obnoxia, ut dixit noster *Sotus cit. loc.*

13. Quapropter minus benè *Navar. lib.* 3. *de Regul. consf.* 75. *ad quintam quæst. num.* 27. in 1. edit. ait, quod nemo peccat mortaliter coràm Deo propter furtum rei minimæ: nisi expresè vel virtualiter intenderit inferre damnum notabile; etiamsi per ultimum, penultimum, vel aliud additum omnia conjuncta perveniant ad quantitatem notabilem,tum quia hoc est contra communem opinionem *Doctorum*; tum etiam quia actus, quo injustum notabile damnum proximi completur, est mortalis; sed per ablationem ultimi oboli completur notabile damnum, nam citra decimum, non censetur completum, ut præsupponitur; ergò ultimi oboli furtum est mortale, non secundùm se absolutè; sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum.

14. Confirmatur & explicatur; quicunque sciens ex actu suo levi subsequi notabile damnum proximi, peccat mortaliter, faciendo talem actum; etsi actus, & opera sit levis; quandoquidem circumstantia de veniali potest facere mortale; prout mirificè declarat *D. Thom. in d.*2.2.*q*.88.*ar*.5.igitur,qui surripit jam dictum ultimum obolum,peccat mortaliter, & tenetur restituere ratione damni,quod subsequitur ad illam ablationem, quæ censetur causa efficiens illius damni, quod immediatè sequitur, ut dictum est.

15. Neque potest placere, quod idem *Navar.* dixit *nu*.139.*cap*.17.*in sum.* nempè, quod licet omnia parva furta sint venialia, nihilominùs fur ubi pertingit ad quantitatem notabilem, tenetur illam sub mortali restituere, non ratione acceptionis,sed ratione injustæ detentionis; tum quia falsum est, ex peccato veniali oriri posse obligationem restituendi sub mortali; obligatio enim restituendi ex delicto,nascitur ex injusta acceptione; etenim, ut dicitur in *cap. sæpè de restit. spol.* quoad forum Animæ paria sunt, injustè accipere & injustè detinere; ergò ex acceptione leviter injusta oritur obligatio restituendi sub veniali, & ex mortifera acceptione pullulat obligatio restituendi sub mortali, *Sanchez*, *Megala*, & *à S. Fausto* cit. *loc.*

16. Tum etiam; quia nec *Navarrus*, neque alius potest dare exemplum quo sub mortali teneatur quis reddere id, quod ex mero delicto veniali accepit; exempla enim, quæ adduci solent in contrarium, scilicet, in commodato, & in credito, non faciunt ad rem; quia commodatum & creditum pecuniarum non est propriè restituere, sed solvere: neque hæc ex delicto, sed ex contractu debentur, ut patet omnibus, & ex multis ostendunt *Sayr.* cit. *loc.nu.*23.& *à S. Fausto ubi suprà.*

17. Et quamvis *Megala* cit. *loc.num.*33.se jactet habere exemplum pro praxi doctrinæ *Navarri*, ibi, *si quis furaretur Adamantem, vel alium Lapidem pretiosum, quem invincibiliter crederet esse falsum & exigui valoris, & post commissum furtum animadverteret, esse verum, & lapidem pretiosum maximi pretii: in hoc enim casu dubitandum non est, furantem mortaliter non peccasse, cùm non consenserit furto rei gravis,sed tantùm levis; nihilominùs insania esset dicere, hunc non teneri ad restitutionem sub mortali, cùm talis retentio grave damnum inferat.* hæc *ille.*

18. Verumtamen non est ad rem; tùm quia non est verisimile, quod quis furetur Adamantem falsum, & quod invincibiliter credat, esse falsum: furari enim res falsas & inutiles, non est sani capitis.

19. Tum etiam; quia invincibilis ignorantia excusat ab omni peccato, nempè veniali & mortali; tum item quia ignorantia ipsa, si non sit invincibilis, est peccatum mortale, prout eruditè docet *D. Thom.* 1. 2. *q*.88.*ar*.6. *in responsione ad secundum*; fuit enim objectum, *quod si quis nesciens fornicationem simplicem esse peccatum mortale, & contrariam divino amori, fornicetur; ita tamen, quod propter divinum amorem, paratus esset fornicationem prætermittere, si sciret, fornicando se contra divinum amorem agere; ergò peccabit venialiter, & sic peccatum mortale ex suo genere, potest fieri veniale.*

20. Respondet, *quod si sit talis ignorantia, quæ peccatum omninò excuset, sicut est furiosi vel amentis, tunc ex tali ignorantia fornicationem committens, nec venialiter, nec mortaliter peccat; si verò sit ignorantia non invincibilis, tunc ignorantia ipsa est peccatum, & continet in se defectum divini amoris, in quantum negligit homo addiscere ea, per quæ potest se in divino amore conservare.* hæc *ille.*

21. Quam doctrinam *ibidem Cajet.* auream appellat, & potest applicari ad furtum, quod ex suo genere & objecto est peccatum mortale; & quamvis ex parte subjecti posset minorari, hoc non potest fieri per additionem; quia

quia sic magis gravaretur, ut si quis proferat verbum jocosum, ut fornicetur, ly, *verbum jocosum*, non alleviat, sed aggravat peccatum fornicationis; sed fit per subtractionem quandam deliberatæ rationis; quia scilicet peccans non pertingit ad rationem actus moralis, cùm non sit deliberatus, sed subitus, prout *ibidem in corpore*, ubi noster *Medina* multa loquitur.

22. Si replicando dices, quod ratio decisionis prædictæ fallit in furtis factis à diversis personis; quia licet multa modica faciant unum satis, respectu unius & ejusdẽ personæ, à qua res minutatim surreptæ sunt; verùm si à diversis surripiantur, minutiæ sunt, ac leviter lædũt; quamobrem fur à diversis minima surripiens, non tenetur restituere, ex quo singula portio, in se exigua est, & proximo parùm nocet; restitutio enim respicit damnum notabiliter illatum & bonum impeditum, non autem lucrum & bonum ipsius furantis.

23. Respondet *Sotus ubi suprà*, quod sola quantitas, si per se est magna, absque ordine ad nocumentum particulare, sive ab uno, sive à pluribus accipiatur, est per se sufficiens constituere peccatum mortale, ut apparet in furto facto à Cauponariis & Stabulariis, de quibus dictum est suprà; quia licet, qui à pluribus notabilem summam accipit, nulli in particulari injuriam gravem faciat; toti tamen Reipublicæ gravissimum nocumentum irrogat; quia si licitum esset à diversis personis modica surripere, & absque labore & nexu restitutionis vivere, omnes vacarent hujusmodi furtis & rapinis; & nullus inveniretur, qui artes & honesta exercitia quæreret, & sic Respublica non esset perfecta, & perturbaretur in multis, & læderetur in re gravi; expedit enim Reipublicæ, Artistas, & quietos Cives habere, secùs periret commune bonum, quod non est dicendum.

24. Limita postremò, conclusionem prædictam non habere locum in eo paupere, qui extrema, vel quasi extrema necessitate coactus, rem alienam accipit & insumit; quia in tali casu furtum non committit, neque peccat. *D. Thom.* communiter acceptus 2. 2. *q. 66. ar. 7. ad secundum*, ubi ait, quod per talem necessitatem efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam; nisi ille, à quo res aufertur, esset in pari necessitate constitutus; nam in pari causa melior est conditio possidentis.

25. Amplia in eo, qui rem ablatam, vel apud se depositam aut commodatam, urgente necessitate insumpsit, nihil restituere debet, etiam postquàm pervenerit ad pinguiorem fortunam; quia tempore necessitatis jure gentium omnia sunt communia; ergò suum consumpsit, *D. Thom.* cit. *loc. & Syl. ver. furtum, quæst. 5. & ver. Eleemosyn. in fin. & Clar. lib. 5. sentent. §. furtum, num.* 25.

26. Secundò limita, non procedere, quandò constat illos, à quibus res minimæ clàm auferuntur, teneri surripientibus subvenire, ceu est Pater, qui tenetur suo filio, Herus suo servo, & Monasterium suis Professis, *Angel. ver. furtum, num. 37. Cajet. eod. ver. & Armilla nu.* 10. etenim hi cognoscunt statum subditorum, & non censentur inviti quoad substantiam rerum minimarum, & præcipuè comestibilium, *Bannes cit. loc. num.* 22.

27. Tertiò limita, non habere locum in eo fure, qui cum magno intervallo surripit prædicta furtula; quia si magna interpellatio fiat inter unum & aliud furtulum, non possunt ad invicem conjungi & copulari, *Rodr. 1. p. sum. de furto, cap. 150. coclus. 8. & Graff. 1. p. decis. aur. lib. 2. cap. 93. de furto, num.* 19.

28. Hæc autem interpellatio & intervallum, quod impedit prædicta furta continuari, & coalescere in unum notabile, est spatium unius anni, secundùm *Sanchez ubi suprà, num.* 10. & alios Viros doctos ab ipso consultos; *quia tanta interpellatio non videtur, moraliter loquẽdo, conjungere quantitates illas; quis enim diceret, puerum accipientem hoc anno ex vineis parvam quantitatem, & anno sequenti aliam modicam, & sic toto vitæ curriculo, peccasse mortaliter, furtis minimis cum tanto intervallo admissis?* hæc *ille*, cui favet *Rodr.* cit. *loc. sum.* in 2. edit. ibi, *tanta posset esse interpellatio, ut non videatur conjungi unum furtum cum alio, nec unum damnum cum alio, sed quodlibet ipsorum sit per se considerandum ad discernendam notabilem quantitatem ad furtum mortale, ac si nullum aliud præcessisset.*

29. Verùm, secundùm *Navar. in d. cap. 17. sum. num.* 139. sufficit, quod sit unius mensis, cui favet, *Graff. cit. loc. Diana in d. resolut. 34. ver. dico 2. & à S. Fausto lib. 8. Thes. de voto paupertatis, q. 665. in novis in fin.*

30. Tu autem quoad hoc considera illa aurea verba *D. Thom. 1. 2. q. 88. ar. 5. ad primum* ubi dicit, *quod diuturnitas non est circumstantia trahens in aliam speciem, ut frequentia vel assiduitas, nisi fortè per accidens ex aliquo superveniente; non enim aliquid acquirit novam speciem ex hoc, quod multiplicatur & protelatur, nisi fortè in actu protelato, vel multiplicato superveniat aliquid, quod variet speciem; putà inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujusmodi*, hæc *ibi*.

31. Quartò limita in rebus parvis frequenter sublatis ab eadem persona, & in eisdem factis cum intervallo, & surreptis à diversis personis; quia exigitur major quantitas ad mortale; quandò quis multa furatur à diversis, & eò major, quo plures sunt Domini; quia quo in plures damnum dividitur, eò minùs, cæteris paribus sunt inviti, *Sanchez ubi suprà nu.* 17. ubi exindè colligit, non esse mortale, nec sub mortali ad restitutionem obligari simplicem furem, qui minorem quantitatem, quàm unius aurei à tota Communitate Populosa furaretur.

32. Hæc autem quantitas ad peccatum mortale, & restitutionem requisita, debet esse duplo major; ut puta, si duo Julii in parvis rebus, frequenter ablatis ab eadem persona, sufficiunt ad peccatum mortale, in eisdem factis cum intervallo, & sublatis à diversis, non sufficiunt, sed ad minùs debent esse quatuor cum dimidio, *D. Barthol. à S. Fausto 1. p. de contractib. disput. 2. q. 64. in fin. & Diana ubi suprà, ver. dico tertiò, & Megala* multis citatis *num. 36. ubi suprà.*

33. Ego autem in tali casu judicarem juxtà suprà positam doctrinam *D. Thom.*

Quæst. 21. Si Religiosus per reiterata furtula pervenit ad quantitatem notabilem, an teneatur omnia præcedentia, seu totam summam restituere, an verò illud tantùm ultimum, quod superadditum præcedentibus facit materiam peccati mortalis?

1. P*Etrus Navar. lib. 3. de restit. cap. 1. dub. 9. num.* 60. & in nova edit. *cap. 1. p. 1. dub. 4. num. 52. Clavis Regia lib. 9. cap. 15. nu. 24. in diffic. 6. Sanchez in sum. lib. 7. cap. 21. nu. 18. & 25. D. Barthol. à S. Fausto lib. 8. de voto paupert. q. 166.* in ultima edit. & 1. *p. de contract. disput. 2. q. 66. & Diana 1. p. de paupert. Religiosa, resolut. 34. in fin. ver. notandum*, post allegatos dicunt, Religiosum hujusmodi non teneri sub peccato mortali ad restitutionem totius summæ surreptæ, sed tantùm ad illam ultimam partem, quâ restitutâ, cessat notabilis quantitas, ad furtũ mortale requisita; quia Religiosus non tenetur sub mortali nisi auferre damnum notabile Monasterii, sed restituto illo ultimo furtulo, quod fuit complementum malitiæ præcedentium, ut supponitur, removetur damnum nonotabile; ergò.

2. Confirmatur; si Religiosus non accepisset illud ultimum furteolum, quod additum præcedentibus, facit mate-

materiam furti læthalis, non peccasset mortaliter, nec citrà illud fuisset obligatus alia furtula restituere: ergo illo sublato, ac restituto, cætera remanent in genere peccati venialis, quod ad restitutionem non obligat.

3. Nec his obstat dicere, quòd restitutio in æqualitate consistit, & consequenter tantum restituendum erit, quantum fuit ablatum; sed non solùm illud ultimum furteolum fuit ablatum, sed omnia alia præcedentia; ergo omnia sunt restituenda; quia consequentia pet empta dicimus, quòd illud sub mortali restituendum est, quod notabiliter damnificat; & quamvis tota summa damnificet notabiliter, copulatim sumpta; non tamen inde sequitur, totam copulatim restituendam esse sub mortali; nisi perseverante, & stante damno notabili: hinc, restituto illo furteolo, ultimo patrato, cessat damnum notabile, & consequenter cessat peccatum mortale, & cæterorum restitutio.

4. Et quamvis justitia postulet, totam summam ablatam reddi, non tamen sub mortali, quando damnum non est notabile.

5. Neque exinde inferas, ergo quis tenetur sub mortali levem quantitatem restituere, quia illa ultima acceptio non consideratur absolutè, & ut in se est, sed ut continuata, & conjuncta præcedentibus, per quam conjunctionem, & continuationem complet, & facit notabilem quantitatem peccati in genere furti; unde sicut per illum actum ultimum constituitur damnum notabile, ita fit, ut sit actus mortalis, ex quo est causa efficiens damni notabilis, quod immediatè subsequitur ad illum; etsi actus ille, nisi aliqui præcessissent, peccatum mortale non fuisset, prout eruditè dixit *Sot.* cit. *loc.* cui favent præcitati *Doctores*.

Quæst. 22. Vltima acceptio rei alienæ, complens materiam notabilem, an in omni casu sit peccatum mortale?

1. Negativè dic, tum quia, si fur esset immemor acceptionum præteritarum, non peccaret mortaliter accipiendo illud ultimum furtulum, nam ex defectu cognitionis, & advertentiæ, præterita furteola non continuantur mortaliter, & moraliter, *Sayr.* cit. *loc. n.* 22. *in fin.* & *à S. Fausto in d. lib.* 8. *Thes. q.* 165. *ver. dixi notanter.*

2. Verùm, memor factus, tenetur restituere, *Sanchez cit. loc. num.* 18. immò cum dicta advertentia debet concurrere complacentia, quam fur debet habere in furtis præteritis; *Rodr. in summ. cap.* 150. *de furto, num.* 8. *in fin.* tum etiam; quia committens ultimum furtum, si habet animum citò restituendi illud, vel aliquid aliud, non peccat mortaliter pro eo; quia parva acceptio rei alienæ, non est mortalis, quando fit animo restituendi illam, ita citò, ut ratione dilationis non inferatur Domino damnum notabile.

3. Idem procedit in eo, qui cùm furatur ultimum obolum, non habet, unde solvat, dummodo habeat animum solvendi illam quantitatem, & omnes alias, quas surripuit, cùm pervenerit in pinguiorem fortunam; & eo fortiùs procedit, si huic proposito de restituendo, quàm citiùs poterit adjungatur displicentia, & dolor de furtis præteritis, & de impotentia restituendi, prout latè probat *Granadus in* 1. 2. *D. Thom. controver.* 6. *tract.* 2. *disp.* 2. *sect.* 5. *num.* 51. & *Ant. Diana* 3. *p. tract.* 6. *Miscell. resolut.* 25.

Quæst. 23. Procuratores, seu OEconomi, & Cellararii, an possint facere Eleemosynam, sine licentia Superioris Monasterii?

1. Negativè respondet *D. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *ar.* 8. *ad primum*, cui subscribit *Syl. ver. Religio* 6 *num.* 7. *Rodr. tom.* 3. *q.* 29. *ar.* 6. *conclus.* 1. & post allegatos *à S. Fausto lib.* 8. *Thes. q.* 127. tum quia Religiosus non habet proprium, ut dictum est: tum etiam; quia est in potestate Prælati, sine cujus licentia, expressè habita, vel probabiliter præsumpta, non potest de rebus Monasterii disponere, nec aliquid administrare, secùs esset, exercere actum domini in re aliena: administratio enim bonorum Monasterii, ad ejus solos Officiales pertinet, ut deciditur in *cap.* 2. *sess.* 25. *de Regul. Conc. Trid.* tum item; quia Cellararii, & Procuratores, sunt puri executores mandatorum Prælati, à quo habent dispensationem limitatam ad hunc, vel illum specialē actum, & non ad alios actus, utputà Coquus ad coquendum cibaria, non autem ad disponendum de illis, ad sui libitum, & beneplacitum, alias non essent exequutores, sed principales Officiales: hinc hujusmodi Procuratores, & Cellararii peccant mortaliter, & sunt in malo statu, si bona, quæ administrant, expendant in alios usus, præter deputatos à Prælato. Quod intellige de largitione gravi, & sumptu notabili, secùs autem de levi, & minima, quæ non sunt in consideratione, *Rodr.* cit. *loc.*

2. Sed quomodò possent excusari, si facerent Eleemosynas, vel donationes juxtà consuetudinem, & quantitatem administrationis, docent *Navar. tom.* 2. *de Regul. num.* 11. *Sanchez in sum. lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 94. & *Bonac. de largit. Muner. pun.* 5. *num.* 19.

Quæst. 24. Religiosus, an possit sine licentia Prælati suam elargiri rationem, seu pitantiam?

1. Negativa sententia patet ex decisis, & habetur expressè in *Clem.* 2. *de vita, & honestate Cleric.* §. *sed, & tales*, ubi Religiosi administrationem habentes, tenentur infrà mensem dare Pauperibus Epithogium, si quod habent; cæteri verò Religiosi infrà idem tempus, illud tenentur suis Superioribus assignare, & ratio esse potest; quia Religiosus non potest esse Dominus alicujus rei, nec usufructuarius, sed tantùm Usuarius, sed Usuarius solùm tenet, & habet usum rei pro se, & non potest illam dare alteri; etenim in hoc distinguuntur Dominus ususfructuarius, & usuarius; quia Dominus disponit de re ipsa ad libitum; quia potest eam destruere, quòad substantiam, alienare per donationem, vel venditionem: usufructuarius disponit de solis fructibus, prout vult, non solùm in suam, sed etiam alienam commoditatem; salva tamen substantia rei; usuarius autem disponit de solis fructibus in propriam tantùm utilitatem, & nullo modo in utilitatem alterius, unde dici solet, quòd usuarii habent usum Atinatium, *Lopez* 2. *p. instruct. cap.* 4. *in principio*, *Clavis Reg. lib.* 9. *cap.* 3. *col.* 1.

2. Confirmatur; quia in rebus, quæ unico usu consumuntur, distinguitur usus à dominio, ita ut usus rei, seu facti possit esse apud unum, & dominium apud alterum, prout latè *Sot. lib.* 4. *de just. q.* 1. *ar.* 1. *in med. Dominicus Bannes* 2. 2. *q.* 62. *de dominio*, & egomet fusè ostendo in *p.* 3. *tract.* 8. *q.* 4. & 5. ergo, quando subditi à suis Superioribus cibaria recipiunt; recipiunt, non ut ad libitum vendant, donent, aut alienent; sed in proprium ipsorum commodum, ut tantùm pro se destruant, & illis utantur; non autem ad alterius commoditatem, nec potest contrarium præsumi: nisi per eosdem Superiores fuit declaratum.

3. Benè verum est, quòd Religiosus subditus, si suam elargiretur pitantiam, inconsulto Superiore, posset à culpa excusari, ratione levitatis materiæ, vel consuetudinis legitimè præscriptæ, aut ex præsumpta licentia Prælati, *Glos. in d. Clem.* 2. *in ver. convertendum*, & *Navar. tom.* 2. *de Regul. num.* 8. dummodò sit rationabilis, & talis, qualis à Sac. Congregat. & *Urb. VIII.* desideratur, & in hoc potest fundari probabilitas opinionis *Dianæ* 1. *p. tract. de paupert. Relig. resol.* 28. *Tambur. tom.* 1. *de jur. Abbat. disput.* 9. *quæst.* 11.

Quæst. 25. An pœnæ d. Bullæ incurrantur ante Judicis sententiam?

1. BOnac. *de legib. disput. 1. q. 1. punct. 7. §. 2. num. 9. & de contractibus disput. 3. q. 8. punct. final. §. 3. Ricc. 4. p. praxis resolut. 81. Thes. 1. prax. de pœnis, cap. 29.* latè *Merolla tom. 2. de leg. disput. 4. cap. 5. dub. 4. & Alphon. de Leon. de cens. recoll. 1. num. 69.* multis citatis ajunt, pœnas privativas, ad quarum exequutionem requiritur actio hominis, ut privatio dignitatum, & officiorum, non incurri ante sententiam criminis declaratoriam, alias verò privativas, quæ actionem hominis, ad sui exequutionem non requirunt, ut privatio vocis activæ, & passivæ, incapacitas, & inhabilitas ad officia, & beneficia, incurri ante ullam Judicis sententiam, quod fortè intelligunt, quoad forum animæ.

2. Ego autem dico, quòd pœna nunquàm incurritur, nec debetur, etiam quoad forum poli; nisi post sententiam condemnatoriam, prout constat ex ejus diffinitione, & docet *Gloss. in c. fraternitatis 12. q. 1.* & cum illa communiter *Canonistæ in c. 1. de Constu. & Theologi* in materia de legibus, *Gram. decis. 105. num. 6. de Franchis decis. 63. num. 11. Navar. in manuali cap. 23. num. 66. Riccius 1. par. praxis decis. 139.* in 1. editio.

3. Et ratio esse potest; quia nemo debet esse exequutor pœnæ contrà se ipsum, *D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 3. in corp.* ibi, *cujus inflictio pertinet ad Judicem, ubique Cajet. & Sot. lib. 1. q. 6. ar. 6. de just.*

4. Verùm, quoad forum conscientiæ, à dicta communi Regula, de praxi, & usu Ecclesiæ incipiuntur censuræ duntaxat, *Suar. tom. 5. de cens. disput. 3. sect. 1. num. 6. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 30. n. 2. Avila de cens. 1. p. dub. 7. Clav. Reg. lib. 3. cap. 9.* & alii plures, & gravissimi *Doctores*, quos egomet refero, & sequor fusè in *p. 4. de recipiendis ad habitum, tract. 2. q. 1. & p. 1. tract. 1. q. 24. & seq.*

5. Dixi, quoad forum animæ; quia quoad forum externum strepitosum, etiam censuræ exigunt processum, & indigent Judicis declaratoria.

6. Confirmatur. *Gregorius XIII.* in suo *motu proprio de datis, & promissis pro justitia, & gratia*; usus est eisdem verbis, contrà transgressores; ibi, *eos omnes omni beneficio, ipso jure privamus ac privatos esse declaramus, ac inhabiles ad illa, & alia esse volumus.*

7. Et tamen *Navar. in d. motus expositione, & Molina tom. 1. de just. disput. 96. & Sanchez lib. 6. sum. cap. 17. num. 39.* dicunt, ut suprà, & novissimè *Lezana 1. p. sum. cap. 10. num. 31.* ubi loquens in terminis *Decretorum*, *Bullarum*, *& Constitutionum* Summorum Pontificum, aut Sacræ Congregat. ubi reperiuntur illa verba, *privationis vocis activæ, & passivæ, privationis Officiorum, Dignitatum, Administrationum bonorum, &c. insuper inhabilitatis ad prædicta, & alia quævis obtinenda, ipso facto, vel ipso jure, aut eo ipso, absque ulla declaratione, vel ante omnem declarationem, seu absque ullo Superioris Decreto, aut ministerio, aut sententia*, dicit, quòd ita vidit consuli à Pœnitentiariis S. Petri de Urbe, scilicet pœnas prædictas, præter censuras, nec quidem quoad forum animæ incurri, ante Judicis declarationem, prout priùs dixerunt præallegati *Doctores*, & & sequitur *Santarellus tract. de apostasia cap. 4. num. 13. in fin. Marchinus de Sacramento Ordinis tract. 1. p. 8. cap. 4. num. 32. Barbosa de potestate Episcopi, p. 2. allegat. 48. num. 29.* & nuper *Diana p. 7.* & egomet latè suprà in *tract. 4. de violata clausura q. 27.* quod ante omnes dixerat *Covar. 4. Decretal. 2. p. cap. 6. §. 8. num. 10. ver. tertiò deciditur*, ducitur que ex multis, tum quia nullus tenetur esse Reus, & Vindex sui ipsius, ut dixit. *D. Thom. ubi suprà*, tum etiam; quia cessiones hujusmodi, & abstinentiæ ab exercitio officiorum, vel à suffragando, non possunt fieri, sine maximo interesse, aut periculo famæ, quàm naturali jure tenemur custodire, & jus naturæ præponderat juri humano positivo.

8. Exinde infertur, quòd lex humana non censetur obligare cum tanto rigore, contrà propriam famam, & custodiam bonorum: nisi saltem ipsemet Legislator id in sua lege exprimat; quòd scilicet intendit in conscientia, ante Judicis declarationem obligare Reum ad luendum pœnas suæ culpæ, ita ut Reus peccet duplici modo, nempè, violando legem, & non sumendo ex se, & de se pœnas violatæ legis, quod usque modo expressum non video, & tali expressione facta, foret disputandum, utrum Legislator vim habeat obligandi transgressorem suæ legis, ad infligendum sibi pœnam in lege expressam, absque alterius ministerio, & Judicis mandato, de qua re vide, quæ dico *1. p. tract. 1. q. 33.*

9. Ex dictis tamen collige, quòd Religiosus, qui aliquid donavit contrà *d. Bullam*, non tenetur statim resignare dignitates, & vocem activam, & passivam; & quamvis imponatur pœna, ipso facto incurrenda; nunquam tamen intelligitur, ut ipsemet Reus teneatur subire pœnam, ante declarationem factam à Judice competente, scilicet fuisse commissum delictum, quamobrem ante condemnationem potest eligere, & exercere officia, & dignitates; quia non intelligitur, incidisse in pœnam, nisi secuta sententia declaratoria.

Quæst. 26. Quænam sint hæ dignitates, & honores, quibus, eo ipso privantur, & ad quas inhabiles redduntur, hujus Bullæ transgressores?

1. ET dico, quod illa officia, & dignitates comprehenduntur in *d. Clementina*, quæ habent administrationem rerum Monasterii, & personarum ejusdem, cum superioritate, & jurisdictione ordinaria, vel delegata, prout declaravit *Sixtus V. in 2.* sua *Bulla*, edita contrà illegitimos, ut *ibi* est videre, & docet *Joan. de la Crux lib. 1. de stat. Relig. cap. 3. in expositione d. Bullæ Sorb. Capucc. in d. Bull. §. 16. Sanchez lib. 6. sum. cap. 15. num. 66. Rodr. in exposit. mot. prop. Pii V.* circà ingressum Mulierum in Monasterio, *& D. Barthol. à S. Fausto, lib. 8. Thes. q* 202. nec nocet *Lezan. in 1. p.* suæ *sum. cap. 10. num. 30.* dicens, quòd prædicta declaratio fuit specialis, & debet intelligi pro pœnis illius *Bullæ* tantùm, non autem de pœnis aliarum *Bullarum*, quæ amplissimè loquuntur, tum quia eadem verba *Bullarum, ac Decretorum* Summorum Pontificum, licet sint à diversis prolata, eandem tamen subeunt interpretationem authenticè factam, tum etiam; quia similia eadem decisione regulantur, tum item; quia odia juxta vulgatam Regulam sunt restringenda, & non amplianda, ergo abstinendum est à larga interpretatione.

2. Quamobrem, officium Sacristæ, Vicarii, Supprioris, Lectoris, Prædicatoris, Confessoris, & similium non venit nomine dignitatum, ex quo non est conjunctum cum superioritate, & jurisdictione: & versa vice, officium Generalatus, Provincialatus venit nomine dignitatum; quia habet honorem cum jurisdictione, de qua te vide, quæ dico *4. p. in tract. 2. de recipiendis ad habitum, q. 4.*

Quæst. 27. Religiosi dictis pœnis affecti à quo absolvuntur, & dispensantur?

1. DIxi suprà *tractatu 4. de violata clausura quæst. 30.*

Quæst. 28. Recipientes munera à Religiosis, contrà dispositionem dictæ Bullæ, ad quid tenentur?

1. REspondeo, quòd quamvis Religiosorum donatarii non incurrant in pœnas appositas contrà transgressores; ex quo *Bulla* loquitur de largientibus, non autem de recipientibus munera, res donatas, nihilominus tenentur restituere; & nisi prius restituant, non possunt

possunt absolvi: inhabilitantur enim ad sibi retinendum res donatas, ut expresse dicitur in §.13. & 14.

2. Nec dices, quòd pœna non debetur in foro conscientiæ: nisi post condemnationem, & declarationem, quia restitutio non est pœna, sed debitum, quòd, nulla expectata mora debetur; non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si tamen commodè fieri potest, si enim non posset, tunc qui munus accepit, absolvi potest cum cautione de restituendo, quàm primùm poterit, ut habetur in *Clem.1.de reb. Ecclesiæ non alien.* & docet *Cruccius in d.lib.1.de statu Relig.cap.3. de pœnis d.Bull. in 4.not. Sanchez in sum.lib.2.cap.20.nu.19. Bonac. super ead. Bulla p.4.num.3. à S.Fausto lib.8.Thesan d.Bull.q.198.* multis citatis *Thesaurus in 2.p.de pœnis,cap.10.ver.munera, in fin.* quæ quidem restitutio facienda est Monasterio, de cujus bonis facta est donatio, ut in eadem *Clem.* Monachus enim nihil habet, & quidquid posset habere, quærit Monasterio:

3. Et adverte, quòd prædicta restitutio juxtà *Bullam* non potest remitti, nedum à Religioso, qui donavit; sed nec etiam à Monasterio, cui debetur, nec quidem à tota Religione, nisi fortè, qui tenetur restituere, sit verè, & realiter impotens; quia juxtà juris Regulam, ad impossibile nemo tenetur.

Quæst. 29. Pœnæ censurarum, quæ de causa in d. Bulla fuerunt prætermissæ?

1. CLemens Papa VIII. divino lumine illustratus, nullam censuram imposuit dicta *extrav. Religiosæ*, ne illaquearentur tot Animæ: in censuris enim nulla requiritur sententia condemnatoria, quoad forum Animæ, ut dictum est suprà, sed ubi violantur, mox, & illico Animam afficiunt, *Syl.ver.pœna, Sot.lib.1.q.6.ar.6.de justu. & Navar.in Manual.cap.23.num.68.* tum item; quia homines hodiè plus timent perdere dignitates, gradus, & officia, quàm censuras violare. Ideoque ut magis observaretur hæc *Bulla*, maluit præfatas pœnas apponere, quàm censuras, *Faustus* cit. *loc.* cætera vide apud præfatos *Doctores.*

TRACTATUS XVI.

DE DATIS, ET PROMISSIS PRO JUSTITIA ET GRATIA.

Quæst. unica. Quæ sint pœnæ dantium pro justitia, & gratia obtinenda, & quibus casibus incurrantur?

1. BOnifacius octavus in sua *Const.* incip. *excommunicamus*, edita de anno 1262. quæ est *prima* inter *Bullas* ejusdem Papæ in *Bull.Laertii Cherub.tom.1.pag.139.* & habetur inter *extravagantes communes, tit. de sent. excommunicationis*, excommunicavit dantes, aut promittentes quidquam magnum, vel parvum pro justitia obtinenda apud Sedem Apostolicam, & quia revocata fuit à *Clemente V.* ut noster *Paludanus in 4.sent. distin. 8. q.3. Sylv. ver.excom.7.cas.46. & Cajet.in summula, ver.eod.* post cas. 81. testantur.

2. *Gregorius XIII.* in sua *Constit.* quæ incipit, *cum ab ipso Pontificatus nostri*, edita de anno Domini 1574. & est 24. inter *Bullas* ejusdem in *d.Bull.* confirmavit prædictam *Constitutionem Bonifacii*, & ad Fautores extendit, additque pœnam privationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitationis, & perpetuæ infamiæ, necnon alterius pœnæ, pro rei qualitate exigendæ, revelantibus autem impunitatem promisit.

3. *Clemens Octavus* in sua *Constit.* quæ incipit, *pro commissa*, edita anno Domini 1592.10. inter *Bullas* ejusdem in *d.Bull. Cher.pag.12.in §.21.* confirmavit prædictas *Constitutiones Bonifacii VIII. & Greg.XIII.* & multa alia adjecit pro fælici gubernio status Romanæ Ecclesiæ, ut *ibidem* est videre.

4. De datis, & promissis multa loquitur *Glos.in d.Bulla Bonif.in 6* latè, ac eruditè *Navar.* de more solito *tom.3. in comment.* edito super *d. Bulla Gregorii, fol.* mihi 623. *Martinus Bonacina tom.2.de legibus*, circà *octavum Decalogi præceptum, disput.10.q.2.punct.8.§.incidens, Thesaurus 2.p.prax. de pœnis Ecclesiasticis, ver.simonia, cap.15. & cap.7.ver.munera, Joa.Anton.Novar.1.p.sum.in ead.Bulla, & 2.p.eod.tit.de dato & promisso, Flav. Cher. in comp. Bull. in dictis Bullis, Anton.Diana p.7 moral.per totum tract.5. Alphons. de Leone de cens.recoll.4.ver.dantes, Filiucc. tract.15. n.142. Gratian. discept. for. lib.2.cap.202.num.8.* & nuper *Lezana in sum.ver.dare, à num.19. & sequent.* & alii plures per eosdem relati, ad quos Lectorem remitto causa brevitatis, quam affecto, ex quibus mihi sufficit, hæc pauca colligere.

5. Primò, quòd causa finalis *d.extrav.* est, ne justitia, & gratia obtineatur pretio; aut munere, & quidem meritò, tum quia opera justitiæ non sunt venalia; non enim venditioni exponuntur, nec pecunia comparantur; tum etiam; quia Judex tenetur gratis justitiam administrare: etenim ad hoc est institutus, & salariatur à Principe; quippè qui in judicando non debet respicere ad munera, nec ad qualitates personarum, sed tantùm ad merita causæ, secùs inique, ac perversè ageret, & per sordes judicaret, prout sapienter docet *D.Thom.2.2. q.63.ar.1. Sylvester ver.Judex 1.* & eo ipso, ejus sententia foret nulla, ut in *cap. ei, qui 41.caus.2.q.6.in fin.ibi, & venales quoque sententias, quæ in mercedem à corruptis Judicibus proferuntur l.veniales, C.quando provoc.non est necesse, & Capyc.decis.155.*

6. Tum item, quia emere gratias dimanantes à jurisdictione spirituali, simoniacum est, ceu esset, emere gratiam Cardinalitiam, Episcopalem, Abbatialem, Beneficialem, Collationes ordinum, & consimiles Ecclesiasticas dignitates, gradus, & honores, res enim spirituales sine labe simoniæ, nullo modo possunt pretio comparari.

7. Secundò, quòd præfata *Bulla* non habet locum, ubi in dante, & recipiente non reperitur ejus causa finalis, ut finalis est, sed tantùm ut impulsiva; unde *Glossa in cap. cùm essent 12.de simonia, in ver.promiserat; & Covar.var. lib.1. cap.20. num.3.* ajunt, quòd servire alicui Prælato, primò, & principaliter spe consequendi ab eo beneficium Ecclesiasticum, simonia est, licet mentalis; ut dicitur *in d.cap.* etiam non accedente expressa pactione, *Cajet.in sum ver.simonia.*

8. Vice versa, servire principaliter ob personæ dignitatem, ob stipendium pro victu quotidiano consequendo, & minùs principaliter, spe consequendi ab eo aliquod beneficium Ecclesiasticum, non est simonia; quia causa impulsiva non inducit simoniam, quæ quoad forum

rum conscientiæ, ex solo animo judicatur, *Cajet.* cit. *loc.*

9. Hinc; si quis aliquid daret simpliciter absque intentione, & animo obtinendi aliquam gratiam, vel justitiam, non incideret in pœnas *d. Bull.* quia illud datum, & acceptum censeretur prohibitum, juxtà terminos *d. Gregoriana*; quod fit ex principali intentione obligandi pro tali gratia, vel justitia facienda, & quòd super promittentem inducit civilem obligationem, ut ex *decisione Rotæ Romanæ Farin. tom.*1. refert *Thes. de pœnis Eccles. p.*2. *cap.* 7. *ver. munera*, & *Novar. in d.*2. *p. num.*7.

10. Exinde, infertur tertiò, quòd dantes ex alio titulo, nempè pro vexatione redimenda, *cap. dilectus, il secondo, de simonia*, vel ex causa remunerationis, pro sportulis, laboribus habitis, vel habendis, & consimilibus, non dant in pœnas *Bull.* quia aliud est, dare pro gratia, & justitia, & aliud ex alio titulo, lex enim pœnalis non intenditur ad non expressa, ut cæteris paribus Sacra Congregat. in *Bulla de largitione munerum* declaravit, & *Urb. VIII.* approbavit, de qua dictum est suprà.

11. Quartò, quòd pœna hujus *Constitutionis* habet locum, etiam si res modica detur ad talem finem, ut dicitur in *Bulla*, dummodò non sit tam parva, quòd non sufficiat ad peccatum mortale constituendum; excommunicatio enim, & aliæ pœnæ impositæ in his *Constitutionibus* præsupponunt peccatum mortale, quod peccatum ad sui constitutionem exigit materiam gravem, *Navar.* cit. *loc. num.*10. *Farin. in cons.*78. *num.*3. *Bonac.* & *Thes. ubi suprà.*

12. Ego autem dico, quòd debet esse tanta, quæ existimetur apta ad movendum, & flectendum à recto animum recipientis, secùs si datio, vel receptio rei parvæ credatur, non posse Judicem, vel authorem gratiæ, à recto movere, ad quod facit *cap. etsi quæstiones* 18. *de simonia*, quod est tenoris sequentis.

Etsi quæstiones tuas de favore Religionis, ad nos proferri nullatenus ignoremus, non tamen tibi est in his ultrà, quàm oporteat dubitandum, cùm leges humanæ dicant, quod quidam tenui Religione sacramenta, etiam necessaria, & legitima exhibere contemnunt, tenuem Religionem vocantes, quæ in talibus hæsitat, ubi non est aliquatenus hæsitandum in hoc; itaque quod P. Presbiter Cardinalis Apostolicæ Sedis legatus pro electione tua, & ut pallium tibi traderet ad partes illas accessit, & Frater tuus ejus præsciens necessitatem, ei equum unum te ignorante transmisit: quoniam per mare veniens, nullas, aut paucas secùm equitaturas adduxit, te nullo modo timere oportet: cùm in accipiendis, vel dandis muneribus tria sunt maximè attendenda, persona, scilicet dantis, & accipientis qualitas: quantitas muneris, & donationis tempus, qualitas personarum, ut à quo, & cui, videlicet, an à paupere diviti, vel è converso, sive à divite locupleti datum fuerit: æstimatio muneris, & donationis tempus, si magni, vel minimi pretii res data existat, & an instante necessitate, seu alio tempore conferatur.

Si ergo prædictorum Cardinalis, & Fratris tui personam, & qualitatem pensamus, non fuit magnum ab eodem Fratre tuo, Cardinali equum unum transmitti, quem etiam speculatori non petenti, vir tantus, & tam abundans fortè donaret. Verùm si temporis necessitatem perpendimus, non alia intentione hoc constat factum fuisse, quàm ut Cardinali subveniretur in articulo prænotato.

Quod autem scriptum est: Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere: de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent; quoniam si ipsa etiam persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis, inclinare, vel movere non debeant: non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem, hæc *ibi.*

TRACTATUS XVII.

DE CONSERVATORIBUS.

DE Conservatoribus multa loquuntur *Doctores*, quos allegat, & sequitur *Sylv. Tabiena*, & *Armilla ver. Conservator.* P. *Frater Petrus Martyr Festus in sum. Constit. Ordinis Prædicatorum p.* 4. *c.* 5. sub *eod. tit. Joan. de La crux* Dominicanus *de stat. Relig. lib.*2. *cap.*10. *P. Moneta eod. tit. cap.*1. *num.*8. *Gutierr. pract. quæst. lib.*3. *q.*9. *Cocchier de jurisdict. in exempt. q.*1. cum *sequen. Rodr. tom.*1. *q.*65. in viginti articulos divisa, *Hier. Rodr.* in suo *comp. resol.* 33. *Ludov. Miranda tom.*2. *q.*47. *Portell. in dub. ver. Conservator, Riccius p.*4. *collect.*899. & *p.*2. *decis.* 257. & *p.*3. *decis.*191. *Novar. in praxi novi jur. Pontif. conclus. unica*, alias 71. & in sua *Luc. Regul. ver. conserv.* & in *practica miserabilium personarum*, post *Privil.*69. ad *textum Sac. Conc. Trid. sess.*7. *cap.* 14. *de Reformat. pag.* mihi 93. *Joan. Bapt. Confect. in sum. Mater. Privil. Ordinum Mendicantium tit.*4. *de Conser. cap.*5. & *sequen. Sorbus Capucc. in comp. Privil. Minor. ver. eod. Joan. Franciscus Leo* in suo *Thesauro for. Eccl.*1. *p.* sub *tit. de collation. benefic. num.*101. & 2. *p. de suspens. nu.* 58. *Laur. Peyr. tom.*2. *Privil. Minim. in Constit. Greg. XV.* & *tom.*3. seu in *additio. ad d. Constit. cap.*11. *num.*11. & in suo *Formul. lit. C. cap.*20. *D. Aug. Barbosa de officio, & potestate Episcopi p.* 3. *allegat.*106. *Joan. Antonius Novar.*1. *p. sum. Bull.* sub *tit. de Conser. pag.*181. & *p.*2. *eod. tit. fol.* mihi 203. *Gavant. in manuali Episcop. ver. conservat. D. Episcopus Maranta p.*4. *controver. respons.* 42. & 43. *Marcellus Vulpes* in sua *praxi fori Eccles. de Conser. cap.*12. *Merolla tom.*3. *disput.* 7. *de jurisdict. Vicarii, cap.*6. *dub.*34. *num.*303. *P. Carol. Thesaur. in praxi de pœnis Eccles. p.*2. *ver. Conser. cap.*5. *Joan. Bapt. Lezana* 1. *p. cap.*3. *num.*11. & *p.*2. *de Conser. cap.*10. *Alphons. de Leon. de offic. & potestate Confess. recol.* 4. *ver. conservat. pag.* mihi 300. *Franciscus Cespedes in tract. de exempt. Regul. cap.* 22. *fol.*451. & alii plures, quorum ferè non est numerus.

Quæst. 1. *Regulares, an habeant Privilegia eligendi sibi Conservatores?*

1. REgulares ex eorum Privilegiis habent facultatem eligendi Conservatores cum amplissima facultate, nam Monachi S. Justinæ, suum nominant Conservatorem, ex *Constit.*10. *Eugen. IV.* quæ incipit, *Militanti.*

2. Monachi Olivetani, ex *Constit.*5. *Julii II.* quæ incipit eodem modo.

3. Monachi Camaldulenses, ex *Bulla* 2. *Leonis X.*

4. Canonici Regulares Laterenenses, ex *Bulla Sixti V.* incip. *dum ad universos.*

5. Clerici Regulares Sancti Pauli decollati, ex *Constit.*10 *Julii III.* incip. *ad hoc.*

6. PP. Dominicani contrà gravamina inferentes, suos habent Conservatores, Primò, à Papa *Joanne XXII.* per Bullam, quæ incipit, *Magistrum, & Fratres Ordinis Prædicatorum,*

dicatorum, &c. nos Magistri, & Fratrum providere quieti, ac malignorum conatibus obviare volentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus extrà dictum Regnum vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel per alium, seu alios, etiam si sint extrà loca, in quibus deputati estis, Conservatores, & Judices eisdem Magistro, & Fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos à prædictis, vel quibuscunque aliis indebitè molestari, vel eisdem damna, violentias, injurias, vel molestias irrogari, facturi eisdem Magistro, & Fratribus cùm ab eis, vel Procuratore, aut Procuratoribus eorum fueritis requisiti, de prædictis, & aliis personis quibuslibet, de quibuscunque molestiis, violentiis, injuriis, atque damnis præsentibus & futuris, in illis videlicet, quæ judicialiter requirunt indaginem, summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, in aliis verò, prout qualitas eorum exegerit justitiæ complementum, molestatores, præsumptores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscunque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis extiterint, etiam si Pontificali præfulgeant dignitate, quandocunque & quotiescunque expedierit per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, (invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis,) non obstantibus fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri Constit. in quibus cavetur, ne aliquis extrà suam Civitatem, & Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & cum illis ultrà unam dietam à fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur, seu ne Judices, & Conservatores à Sede deputati prædicti, extrà Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati fuerant, contrà quoscunque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere, sive aliquos ultrà unam dietam à fine Diœcesis eorundem trahere præsumant, seu quòd de aliis, quàm de manifestis injuriis, & violentiis, & aliis, quæ judicialem exigant pœnam in eos, &c. Et habetur in *Bullario* ejusdem Ordinis, edito per *P. Fratrem Stephanum Ususmaris* Genuens. *fol.76.*

7. Secundò, à *Sixto IV.* qui idem concessit omnibus quatuor Ordinibus Mendicantium, ut liquet in ejus mari magno, ibi, *& nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico per Universum Orbem, qui desuper per dictorum Ordinum Priores, Guardianos, & Fratres; ac illorum, seu ad commodum eorum Romanæ Ecclesiæ Syndicos, desuper fuerint requisiti, per Apostolica scripta in solidum mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios præmissa, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicantes, ac eisdem Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus; ac illorum Domibus, & Professoribus in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione, vel quasi, Privilegiorum, & Concessionum hujusmodi gaudere, non permittentes eos, seu testamentorum exequutores, & heredes prædictos, contrà illorum tenorem per Ordinarios, & Rectores prædictos, aut quoscunque alios, indebitè molestari, aut ejus gravamina, injurias, atque damna inferri, seu quomodolibet irrogari, ac etiam summariè, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, sola facti veritate inspecta, contra quoscunque, cujuscunque qualitatis, vel conditionis existant, & quacunque Ecclesiastica, etiam Patriarchali, Archiepiscopali, vel Episcopali, aut Mundana forent dignitate, & exemptione muniti, in quibuscunque causis per eos movendis quacunque ratione vel causa, quæ excogitari possit, eis ministrent justitiæ complementum, exequendo, quod per eos fuerit ordinatum, & illos, quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, ac faciant, & mandent, interdictos, suspensos, & excommunicatos publicè nunciari, et ab omnibus arctius evitari, ac legitimis super his habendis servatis processibus, illos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo (invocato ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii sæcularis,) non obstantibus Constitutionibus Bonifacii, quibus cavetur, &c.*

Prout meliùs est videre in *d. Bulla*, & habetur per extensum in eod. *Ususmaris, pag.160. litt.C.*

8. Tertiò, à *Pio V.* per *Bullam* incip. *ad nos Deus, &c.* quæ est in *Bullario Cherub.* inter *Bullas* hujus Pontificis, sub *num.41. pag.334.* ibi, *& ut Fratres, & Moniales à præmissis molestiis, & perturbationibus sublevati, quietiùs Altissimo famulari, & uberiores fructus quotidiè in agro Domini pro Christianæ Religionis defensione, & ampliatione, perferre possint, tam vos omnes, & singulos supradictos, quàm quascunque alias personas in dignitate Ecclesiastica ubilibet, & in quibusvis Mundi partibus constitutas, quoscunque locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales, nec non Canonicos Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum per eosdem Fratres, seu Moniales ac dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum Superiores, & Domorum Priores, ac eorum singulos pro tempore eligendos, in eorum, & dictorum eorundem Privilegiorum, Indultorum, Concessionum, & Gratiarum, & singulorum aliorum præmissorum Conservatores, & Judices unicos, qui quandiu dictum officium exercueritis, & ipsi exercuerint, à nemine quominus illud exerceatis, & exerceant, sub aliquo prætextu, ac sub excommunicationis, sive suspensionis à divinis latæ sententiæ, quam eo ipso incurrere volumus, & declaramus respectivè pœna impediri, vel molestari possitis, & possint, dicta authoritate deputamus, ita quòd vos, seu alii quicunque sic electi, sub excommunicationis, seu suspensionis latæ sententiæ pœna hujusmodi, quam statim, quòd munus, seu officium Conservatoris hujusmodi acceptare, & debitè, ac plenariè exequi neglexeritis, & neglexerint, absque alterius declarationis ministerio incurrere volumus, nec ab alio, quàm à nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice; præterquam in mortis articulo absolvi posse, eosdem Priores, Superiores, & Fratres, ac Moniales, etiam tertii habitus Oblatos, & alios præfatos, ac eorum singulis adversus inferentes, eis, aut eorum Procuratoribus, agentibus, servitoribus, & familiaribus in præmissis, & eorundem aliquo, molestias, sive perturbationes aliquas, seu injurias, gravamina, vel damna in personis rebus, & bonis, seu exigendo ab eis vectigalia, datia, pedagia, gabellas, collectas, aut alia onera defendere, præservare, ac omnem eorum jurisdictionem exercere. Nec non, sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas contrà rebelles, & inobedientes, cum effectu promulgare, ac omnibus facultatibus Conservatoribus dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, illiusque Fratribus, & personis per quascunque litteras Apostolicas, quomodolibet concessas, uti, ac Privilegia Superioribus, Prioribus, & Fratribus, ac Monialibus, præfatis pro tempore concessa eis observari facere debeatis, & debeant, &c.* ut ibi est videre, & primò per *Bullam*, quæ incipit, *etsi Mendicantium*, de quibus *Lezana 2.p. sum. cap.10. num.4.*

9. PP. Minores tam à *d. Sixto IV.* quàm ab aliis, de quibus latè *Castarub. in comp. Privil. Minorum, ver. conservator.*

10. Carmelitæ ab eodem *Sixto*, & ab aliis, de quibus *Lezana* cit. *loc.*

11. Minimi, seu Fratres de S. Francisco de Paula, idem valent ex *Bulla Clem. VII.* incip. *conquæstione, &c.* & ex *Mari magno* sibi concesso à *Jul. II.* incip. *dum ad sacrum Ordinem Minorum*, & ex *Bulla* sibi ab eodem Papa concessa, quæ incipit, *alias venerabilem Fratrem*, & habetur per extensum in *primo tom. Privil.* ejusdem Ordinis, collect. per *Laurent. Peyrin.*

12. PP. Societatis Jesu habent hoc à *Pio V.* & à *Greg. XIII.* ut constat ex ejus *Bulla*, incip. *æquum reputamus*, ut in *comp.* dictæ Societatis, & habetur per extensum in *Bull. Cherub.* & est prima inter *Constitutiones* hujus Papæ, & in *2.p. Bull. Rodriquez*, inter *Bullas* ejusdem Pontif. 18. de qua multa loquitur idem *Rodr. tom.1. q.65. ar.2.*

13. Id-

13. Id ipsum habent omnes alii, ob mutuam Privilegiorum communicationem, de quibus latè dico *1. p. tract. de communicat. Privil. q. 3.*

14. Quod etiam procedit, & habet locum in omnibus aliis Religionibus, etsi non habeant Privilegium communicandi cum aliis; quia nominare Conservatorem secundùm dispositionem juris communis, competit omnibus Regularibus, *cap. final. de off. deleg. in 6.* & quod est de jure communi, nemini delegatur, prout advertit *Novar. in d. Lucer. Regul. ver. conservator.*

15. Verumtamen, hodiè prædicta Privilegia reperiuntur nimis restricta, & limitata, & quoad ea debet attendi, & observari *Decretum* Sacræ Congregat. *Concil. Trid.* editum jussu *Gregorii XIII.* quo declaravit, quòd Regulares omnes, in Civitatibus Italiæ existentes, sibi Conservatores eligerent, coram quibus convenirentur, ac semel electos, nonnisi in Capitulis Provincialibus mutarent, eorumque nomina intra mensem à die electionis, Episcopis Locorum Ordinariis indicarent, alioquin coram ipsis Ordinariis conveniri possint.

Quod per extensum refert *Consect. in summar. Privil. Ordinis Mendican.* sub tit. 4. *de conservat. cap. 9. fol. 303. Stephan. Quarant. in sum. Bull. ver. Privilegia Regul. in fin. pag.* mihi 407. *Rodr. tom. 1 q 65. ar. 5. & Leo* in suo *Thes. for. Eccles. p. 2. cap. 18. num. 104.*

16. Nec non, *Constitutio Clem. VIII.* quæ incipit, *Sanctissimus Pater*, edita anno Domini 1592. qua revocat quascunque Conservatorum deputationes, à Sede Apostolica concessas; si illi non habeant requisita, descripta in *extravag. 2. Bonifacii VIII. de rescriptis, in 6.* & quascunque Conservatorum electiones in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, non factas juxtà *Decretum Conc. Trid.* non tamen quoad negotia cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ suum effectum sortitæ sunt, seu exequutionem habuerunt: & quòd Conservatoriæ de cætero à S. Sede Apostolica concedendæ, illis solummodo dirigantur, qui qualitates habeant contentas in *d. extravag. Bonifacii VIII.* quique in præfatis Conciliis electi sint, & ita judicari mandavit, & habetur in 3. *tom. Bull. Cherub. pag.* 3. & est tenoris sequentis.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Clemens divina providentia Papa VIII. ne ob malitiosam petentium suggestionem, & ex eo, quòd ob Locorum distantiam, personarum, quibus causæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi potest, per Judices aliquot minùs interdum idoneos, in Conservatores deputatos, causis ipsas cognosci contingat, cupiens salubriter providere, revocavit, & declaravit nullas, & invalidas, & surreptitias omnes, & quascunque Judicum deputationes in litteris conservatoriis, juxtà formam in quinterno Cancellariæ descriptam, seu alias quomodolibet expeditis hactenùs per Sedem Apostolicam, perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum concessas, & directas iis Conservatoribus, & Judicibus, qui qualitates non habent, requisitas, & descriptas in Constitutione fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris sui, quæ incipit, statutum, quique etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxtà Decretum Concilii Trid. electi, & designati non sunt ad instantiam quorumcunque Conventuum, Capitulorum, Militiarum, Universitatum, Collegiorum, Ordinum, ac in favorem quorumcunque Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum quorumvis Piorum tam sæcularium, quàm cujusvis Ordinis, aut Instituti Regularium Locorum, quantumvis exemptorum obtentas, cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis at e-statrvis derogatoriarum derogatoriis, efficacioribus, & insolitis Clausulis, & Decretis, quorum omnium tenores, Sanctitas sua haberi voluit pro expressis, non tamen quoad negotia jam cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ suum sunt sortitæ effectum, seu exequutionem habuerunt, ac etiam insuper voluit, & ordinavit, quòd omnes deinceps litteræ conservatoriæ hujusmodi per Sedem Apostolicam concedendæ ad Conservatores, & Judices dumtaxat dirigantur, qui qualitates juxtà dicti Bonifacii Constitutionem habeant, quique in præfatis Conciliis electi, & designati sint, & non aliis, aliter verò expeditæ litteræ præfatæ, nullius sint roboris, & momenti decernens, &c.

Et refert etiam per extensum *Barbosa p. 3. de officio, & potestate Episcopi, alleg. 106. num. 54.*

Insuper & *Constitutio Greg. XV.* quæ habetur in 4. *tom. Bull. Cherub. pag.* 80. sub hac forma verborum.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster D. Gregor. divina providentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus, & de voto venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, partim fel. rec. Clemens Papæ VIII. prædecessoris sui vestigiis inhærendo.

§. 1. *Revocavit, ac nullas, & invalidas declaravit omnes, & quascunque Judicum Conservatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim litterarum conservatoriarum, juxtà formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcunque Privilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum, Apostolica authoritate concessorum, seu alias quocunque jure, vel titulo hactenus factas pro quibuscunque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam Sancti Joa. Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis Piis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, Locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis cujusvis qualitatis, seu conditionis.*

§. 2. *In futurum verò Sanctitas sua hac generali, & perpetuò valitura Constitutione statuit, & decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis re. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit, prædicti, vel Personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, juxtà Decretum Concili, prædicti Judices electi, seu designati sint.*

§. 3. *Quodque deinceps litteræ conservatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantùm dirigantur, & si quæ litteræ aliter expedietur, illæ, ac deputationes hujusmodi, omniaq; exinde sequenda, nullius sint roboris, vel momenti.*

§. 4. *Et nihilominus, qui secùs, quàm juxtà formam superiùs præscriptam Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, & passiva sint ipso jure privati, adeò ut habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice consequi valeant, reliqui verò aliis pœnis arbitrio Sanctitatis suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conventus, Monasteria, ac Loca hujusmodi, eorumq; personæ, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causæ intereà coram Locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac diffiniri debeant.*

§. 5. *Cæterùm ut latiùs pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes Locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis, quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione ejusdem Bonifacii prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent, & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius Loci cum Consilio Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum.*

§. 6. *Insuper, Sanctitas sua inhærendo, hac in parte Decreto similis rec. Greg. Papæ XIII. etiam prædecessoris sui statuit, & ordinavit, ut Regulares, ac personæ hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Urbe præsentis Constitutionis inchoandos debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores, juxta formam superiùs positam.*

§. 7. *Ejusque electiois, seu assumptionis documentum, infra*

frà tempus hujusmodi pœnes acta Curia Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quandiu Conservatores, secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

§.8. *Quodque Conservatores hujusmodi semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut Locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoveri, aut mutari, nullatenus possint, aut valeant.*

§.9. *Adhæc statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares ac personæ suprascriptæ conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alii, Actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus Rei extiterint, neque extrà Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contrà quoscunque procedere præsumant.*

§.10. *Si qua verò inter Judices Conservatores hujusmodi, & Locorum Ordinarios controversia, super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros, in forma juris electos, super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.*

§.11. *Quòd si qui Conservatores, sive in hac parte, sive alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint, & pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Constitutionis ejusdem Bonifacii prædecessoris, quæ incipit, hac Constitutione, quam Sanctitas sua in omnibus, quæ præsenti Constitutioni non adversantur, innovavit, & innovat.*

§.12. *Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quominus Regulares, & alii supradicti in casibus in jure præmissis, petant Judicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus sæcularibus; dum tamen hæc tria copulativè concurrant; videlicet, ut Regulares, & alii prædicti sint actores, non autem rei, utque agant contrà Laicum, non autem contrà Ecclesiasticum, vel alias à jurisdictione sæculari exemptum, atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, & in ea, juxtà Sacrorum Canonum dispositionem Laicus, ut præfertur, eligendus, Judex competens existat.*

§.13. *Quæ omnia, & singula in præsenti Constitutione contenta, Sanctitas sua voluit inviolabiliter observari, decernens, sic in iis, cæterisque omnibus præmissis per quoscunque, &c. etiam Sacri Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, &c. sublata, &c. judicari, &c. nec non irritum, & inane, &c.*

§.14. *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, &c.* prout in *d.4. tom. Cherub.* meliùs est videre.

Sequitur dubium, super ista Constitutione exortum, cum sua Declaratione.

IN Constitutione de Conservatoribus, edita à San. mem. Greg. XV. ex sententia Sacræ Congregationis Concilii, inter cætera statutum est, ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem, aut trahi debeant, sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores, in causis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares, & alios à manifestis injuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur; dum à suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti, & frui impediuntur.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. interpretum censuit, hujusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis, ac violentiis, dummodò observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii Octavi, relatis in cap. 1. & final. de offic. deleg. in 6. Cosm. Card. de Torres. locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus Sac. Congreg. Secret. Et habetur per extensum in *dict. 4. tom. in calce Constit. Gregorii XV.* & in *libello* attitulato, *Bullæ, & Decreta recentiora, fol.* 12. & in prædicta *allegat. Barbosæ* 106. *in calce* præfatæ *Constitut.*

Quæst. 2. An hæc Constitutio Gregorii XV. afficiat Religionem Hierosolymitanam?

1. DE hac re Sacra Congregatio Eminent. Cardin. *Conc. Trid.* Interpretum consulta die 6. Februarii 1627. decrevit, *Constitutionem* prædictam, non afficere Religionem Hierosolymitanam; nisi quoad Judices Conservatores, eidemque Religioni adhuc jus eligendi Judices Conservatores competere.

Quod *Decretum* per specialem *Constitutionem*, quæ incipit, *exponi* confirmavit *Urb. VIII.* die 17. Februarii 1628. & inter *Bullas* hujus Pontificis 78. *tom.* 4. *Cherub. pag.* mihi 392.

2. Et ratio dubitandi esse potuit; tum quia, in §.1. dictæ *Constitutionis* revocantur omnes electiones Conservatorum, & invalidantur Conservatoriæ d. Militiæ S. Joan. Hierosolymitani; tum etiam, quia prædicta Religio, ex suis multis Privilegiis potest eligere Magistrum, Bajulivos, Castellanum Empostæ, Priores, Præceptores, Milites, Familiares, aliasque personas, sub modo tamen in eorum statutis præscripto, & forma in dictis Privilegiis contenta; ideoque necessum fuit, Sanctam Sedem consulere, & per eandem, ut suprà declarari.

3. Ex qua declaratione habes, quòd Equites Hierosolymitani, possunt eligere Judices Conservatores, in dignitate tamen Ecclesiastica constitutos, & in novissima Synodo inter Judices Synodales nominatos, & quod hujusmodi electi, munus recusare non possunt ex *Conservatoria* à *Pio IV.* pro eisdem edita die 1. Julii 1560. quæ incipit, *circumspecta*, teste *Novario in d. lucer. ver. conser. nu.* 6. *Gavant. in Manuali Epis. ver. eodem, num.* 14. & *Novar. in* 1. *p. sum. Bull. de conser. num.* 25.

Quæst. 3. Conservatoriæ Regularium, an sint à Conc. Trid. abrogatæ, vel in aliqua parte imminutæ?

1. NEgativè dic; immò potiùs reperiuntur confirmatæ, ut constat ex multis; Primò ex *cap.* 14. *Conc. Tridentini sess.* 7. *de reformat. in principio*, cujus *capit.* supponuntur conservatoriæ quorundam Religiosorum degentium extrà Monasterium, ibi, *quomodolibet exempti, etiam si certum Judicem* (intellige Conservatorem) *à Sede Apostolica deputatum in partibus habeant; in aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram Locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, &c.*

2. Secundò, constat ex *cap.* 5. *d. Trid. sess.* 14. *de reformat.* ubi, cùm magnam limitationem adhibuisset circà Conservatores, & eorum facultates, in fine tamen se declarat, non loqui de locis, aut personis Regularibus, ibi, *Universitates autem, Generales, ac Collegia Doctorum, seu Scholarium, & Regularia Loca, nec non Hospitalia actu Hospitalitatem servantia, ac Universitatum, Collegiorum, Locorum, & Hospitalium hujusmodi personæ in præsenti Canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.*

3. Tertiò; quia ita Sacra Congregatio Eminent. Cardin. multoties declaravit, etenim expungens *Decretum cap.* 20. *sess.* 24. *de reformat.* quatenus *ibi* dicitur, quòd

quòd omnes causæ ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, in prima instantia coram Ordinariis locorum, dumtaxat cognoscantur, dixit, quòd Conservatoriæ Regularium, & similium non sunt sublatæ à *Concilio*, nec imminutæ per *cap.20.sess.24.* etiam quòd causæ sint graves, & requirant plenariam cognitionem. Nec obstat *Bulla* 8. *Pii IV.* revocatoria dictorum Privilegiorum *Concilio* repugnantium, & refert per extensum *Cardinal. Bellarminus* inter *Declarationes Eminent. Cardinal. ad cap.5.sess.14. de reformat. ibidem Barbosa in remissionibus, num.3. & in collect. Bull. ver. conservator, & de officio, & potestate Episcopi allegat.*100 *num.*42. & *Peyr. tom.2. de Privil. in d.5. Constit. Greg. XV. num.*14.

4. Quintò; quia hoc supponit *Decretum* Sac. Congregat. editum jussu *Gregorii XIII.* suprà positum, quo declaravit, Regulares omnes in Civitatibus Italiæ existentes, debere sibi eligere Conservatores, coram quibus convenirentur, ergo Regulares ex vi *Sacri Conc. Trid.* poterant sibi eligere Conservatores, etenim prædictus Dominus Papa fuit vigilantissimus Custos *Concilii Trid.* ad cujus terminos reduxit Privilegia nobis concessa à *Pio V.* & alia confirmavit, cum illa clausula, *dummodò non sint contraria, vel adversentur Sacris Canonibus, & Decretis Conc. Trid.*

5. Quintò; quia ita sentiunt peritissimi *Doctores*, quos allegant, & sequuntur *Rodriq. tom.1. q.65. ar.12. In principio*, cum suo *compendio resolut.* 33. *Miranda tom.2. q.47. ar.3. conclus.1. in medio*, ubi expressè dicit, quòd in *Conc. Trid.* nihil reperitur innovatum contrà Conservatorias prædictas, *Peyr. & Barbosa* cit. *loc. & Lezana 2.p. cap.10. de Conservator. num.6.*

Quæst. 4. Conservator unde dicatur, quid sit, & quotuplex?

1. Conservator dicitur ab effectu, quem facit, hoc est à conservando, etenim ejus officium est, conservare ab injuriis, & violentiis personas sibi commissas; & earundem Privilegia; unde potest sic definiri.

2. Quòd sit Judex delegatus à Papa, datus ad tuendum aliquos contrà manifestas injurias, vel violentias, judiciali non utens indagine, *cap. statuimus 1. de offic. judic. delegat.* & docet *ibi Glossa in ver. conservatores*, ex eo, quia materia Conservatorum posita est *ibi*, & in *c. proximo, & cap. ultim. ejusd. tituli.*

3. Dicitur, Delegatus; quia Conservator non dicitur habere jurisdictionem ratione officii, sed jure Delegationis sibi factæ à Papa, prout dixi ubi suprà, quod dictum, intellige habere locum, ac procedere secundùm jus commune, secùs autem secundùm Privilegia, nam ex jure speciali Conservatores Judices possunt dici Religiosorum Ordinarii; tum quia ita expressè nominantur in dicta *Bulla Greg. XIII.* pro Jesuitis edita, ibi, *in suos possent assumere Conservatores, & Judices ordinarios*; tum etiam; quia in prædictis Privilegiis Regularium, conceditur eorum Conservatoribus facultas, ad subdelegandum suam authoritatem, ut constat ex dicta *Conservatoria* Societatis Jesu.

4. Ille autem, qui potest suam authoritatem subdelegare censetur Judex ordinarius, vel quasi ordinarius, prout docet *Glossa in d. cap. ultim. de off. deleg. ver. nulli, Barbosa in d. alleg.* 106 *nu.2 in fin. & Lezana in 2. par. cap.10. num.*25. tum item; quia sæpè sæpiùs dantur ad universitatem causarum, ut constat ex tot *Conservatoriis*, per diversos Pontifices Dominicanis concessis, & aliis.

5. Sed Judex datus ad universitatem causarum, censetur ordinarius, & maximè hodiè secundùm *Tridentinum ubi suprà, & Constitutionem Greg. XV. Navar. cons.3. de off. delegat. Navar. 1.p. summ. de Conservatoribus num.*11. *Moneta eod. tit. cap.1 num.11. & cap.7 num.40. & Barbosa* multis citatis *ubi suprà num.3.*

6 Hinc, non est necesse, quòd Conservatores in citationibus inserant litteras Conservatorias, sed sufficiet instar aliorum Judicum Ordinariorum, quod de eis constet in actis Notarii Curiæ Ordinarii, *Peyr. tom.2. Privil. Minim. in Const.5. Gregorii XV.* §.1. *num.2.* ubi ex multis notat, quòd is dicitur Judex datus ad universitatem causarum, cui sub uno universali verbo commissæ omnes, teste *Menoch lib.1. de arbitr. quæst.67. Passarell. in notab. Privil. notab.32. Sorbus in d. comp. ver. conservator. vers. sunt autem, Miranda tom.2. Manual. q.47. ar.1. & Confess. in comp.* sub *titulo de conservat. cap.7. ver. præterea*, ubi notat, quòd quamvis Conservator dicatur Judex Delegatus, nihilominus in multis differt à Delegato Domini Papæ.

Quæst. 5. Eligendi in Conservatores, quot conditiones, & qualitates debeant habere?

1. De jure communi, eligendi in Conservatores Regularium debent esse in dignitate Ecclesiastica constituti, ut expressè dicitur in *cap. statutum* 11. *de rescriptis in 6.* ibi, *sancimus igitur, ut nullis, nisi dignitatem prædictis aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ authoritate litterarum Sedis Apostolicæ, de cætero committantur*, & in *cap. final. de off. & potestate judic. deleg. in 6.* ibi, *ut Conservatores de cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes.*

Id ipsum habetur in *cap.10. Conc. Trid. sess.25. de reformat.* ubi sub hac forma verborum renovatur dictum *cap. statutum.*

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum negotii, quibus causæ mandantur, usque adeò haberi non potest, hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis, causæ in partibus delegantur, statuit Sancta Synodus, in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant, juxtà Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, statutum, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur; & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Diœcesanam Synodum, ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut suprà qualificatas, quibus hujusmodi causæ, à quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam à Sede Apostolica committantur, &c.

2. Nec non in *d. Constit. Greg. XV.* ubi additur, quòd eligendi in Conservatores, nedum debent habere supradictas qualitates, præscriptas in *Constit. Bonifacii VIII.* verùm etiam debent actu esse Judices Synodales, ut in §.2. est videre.

3. Per quæ omnia benè vides, quòd hodiè duo copulativè requiruntur, ad hoc, ut quis eligi possit in Conservatorem. Primò, quòd sit in aliqua dignitate Ecclesiastica constitutus. Secundò, quòd sit Judex Synodalis, electus in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis, adeò, ut una prædictarum qualitatum deficiente, non valeat actus; quia defectus formæ invalidat actum, prout expressè habetur in *cap. cùm dilecta* 22. §. *cùm enim, de rescriptis, & in cap. prudentiam* 21. *de off. deleg. ver. irritum* & expressè dicitur in *d.* §.2. *d. Constitutionis Greg.* & forma, nec quidem in minimo lædi potest; quia indivisibilis, per ea multa, quæ dicta sunt suprà.

Quæst. 6.

Quæst. 6. Si quis dimisit dignitatem, an possit constitui Judex Synodalis, & Conservator fieri?

1. NEgativè dic; quia eligendus in Conservatorem, vel in Judicem Synodalem, juxtà *d. cap. statutum, de rescriptis in 6. & d. cap. 10. Conc. Trid. sess. 25. de reformat.* debet actu esse in dignitate constitutus, & patet ex eo; quia qualitas adjecta verbo, probari debet ad tempus verbi, ut dicitur in *l. Titius 26. & ibi Bartol. de militari testam. & Paulus in l. in delictis 4. §. 1.* ubi *Bald. ff. de noxalib.* Rota apud *Cardin. Cavaler. decis. 96. & decis. 231. num. 1.*

2. Sed *d. cap. statutum, & Trid.* cit. *loc.* loquuntur de præsenti, ut videre est in illis; ergo, & docent *Massobrius de Synodo Diœcesana cap. 4. dub. 13. Peyr. tom. 2. Privil. Minimum in d. 5. Constit. Greg. XV. n. 20. Gratianus forensium disceptat. p. 5. c. 976. n. 14. D. Episcopus Maranta p. 4. controver. resp. 42 num. 40. & Lezana P. 2. cap. 10. num. 50.*

3. Hinc infertur, quòd si quis tempore electionis sit in dignitate constitutus, & actu non reperiatur nominatus Judex Synodalis, adhuc nequit eligi in Conservatorem, etsi secùs fiat, talis electio erit invalida, ex defectu formæ non habitæ tempore commissionis causæ prout latè probat *D. Maranta 4. p. contr. resp. 43.* ubi in facti contingentia multa adunat, & ex illis demonstrat, quòd non sufficit, fuisse inter Judices Synodales, ad hoc, ut quis fiat Religiosorum Conservator, sed quòd actu inter eos in novissima Synodo, reperiatur nominatus.

4. Quod extende ad eum, qui tempore electionis prædictæ non est in dignitate Ecclesiastica constitutus, & mox post deputationem in Conservatorem, supervenit ei talis dignitas; quia dignitas superveniens, ob prædicta, non validat electionem hujusmodi, *Novar.* multis citatis *in sum. Bull.* sub *tit. de conser. nu. 6.* & dixi hic suprà *in fin.* suprapolita *Gregoriana.*

5. Benè verum est, quòd si is, qui dignitatem dimisit, antequam dimitteret, aliquam causam cæpisset; post dimissionem posset eam prosequi, & terminare; quia sufficit ab initio fuisse capacem, prout declaravit Sacra Congregatio die 21. Maii 1587. & refert idem *Peyr. ubi suprà, & Barbosa in remissionibus, & declarat ad d. cap. Conc. Trid.* num. 1. & magis amplè in *collect. Doctorum d. cap. num. 17. & 18.* ubi ex multis ostendit qualitatem desideratam in Delegato Summi Pontificis, debere inhærere personæ, tempore commissionis causæ, etsi postmodum cessaverit.

Quæst. 7. Dignitas, Personatus, & Officium, quid sint, & an differant?

1. GLossa *in cap. 1. de consuet. in 6.* respondet, quòd jura aliquando utuntur his vocabulis promiscuè, ac indifferenter, ut in *cap. cùm accessissent. de Constit.* in antiq. ubi Primiceriatus, in *principio* illius *cap.* vocatur personatus, in *fin.* verò *cap.* appellatur officium, & sic *ibi* confunduntur; tamen propriè ista tria differunt; quia Dignitas Ecclesiastica est administratio rerum Ecclesiasticarum, cum jurisdictione in foro externo; quod procedit etiam in spiritualibus causis, *Sylvest. ver. dignitas num. 1.*

2. Hinc, ille dicitur habere dignitatem, qui habet administrationem cum jurisdictioee in foro contentioso, sicut Abbas, qui habet administrationem rerum sui Monasterii, *cap. edocen, de rescriptis*, in antiq. & jurisdictionem in Monachos, prout in *cap. 1. de off. deleg.* item Prior Conventualis, item ille, qui præest alicui corpori, qui habet jurisdictionem in personas illius, ut in *l. final. de mod. omn. judic.*

3. Personatus autem est quædam prærogativa sine jurisdictione, ut habere stallum honorificum in Choro, in Capitulo, in Optionibus, in Processionibus, in Vocibus dandis, & similibus.

4. Officium verò est administratio rerum Ecclesiasticarum, sine jurisdictione, ut Sacrista, Procurator, Castaldi, & consimiles, qui administrant bona Monasterii sine jurisdictione, *Glos. & Syl. ubi suprà*, & docent *Doctores in cap. de multa, de probat. & cap. sibi 1. q. 2. Rodr. tom. 1. q. 13. ar. 18. & q. 23. ar. 9. Confect. in compend* sub *tit. de conser. cap. 5.* ubi notat, quod sub nomine, & appellatione dignitatis, nedum comprehenduntur illi, qui dignitates majores obtinent, quæ Pontificales nuncupantur, ut Episcopi, Abbates, & eorum Superiores, ut Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, sed etiam Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum Archidiaconi, Archipresbyteri, Præpositi, & denique omnes qui aliquo nomine, seu titulo in earum Ecclesiis, quod dignitatem sonet, decorati existunt, aut qui ex consuetudine pro personis in dignitate constitutis reputantur, nam ubi talis consuetudo viget, pro dignitate haberi debet, licet illa dignitas, rerum Ecclesiasticarum administratione, & jurisdictione careat, cùm in his plus consuetudo, quàm jus commune attendatur, *Syl. ubi suprà*, *Rota Rom. decis. 173.* in novis. *Marcell. Vulpes* in d. sua *praxi Judiciali fori Eccles. cap. 12. num. 5. & Lezana p. 2. cap. 10. num. 10. & 13.*

Quæst. 8. Conservatotes, quidnam possint de jure communi?

1. COnservatorum potestas secundùm jus commune in hoc consistit, ut illos, quibus sunt deputati, defendant à manifestis injuriis, & violentiis, nec ad alia, quæ judicialem exigunt indaginem, suam possunt extendere potestatem, prout expressè deciditur in *cap. 1. & ultim. de off. & potestate jud. deleg. in 6.*

2. Injuria, ut à definitione incipiam, latè sumpta, dicitur omne illud, quod non jure fit, ut ipsum nomen sonat; etenim ly, *in*, est particula privativa; & docet *Joann. Andr. in d. c. 1.*

Et potest fieri tribus modis, re scilicet, verbis, & litteris.

3. Re fit, quoties manus infertur, Verbis fit per convitium, Litteris verò, cum quis librum, vel libellum famosum, carmen, aut historiam ad infamiam alicujus pertinentem scribit, componit, edit, mandat, dictat, aut publicat, *Hostien. in sum. tit. de injur. & Prosper. Farin. 3. p. praxis crim. q. 105. inspect. 1. nu. 1.*

4. Violentia verò, est injuria quædam cum vi, & impetu, personis, vel rebus facta, & potest esse quintuplex.

5. Prima dicitur ablativa, quando per vim aliquid aufertur.

6. Secunda dicitur expulsiva, quando per vim quis de possessione ejicitur.

7. Tertia est compulsiva, quando per metum quis compellitur facere aliquid, quod sponte alias non erat facturus.

8. Quarta dicitur turbativa, cùm possessor in sua possessione turbatur.

9. Quinta dicitur inquietativa, cùm quis non sinit alium uti sua pace, & quiete.

De quibus latè *Menoch. in prælud. de recuper. possess. à num. 38. Cardin. Tusch. ver. vis, & violentia, concl. 214. & Peyr. tom. 2. Privil. in 5. Constit. Greg. XV. num. 37.*

10. Injuria manifesta illa dicitur, quæ nulla potest probabili tergiversatione celari, *cap. ex parte, de verb. signific. & cap. ultim. de cohabit. Cler. & Mulier.* & docet *Glos. in d. c. 1. de off. Jud. Deleg. in 6. ver. Conservatores* quandoquidem illud dicitur manifestum, quod per facti evidentiam ita notorium est, ut examinatione non indigeat, vel si indigeat, potest tamen probari clarè, & certitudinaliter per multos testes, & ita, quòd negari non possit, *Tusch. ver. manifestum, conclus. 71. num. 7. Joan. Monach. in d. cap. 1. de off. Jud. Deleg. Rodr. tom. 1 q. 65. ar. 11. Miranda tom. 2.*

tom.2.Manual.q.47.ar.7.concluſ.1.& egomet dico ſuprà in *tract.13.de exempt. Religioſ.q.47.*ubi latè habes,quid ſit notorium crimen, & quot Perſonæ requirantur ad faciendum notorium facti,& quomodò probandum.

11. Pro quibus manifeſtis injuriis,& violentiis Conſervatores poſſunt procedere contrà omnes, prout conſtat ex multis.Primò ex verbis *d.cap.1. & ultim. de officio Jud. Deleg.in 6.* ubi Dominus Papa loquitur de injuriis indefinitè,hoc eſt à quibuſvis illatis.

12. Secundò, *cap.cùm ſit generale 8. de foro competenti,* ibi, *quoniam Judices in exhibenda juſtitia perſonis eſt Eccleſiaſticis ſæpè in judicio ſunt remiſſi,in favorem Eccleſiæ introductum,ut malefactores ſuos,qui Sacrilegi ſunt cenſendi,venerabilium locorum Rectores poſſint ſub quo maluerint Judice convenire,* hæc *ibi,* ex quibus vides , quòd hæ cauſæ ſpectant etiam ad Judicem Eccleſiaſticum, ut notat *ibid. Gloſ.*& habetur magis expreſsè in *cap.conqueſtus 16.ejuſdem tit.*

13. Tertiò ; quia ita ſæpè deciſum teſtantur *Lopez cap. per veſtras,§.ſed pulchra dubitatio,num.3.de donat.int.vir. & uxor.Salzedo in pract.crim.p.3.* & in facti contingentia, *Rodr.tom.1.q.65.ar.11.& Miranda in Manual. tom. 2. q.47.ar.7 concluſ.3.*

14. Quartò,quia ita noviſſimè Sacra Congregat. declaravit,& habetur ad calcem *dict. Conſtitutionis,* quam extenſam habes hic ſuprà *q.* 1.

15. Quintò,quia ex hoc non defraudatur,nec uſurpatur Regia Juriſdictio ; tum quia hæc crimina ſunt mixti fori,ut dicitur in *d.cap.cum ſit generale,*tum etiam;quia ita expreſsè dicitur in *l.58.tit.6.p.1.& l.4.tit.18.ead.partit.* & magis expreſsè in quadam *lege Regia tit.53.lib.1 ord.* cujus verba præciſa ponit *Rodr. & Miranda ubi ſuprà;*ergo.

16. Amplia, nedum pro injuria illata , ſed etiam inferenda,ut ſi quis ſit paratus inferre injuriam his, quorum eſt Conſervator,poterit A. Conſervator prohibere excommunicare,punire,prout habetur in *cap.ſacro, de ſent. excom.*

17. Pro commiſſa verò injuria poterit compellere delinquentem per diſtrictionem Eccleſiaſticam , vel etiam brachium ſæculare invocando,ſi opus fuerit,juxtà diſpoſitionem *c.1.de off ordin* & docet *Gloſſa in d. c.1. de officio deleg.in 6.* hoc eſt,ad exequutionem ſuæ ſententiæ poteſt Conſervator,familiam Sæcularis poteſtatis, vel Epiſcopi petere.

18. Et quamvis hujuſmodi Conſervatores ſtando in jure communi,non poſſint cognoſcere de iis, quæ requirunt cauſæ cognitionem, & teſtium examinationem , ut conſtat ex *dict.cap.1.de off.deleg.in 6.*ibi,*nec ad alia,quæ judicialem indaginem exigunt.*

19. Habent tamen illam in notoriis injuriis, & manifeſtis,ad inveſtigandum,utrum ad ſuam ſpectent juriſdictionem,*Syl.Tab.Rodr.Miranda* cit.*loc.Peyr. tom.2. Privil.in d.5.Conſtit. Gregor. num. 40. & Barboſ.* poſt ſuum *collect.allegat.106.num.18.*

20. Et moventur ex multis;Primò; quia ita illud *cap.* expoſuit *Innoc.*qui & illius auctor fuit, explicando enim verba illa, *nec ad alia,*ait,*præterquam in notoriis ; quia in notoriis benè habebunt indaginem,& num.6.in fin.*ait, *expone ergo ſic literam ; quia non habebit indaginem judicialem,*ſupple, in non notoriis.

21. Secundò ; quia conceſſa juriſdictione , cenſentur conceſſa omnia illa,ſine quibus illa juriſdictio non poteſt expleri,ut conſtat ex *l.2.ff de juriſdict.omn.jud.*Sed Conſervatoribus conceſſa eſt juriſdictio in notoriis,quàm exercere non poſſunt ; niſi citent,& citatos examinent, & contumaces puniant in expenſis.

22. Tertiò; quia ubicunque juriſdictio competit alicui reſpectu certæ qualitatis , debet ante omnia eidem de illa qualitate conſtare,*Bartol.in l.multum intereſt , num.2. & 5.ff. de condit.& demonſtrat.Vant.de nullit.tit. ex defectu juriſdict.ordin.num.* 107. & eſt communis.

23. Sed Conſervatoribus de jure communi,ubi [illegible] conceditur facultas defendendi in notoriis , ergo po[illegible]runt teſtes examinare ſuper notorietate, ad hoc, [illegible]gnoſcant, an illa ad ſuam juriſdictionem ſpectent, [illegible] eorum officium fieret inutile : poſſet enim unuſ[illegible] dicere,ſuum delictum non eſſe notorium.

24. Ex quibus plura colligunt ; Primò, Conſerva[illegible]rem poſſe ſummariè examinare de qualitate injuriæ, [illegible] clarè de ea appareat,& ſuper ea probationes recipere, [illegible] ut ſi inveniet illam notoriam,procedat, alias ſe inco[illegible]tentem pronunciet,ut docet *Gloſ.in dict.cap.1.in ver. Conſervatores ;* quia Conſervator non habet poteſtatem [illegible]fendendi injuriam ſimplicem , ſed qualificatam , [illegible] notoriam,cui adhæret, *Ricc.p.2.deciſ.257.num.* 11. & [illegible] *deciſ.191.num.*8.

25. Secundò, non poſſe ſe intromittere in his , [illegible] ſunt occulta,& dubia,quin det in Pœnas *d. cap. ultim de offic.Jud.Deleg.in 6.*

26. Tertiò,quòd ſi delictum eſt notorium, & [illegible]tur, quis illud patraverit, poteſt Conſervator proc[illegible] per Inquiſitionem generalem , non autem ſpeci[illegible], *Gloſ.in caſu d.cap.1.*

27. Quartò,quòd Conſervator debet vocare Reum, qui ſi confiteatur factum, benè quidem : ſi neget , ſuper notorio probationes recipiat,ut dictum eſt ; ſi vero confiteatur factum,licet dicat,ſe ſuo jure feciſſe,debe[illegible] probationes recipere ſuper offenſa notoria, ad quod facit *cap.bona,de elect.* alias facilè eſſet,eludere Co[illegible]ris officium,*Sylv.ver.conſer.num.3.dict.3.* ubi addit,q[illegible]d in caſu quo Reus confiteatur delictum , ſed neget [illegible] eſſe notorium: Conſervator debet procedere ad ſent[illegible]tiam contrà ſic confitentem , licet neget qualitate[illegible] notoriam;quia per ejus confeſſionem factum eſt noto[illegible] juris,prout habetur in *cap.veſtra,*juncta *Gloſſa ver.non difitetur, & cap.final.de cohabit.Cler.& Mulier.Miranda cit. loc.ar.8.concluſ.2.& Barboſa ubi ſuprà,num.*21.qui ad [illegible]xim multa adunat.

28. Quintò,quòd in ſupradictis caſibus Conſerv[illegible] habet procedere civiliter tantùm, hoc eſt, ad eorum pr[illegible]vatam utilitatem,ut conſtat ex *d.cap.1.& ultim.de off. Jud. deleg.in 6.* non autem criminaliter ; quia non h[illegible]b[illegible] cognoſcere principaliter de crimine, nec ad publicam u[illegible]tatem : etenim,punire delicta ad publicam utilitat[illegible] Judices ordinarios ſpectat , *cap.placuit 6.q 3.* nec[illegible], per ea,quæ notat *Navar.in rubric.de Judic.à num.32. Farin.in 3.p.prax.crim.q.100.Moneta de conſervat.cap.7.q.1. num.*208.& alii,quos refert,& ſequitur *Peyr.in d.5.Conſtit.Greg.XV.num.* 43.

29. Sextò, quòd pro prædictis cauſis , etiam c[illegible] procedendo,poterit Conſervator cenſuris uti,brachium ſæculare invocare, & alia neceſſaria ad effectum reſtitutionis,& ſatisfactionis peragere,ut conſtat ex *cap.ſane 2. ſecondo,de off.Jud. Deleg.* & ſupponitur in *cap. auctoritate, de Privil.in 6.* etenim,ut dictum eſt,conceſſa alicui [illegible] juriſdictione,cenſentur eidem illa omnia conceſſa, [illegible] quibus illa juriſdictio nequit expleri , & additur, [illegible] fruſtrà datur juriſdictio , quæ non eſt cum coa[illegible]juncta, prout notant *Peyr.* cit. *loc. & Lezana in d.cap.10. num.* 32.

Quæſt.9. Conſervatores, quidnam valeant de jure Privilegiorum?

1. CONſervatores, attentis Privilegiis Regularium, reſpectu eorum , quos habent tueri , & conſer[illegible] , ſunt Judices Ordinarii,ut habetur clarè in *Conſervator* [illegible] pro Jeſuitis, edita à *Gregorio XIII. in* §.2. dixi hic ſup[illegible] *quæſt.4.*

2. Secundò, poſſunt cognoſcere de omnibus c[illegible], tam manifeſtis,quàm non manifeſtis , ut in *Bulla* [illegible]

VII.

VII. pro Minimis relata, ibi, *ne permuttatis, eosdem super libertatibus, Privilegiis, Indultis, & bonis prædictis, ab eisdem vel quibuslibet aliis indebitè molestari, vel eis gravamina, vel damna, seu injurias irrogari, aut coràm quibuscunque Judicibus, Ordinariis, vel Delegatis, etiam Apostolicis, quâvis occasione vel causâ, etiam criminali, eosdem Fratres trahi, &c.*

3. Item in *Bulla Pii V.* pro Dominicanis edita, ut suprà, ibi, *adversus inferentes eis molestias, sive perturbationes alienas, seu injurias, gravamina, vel damna in personis, rebus & bonis, &c.*

4. Item in *d. bulla Gregorii XIII.* pro Jesuitis, ibi, *de quibuslibet molestiis, nunc præsentibus & futuris, &c.* ut dictum est suprà.

5. Ex quibus *Farin. 2. p. decis. 616. num. 3. & 4. Peyr.* cit. *loc. num.* 33. colligunt, Conservatores posse cognoscere de omnibus causis, tam manifestis, quàm non manifestis, tàm civilibus, quàm criminalibus, seu mixtis, tàm in eis, in quibus Rei, quàm in quibus Actores Regulares sunt, sine judiciali indagine, vel cum illa, ut causa requireret, intrà, vel extrà Diœcesim, ut patet ex dictis Privilegiis.

6. Verumtamen hodie in terminis *d. Constitut. Greg. XV. de Conservat.* & juxtà *Decretum* Sacræ Congregat. suprà positum, solùm possunt cognoscere de illis, in quibus Regulares sunt Rei, & non Actores? & in his, in quibus fuerint Actores, quoad injurias tantùm manifestas & violentias notorias, secundùm formam *cap. fin. de off. & potestate Jud. deleg. in 6.* & non aliter, nec alio modo.

7. Tertiò, possunt Conservatores Ordinum, Apostatas, & se ab obedientia subtrahentes, censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis, ad Religionem revocare; prout expressè habetur in *Conservat. Clem. VII.* pro Minimis; quod etiam hodiè stat in suo robore, quoad istam partem ex quo in *d. Constit. Greg. XV. & Decreto* Sac. Congregat. *de conservat.* de hoc nihil dicitur, nec adversatur *Decretis Concil. Trid.* & notat *Peyr. in d. 5. Constit. Gregorii, in 2. p. Privil. num.* 48.

8. Quartò, possunt subsequi articulum ab aliis inchoatum, & patet ex §. 5. *dict. Conservat. Clem. VII.* editæ pro Minimis, quod item hodiè stat in suo robore, si Regulares, elapso quinquennio vellent alium sibi eligere Conservatorem, qui haberet conditiones, hac *Constit.* requisitas, ut *loco defuncti, &c.* ex quo de hoc in *in d. Constit. Gregor.* nihil apparet, *Peyr.* cit. *loc.*

9. Quintò, possunt citare per edictum, ubi tutus non patet accessus, ad personaliter citandum, ut constat ex prædict. *Conser. Clem. VII. §. 3. & Greg.* pro Jesuitis §. 3. quod etiam censeo remanere in suo robore, cùm de hoc nihil dicatur in *d. Constit. Greg. XV.*

10. Sextò, Regulares possunt suos Conservatores eligere, etiamsi non sint in Civitatibus, in quibus deputati sunt Conservatores, ut liquet in *d. constit. Clem. VII. in* §. 2. *& Greg. XIII.* §. 3. sed hoc hodie vacat.

11. Septimò possunt Conservatores ex vi nostrorum Privilegiorum, etiam trahere ad suum Tribunal, seu judicium, personas existentes extrà Civitates & Diœcesim, in quibus deputati sunt Conservatores, dummodò non trahant ultrà tres dietas, id est, sexaginta milliaria, ut patet ex dictis *constit. Clem. VII. & Gregor. XIII.* quod etiam hodie vacat, & est expressè abrogatum, ut infrà dico, cætera verò, quæ possent prodesse, vide in suis *locis.*

Quæst. 10. *Regulares, stando in jure communi, an possint pro injuriis manifestis, coràm Conservatore Reos trahere?*

1. Affirmativè dic, & colligitur ex illis verbis *cap. ultimi, de off. & potest. jud. deleg. in 6.* ibi, *Conservatores non præsumant trahere ultrà unam dietam*: ergò à contrario sensu, intrà illam possunt trahere, prout advertunt *Scribentes in d. cap.* ubi notant, quod verbum *trahere*, proprium est Actoris, ad judicium Reum trahentis, & constat clarè ex verbis ejusdem *cap.* ibi, *alios convenire aut trahere non possint*; & quamvis hæc vera sint, nihilominùs Conservator in his causis debet priùs pronunciare, delictum esse notorium, aliàs sententia sua, quæ necessariò debet fundari super notorio, esset nulla, *Tuschus vers. Conservat conclus.* 760. cui subscribit *Peyrin ubi suprà.*

2. Neque his obstat §. 9. *d. Constitutionis Gregorii XV.* prout Sacra Congregatio authenticè declaravit, & habetur in *calce, & fine d. Gregoriana,* per extensum suprà positæ.

Quæst. 11. *Conservatores de jure communi, an possint se intromittere in causis civilibus, & procedere contra Religiosorum debitores?*

1. Prætermissis aliorum placitis, *Ludov. Miranda tom.* 2. *Manual. Prelat. q. 47. ar. 7. conclus. 5. Moneta de conservat. cap. 7. q. 6. num. 343. Laur. Peyr tom. 2. Privil. Minim. in constit. 5. Greg. XV. §. 6. num. 50. Barbosa 3. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 106. Diana 3. p. tract. 1. de immunit. Eccles. resolut. 20. Alphon. de Leon. de cens. recoll. 4. ver. conservat. pag. 301. col. 1. Cespedes tract. de exempt. Regul. cap. 22. num. 8. dub. 4.* & alii plures respondent ad quæsitum negativè, ducunturque ex multis.

2. Primò ex *cap. 1. & final. de off. & potestate Jud. deleg. in 6.* ubi Judicibus Conservatoribus tantummodò conceditur, ut de manifestis injuriis & violentiis possint cognoscere, *ibique* dicitur, quod *ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam non possint extendere potestatem.* Sed processus ex causa civili, necessariò exigit judicialem indaginem, ut constat ex praxi, & docent ex multis *Fuschus de visit. lib. 2. cap. 23. num. 5. & Campanilis in diversorio juris Canonici, rubrica 12. cap. 13.*

3. Secundò ex *cap. 5. Concilii Trid. sess. 14. de reformat.* ibi, *in civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem, ei apud suos Conservatores Iudices, in judicium trahere minimè liceat,* quæ verba, quamvis *ibidem* referantur ad personas singulares stantes extra claustra: verumtamen hodie ex dispositione dictæ *constit. Greg. XV. de Conservat.* extenduntur, & censentur extenta ad pia loca, & Religiosos degentes intra claustra, & constat ex illis *verbis* §. 9. ibi, *alios convenire, aut trahere non possint, ità ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, & alii actores fuerint, nullam prorsùs jurisdictionem habeant.* hæc *ibi.*

4. Tertiò, Cum Sacra Congregatio decrevit, *non esse per hac verba sublatam facultatem, quam habebant Conservatores defendendi Regulares à manifestis injuriis & violentiis, &c.* ne cogamur fateri contraria, & ne dicatur, *Glossam* esse contrariam *textui*, est cum distinctione dicendum, *Gregorium* in sua *Constitutione* solùm negasse Conservatoribus facultatem procedendi in hujusmodi causis civilibus debitorum, quando Regulares sunt actores, non autem in aliis causis criminalibus, quæ pullulant à manifestis violentiis.

5. Confirmatur ex *cap. cùm sit, de foro compet.* quia est juri consonum, quo statuitur, ut actor sequatur forum rei, *cap. si Clericus, eod. tit. & l. 2. C. de jur. omn. judic.*

6. Hinc Debitores nolentes solvere debita Monasteriis, Virisque Religiosis, non possunt per Regulares cogi ad comparendum coràm Conservatore; quia non exindè dicuntur, eisdem injuriam atque violentiam inferre, quandoquidem in suprà citatis *juribus de officio, & potestate jud. deleg. in 6.* injuria non sumitur largè, hoc est, pro omni illo, quod est contra jus, & damnum causat

Monasteriis, sed strictè ac specificè, pro injuria scilicet, quæ fuit violentia, contumelia, aut convicium, sive aliqua alia offensa eisdem illata, nam rescriptorum verba accipienda sunt strictè, propriè, & specificè, prout expressè dicitur in *cap. Rodulphus, de rescriptis*, & docet *Gutierrez pract. quæst. lib. 3. q. 9. & Miranda* cit. loc.

7. Nec nobis objicies privilegia, in quibus se fundant *Rodr. to. 1. q. 65. ar. 12.* cum suo *compendio, resolut. 33. de conservat. Joan. de la Crux de statu Relig. lib. 2. c. 10. dub. 5. conclus. 2. Portell. in dub. Regul. ver. conser.* quia hæc ex dicta *Const. Greg. XV. de conser.* quoad hoc, de quo agitur, censentur limitata, restricta, & abrogata.

Quæst. 12. *Regulares pro debitis civilibus, an possint conveniri coràm suis Conservatoribus?*

1. HÆc quæstio est gravissima, circà quam non conveniunt *Ioan. de la Crux de stat. Relig. lib. 2. cap. 10. dub. 5. Gutierrez lib. 2. quæstionum Canonicarum, quæst. 10. Rodr. tom. 1. q. 65. ar. 13.* cum suo *comp. resolut. 33. num. 26. conclus. 6. & Ludov. Miranda tom. 2. q. 47. ar.* 10. quibus favent *Doctores* non pauci.

2. Tu autem distingue tempora, & concordabis opiniones; de jure enim communi Regulares pro debitis civilibus debent conveniri coràm suis Prælatis, non autem coràm suis Conservatoribus, & moveor ex multis.

3. Primò, ex decisis hic suprà in *tract. de exempt. Regularium*, ubi dictum est, quod Prælati Regularium sunt ipsorum Judices Ordinarii, & ordinariam super illos exercent jurisdictionem, & unusquisque conveniendus est coràm suo Ordinario.

4. Secundò, ex *c. 1. & final. de off. & potest. jud. deleg. in 6.* ubi expressè dicitur, quod Judices Conservatores non possunt cognoscere, nisi de manifestis injurris, & violentiis, nec suam potestatem extendere ad alia, quæ judicialem requirunt indaginem; sed causa civilis exigit indaginem, & non venit appellatione injuriarum, ergò.

5. Confirmatur, Conservatores ex dd. juribus non possunt se intromittere in causa dubia, sed tantùm in manifestis: at causa debitorum Regularium, multis modis potest fieri dubia ob plures exceptiones, quas possunt in judicio Rei Regulares proponere.

6. Tertiò, quia quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *de Regul. jur. in 6. Regul. 61.*

7. Sed Conservatores conceduntur à Sancta Sede, ad favorem Religiosorum, nempè, ut eos, eorumque Privilegia defendant; ergò non debent in ipsorum odium retorqueri, aliàs non Conservatores, sed Judices deberent appellari: etenim aliud est servare, & aliud judicare.

8. De novo jure *Conc. Trid.* Regulares sunt conveniendi, juxtà dispositionem *cap. 14. sess. 7. de Refor.* hoc est, si degant extra claustra, conveniendi sunt coràm Judice Conservatore, si illum habent, secùs, conveniendi sunt coràm Locorum Ordinariis, tanquàm in hoc à S. Sede delegatis: verùm Regulares stantes intra septa, conveniendi forent coràm suis Prælatis, qui sunt ipsorum Judices Ordinarii, ut fuse dixi in *tract. de exemptione, q. 47.*

9. Attamen post *Tridentinum* Regulares, qui carent Conservatore, conveniuntur coràm Ordinario Loci, etiamsi sint commorantes intrà septa, verùm non privativè quoad Judices Regulares suprà positos, & constat clarè ex *Decreto* Sac. Congreg. jussu *Greg. XIII.* edito suprà posito, cui inhæret *d. Constit. Greg. XV. de Conser.* §. 6. quo statuit & decrevit, ut Regulares, infrà certum tempus debeant eligere sibi Conservatores, secundùm formam *ibidem* præscriptam, alioquin termino elapso, quandiu Conservatores non elegerint, coràm Ordinariis conveniantur.

10 Et ratio impulsiva potuit esse; quoniam Judices Regulares in exhibenda justitia creditoribus, solent interdùm in judicio esse remissi, ut loquitur *textus cap. cum sit generale, de foro competenti, Navar. com. 2 de Regul. num. 63. Ricc. p. 4. decis. 14. & 1. p. praxis decis.* 654 in 1. edit. & in 2. edit. *resolut.* 547. *Campanil. Rubric.* 12. *cap.* 13 *num. 29. Vulpes in praxi for. Jud. cap. 42. num 23. Cespedes cap. 22. dub* 17. *Novar.* in sua *Luc Reg ver. causa & in tract. de Privil. Miser. person. in Privil 70. nu 6.* ... ex multis ostendit, quod Monasterium etiam in causa mercedum & miserabilium personarum, debet conveniri coràm suo Conservatore.

11. Non desinam tamen dicere, quod *Diana in summa, ver. Regularium Privilegia in reliquis, num. 11 in fin.*, cui inhæret *Cespedes ubi suprà, dub. 7. num.* 13. ait, quod Creditores ob debita particularia Regularium, debent sua jura dirigere coràm Prælato Regulari, non autem coràm Conservatore, ibi, *& idem de debitis civilibus Domus Religiosæ, minimè verò particularium; quia hi habent suum Prælatum, cui omninò subditi sunt, & ab aliena jurisdictione penitùs exempti, dum tamen manent intra claustra.*

12. Verùm mihi videtur, quod tam prædictum *Decretum* Sac. Congregat. editum jussu *Greg. XIII.* quàm præfata *Constit. Greg. XV.* afficit Religiosos, etiam particulares de Collegio, tum quia verba §. 6. diriguntur ad Regulares in communi, & in particulari, ibi *ut Regulares ac personæ hujusmodi, &c.* tum etiam, quia ejus ratio non militat, nam etiam Collegia, seu Religiosæ Communitates habent Judicem Prælatum, cui immediatè subsunt, & censentur exemptæ ab aliena jurisdictione.

13. Nihilominùs in multis casibus subjiciuntur Episcopis Locorum, & tenentur Conservatores eligere, ad hoc, ut coràm illis in causis civilibus conveniantur; secùs elapso præfixo tempore conveniuntur coràm Loci Ordinario; non obstante, quod sint exemptæ, & Judicem immediatum habeant; tum item, quia ubi lex non limitat, nec nos limitare debemus; etenim indefinitè loquitur, & sic universaliter debet intelligi; tum denique, quia non loquitur privativè quoad Prælatos Regulares, sed creditoribus optionem facit.

Quæst. 13. *Observatores Regularium, an possint procedere contra detinentes eorundem animalia, ex quo damnum fecerunt in agris alienis?*

1. AFfirmativè dic, si detentio sit injustè lata, utputà, quia nullum damnum intulerunt, vel si intulerunt, parati sunt satisfacere, dantes sufficientem cautionem; quia in tali casu fit eis gravis, & notoria injuria, tam in sua exemptione, quam in bonis injustè detentis, quorum defensio & protectio spectat ad suum Judicem Conservatorem; ut constat ex *Conservatoria, à Pio V.* pro Dominicanis edita, quæ incipit, *ad hoc nos Deus*, de qua hic suprà *q.* 1. ibi, *adversus inferentes eis molestias, perturbationes aliquas, seu injurias, gravamina, vel damna in personis, rebus, & bonis, seu exigendo ab eis Vectigalia, Datia, Pedagia, Gabellas, Collectas aut alia onera defendere, &c.*

2. Quod itē pariter reperitur in aliis *Conservatoriis* cæterorum Ordinū, quæ quidem *Conservatoriæ*, quoad hoc non obversantur *Decretis Conc. Trid.* nec censentur abrogatæ: immò potiùs videntur approbatæ in *dict. Constitut. Gregorii* XV. prout Sacra Congregat. declaravit, & habetur in *Calce* dictæ *Gregorianæ.*

3. Per quam *Declarationem* Conservatores possunt, debentque procedere ad defensionem quorumcunque bonorum mobilium, seu immobilium, jurium, seu possessionum Regularium, sibi ad defensionem commissorum.

4. Nec his obstat dicere, quod hæc Animalia non sunt res Ecclesiasticæ, sed Sæculares, & quod ob id possunt

sunt à Judice laico detineri, sine injuria Regularium, si inveniantur in pascuis alienis damnum inferre; quia satis est, quod sint in dominio Regularium, & quod ad eorum Ecclesias spectant, ad hoc, ut sint immunia & exempta ab omni laicali jurisdictione, ex *c. cùm sit generale, de for. compet.* & docet *Gutierrez lib. 1. quæst. Canon. q. 4. Rodr. tom. 1. q. q. 65. ar. 14.* ubi refert, in facti contingentia ita fuisse decisum in Curia laicali, *Hier. Rodr. in comp. resolut. 33. num. 15. Ludov. Miranda tom. 2. Manual. q. 47. ar. 11. Portell. ver. conservat. nu. 9. Diana 3. p. tract. 1. resolut. 20. in fin. & in summ. ver. Regularium Privilegia in reliquis num. 11. Novar. 2. par. sum. Bull. de conservat. nu. 11. & Lezan. 2. par. cap. 10. eod. tit. num. 67.* ubi pariter refert, ita Sacr. Congregationem declarasse die 1. Junii 1635.

5. Non desunt tamen multi & graves *DD.* tenentes contrarium, dicuntque difficile esse in foro, primam nostram opinionem practicari, ut post *Lucam de Penna, Afflict. Campagn. Salzed. Bonadill. Carleval.* & alios probat *D. Reg. Rovit. in pragmatic. 1. de offic. bajuli, nu. 12. D. Reg. Tapia lib. 1. juris Regni, in cap. item statuimus de Episcop. & Cleric. nu. 16.* & plenè *Viscont.* in suis *conclusionibus, in ver. Custos animalium Clericorum, fol. 45.*

Quæst. 14. Conservatores an possint cognoscere de injuriis factis Servitoribus Religiosorum?

1. Rodr. tom. 1. q. 65. ar. 17. Portell. in dub. ver. conser. num. 10. & Lezan. 2. p. cap. 10. num 65.* respondent affirmativè; dummodò tamen Monasteriis actu serviant, & intra septa morentur, habitum deferant, & sub eorum obedientia vivant, quod videtur probari ex *cap. 11. Trid. sess. 24. de reformat.* & hæc copulativè requiruntur, ex declaratione Sacræ Congregat. prout *ibidem* refert *Bellarmin. in ver. observat doctrina, in fin. Alphons. de Leone de censur. recollect. 2 num. 476.* & ratio videtur, quia Servitores hujusmodi per prædicta copulativè habita, censentur, saltem largè loquendo de numero Regularium degentium intra septa.

2. Nec nocent *Conservatoriæ*; per quas Conservatoribus fit facultas procedendi absque prædictis requisitis, adversùs inferentes injurias Regularium, Procuratoribus, Agentibus, Servitoribus, & Familiaribus, ut in supradicta *Conservatoria* à *Pio V.* edita pro Dominicanis, & à *Gregorio* XIII. pro Jesuitis; quia tam per supradictum *Decretum Conc. Trid.* quàm per dictam *Conservatoriam Greg.* XV. censentur limitatæ.

3. Negativam tamen sententiam probant latè tradita & decisa per S.C. apud *D. Reg. Sanfelic decis. 1.* vide illum, & non pigebit, & *Bonacin. tom. 3. de censuris, disp. 16. punct. 3. num. 7. & 8.*

Quæst. 15. Conservatores, an valeant cognoscere de injuriis factis corundem Oblatis, si degant extrà Claustra?

Decisio hujus quæstionis pendet ex illa, an hi Oblati degentes in sæculo, sint personæ Ecclesiasticæ, ac Religiosæ, quæ nimis controvertitur, inter *DD.* & est decidenda secundùm ea, quæ dico in *p. 4. tract. 13. q. 7. de oblatis, & q. 19. & tract. 16. de sororibus in sæculo, q. 3.*

Quæst. 16. Conservator, an possit petere ab Ordinario remissionem Regularis delinquentis extra claustra?

1. Ricc. post allegatos, *p. 2. decis. 257.* respondet negativè: quia Conservator non habet judicialem indaginem, nec ad dubia, suam potest extendere potestatem; sed tantùm ad manifestas injurias, & notorias violentias, ut expresè dicitur in *cap. 1. & fin. de off. jud. deleg. in 6.* secùs dat in pœnas contentas in *d. cap. final.* & ratio potest esse; quia *Conservatoriæ* sunt odiosæ; per eas namque restringitur potestas Ordinariorum, qui legitimam habent, & ordinariam potestatem cognoscendi de omnibus causis, *cap. irrefragabili, de off. ordinar. & cap. 5. Conc. Trid sess. 14. de reformat.* Odia autem, juxtà vulgatam Regulam, non sunt amplianda extrà casus expressos.

2. Hinc optimo jure dictum est, quod Conservatorum potestas adeò est limitata, ut nec de consensu partium, ultrà prædictos casus possit prorogari.

3. Nec putes, quod ex illa Generali Clausula, in Privilegiis apposita, nempè *in quibuscunque causis*, ampliatur *Conservatoria*, sed restringitur ad Clausulam, pro manifestis injuriis & violentiis, ne à jure communi recedatur, *Gutierrez lib. 3. pract. qq. q. 9. nu. 17.* & in propriis terminis fuisse practicatum in amplissima *Conservatoria* Fratrum Prædicatorum, de visu testatur *Valasc. consult. 152. num. 8. & 9.* cui favet *Ricc.* cit. *loc. num. 8. & 3. p. decis. 191. num. 5. & collect. 899. p. 4. in fin.*

4. In illa namque fit facultas Conservatoribus cognoscendi de quibuscunque, nempè civilibus, criminalibus & mixtis: *dummodò* subnectunt, *sint injuriæ, seu violentiæ manifestæ. Glos. in d. c.* 1. in positione *cas.* ibi *videlicet, ut possent cognoscere de injuriis & aliis*, quam allegat & sequitur *Barbosa allegation. 106. num. 40. in fin.* ne fortè & veriùs cogaris dicere, quod hodie tam ampla potestas Conservatoribus in Privilegiis concessa, per dict. *Gregorianam* sit limitata, & ad terminos juris communis redacta.

Quæst. 17. Conservator Regularium, an possit ad se avocare causam incæptam coràm Ordinario, antequàm esset eorundem Conservator?

1. Negativè *Riccius in d. 3. p. decis. 191.* & constat ex decisis.

Quæst. 18. Conservator, an possit dare licentiam extrahendi quempiam à loco sacro, saltem in casibus privantibus immunitate?

1. Negativè; quia id ad solum Episcopum, vel ejus Officialem spectat; privativè quoad alios, ut constat ex *Constit. cùm alias Greg. XIV.* quam per extensum refert *Rodriq. tom. 2. q. 50. ar. 3.* ubi multa docet de praxi.

2. Benè verum, quod Conservator potest procedere adversùs eos, qui confugientes ad Ecclesias Regularium, violenter extrahunt; nam hi sunt ipso facto excommunicati per ea, quæ tradit *Rodr.* cit. *loc.* & faciunt violentiam & injuriam manifestam, *Erasm. Chokier de conservat. Eccles. p. 2. quæst. 31. & Peyr. tom. 3.* seu in *addition. ad Constit. Gregorii XV. cap. 11. num. 13.*

Quæst. 19. Conservator, an possit se intromittere in controversiis de præcedentia, quæ inter Regulares solent in Processionibus oriri?

1. Negativè; quia id per *cap. 13. Concil. Trid. sess. 25. de reformat.* ad solum Episcopum pertinet; privativè, quoad alios, ibi, *Episcopus amotâ omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat:* & ubi Concilium loquitur, silent Privilegia, *Novar. 2. p. sum. Bull. tit. de conser. num. 13. & Cesped. de exempt. cap. 22. dub. 5. num. 11.*

****

Quæst.

Quæſt. 20. Conſervator, an poſſit procedere contra Epiſcopos?

1. QUod Conſervatores poſſint procedere contra Epiſcopos, clarè conſtat ex *cap. ſanè 11. de off. & poteſtate jud deleg.* ibi, *ideoque ſi Epiſcopus, vel alia perſona, quæ non ſit de juriſdictione illius, in cauſa, quam ei delegamus, rebellis, & contumax fuerit, ſecundùm qualitatem facti poterit, vel interdicti, vel ſuſpenſionis ſententia, à Judice delegato compelli, ita, quod Iudex ſecundùm negotii qualitatem, temperatè procedens, Epiſcopo, vel ingreſſum Eccleſiæ, vel ſacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad juriſdictionem ſuam pertinet ſpecialiter interdicto ſupponat.* Et in *cap. Paſtoralis 28. eod. tit. §. quia verò ſæpè contingit*, ibi, *reſpondemus, quod cùm Ordinarius teneatur obſequi Delegato, &c.*

2. Nihilominùs Conſervator hoc caſu debet procedere cum magna modeſtia, & deferre dignitati Epiſcopali, ut expreſsè dicitur in *cap. quia Pontificali, 2. ejuſdem tit. in 6*, ibi, *ut cùm Judicibus, vel Conſervatoribus, à Sede Apoſtolica deputatis contra eos, ad coactiones aliquas, ſive pœnas fuerit procedendum, gradus & modeſtia in hujuſmodi proceſſu ſervetur, ita, quod eis (quâdam condignâ reverentiâ ſupportatis) ingreſſus primò ipſis Eccleſiæ, vel ſacerdotale interdicatur miniſterium, ac deindè ab officio ſuſpendantur; & ſubſequenter aggravetur cenſura Eccleſiaſtica contrà eos; niſi fortè aliter fieri ſuaſerit nimia contumaciæ protervitas, ſeu culpa*, hæc *ibi*, ubi *Gloſſa* in poſitione *caſus* dicit, quod ſi Delegatus primò proceſſerit ad excommunicationem, tenet excommunicatio; quia iſte *textus* loquitur de honeſtate; verumtamen poſſet eſſe tanta contumacia, quod Delegatus ritè inciperet ab excommunicatione, ut quia injurias, vel contumelioſa verba profert in Judicem, *cap. dilectus, de pœnis*, prout in *ver. aliter ead. Gloſ. Syl. ver. conſer. num. 4. q. 4. dicto ultim.* & multis allegatis *Barboſ. in d. allegat. 106. num. 37. Ludov. Miranda tom. 2. Manual. q. 47. ar. 8. concluſ. 5.* ait, quod *Epiſcopi non irrogant injuriam prædictis Conſervatoribus Judicibus pro eo, quod ab eiſdem poſtulent, ut oſtendant ſibi ſuas litteras, quin verò nec ſecundum jus, eiſdem tenentur impedire; niſi dum ab eis expoſtulantur, ſuarum litterarum oſtenſionem faciant, &c.* quod, meo videri, in illo tempore poterat habere locum, ſecùs hodie; quia ubi Regulares intimaverint Illuſtriſſimo loci Epiſcopo nominationem ſui Conſervatoris, juxtà *Decret.* Sac. Congregat. juſſu *Gregor. XIII.* editum, nec non depoſuerint electionis documentum penès acta Curiæ loci Ordinarii, juxtà diſpoſitionem *Conſtit. Gregorii XV. de conſervat.* malitioſè ageret Epiſcopus, petendo oſtenſionem litterarum; dum quod quærit, intus habet, fuitque ei notum ſemel, & bis, ex dimiſſione documenti prædicti.

3. *Eraſmus Chokier de exempt. p. 1. q. 39. num. 27.* advertit, quod Conſervatores poſſint pœnis cenſurarum cohibere Ordinarium excedentem juriſdictionem ſuam in Regulares, *cap. ſi Judex, de ſent. excom. in 6.* ubi addit, dictos exercentes juriſdictionem ſuam in exemptos, incurrere excommunicationem *Bullæ Cœnæ*, contra ſcienter uſurpantes, & turbantes juriſdictionem S. R. E. quod fuſiùs probat *p. 2. de conſervat. Eccleſ. q. 78. & p. 4. de exempt. q. 75.* ubi addit *num. 7.* quod non ſolùm incurrunt dictam excommunicationem *Bullæ Cœnæ* uſurpantes præfatam juriſdictionem, & eos defendentes, ſed etiam eos, qui eam ſecum uſurpari, & ſe coràm alio, quam Pontificali Judice, in jus trahi voluntariè patiuntur, cùm enim non trahantur inviti, conſilium, & favorem præſtare videntur; quod etiam docet *Navar. l. 1. conſil. 4. de Conſtit. num. 8. & Peyr. tom. 3.* ſeu in *addition ad Conſtit. Gregorii XV. cap. 16. num. 12.* & multis citatis *Novarr. 2. p. ſum. Bull. de conſervat. num. 1. & Alphonſ. de Leon. de cenſur. recoll. 4. ver. conſervat.* ubi dicit, & benè, quod practici Conſervatores, hoc caſu ſemper inhibent parti, & non ſe immiſcent cum Epiſcopis.

Quæſt. 21. Epiſcopus loci, an poſſit præcipere Conſervatoribus, ut utantur Notariis ſuæ Curiæ?

1. NEgativè dic; tùm quia Conſervator eſt Delegatus Papæ, *cap. 1. & cap. fin. de off. & poteſtate jud. deleg. in 6.* & in cauſis ſibi commiſſis, Papæ juriſdictione utitur; quo fit, ut ſit Superior Ordinariis, & quod ei in delegatis tenentur Ordinarii obedire, ut dicitur in *cap. paſtoralis, §. quia verò, eod. tit.* ſecùs autem poſſunt à Conſervatoribus compelli, prout clarè habetur in *d. c. ſanè 11. ejuſdem tit.* & conſtat ex decíſis.

2. Tùm etiam; quia Conſervatores ad ſui libitum poſſunt ſibi aſſumere Notarios, ut dicitur in *cap. quoniam 11. de probat.* ibi, *ſtatuimus, &c.* & in *cap. ſtatutum, de reſcriptis, in 6. §. Notarium.* Quibus accedunt famoſiſſimi *Doctores*, quos allegat & ſequitur *Peyr.* in ſuo *formul. lit. C. cap. 20. num. 3. Novar. 2. p. ſum. de conſervat. nu. 16. & Ceſped. tract. de exempt. Regul. cap. 22. dub. 6. num. 12.*

Quæſt. 22. Conſervator in cauſis Regularium, an poſſit procedere ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, & quid ſit iſte modu[s] procedendi?

1. AFfirmativè dic; ut conſtat ex tot Religioſoru[m] *Conſervatoriis*; quia quantùm ad hoc vigent, & non videntur limitatæ.

2. Quid autem ſit in cauſis Regularium procede[re] ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judici[i] *Clem. V.* & habetur in *Clem. ſæpè, de verborum ſignif.* ib[i] *ſancimus, ut Iudex, cui taliter cauſam committimus, neceſſ[a]riò libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtul[et] tempore etiam feriarum, ob neceſſitates hominum i[n] dultarum à jure, procedere valeat, amputet dilationum m[a]teriam, litem quantum poterit faciat breviorem, exceptio[nes] appellationes dilatorias, & fruſtratorias amputando, P[ar]tium, Advocatorum & Procuratorum contentiones, & j[ur]gia, teſtiumque ſuperfluam multitudinem refrenando; non tamen Judex litem abbreviet, quin probationes neceſſariæ defenſiones legitimæ admittantur, &c.*

3. Ex quibus colligitur, quod ſubſtantialia judicii queunt prætermitti, ceu ſunt, corpus delicti, defenſio neceſſariæ, citationes, pronunciationes, termini portuni, & authoritas in mandanre, *Gloſ. in d. Clem.* phanus *Quar, in ſum. Bullarum, ver. nullitas, Rodriq.* 1. *q. 65. ar. 18. Confect. in comp.* ſub *tit. de conſer. cap. 8.* tè *Ricciullus lucubrationum Eccleſiaſt. lib. 6. cap. 25.* tractat de actibus juriſdictionis factis in die feriato, *Marcell. Megal. in praxi Canon. cap. 9.* à *num. 12.*

Quæſt. 23. Conſervator Regularium, an poſſit ces ſuas aliis committere?

1. ET dico, quod Conſervator de jure communi poteſt ſubdelegare cauſas ad ſe ſpectantes, ut dicitur in *cap. final. de off. & poteſtate Jud. Deleg. in 6* *vices quoque ſuas (citationibus, & ſententiarum denu[ncia]tionibus dumtaxat exceptis, quas per alios, ut valeant cere) nulli committere poſſint; niſi hoc eis competierit neficio litterarum*, & docet *ibidem Gloſ. in caſu, & nulli*; quia forſitan videtur electa induſtria perſonæ

2. Tamen quia per litteras Conſervatorias id R[egu]laribus expreſsè conceditur, ut in *Conſervatoria* à *VII.* pro Minimis §. 2. ibi, *quatenus vos, vel duo, au[t] veſtrum, per vos, vel alium, ſive duos*, & in illa à P

&

& *Greg. XIII.* pro Jesuitis, & in aliis hujus generis: sunt qui dicunt, Conservatores secundùm Privilegia posse subdelegare: dummodò Subdelegatus habeat qualitates Delegantis, ut nempe sit in dignitate Ecclesiastica constitutus, juxtà *cap. statutum* 11. *de rescriptis*, & reperiatur nominatus inter Judices Synodales, secundùm *Trid. Sorb. in annot. ver. conser. num.* 3. *Rodr. tom.* 1. *q.* 65. *art.* 10. *Portell. in dub. eod. ver. num.* 10. *Peyr. tom.* 2. *in d. Constit.* 5. *Greg. XV. num.* 5. *Barbosa allegat.* 106. *num.* 4. & *Gavant. in Manuali Episcop. eod. ver. num.* 11.

3. Quæ quippè Privilegia censentur quoad hoc hodie esse restricta, prout constat ex verbis §. 2. ibi, *statuit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint*, (supple à Regularibus) *nisi, &c.* etenim illa verba diriguntur ad Regulares, qui tenentur eligere, sibique nominare Conservatores, juxtà dispositionem *d. Constitutionis*; & magis clarè ex ly *subrogati*, quandoquidem subrogare, teste *Calepino, eod. ver.* est in locum defuncti, alium instituere.

4. Hinc *Macerat. resolut.* 16. *num.* 7. *lib.* 1. *Petr. Gregor. in Syntagm. jur. cap.* 22. *num.* 27. & *Novar.* 1. *p. sum. Bull. tit. de conser. num.* 9. dixerunt, quòd ex hoc capite apertè arguitur, Conservatorem non posse Subconservatorem deputare.

5. Quibus accedit Declaratio Sac. Congregationis Episcop. & Regul. facta die 2. Decembris 1642. qua declaravit, non potuisse Conservatorem Patrum Cœlestinorum eligere pro sui absentia quendam Subconservatorem, quam Declarationem se vidisse testatur *Lezana in* 2. *p. sum. cap.* 10. *num.* 26.

6. Nec dices forsitan, dicti PP. non habebant *Conservatoriam* cum illa clausula *substituendi*; quia aut hanc clausulam, & conservatoriam habent omnes Monachi, aut communicant in Privil. cæterorum, ut sæpiùs dictum est.

7. Nec replices, quòd forsitan persona subdelegata non habebat qualitates in d. *Constit.* recensitas, quia hoc non potest præsumi; ex quo enim principalis ipse reperiebatur præfatorum Patrum Conservator, juxtà dispositionem dictæ *Gregorianæ*, præsumitur vir justus, prudens, & peritus, aliter nequaquam fuisset inter Synodales Judices deputatus, neque foret necessarium pro isthac præsumptione Sacram Congregationem adire; quandoquidem ex verbis §. 2. 3. & 4. dictæ *Constitut.* potuissent sibi satisfacere.

Quæst. 24. *Conservatores an possint exigere salarium pro sententia, quam ferunt?*

1. Negativè deciditur in *cap. statutum, in* §. *insuper, de rescriptis in* 6. ibi, *insuper, ut gratis, & cum omni puritate judicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quidquid aliud; nisi forsan esculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, &c.* quod renovatur in *cap. fin. de off. deleg. in* 6. ibi, *circa munera verò.* Quænam sint isthæc esculenta, & poculenta, docet *Menoch. de arbitr. cas.* 517. *num.* 9. & fusè dixi in *tract. de largit. muner.*

2. Quod dictum est verum, & habet locum, etiamsi adesset consuetudo in contrarium, nempè accipiendi sportulas pro judicio; quia in hoc eis jus resistit, & expressè vetatur in *cap. cùm ab omni* 11. *de vita, & honestat. Cleric.* ibi, *mandamus, quatenùs ab hujusmodi exactionibus de cætero abstineatis, vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri*; & in *d. cap. statutum*, cit. loc. adjuncta *Gloss. in ver. qualitercunque.*

3. Benè verum, quòd possunt à partibus recipere expensas, cùm extrà proprium domicilium coguntur exire, ut dicitur in *d.* §. *insuper.*

4. Assessores autem, & Notarii Conservatoris, possunt habere salaria moderata, juxtà tamen consuetudinem Diœcesis, hoc est, juxtà Pandectas Curiæ loci Ordinarii, ut dicitur in *d.* §. *insuper, & subseq.*

Quæst. 25. *Episcopus, an possit eligi in Conservatorem?*

1. Quòd Episcopi de speciali Jure Religiosorum possint eligi in eorundem Conservatores, non est dubitandum; quia ad illos diriguntur quàmplurimæ *Litteræ Conservatoriæ*, ut illæ *Pii V.* pro Dominicanis, *Clem. VII.* pro Minimis, & *Gregorii XIII.* pro Jesuitis, ubi expressè fit mentio de Episcopis, & Archi-Episcopis.

2. Sed quid dicendum de jure communi, quæsitum est? quod *Doctores* affirmativè resolvunt; tum quia ità expressè habetur in *cap. hac Constitutione*, 15. *de off. & potestate jud. deleg.* ibi, *nisi Episcopi, vel eorum Superiores*; tum etiam, quia juxtà decisionem *d. cap. & cap. statutum* 11. *de rescriptis, & cap.* 10. *Conc. Trid. sess.* 25. *de reformat.* Dignitates in Ecclesia Cathedrali obtinentes, possunt eligi in Conservatores, sed Episcopatus non solùm est dignitas, sed dignitatum culmen, & apex, *cap. innotuit, de elect. & cap. penult. de prebendis*, ergo.

3. Nec nocet dicta *Constitutio Gregoriana de Conservat.* qua sancitur, ut Conservatores deinceps eligendi à Regularibus, sint ex nominatis in novissima Synodo pro Judicibus Synodalibus, ut in §. 2. tum quia prædicta *Constitutio* est odiosa, ac proinde non extenditur ad Episcopos, juxtà vulgatam *Regulam Odia*; quandoquidem in odiosis *Constitutionibus* non comprehenduntur Episcopi, nisi in specie exprimantur, *Alphons. de Leon. de cens. recollect.* 4. *ver. Conser. fol.* 301. *col.* 1.

4. Tum etiam, quia ità Sacra Congregatio ad instantiam Carthusiensium declaravit die 23. Octobris, 1623. cujus authentica verba per extensum refert *Laur. Peyr. tom.* 3. *Privil.* seu *in additio. ad Constit. Gregor. XV. cap.* 11. *num.* 17 *in fin.* ubi testatur, se illam habuisse à *Massobrio*, qui de Conservatoribus multa scripsit, & aliam declarationem ab eadem S. C. factam sub die 2. Decembris 1642. se vidisse testatur *Lezana par.* 2. *de conser. cap.* 10. *num.* 11. & *Tambur. tom.* 5. *de jur. Abbat. disp.* 17. *q.* 1. *num.* 11.

5. Tum item, quia casus omissus in aliqua speciali *Constitutione* remanet in dispositione juris communis, cùm ergo in *d. Gregoriana* de Episcopis, & eorum Vicariis Generalibus nihil explicetur, recurrendum est ad jus commune, de quo dictum est suprà.

Quæst. 26. *Vicarii Generales Episcoporum, an possint eligi in Religiosorum Conservatores?*

1. De jure Privilegiorum, Vicarii Generales Episcoporum, absque ullo dubio possunt effici Regularium Judices Conservatores, cum ad illos dirigantur *Litteræ Conservatoriæ*, pro Dominicanis editæ à *Pio V.* ibi, *& quoscunque Locorum Ordinarios, ac eorum Vicarios, & Officiales*: & illæ *Clem. VII.* datæ pro Minimis, ibi, *nec non eorundem Archiepiscoporum, & Episcoporum Officialibus, seu Vicariis in spiritualibus Generalibus*, & illæ, pro Jesuitis, editæ à *Greg. XIII.* ibi *societas, & singula, &c.*

2. Verum, secundùm dispositionem juris communis sunt, qui ad quæsitum respondent negativè, de quibus *Syl. ver. dignitas, num.* 2 *in fine, Rodr. tom.* 1. *quæst.* 65. *art.* 3. *ver. ex his, & Barbosa p.* 3. *de off. & potestate Episcopi, allegat.* 106 *num.* 13. eo; quia in *d. c. fin. de jud. deleg. in* 6. statutum habetur, ut *Conservatores esse non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores aut Abbates, seu Dignitates, vel Personatus, in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes*, hæc *ibi*: in quibus cum nihil dicatur de Vicariis, non possunt ad Vicarios extendi; etenim Conservatorum jurisdictio

dictio est odiosa, per ipsam enim impeditur Ordinariorum potestas: ergo potiùs est restringenda, & limitanda, quàm amplianda, prout dicitur in *cap. quamvis, de prabendis.*

3. Confirmatur, nam cùm controversum sit, an Officialis Episcopi possit constitui Judex delegatus, ut habetur in *cap. statutum, de rescriptis in 6.* emanavit *Constitutio Clem. V.* quæ habetur in *Clem. etsi principalis, eod. tit. de rescriptis,* qua declaravit, Officialem prædictum esse posse Judicem Delegatum: dummodò non sit foraneus; & major difficultas versabatur in Judice Conservatore, cùm jus requirat, quòd ipse habeat dignitatem, vel personatum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, super quo casu magis dubio, cùm prædicta *Constitutio Clem. V.* nihil declaraverit, dicendum perinde videtur, quòd id reliquit sub dispositione juris communis, hoc est, quòd prædicti Episcoporum Officiales esse non possunt Judices Conservatores, prout docet *Gloss. in d. Clem. ver. deleg. in 1. opposit.* cujus sententiam multi sequuntur, quos contrà se refert *Barbosa ubi suprà.*

4. His tamen non obstantibus, *Miranda* post allegatos *tom. 2. Manual. q. 47. art. 2. conclus. 2. Ricc. in sua prax. resolut. 349. num. 2. in fin. Novar. 1. p. sum. Bull. tit. de conservat. num. 7. Chokier de jurisdict. ordin. in exempt. par. 1. q. 39. num. 4. Merolla tom. 3. disput. 7. cap. 6. de jurisdict. Vicarii, dub. 34. num. 303. Moneta de conservat. cap. 5. q. 5. num. 66. & Vulpes in praxi. cap. 10. num. 8.* respondent affirmativè, quia habens dignitatem in Ecclesia Cathedrali, potest esse Conservator, ut constat ex decisis; sed ità est Vicarius Generalis; etenim habet jurisdictionem rerum Ecclesiasticarum, *cap. Romana, de appellat. in 6.* & administrationem illarum in foro contentioso, *cap. petitio, ibique* docent *Doctores de Procuratoribus; & cap. in nova 16. q. 7.* ibi, *qui administrationibus associantur, & cap. causa,* ubi *Glossa in ver. habentibus, de restitut. in integrum:* ergo verè & propriè dicitur constitutus in Ecclesiastica dignitate, ut constat ex ejus diffinitione, quam habes hìc suprà.

5. Confirmatur, quia Episcopi, & prædicti Vicarii Generalis, est unum, & idem Tribunal, & Consistorium, ac proinde censetur habere dignitatem, quæ descendit ex dignitate Episcopi, jure connexionis.

6. Hinc idem est utriusque jus, ex *c. translato, de Constit.* ibi, *quod de uno connexorum statuitur, ad alterum connexorum extenditur,* ad quod facit illa generalis Regula, qua dicitur, quòd ubi est eadem ratio, ibi etiam debet esse idem jus, & quod de similibus simile est habendum judicium, juxtà *cap. ad ejus verò, d. 5. ver. si enim ea, & cap. denique d. 4. ver. ab omnibus quoque,* cum multis aliis, quæ refert *Gloss. in d. cap. translato, ver. quod de uno, & Ciarlinus cap. 20. num. 20. & 24.* ubi ex multis ostendit, quòd Vicarius Generalis dicitur verè Prælatus, ratione dignitatis, & jurisdictionis, quam habet, & docet *Barbosa in allegat. 54. num. 132. & 135.*

7. Confirmatur, si Vicarius Generalis potest esse Judex Delegatus à Papa, & esse Exequutor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Romana Curia, juxta *cap. statutum, de rescriptis in 6.* & habetur in *Clem. lib. 1. c. etsi principalis officialis, 2. de rescript.* prout ex multis ostendit *Barbosa allegat. 54. num. 132. & in collect. super cap. 10. Conc. Trid. sess. 25. de reformat. num. 3. & sequentibus,* cur non poterit esse Conservator? cùm hic nihil aliud sit, quàm Judex Delegatus à Domino Papa, ut constat ex suprà decisis *q. 1.*

8. His omnibus accedit *Declaratio* Eminent. Cardin. interpretum *Conc. Trid.* edita die 23. Octobris 1623. qua dixerunt, quòd Episcopi, & eorum Vicarii possunt esse Conservatores, etsi de eis nihil explicetur in *d. Constit. Gregoriana.*

Quæst. 27. Canonici Ecclesiæ Cathedralis de jure communi an possint esse Conservatores?

1. Riccius post multos allegatos in *praxi resolut. 149. & in collect. 899. p. 4.* respondet affirmativè; [...] quo Canonicatus est dignitas, prout patet ex multis, quæ refert idem *Ricc. 1. p. praxis decis. 105.* in 1. editione, & in secunda *resolut. 90.* & Canonici Ecclesiæ Cathedralis saltem largè veniunt appellatione dignitatis.

2. Sed oppositum, & de jure verius, multi tenent; dummodò non sint in aliqua dignitate constituti, *Rodr. tom. 1. q. 65. art. 2. Miranda tom. 2. Manual. q. 47. art. 2. conclus. 1. Peyr. tom. 2. Privil. in 5. Constit. Greg. num. 10. & Barbosa allegat. 106. num. 10.* & constat ex *d. cap. fin. de [...] deleg.* ubi dicitur, quòd *Conservatores de cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu Dignitates, vel Personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes;* quibus in verbis non nominantur Canonici; ergo si hi careant Personatu, aut Dignitate, nequeunt in Conservatores deputari.

3. Confirmatur, quia prædictum *cap.* loquitur per dictionem, *nisi,* quæ est cæterorum exclusiva; prout ex multis refert idem *Barbosa de dictionibus, dict. 184.*

4. Nec nocet *cap. statutum, de rescriptis in 6.* in quo nominantur Canonici Ecclesiarum Cathedralium; quia aut intelligitur limitatum per supradictum *cap. final. de off. jud. deleg.* ut vult *Barbosa in d. allegat. num. 9.* aut intelligendum venit de Exequutoribus Litterarum Apostolicarum tantùm, non autem de Conservatoribus, prout advertit *Gloss. in d. cap. final. in ver. obtinentes,* ubi ita præcisè loquitur; *ecce una differentia inter Delegatum, & Conservatorem; quia Delegatus potest esse Canonicus Eccl[...] Cathedralis, Conservator non; & in hoc Constitutio Alex[...]dri immutatur, qua id permittebat,* hæc *ille.*

5. Verumtamen, quidquid sit de jure communi, c[...]tissimum est, quòd secundùm Religiosorum Privile[...] possunt esse eorum Conservatores, prout expressè [...]betur in *Conservatoria* pro Minimis, edita à *Clem. VII[...]* bi, *quòdque vos Filii Canonici,* & in illa pro eisdem [...] ab *Innoc. VIII.* ibi, *ac Canonicis Ecclesiarum,* & illa [...] *II.* ibi, *etiam Canonicos;* quod pariter reperitur in [...] *servatoriis* cæterorum Ordinum, ubi etiam deroga[...] contrariis, & præcipuè in *Conservatoria* pro Jesuitis, [...]ta à *Gregorio XIII.*

6. Quæ quidem Privilegia, saltem quoad Cano[...]cos Ecclesiæ Cathedralis hodie vigent, & in *d. Grego[...]na* reperiuntur approbata, ut in ejus §. 2. ibi, *ita, ut [...] Dignitate Ecclesiastica præditi, vel Personatum obtine[...] vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant,* hæc [...] per quæ verba censetur renovatum *d. cap. statutum, de [...]scriptis, in 6.*

Quæst. 28. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ de [...] communi, an possint esse Conservatores?

1. Affirmativè *Riccius in 1. p. praxis decis. 637.* in 1. [...]ditio. & *resolut. 575.* in 2. editio. & *p. 4. [...] 899.* tum quia in Ecclesia Collegiata solent adesse Ca[...]nici obtinentes dignitatem; tum etiam, quia Colle[...] dicitur quoque obtinere in se dignitatem, *Seraph[...] cis. 22. p. 1.* tum item, quia in nonnullis æquipollen[...] nonicis Ecclesiæ Cathedralis, idem *Seraph. decis. [...] & 1226.*

2. Sed contrarium, & verius tenent *Marcus A[...] Genuens. in practicab. Eccles. q. 614. Moneta de Con[...] cap. 5. q. 9. num. 118. Peyr. tom. 2. Privil. in 5. Constit. [...] XV. num. 10. in fin. & num. 19. Barbosa allegat. 106. [...] & Lezana p. 2. sum. cap. 10. de Conserv. num. 16. & [...]*

3. Tum quia ità habetur in *d. cap. statutum, de resc[...]* ubi expressè nominantur Canonici Ecclesiarum C[...]

dral

dralium, non autem Canonici Ecclasiarum Collegiatarum, & in odiosis non fit extensio, ut *ibidem Glossa in ver. Canonicis*, quod *cap. statutum* fuit renovatum à *Trid. in cap. 10. sess. 25. de reformat.* & à *Clem. VIII. & Greg. XV. in d. Constitutione de conser.* tum etiam, quia ità declaravit Sacra Congregatio *Concilii*, cujus verba authentica refert *Massobrius de Synodo Diœcesana, cap. 4. dub. 10. num. 5. Peyr.* cit. *loc. num. 19. & Lezana p. 2. cap. 10. de conser. num. 54.*

4. Quod dictum intellige verum, etiamsi Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ sit Doctor, & in Ecclesia Cathedrali non extent Doctores, *Massobr. & Peyr. ubi suprà.*

5. Item, si Canonicus Collegiatæ sit peritior Canonico Ecclesiæ Cathedralis, *Genuens.* cit. *loc. num. 2.*

6. Neque his obstant Privilegia Religiosorum, per quæ licitum erat eligere in Conservatores Canonicos indifferenter, quia hodie vacant, quoad hoc, & censentur abrogata in *d. Constit. Clem. VIII. & Greg. XV.* ex quo adversantur *Decreto d. cap. Concilii Trid.*

Quæst. 29. *Priores Conventuales, Guardiani, & consimiles Officiales Ordinum Mendicantium, an possint eligi in eorum Conservatores?*

1. SYlv. *ver. dignitas, num. 1. in principio, & ver. deleg. num. 3. Rodr. tom. 1. q. 65. art. 3. ver. ex his, Miranda tom. 2. q. 47. art. 2. conclus. 3. Passarellus in Privil. not. 32. ver. tamen per Privilegium, Moneta de conservat. cap. 5. q. 2. num. 24. Peyr. tom. 2. Privil. in 5. Constit. Greg. num. 11.* & alii plures tenent, hujusmodi Priores posse eligi in Conservatores, tam de jure communi, quàm ex vi Privilegiorum; & ducuntur ex multis; Primò, quia hi verè, & propriè dicuntur in dignitate Ecclesiastica constituti; habent enim administrationem rerum sui Monasterii, cum jurisdictione, etiam in foro externo. Secundò, quia isti possunt esse Judices delegati, *Clem. 2. de rescriptis, cap. ess principalis*, ibi, *aut Religiosus Conventualem obtinentes Prioratum.* Tertiò, quia ità expressè habetur in *Conservatoria Clem. VII.* edita pro Minimis, quæ dirigitur Prioribus Conventualibus, *Tabiena ver. Conservator, §. 2. & in ver. dignitas, Sorb. in comp. ver. Conservator, & Capella Tholos. decis. 13.*

2. Nihilominùs hodie dicendum est ad quæsitum negativè, & moveor ex multis; Primò, quia jurisdictio debet esse perpetua, ad hoc, ut in ea constitutus, possit esse Judex Conservator, *Innocent. in cap. de multa, de præben.* & allegati per *Barbos. in d. allegat. 106. num. 9. in fin.* Secundò, quia exercitium litigiosæ Conservatoriæ repugnat paci, ac quieti Religiosorum. Tertiò, quia eligendi in Conservatores, debent esse personæ apti ad id, & electæ in Capitulis Provincialibus, vel Diœcesanis, ex *c. 10. Conc. Trid. sess. 25. de refor.* Quartò, quia ex dicta *Constit. Greg. XV. de conser.* duo copulativè requiruntur; ad hoc, ut quis eligi possit in Conservatorem, ut scilicet sit in dignitate Ecclesiastica constitutus, juxtà *Constitutionem Bonifacii VIII.* quæ incipit *statutum*, & quòd insimul reperiatur in novissima Synodo nominatus inter Judices Synodales, quorum neutrum dici potest de Mendicantibus. Quintò, quia ità Sacra Congregatio Eminent. Cardin. negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, Archiepiscopo Turritano interroganti, declaravit v. 3.

3. An Regulares unius Conventus, Monasterii, vel Domus, aliquem Priorem, seu Guardianum, vel quemvis alium, quavis dignitate Regulari fulgentem, in suum Conservatorem eligere, vel deputare possent.

Negativè respondit die 6. Octobris 1617. hoc est, non posse; quam quidem declarationem authenticè refert *Barbosa in d. allegat. 106. num. 15. & in collect. super d. cap. 10. Concil. Trid. sess. 25. de reform. num. 16. Gavant. in Manuali Episcop. ver. Conservatores, num. 7. Erasmus Chockier de jurisdict. ordinar. in exemptos p. 1. q. 39. & Lezana 2. par. summ. cap. 10. de conser. num. 14.* ubi notat, hanc eandem declarationem falsò referri ab eodem *Barbosa in collect. Bull. ver. Conservator*, & à *Novario in d. lucer. Regul. eod. ver. num. 4.* & à *Joan. Antonio Novar.* ejus Fratre, *p. 2. sum.* sub *tit. de conservat. num. 14.* quod credo esse factum errore Typographi.

4. Benè verum est, quòd Abbas Ordinis Olivetani potest eligi Conservator, si Episcopus in Synodo eum deputaverit, prout Sacra Congregatio Concilii declaravit die 2. Martii, 1619. & refert *Barbosa in ead. collect. Bull. ver. Conservator, Sellius in selectis Canonicis cap. 12. num. 4. Novar. in d. lucer. Regul.* sub *ver. eod. num. 5. & Lezana in* cit. *loc. num. 14. in fine.*

Quæst. 30. *An quis possit esse Conservator sui Conservatoris, aut Domini sui, sub cujus dominio, vel districtu consistit?*

1. NEgativè dic, exceptis tamen Conservatoribus datis Regibus, & Reginis; prout expressè dicitur in *d. cap. final. de off. & potestate jud. deleg. in 6.* ibi, *nec aliquis (Regibus, & Reginis exceptis) deinceps Conservatorem habeat eum, qui sub ipsius jurisdictione, dominio, vel districtu Ecclesiastico, vel temporali consistat.*

2. Hinc *Glossa d. cap. in ver. edita*, dicit, *quòd sicut eius, qui est mihi Conservator, Conservator esse non possum, ità nec ejus, cui sum subjectus, Ecclesiastica, vel temporali jurisdictione Conservator esse non possum; nam præsumitur, quòd sibi invicem faverent, & de facili à justitia deviarent.*

Quæst. 31. *Nominato uno conservatore, pro una causa, an possit pro eadem alius nominari?*

1. NAvar. *lib. 1. Consil. de off. jud. deleg. cons. 8.* in 1. editio. *Rodr. tom. 1. q. 65. art. 5. & Miranda tom. 2. Manual. q. 47. art. 5.* respondent negativè; & moventur ex multis. Primò, quia jurisdictio delegata non potest prorogari de persona ad personam, ut dicitur in *cap. P. & G. de off. deleg.* & patet ex eo, quia jurisdictio delegata, est jurisdictio delegantis, ut dicitur *in lege prima, § qui mandatū, ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio.* Unde ad ipsum delegantem, cujus est illa, pertinet eandem extendere, non verò ad partes; nec ad Judicem, quorum non est, juxtà *legem id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, de Regul. jur.* ergo semel nominata aliqua persona à Regularibus, pro exercendo munere, & officio Conservatoris, acceptaque jurisdictione, cùm jam ipsam immediatè habeat à Sede Apostolica, non possunt ipsi Fratres, quod factum est, alterare; nec pro eadem causa alium Conservatorem eligere, etiam ipso volente, & consentiente, nisi fortè aliqua legitima causa fuerit impeditus.

2. Secundò, ex *Decreto* Sac. Congregat. jussu *Greg. XIII.* edito, quo concessit omnibus Regularibus, in Italiæ partibus existentibus, ut Conservatores possent eligere, hac lege, & pacto, ut semel electos non mutarent; ut liquet in *Decreto* suprapposito.

3. Tertiò, ex dispositione *cap. cùm plures, de off. jud. deleg. in 6.* ubi *Bonif. VIII.* agendo de pluribus Judicibus, disjunctim, ad unam & eandem causam delegatis, sic præcisè loquitur: *Quòd uno eorum negotium inchoante commissum, alii nequibunt se ulteriùs intromittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel alia justa causa illum contingeret impediri, aut si nollet, vel malitiosè in eo procedere recusaret:* ergo ubi Conservator ritè electus, officium acceptavit, & jurisdictionem, & negotium cœpit exercere, non potest pro eadem causa alius à Fratribus deputari, *Joan. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. cap. 10. conclus. 4.*

Quæst. 32. Forma eligendi Conservatorem, quænam sit?

1. Laur. de Peyr. in suo *formulario litt. C. cap. 20.* ponit formam eligendi Conservatorem in aliqua Provincia, vel Conventu, quam transcribit *Novar. 2. p. sum. Bull. tit. de conser. num. 6.* illamque in substantia non dissimilem, ponit *Portell. in dub. Regul. ver. conser. in additio.* Tu verò, qui brevitati studes, hac utere, & non errabis.

NN. Salutem in Domino.

CUm inter cætera, à Sede Apostolica Religiosis concessa, hoc unum præcipuum sit, ut possint sibi eligere Judicem Conservatorem, qui eo ipso, quòd ab aliquo ipsorum electus sit, teneatur dictum officium acceptare, & exinde Apostolica authoritate, & jurisdictione reprimere, & compescere quamlibet personam prædictis Religiosis, eorumque Monasteriis, ac rebus, quamcunque vim, & molestiam inferentem, vel quovis modo illorum bonis vel Privilegiis præjudicantem; quo sanè beneficio,

Nos infrascripti PP. Monasterii N. frui peroptantes, in unum capitulariter congregati, ut juris, & moris est, hodie, quæ est 10. mensis Junii, 1650. harum serie, & præsentium tenore eligimus, deputamus, nominamus, & constituimus Conservatorem Privilegiorum hujus nostri Monasterii N. & omnium habitantium in eo per S. Sedem Apostolicam in ampla forma concessorum, Perillustrem, & Admodùm Rev. utriusque Juris Doctorem, Donnum A. Archidiaconum Cathedralis Ecclesiæ Cassanensis, ac Judicem Synodalem ejusdem Diœcesis, qui valeat pro defensione, tuitione, ac manutentione jurium, actionum, dicto Monasterio competentium, & competiturorum, procedere in forma validiore statuta per Sac. Canones, & Apostolicas sanctiones novissimè emanatas, transferentes eidem quantum in nobis est, & ad nos pertinet, plenam, & liberam facultatem, ac authoritatem similibus Conservatoribus de jure, vel de consuetudine competentem per quinquennium tantùm duraturam, in quorum fidem subscripsimus manu propria in Conventu Sancti Dominici Terræ Altimontis, die & anno, quo suprà.

Ego Frater N. Prior Conventus eligo, ut suprà.

Ego Frater N. Magister Sac. Theol. eligo, ut suprà. Et eodem modo cæteri se subscribant, ut suprà.

2. Et pro bona praxi in hac re observanda, adverte, quòd Prælati Regulares tenentur Episcopis locorum Ordinariis infrà mensem, à die electionis, nomina Conservatorum electorum indicare, eosque de tali electione certiores facere: alioquin coram ipsis Ordinariis conveniri poterunt, ex declaratione Sac. Congregationis, jussu *Greg. XIII.* facta, & relata suprà.

3. Nec nocet, quòd de hoc nihil sit dictum in *d. Constit. Greg. XV. de conser.* quia casus omissi ab isto Summo Pontifice, remanent in dispositione juris antiqui; quia à jure antiquo non recedendum, nisi corrigatur per novum.

4. Nec non prædicti Regulares, post electum Conservatorem, juxtà formam *dictæ Gregorianæ*, tenentur electionis documentum, seu instrumentum ponere penès acta Curiæ loci Ordinarii, ut dicitur in §. 5. *dictæ Constit.* quod factum censeo, ad occurrendum fraudibus, quæ circà hujusmodi electiones possent fieri, atque sciatur tempus electionis, & constet cunctis de authoritate Conservatorum; qui quidem Conservatores electi, ad omnem bonum finem solent instrumentum seu litteras suæ electionis in actis dictæ Curiæ præsentare, cum potestate relaxandi copiam, & originales litteras penès se habere, & Notarii Curiæ solent hoc tenore *Decretum* apponere; *Concordat cum suo proprio originali præsentato in hac Episcopali Curia Cassanensi, & restituto præsentati, ad finem, &c. & fuit dictum, quòd præsens nominatio conservetur in Archivio Episcopali, &c. & ità, &c. unde, &c. N. Actuarius.*

Quæst. 33. Si Regulares omittant ponere hujusmodi documentum in actis d. Curiæ, an ideò debeant conveniri coram loci Ordinario?

1. ET dico, quòd non, sed debent conveniri coram Conservatore, quia dimissio documenti electionis hujusmodi, non est de substantia electionis; forma enim electionis præscribitur in §. 2. *& 3. d. Constit.* ubi Summus Pontifex subnectit, *qui secùs, quàm juxtà formam superiùs præscriptam, &c.* in qua forma *ibidem* præscripta, nullum prorsus fit verbum de dimissione documenti electionis; quod magis constat ex illis verbis §. 4. *& 5.* ibi, *Regulares debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores, juxtà formam superiùs positam,* scilicet in §. 2. & subdit, *ejusque electionis, seu assumptionis documentum penès acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur.* hæc *ibi*: per quæ benè vides, quòd Summus Pontifex distinguit electionem Conservatoris, à demissione documenti electionis penès acta Curiæ, quod confirmat verbis subsequentibus, ibi, *alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur;* non dicit, quamdiu penès acta Curiæ documentum electionis non dimiserint, coram eisdem Ordinariis conveniantur, ut benè advertit *Cespedes tract. de exempt. Regul. cap. 22. dub. 3. num. 6.* ergo cùm in casu posito nullus error reperiatur in forma electionis, Regulares conveniendi sunt coram Conservatore sibi electo non autem coram Episcopo loci Ordinario.

Quæst. 34. Regulares an possint eligere sibi Conservatores contra alios Regulares, habentes pariter suos Conservatores?

1. ROdr. *tom. 1. q. 65. art. 15. Miranda tom. 2. Manu. Prælat. q. 47. art. 12. & Portell. in dub. ver. conser. num. 15.* respondent affirmativè; ut constat ex *Conservatoria* pro Minimis facta à *Clem. VII.* ubi dicitur, qu[od] licitum sit nobis eligere Conservatorem contrà qu[as]cunque personas Ecclesiasticas, tam Regulares, qu[àm] Sæculares; nec non laicos, communia Civitatum, Diœcesum, & magis amplè ex *Constit.* pro Jesuitis, ed[ita] à *Pio V. & Greg. XIII.* in quarum virtute Conservato[res] suam possunt exercere potestatem contra quoscunq[ue] & eos cogere per censuras, per edicta publica citare, si [ad eos] cedendi ad principales, tutus non sit accessus, & b[ra]chium sæculare petere, & laicalis potestatis uti fa[cultate] armata, & carceribus, & aliis juris & facti remediis [op]portunis, temerantium audaciam compescere, quod [in]tellige in casibus injuriæ manifestæ, & notoriæ viol[en]tiæ; secùs autem *Barbos. allegat. 106. num. 36.*

2. Nec dices, quòd Privilegiatus contra pariter [pri]vilegiatum suo non gaudet Privilegio, ex *auth. de san[ctis] Episcopis, § sed hoc præsenti,* & ex *l. verum, § ultim.* [&] suis *legibus* sequentibus, *ff. de Minoribus*: quia hoc [Ju]ristarum axioma est verum, quando fit mutuus con[cur]sus Privilegiorum practicè, & specificè in ea re, de [qua] agitur; fallit autem, quando unus est privilegiatus [a]ctu, & alter in potentia, prout fusè dico in *tract. 9. de vil. q. ultim.* ad quod facit juris *Regula 65.* qua dic[itur] quòd in pari delicto & causa, potior est conditio possidentis.

* * *
* *

Quæ-

Quaest. 35. Si Regulares diversarum Religionum sibi invicem notoriè injurias faciant, & pro injuriis illatis, ad suos Conservatores recurrant, ad effectum procedendi, quis eorum debeat in causa procedere?

1. RESpondeo, quòd in hoc casu locus erit præventioni, ut ille tantum procedat, qui prior fuit aditus, & præventus; *l. unica ff. de off. consul. cap. cum plures, de off. deleg. in 6.* juncta *Gloss. in ver. recusaret*, & docet *Cochkier. de conser. Eccles. q. 11. num. 5. & Peyr. in additio. ad d. Constit. Greg. XV.* Vel, ne mutuò se impediant, satiùs erit, Romam recurrere. *Mandos. de signat. grat. tit. Conservatoria, ver. an autem*, Aut procurare, ut Arbitri eligantur, qui quæstionem jurisdictionum decernant, *cap. pastoralis, & cap. cum contingat, de rescriptis*, & habetur expressè in §. 10. *d. Constit. Gregor.*

Quaest. 36. Conservatores, an sint eligendi à Regularibus in singulis Diœcesibus, in quibus extant eorum Monasteria, vel extrà?

1. RESpondeo, quòd Regulares debent eligere Conservatores in singulis Diœcesibus, in quibus Monasteria, seu Domos habent, prout Sacra Congregatio Eminent. Cardinal. Concilii interpretum declaravit in una Rossanens. die 15. Aprilis 1628. & in alia Lancianens. de anno 1633. sub die 29. Januarii, teste *Barbosa in collect. Bull. ver. conservat. & Novar.* in sua *luc. Regul. eod. ver. num. 3.*

2. Hinc, Conservatores à Regularibus nominati non possunt procedere extrà Civitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, ut expressè habetur in §. 9. *dicta Gregoriana*, & declarat *Peyr. in d. Constit. Greg. XV. tom. 2. de Privil. num. 57. & num. 79. Novar. 2. p. sum. Bull. tit. de conservat. num. 5. & Lezana 2. par. sum. cap. 10. num. 64.*

3. Quod est juri consonum, & æquitas suadet; ne scilicet graventur partes in personis, & expensis; prout fusè ex multis ostendit *Rodriq. tom. 1. q. 65. ar. 8.*

4. Quapropter, si unum, & idem Monasterium habeat bona in diversis Diœcesibus, non ob id debet eligere Conservatores in unaquaque Diœcesi, sed Conservatorem tenetur deputare in Civitate, vel Diœcesi, ubi situm est Monasterium, atque ibi tantum, & non alibi posse eumdem Conservatorem procedere; etiam in causis bonorum, & membrorum ejusdem Monasterii, extrà ipsam Diœcesim existentium; prout eadem Sacra Congregatio declaravit, anno Domini 1623. die verò 23. Octobris, quam declarationem per extensum refert *Peyr. in additam ad d. Constit. Greg. XV. cap. 11. num. 17.*

5. Nec his nocet *cap. fin. de off. deleg.* in quo statuitur, ut Conservatores extrà Civitates, sive Diœceses, in quibus fuerant deputati, procedere non possent, nec Reos ad judicium trahere ultrà unam dietam, à fine Diœcesium eorundem; quia per *prædictam Gregorianam*, quoad hoc censetur limitatum: nam prædicta *Constitutio Greg. XV.* simpliciter loquitur, ut Conservatores non possint trahere extrà Diœcesim, vel Civitatem, in qua fuerint deputati; nec mentionem facit de dieta, *Novar. 1. p. sum. Bull. de conser. num. 16.*

6. Neque obstant tot Regularium Privilegia, per quæ disponitur, ut eorundem Conservatores, extrà locum in quo sunt, possint Reos trahere, infrà tres dietas, de quibus fusè *Rodr. cit. loc. art. 7. & Lacrux de stat. Relig. lib. 2. de Conser. dub. 3.* quia hæc, quoad hoc vacant, & censentur limitata.

Quaest. 37. An prædicta decisio afficiat Episcopos?

1. A*Lphonsus de Leone de off. & potestate Confess. recoll. 4. ver. Conservat. pag.* mihi 301. *col. 2.* negativè respondet, ibi, *undè potest eligi Episcopus convicinus, vel titularis pro Conservatore, etsi non sit electus pro Judice in Synodo Diœcesana, ubi adest Monasterium; prout jure antiquo inspecto poterat eligi; quod jus non fuit in hac parte abrogatum per d. Constitutionem Gregorii, & ita audivi observatum; adverte tamen, quòd quando non fuerunt nominati in Synodo, non possunt facere per se ipsos acta in ea Diœcesi, absque licentia Diœcesani, sed debent in ea facere cum licentia, & mittere citationes, &c.* hæc ille.

2. Verum ego abstinerem à tali electione, & consulerem locorum Ordinariis, se cavendum à tali licentia, & hujusmodi electiones non debere admittere pro sui pace, & subditorum quiete; & præcipuè respectu Episcopi exteri; tum quia versamur in re dubia, tum etiam, quia Conservatoriæ sunt odiosæ, & Partibus præjudicant; maximè si à longe trahantur; tum item; quia stultum est, admittere, quod evitari potest.

Quaest. 38. Officium Conservatoris, quanto tempore duret?

1. DE antiquo jure communi, officium Conservatoris expirat per mortem Papæ concedentis, re integra, non verò cœpta, ut expressè habetur in *d. cap. fin. de off. jud. deleg. in 6.* ibi, *officium autem quorumcunque Conservatorum, ipso iure, quoad non incœpta negotia per obitum concedentis, volumus expirare*: ubi *Gloss. in ver. quorumcunque* ait, hoc procedere in omnibus Conservatoribus, sive sint dati ad conservationem Privilegiorum, vel ad defendendum à manifestis injuriis, vel alio modo: & ratio esse potest; quia Conservator est Judex delegatus, ut dictum est suprà: & jurisdictio Judicis delegati, de jure non est perpetua, sed temporalis, & extinguitur morte concedentis, re integra, secùs re incœpta: tunc autem jurisdictio dicitur incœpta, quando Judex aliqualiter ea fuit usus, Partes citando, vel aliquem actum judicialem faciendo.

2. De jure verò Privilegiorum, officium Conservatoris est perpetuum, & non temporale; quia Privilegia Religiosorum, per quæ Regulares eligunt Conservatores, sunt realia, & non personalia; prout latè probat *Joan. de Lacrux lib. 2. de statu Relig. de conser. conclus. 5. Miranda tom. 2. q. 47. art. 6. Rodr. tom. 1. q. 65. art. 9. Sorb. Capucc. in annot. comp. ver. conser. ver. item Conservator secundùm jura, & Barbos. in d. allegat. 106. num. 50.*

3. Verumtamen hodie non potest ultrà quinquennium durare, ex decis. *Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. de refor.* ibi, *nemo etiam similium litterarum beneficio, ultrà quinquennium gaudere possit, &c.* quæ verba licet non comprehendant Regulares, ut dicitur *in fine d. cap.* nihilominus hodie per *d. Constit. Greg. XV.* censentur extensa ad omnes, ut in eius §. 8. ibi, *durante quinquennio à die deputationis.*

4. Ex quibus constat, quòd officium Conservatorum, debet durare per quinquennium, quo elapso, eorum potestas expirat, etiam quoad negotia incœpta; quia jurisdictio limitata ad certum tempus, eo elapso, expirat, *cap. de causis; de offic. deleg. & cap. si propter sua debita, ver. per quinquennium, de rescriptis, in 6.* tum quia si quoad negotia cœpta non expiraret, sequeretur dari

 posse

posse casum, in quo jurisdictio Conservatoris protraheretur, usque ad aliud quinquennium, & ultra, quòd foret contrà voluntatem dicti Summi Pontificis; tum etiam; quia permissum ad tempus, post illud censetur prohibitum, *l.1. §.si Mulier, ff. de liberis agnoscendis, Moneta de conser.cap.10.num.334. Cochkier de jurisdictione in exemptos p.1.q.39.num.18.Peyr.in formul.litt. C. cap.20. num.2.Bonac.de cens.disput.2.q.2.pag.35.num.8. Gavant. in Manuali ver.conser.*

5. Benè verum, quòd si Judex Synodalis in Conservatorem electus, infrà hoc quinquennium mori contigerit, loci Ordinarius debet in locum defuncti, alium substituere, ne Regulares, ob paucitatem Judicum, aliquam patiantur jacturam, ut dicitur in *cap.10.Conc.Trid. sess.25.de reformat.& in §.5.dictæ Gregor.*

6. Quod extende ad eum, qui licet non moriatur per longum tempus, tamen se absentat: quia diuturna absentia, morti æquiparatur, prout Sacra Congregatio declaravit, teste *Peyr.tom.2.de Privil.in d. Constit. Greg.num.27.& Lezana in d.cap.10.num.56.*

7. Ex quibus collige, quòd Regulares, finito quinquennio officii Conservatoris, tenentur de novo nominare eundem, vel alium Conservatorem, juxtà formam præscriptam in *dicta Gregoriana.*

Quæst.39. Conservatores semel legitimè electi, an possint à Regularibus infrà quinquennium ab officio removeri?

1. Negativè dic; & habetur clarè in *§.8.d.Constit.* ubi nota ly, *nisi ex legitima causa approbanda à S. Sede, vel Ordinariis*; quia causa legitima amotionis poterit esse negligentia, impotentia, inimicitia, vel similis, *Peyr.tom.2.in d.5.Constit.Greg.XV.num.32.& Lezana in d.cap.10.num.59.* & ratio decisionis est: tum quia facta electione jus quæritur electo, quod ei nolenti auferri non potest; tum etiam; quia censentur deputati à Sancta Sede Apostolica, unde ad libitum electorum amoveri non possunt, *Novar.1.p.summ.Bull.de conservat.* multis citatis *num.11.*

2. Secùs autem dicendum, si non essent legitimè deputati; quia in tali casu possent mutari, utporè, si essent electi, non servata forma dictæ *Gregorianæ.*

3. Impedientes verò, vel molestantes Conservatores, ne suum officium exerceant, incurrunt in pœnam excommunicationis latæ sententiæ, & suspensionis à Divinis, ex *Conservatoria Pii V.* edita pro Dominicanis, quæ stat in suo robore, quoad hoc, per ea, quæ dicta sunt suprà.

Quæst.40. Conservatores electi à Regularibus, an teneantur tale munus acceptare?

1. Et dico, quòd sic; nedum ex charitate, ad evitandas injurias, & violentias illis illatas, seu inferendas; verùm etiam, ex justitia, ad se scilicet cavendum à peccato mortali, & tot censuris sibi impositis à Romanis Pontificibus: etenim Conservatores electi à Fratribus Minimis, tenentur sub mortali, tale munus acceptare, illisque assistere ex *§.2.Constitution. Jul. II.* incipit *alias venerabilem*, quam per extensum ponit *Peyr.tom.1.de Privil.*ibi, *commisimus, & dedimus in mandatis, &c.* quod præceptum, cum sit in materia gravi, obligat ad mortale.

2. Electi à Minoribus tenentur exequi tale officium sub pœna excommunicationis, juxtà *Conservatoriam*, pro eisdem editam ab eodem *Jul. II.*

3. Electi à cæteris Mendicantibus tenentur ad idem sub eadem pœna ex *Conservatoria* sibi concessa à *Leone X.*

4. Electi à Dominicanis tenentur id prosequi, eisque assistere sub pœna excommunicationis, & suspensionis à divinis latæ sententiæ, ex *Conservatoria Pii V.* quæ viget quoad hoc, ut constat ex decisis.

5. Verum, possent excusari, ob probabilem ignorantiam, & legitimum impedimentum, *Rodr.tom.1.q.61. art. 4.* ubi ponit Sum. Pontif. præcisa verba *Joan. Lecrux lib.2.de statu Relig.cap.10.conclus.3.& Marcell.Vulpes in praxi cap.12.de conser.num.11.*

Quæst.41. Conservatores Regularium, an possint suscipere querelas ipsorum, contrà alios Regulares ejusdem Ord.?

1. Negativè dic; tum quia, Regulares in causis criminalibus non possunt conveniri coram Conservatoribus; sed tantum in causis civilibus: tum etiam; quia ità decrevit *Leo X.* ad instantiam Fratrum Prædicatorum in sua *Constit.* quæ incipit *Romani Pontificis*, & liquet in eius §.3. ibi, *inhibentes sub eadem pœna Judicibus Ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam Conservatoribus Privilegiorum dicti Ordinis, aut quarumcunque personarum, Congregationum aut Domorum, & Monasteriorum hujusmodi, & Cameræ Apostol. Avenion.ne querelas hujusmodi Fratrum, & Sororum contrà alios Fratres dicti Ordinis suscipiant, vel de eis cognoscant*, & habetur per extensum in *collect. Privil. Confect.* & est 10. inter *Bullas* ejusdem.

2. Tum item; quia Fratres unius, & ejusdem Ordinis, quoad correctionem morum, & similium subsunt immediatè eorum Prælatis, qui habent super subditos plenam, liberam, & ordinariam potestatem.

Quæst.42. Conservatores, si suam excedant potestatem, in quas pœnas incurrunt?

1. Respondeo, quòd si Conservatores scienter se intromiserint in aliis, quàm in manifestis injuriis violentiis, seu in aliis, quæ judicialem indaginem [exi]gunt, eo ipso sunt suspensi per annum ab officio, ut [di]citur in *d.cap.final.de off.& potestate jud.deleg.in 6.* [et] Conservatoris, ut dicitur in *§.11.d.Gregorianæ:* per q[uod] additum, remanet correctum dictum *cap.final.* [de]claratur, quòd hujusmodi suspensio non est à Div[inis,] ut quidam putarunt, sed ab officio Conservatoris tum, *Peyr.in d. Constit. Greg.tom.2. de. Privil.num Bonac.tom.3.de cens.disput.2.q.2.pun.35.num.8.& [Ca]rolus Anton.Thesaur.in 2.p.praxis de pœnis Ecclesi.*

2. Quod congruit *cap.provida 43.de elect.in 6.* [ibi] *in eo, in quo peccaverunt, puniantur per annum [conti]nuum*, qui annus currit de momento in momentum eo finito, absque aliqua absolutione, poterit su[um] sus suum prosequi officium: suspensio enim non [indi]get absolutione, ex eo; quia quis per suspensionem efficitur extrà Ecclesiam, *Tolet.lib.1.sum.cap.47.n. & Sayr.lib.4.sui Thesauri cap.17.num.2. & Lezana cap.10.num.70.*

3. Quos autem effectus pariat suspensio ab o[fficio] absolutè, & præcisè prolata, ex multis ostendit *de cens.in genere q.de suspensione, Moneta de Conser. quæst.12.num.561. Novar.1.p.sum. Bull. eod.tit. 22.* & latè *Alphon. de Leon. de censuris*, re[...] *num.999.*

4. Dixi, scienter; quia dicta pœna illata est Conservatores temerariè excedentes: temerita[s] includit dolum, & scientiam violatæ legis; unde [...]

ſervator excedat tramites ſuæ poteſtatis, ex ignorantia, etiam ſupina, & craſſa, non incideret: ſecùs autem ex affectata, & malitioſa; quia ſcilicet voluit, vel ſimulavit non ſcire, *Rodr. tom. 1. q. 65. art. 19.*

5. Nec non Conſervatores, ſi excedant terminos poteſtatis traditæ in præjudicium juriſdictionis Diœceſani, ſeu loci Ordinarii, incurrunt in *excommunicationem Bullæ Cœnæ* 17. latam contrà uſurpantes juriſdictionem Eccleſiaſticam Ordinariorum, ibi, *quivè juriſdictiones, Theſaur. cit. loc. num. 4.*

6. Nec obſtant dicentes, Eccleſiaſticos non ligari prædicta cenſura, ex quo penſant, Romanum Pontificem in *d. loco* voluiſſe conſulere tantum bonis Eccleſiaſticorum, quia ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, & indefinitè loquens, univerſaliter debet intelligi. Summus autem Pontifex cit. *loc.* non diſtinguit perſonas, ſed abſolutè loquitur de uſurpantibus: ergo. *Bonac. tom. 3. de cenſ. diſput. 1. q. 18. punct. 3. num. 2.* ac proindè Ordinarii offenſi poterint ſuam juriſdictionem contrà prædictos cenſuris tueri, *cap. dilecto, de ſent. excom. in 6. cap. ex parte, il primo de verb. ſignific.* quia Conſervator tranſgrediens ſui officii cancellos, habendus eſt tanquàm privatus, *Navar. in cap. cum contingat, de reſcriptis, remed. 4. num. 2. Cochkier de exemptis p. 1. q. 39. num. 35. Peyr. tom. 3.* ſeu in *addit. ad Conſtit. Greg. num. 16.* & poſt allegatos *Barboſa in d. allegat.* 106. *num. 37. in fin.* ubi ſubnectit, *immò ſi ipſe Delegatus delinquat, poterit puniri ab Ordinario loci, in quo deliquit, & coram eodem conveniri pro damnis, & intereſſe, ſi delinquat, etiam in cauſa, in qua eſt delegatus in judicando, vel non judicando, & non reddendo jus, & abutendo ſua juriſdictione, & illam excedendo, aut aliàs litem ſuam faciendo, & in omni alio, quod tentat injuſtè exequi.*

7. Si verò Conſervator excedat contrà Judicem laicum, poterit hic ſuam juriſdictionem tueri contrà dictum Conſervatorem congruis pœnis: nam Judici permittitur juriſdictionem defendere, ex *d. cap. dilecto, de ſent. excom. & d. cap. ex parte, de verb. ſignific.* ità *Caſſan. in conſuet. Burgund. rubr. 1. §. 5. à num. 85. Innoc. in cap. olim, il primo de reſtit. ſpol. num. 38. & in cap. dilectis, de pœnis num. 2.* nam inquit, *conceſſa juriſdictione, conceduntur ea omnia, ſine quibus dicta juriſdictio exerceri non poteſt, cap. paſtoralis, cap. prætereà, de off. deleg. & l. 2. ff. de juriſdict. omn. jud.*

8. Si tamen ſcire deſideras, in quibus caſibus Judex Sæcularis poteſt cognoſcere de cauſa Clericorum, vide *d. Caſſan.* cit. *loc. Fillucc. tom. 1 tract. 16. cap. 10. à num. 262. Seſe de inhibitione cap. 8. §. 2. num. 3. & §. 4. num. 29.* ubi in ſpecie ait, quòd Judex Eccleſiaſticus poteſt expelli Regno, & jure originis privari, ſi violentiam inferat, vel ſi ſit injurioſus; vel moleſtus Vaſallis Regiis, vel ſi ſit turbator pacis, vel Coronæ ſuſpectus, quod priùs dixit *Abbas in cap. 1. col. final. ver. item poteſt, in fin. de elect.* ubi dicit, quòd Princeps ſæcularis non tenetur admittere Prælatum, de quo non poſſit confidere, ne fortè pandeat adverſario ſecreta Provinciæ, & in *cap. cum Terra, col. 2. eod. tit. & Innoc. in cap. ſuper his, col. penult. de accuſat. & Felin. in cap. 2. ver. decimo, de præſcript.* idem repetunt.

9. Verumtamen *Baldus in cap. 1. §. ſi Clericus, de pace tenend.* dicit, quòd ſi periculum non ſit in mora, debet fieri cum conſenſu Papæ, cui adhærent *Addition. ad quæſt. 36. Jul. Clari, num. 6.* quia Pii Principes in hoc caſu etiam curant, ut Judex Eccleſiaſticus per ſuum Superiorem corrigatur, & amoveatur: quod tutiùs cenſet *Cochkier de exempt. p. 1. q. 39. in fin. & Peyr. cit. loc. in additio. num. 35.*

* * *

Quæſt. 43. Suadentes Judici Conſervatori, ut ſuam tranſgrediatur poteſtatem, in quas pœnas dant?

1. ET dico, quòd Pars, quæ hoc fieri procuraverit, excommunicationem ipſo facto incurrit, & non poteſt ab ea abſolvi, niſi priùs integrè ſatisfecerit parti læſæ, ſeu indebitè fatigatæ de expenſis, prout expreſsè dicitur in *dict. c. fin. de off. & poteſt. jud. deleg. in 6.* ibi, *pars verò, & innovatur in d. Greg. §. 12.*

2. Dico, Pars, utputà, Actor, vel Reus; quia cæteræ perſonæ tertiæ, quæ non ſunt partes in judicio, non incurrunt in dictam excommunicationem, licet ad eorum inſtantiam Conſervator exceſſerit; verſamur enim in odioſis, in quibus non fit extenſio, & *textus d. cap.* loquitur de ſola parte, quæ hoc procurabit; immò nec pars, quæ procuravit, ſi Conſervator cum effectu non exaudivit; quia lex excommunicans facientem aliquid, non ligat; niſi effectu ſubſequuto, prout egregiè *Cajet. in ſum. ver. excom. cap. 60. Syl. ver. conſervator num. 5. & ver. excom. 9. num. 43. & Navar. in Manuali, cap. 27. num. 125.* quæ quidem excommunicatio eſt Papalis antè ſatisfactionem, ſed poſt ſatisfactionem eſt Epiſcopalis, *Cajet. in d. cap. fin.* cui inhæret *Moneta de conſervat. cap. 7. num. 591. & Barboſ. in d. alleg. 106. num. 49.* ac proindè poteſt abſolvi à quovis approbato Confeſſario, ex quo in *d. textu* nemini reperitur reſervata, *Bonac. tom. 3. diſput. 2. p. 35. num. 5. & Theſaur.* cit. *loc. lim. 3. & Alphonſ. de Leone, de cenſ. recoll. 4. ver. conſervat. in fin. col. ultim.* ubi advertit, quòd prædicta excommunicatio in caſu poſito afficit ſingulos de Collegio, quamvis Collegium regulariter non valeat excommunicari, & ducitur ex *textu*, ubi ponitur ly *pars*, quæ pro Religioſis ſupponit, *pag.* mihi 301. & ſuperiùs notavit, quòd ubi pars procurans incidit in excommunicationem; Conſervator cum effectu conſentiens incidit in pœnam ſuſpenſionis ab officio Conſervatoris per unum annum, juxtà *textum.*

Quæſt. 44. Conſervator, an poſſit, ut ſuſpectus recuſari, & ab eius ſententia appellari?

1. AFfirmativè dic; dummodò ſimus in caſu gravaminis, nec nocet dicere, quòd Conſervator procedit in notoriis tantum; quia etiam in notoriis admittitur recuſatio, ex quo etiam in notoriis poteſt Reis fieri gravamen, ut ſi Judex majorem pœnam imponat delicto, quàm jure mereatur, *Panormit. in cap. ſi quis contrà Clericum, de for. compet. num. 11. & Farin. 1. p. prax. crim. q. 21. num. 130.*

2. Si verò Conſervator exequatur pœnam à jure impoſitam, non poteſt, ut ſuſpectus recuſari; quia hoc caſu ſe habet, ut merus executor, ut ex multis oſtendit *Eraſmus Cochkier. de juriſd. ord. in exempt. p. 1. q. 39. numer. 33.*

3. An autem huic ſuſpitioni dandus ſit locus, ſtandum eſt Arbitris, qui electi in forma juris debebunt ſuper tali ſuſpitione judicare, quorum pendente judicio, non proceditur in cauſa, ex *Decreto Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de Reform.* ibi, *quòd ſi in us cauſis, &c.*

4. Idem dicendum eſt de appellatione, ob eandem rationem; quia ſcilicet Judex Conſervator, poteſt excedere in judicando, *Barboſa in d. allegat. 106. num. 33.* Verumtamen in caſu appellationis, appellandum eſt ad Papam: quia Conſervator eſt Judex delegatus à Papa, ut conſtat ex deciſis, & docet *Tuſcus ver. Conſervatores, concluſ. 760. num. 6. & Barb. cit. loc. num. 4.*

Hactenùs de hac parte ad Laudem, & Gloriam Omni-

Omnipotentis Dei, cui me ſcribentem de Conſervatoribus, placuit conſervare inter tot, tantaſque Revolutiones hujus Regni, quæ inſurrexerunt à die ſeptima menſis Julii, anni 1647. ſuntque protractæ, uſque in diem Lunæ poſt Dominicam Palmarum ſubſequentis anni, nec quidem amplius auditæ, Dei ſingulari beneficio.

De quibus noviſſimi hujus Regni Hiſtorici legendi ſunt; qui, ut dici ſolet, politiori lima omnia tradunt, & ſubtili acu omnia attingunt: teſtantes hoc totum Benevolentiæ, ac Tutelæ Beatiſſimæ Virginis Mariæ Sanctiſſimi Roſarii, S. Januarii hujus Civitatis præcipui Patroni, ac Patriarchæ S. Dominici, totius Regni Protectoris, tribuendum eſſe.

Nec non ſummæ Epykeiæ, Temperan ſtitiæ, ac Fortitudini, Illuſtriſſimi, & Exc mi Domini, Don Indici de Guevara, Co Ognatte, & hujus Regni digniſſimi, & ai Proregis; Qui inter omnes Cæſar fuit; Q vidit, & vicit; Qui percuſſit decem millia, libus ſuis: melius dicam, Qui unus nobis, c do reſtituit rem, Qui pro communi Pace, verſali bono, faxit Deus, ut vivat Neſtori annos, & pluſquàm ſoſpes, in æternum, & ultrà.

* * *
* *

Finis Secundæ Partis.

